SERENISSIMI ELECTORIS AUCTORITATE.

MONACHII
BOJORUM METROPOLI
Excudebat
JOANNES GUILIELMUS SCHELL,
ANNO A PARTU VIRGINIS
M. DC. LXII.



Digitized by Google

BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARS III.

IDEA
BONI PRINCIPATUS,
ex
VITA,
Rebus geſtis & Virtutibus
MAXIMILIANI,
Vtriuſque Bavariæ, & Palatinatus Superioris Ducis, S. R. I. Archidapiferi & Electoris, Comitis Palatini Rheni, Leuchtenbergiæ Landgravij, &c.

LIBER I.

Maximiliani incunabula, educatio. Gubernationis primordia, vita & mors Renatæ Matris.

I.

SOlent, qui ex Democratis, Philonis, Vitruvij, aliorúmque ſeu priſcæ, ſive hodiernæ Architectonicæ legibus magnifica ædificia moliuntur, dare ſoliditati, atque ſymmetriæ primas curas, venuſtati ſecundas. Quamobrem adhibent ad propylæorum decus, Atlantes, Caryatides, encarpa, lemniſcos: illuſtrant antipagmenta rari pretij marmoribus, columnis varij operis: faſtigia frontémque excolunt præſtantis artificij, Divorum, Heroúmque ſtatuis: cohoneſtant atria gentilitijs avorum imaginibus: nihil denique prætermittunt, quod ſtructuræ conciliare gratiam, pérque primores iſtas illecebras, intuentium oculos capere, & animos trahere poſſit ad præclaram artis poſitǽque operæ æſtimationem.

Quod Architectis ſolenne eſt, idem mihi quoque Maximiliani Utriuſque Bavariæ, & ſuperioris Palatinatus Ducis, S.R.I. Archidapiferi, & Electoris, Comitis Palatini Rheni, Leuchtenberg. Landgravij, vitam réſque memorabiles, ad poſte-

rorum & boni Principatus exemplum transmiſſuro, videretur eſſe faciendum; ſi egeret is peregrino cultu, qui in ſuis Majoribus numerat Imperatores, Reges, Regibus ſuppares, Principes, famâ clariſſimos Carolos, Othones, Guilielmos, Ludovicos, Stephanos, Albertos, alios, eosque Magnos, Victorioſos, Juſtos, Magnanimos, Sapientes, natos bono publico, quique ipſe in Orbis univerſi oculis claruit genuinis virtutum inſignibus, unde naſcitur fama immortalis.

II. Nihil enimvero eſt, cur affigantur operoſi Telamones, illi, qui bonorum omnium aſſenſu atque confeſsione, Imperij Romani Reíque Catholicæ columna eſt habitus, réque ipsâ fuit. Hoc ipſum perpetuò prædicabunt ſuſceptæ pro re communi dimicationes, adita diſcrimina, labores, curæ, immenſi ſumptus: quos, velut regiæ munificentiæ fructus & lemniſcatos meritorum implexus, ſalutis publicæ coronidi appendit. Hoc celebrabit immortalis memoria conſtantiſsimæ religionis in DEUM, pietatis in Cœlites, egregiæ fortitudinis, quâ maximorum Principum laudes & triumphos, & numero & claritudine (ut modeſtè dicam) æquavit.

Atque hæc quidem non eo conſilio, quaſi meritum Maximiliano Panegyricum ſim editurus: laudare enim duntaxat, aut ex vano aſſentationes dare in lucem, diſsimulatis ſequioris fortunæ vel humanorum caſuum nævis, tam non eſt probi Scriptoris, quàm eſt vel à mediocriter ſapiente alienum, captare ex factorum obſcuritate claram nominis celebritatem. Maximiliani mores palàm in luce & oculis quàm plurimorum conſtituti, hodiéque tot habent arbitratores, quot nuper habuêre teſtes, quibus nec poſſit, nec deceat, tametſi poſſet, imponi. Veritas, in qu perinde atque in ædium fundamentis, ſita eſt prima ratio robúrque hiſtoricæ firmitatis, nunquam venuſtiore formâ viſitur, quàm ſi nuda citráque fucum, alienúmque cultum appareat. Deformat enim, qui nativo candore ſpoliatam adſcititijs pigmentis induit. Id tentare, foret inexpiabile crimen in magnâ rerum laudabilium copiâ, inopiâque illaudatorum, ínque eâ, quæ ſcripturo mihi, ultrò non

III. commendata modò, ſed mandata etiam fuit, licentiâ, quâ & ſentire, quæ velim, &, quæ ſentiam, intrepidè fas ſit expromere, detersâ venalitiæ aſſentationis labe, in quâ non minor eſt turpitudo ſordidæ ſervitutis, quàm in malignâ obtrectatione falſa imago candoris. Quare mihi propoſitum eſt, nón memorare niſi comperta, ſeu ex certâ Tabulariorum & ſcriptorum fide, ſive ex oculatâ multorum annorum notitiâ, & virorum indubitatæ fidei teſtificatione.

Annus agebatur ſupra milleſimum quingenteſimus ſeptuageſimus tertius, & in vivis adhuc erat Albertus V. Guilielmi IV. vulgò Conſtantis Filius, utriuſque Bavariæ Regulus, inter Germaniæ Principes Sapiens & Magnanimus, Maximiliani Avus, quem Sac. Concil. Tridentini Patres retulerunt in eorum album, *à quibus omnia pietatis officia S. Synodus expectanda ſemper exiſtimavit; quippe qui veram & Catholicam Religionem à clariſſimis & nobiliſſimis Majoribus ſuis* (verba ſunt ſapientiſſimorum Eccleſiæ Antiſtitum) *traditam tantâ fide & conſtantiâ conſervavit, ut miſeris Reipub. per novitiorum dogmatum errores afflictæ temporibus, in totâ Germaniâ*

IV. *firmiſſimum Apoſtolicæ Eccleſiæ propugnaculum jure optimo eſſet habendus*, Is, cùm Smalcaldica tempeſtas extrema minaretur rei Catholicæ, Carolo V. Imperatori auxilio ad Ingolſtadium fuit: Concilio Tridentino ſuaſor emendandi minùs id temporis caſtigatos Cleri mores: Imperij Comitijs Anno M. D. LXVI. pro Ferdinando I. Cæſ. & rurſus anno proximè ſequenti pro Maximiliano II. magnâ cum laude, & prudentiæ commendatione, impetrato ab Imperij Ordinibus adverſus Turcam, perpetuum Chriſtiani nominis hoſtem, ſtipendiorum & armorum ſubſidio, præfuit: publicæ pacis ſemper ſtudioſus, totus atque ex aſſe, quoad vixit, avitæ fidei & ſaluti Germaniæ addictus: divinarum humanarúmque ſcientiarum, Virorum litteratorum, reíque antiquariæ ſummus æſtimator. Huic cœlum dedit, videre Maximiliani ex filio Nepotis ortum, ſexennem pueritiam, futuræ olim maturitati jam tum præludentem.

Naſcenti Maximiliano primus fuit, ejus quem dixi Anni, dies ante Calend. Majas decimus-quintus, ſidere non Boicæ modò, ſed etiam Imperio Romano bene

fortu-

fortunato. Tinctus ſacri baptiſmatis lavacro, à Maximiliano II. Imperatore, qui ſponſor ibi luſtricus fuit, Maximiliani nomen accepit. Prima incunabula dedit Landishuta, in paucis elegans civitas ac nobilis, cæli clementiâ agrique circumjacentis ubertate perquam amœna. Ea fuit olim, cùm Boicæ ditiones nondum in unum caput coaluiſſent, Bavariæ ſecundæ Metropolis: hodie Curiâ ampliſſimóque Senatu, inter quina Bavarici Principatûs juris dicundi domicilia, tribunal habet ſecundum. Iſthic primam lucem aſpexit Maximilianus, natus Patre Guilielmo V. Bavar. Duce, matre Renatâ, è vetuſtiſſimâ Auſtraſiæ Regulorum gente & Daniæ Regum ſanguine prognatâ. NATALE SOLUM PARENS UTERQUE.

V. Probè nôrant tanti Parentes, quod Laërtius inter Philoſophorum Principis ſcita recenſet, progenitores, qui liberos ad virtutem quaſi manu ducunt, longè illis eſſe præſtantiores, qui tantùm genuerunt. Sciebat uterque, primum educantium ſtudium eſſe debere, vitiorum ſemina, primáque, ut ſe produnt, germina convellere, earum rerum exempla proſcribere, quarum ignoratio multò eſt quàm quævis diſciplina utilior. Eo fiebat, ut Romani vetere inſtituto, liberos, annis rudibus, nunquam ſinerent prodire in publicum incomitatos, ne remotis cuſtodibus, aliquando inciderent in corruptores vitæ innocentis. Eam ob rem Marcus Aurelius Antoninus ſuo Commodo de quinquaginta Philoſophis, quos ex univerſis Romani Imperij finibus accerſiverat, delegit ſeptendecim, qui ejus pueritiam excolerent, proſcripſitque non ſine convitio quinos, quos ipſe partim leves, partim moribus agreſtes, rudes & inamœnos animadverterat. MODUS EDUCATIONIS.

Poſtea quam igitur Maximilianus ætatis annum ſeptimum attigerat, & jam ſe ejus prodebat indoles, ipſum parentes è contubernio nobilium matronarum, à quibus ejus infantia innocentiſſimè fuerat formata, primis probitatis rudimentis, eduxerunt, ut pro eo atque anni ferebant, ſeveriori diſciplinæ admoveretur. PUERITIÆ CULTURA.

Commendatus eſt Wenceslao Petreo, viro integerrimo, induſtrio, eloquentiæ juriſque in paucis perito, qui tenerum Principis animum pietate atque litteris imbueret.

VI. Simul præter præſtantes Aulæ moderatores, puero additi fuerunt è primâ nobilitate coætanei, quorum æmulatione ad ſuſcipiendos ludi litterarij & cæterarum exercitationum labores, mens Principis, gloriolæ, ut in ijs annis, appetens, excitaretur. Nullus ad ejus famulitium admiſſus, niſi probatiſſimus; ut enim veſtes, quò propiores ſunt corpori, eò decet eſſe mundiores; ſic quò quiſque in Principum familiam penitiùs aſſumitur, eò debet eſſe ab omni morum contagione alienior. MODERATORES.

Petreus priuſquam Inſtitutoris munia attingeret, à Guilielmo Duce exquiſitiſſima præcepta, ad quorum normam ſuo officio fungeretur, accepit. Quò præclarior, ejúſque loci Principe dignior foret inſtitutio, ex iſtis præceptionibus permultæ decerptæ erant è legibus, quas Ferdinandus I. Imperator Anno M.D.XLVI. Maximilianus verò Cæſar Anno M. D. LXVI. & Albertus V. Bavariæ Dux eodem iſto anno, ſuorum filiorum educatoribus dictaverant. PRÆCEPTA.

VII. Iſtiuſmodi præceptorum hæc erat ſumma: ſupremis conatibus Principi inſerere timorem divini Numinis, atque amorem; ſtudium religionis, pietatem: poſthæc inculcare venerationem Parentum, dilectionem, obſequendi alacritatem: deinde imprimere animi demiſſionem, perpetuum ſtudium veritatis, generoſum animum, morum urbanitatem, temperantiam. Tandem docere fugam arrogantiæ, inſolentiæ, levitatis, petulantiæ, delictorum omnium: curare, ut ne præmaturè condiſceret ſui pretium, atque dignitatem; ut damnet omnes vetitas cupidines: denique explorandum eſſe ſedulâ indagine Principis genium; Et laudabili quidem obſecundandum, obviandum ſequiori, ídque ſeriò atque tempeſtivè. Poſtremò obſervanda eſſe ad amuſſim quarumvis actionum tempora, concedenda ſingulis ſua ſpatia, ne intempeſtivo concurſu vel colliderentur, vel ex parte deberent intermitti: tradendas eſſe leges piæ precationis matutinæ ſub divinis officijs, nocturnæ ante ſomnum: altè verò imprimendam ſanæ fidei Catholicæ notitiam, & magnam Eccleſiæ Romanæ æſtimationem: explicandas ſacrorum ri-

tuſim rationes: obeundas pro opportunitate Divorum ædes precandi gratiâ: docendum, quæ ſupremo Eccleſiæ Capiti in terris, cæteriſque Præſulibus reverentia atque obedientia debeatur: ut habendi ſint in pretio ſacerdotes vitæque religioſæ profeſſores, útque paulatim, ex Sanctorum geſtis, rectè vivendi exempla hauriret, prælegendas eſſe per otium auſcultanti ſacras hiſtorias: verbo, nihil tam minutum eſt in officio exhibendæ Deo obſervantiæ atque pietatis, quod ijs legibus examuſſim non proponeretur.

VIII. Mores exteriores.

De morum exteriore diſciplinâ, prolixæ datæ ſunt præceptiones: videlicet, ne in Principe impune unquam toleraretur iracundia, ne diſſimularetur animi puerilis tumor, aut indignabunda averſatio: ne ferrentur ſimulationum latebræ, aut pervicax rerum agendarum optio, multò minùs cerebroſa pertinacia: contrà verò foveretur modis omnibus manſuetudo, benignitas in omnes quidem, ſed maximè in miſeros; comitas affabilitáſque ſermonis, læta animi excitatio, dictorum omnium veraces ſenſus, promiſſorum ſancta fides. Nunquam liceret contentiosè altercari: nefas eſſet juramentis aſſueſcere, miſcere clandeſtina colloquia, aleas tractare.

Qui ab eius conſuetudine arcendi.

Attenderent Præfecti, ne ad Principis aures admitterentur ulli, à quibus eſſet periculum ullius obſcœnitatis, aut vernilis ſcurrilitatis; proinde procul arcerent ora inverecunda, mimos, cæteráſque omnes caſtitatis peſtes. De animi relaxatione hæc: indulgendam, pro ratione ætatis atque virium, Principi moderatam venationem, equitationem, pilæ reticulatæ luſum, jaculationem ad ſcopum, cæteras quæ Principem deceant corporis animíque remiſſiones:

Exercitatio litteraria. IX.

In re litterariâ, ſervato accuratè prælectionum ordine, omnino ponendas eſſe horas conſtitutas, legendos atque explicandos authores, probè de religione moribúſque ſentientes: prorſus relegandos erroneos, impios, inprimíſque laſcivos. Caveretur porrò, ne in Latini ſermonis uſum, qui eſſe deberet Principi familiaris, irreperet inculta barbaries, ſed diligentem daret operam Romanæ puritati: quæ res in omnem vitam Maximiliano fuit perutilis, quippe qui nihil, niſi emendatum atque elegans vel loqueretur, vel in epiſtolis, quas pleraſque cenſebat ipſe perquam peritè, admitteret. Didicit etiam ex parentis præſcripto, atque Præfectorum inſtitutione, non vernaculâ tantùm, ſed etiam Latinâ dictione, eâ formâ quam pro re natâ ipſe ex tempore excogitabat, reſponſa dare Principibus, Legatis, aliiſque officij causâ accedentibus, ita ut in expeditâ dicendi ratione emicaret dicentis peritia, ac in varietate inſignis prudentia delectúſque verborum. Extant etiamnum ejus permultæ ad Patrem litteræ, quas iſtâ ætatulâ, ſuâ dedit manu, teſtes locupletes egregiæ, quâ jam tum pollebat, eruditionis. Expeditè loquebatur Gallicè, Italicè: intelligebat Hiſpanicè, nec imperitè dicebat. Parvum eſt in ſpeciem, ſed revera mirandum in tanto Principe, quod ſubjicio: ſic aſſueverat à teneris, quicquid diceret, faceretve, id reddere numeris omnibus abſolutum, ut nihil ferret mancum, aut à debitâ perfectione aberrans.

Scribendi peritia.

Hoc ipſum probavit in concinnâ pingendarum litterarum elegantiâ, quâ ſic excelluit, ut cujuſvis amanuenſis induſtriam non aſſequeretur duntaxat, ſed etiam ſuperaret. Id demonſtrant tabulæ non paucæ, quas ſtylo elegantiſſimo puer delineavit, quæque hodie intuentium animos rapiunt in admirationem.

X. Picturæ notitia.

Dabat etiam de ſubſecivis horis aliquid, præſertim ſi cælum alias recreationes non indulgeret, penicillo: & verò tantos in eâ arte progreſſus fecerat, ut tametſi illi non fuiſſet niſi obiter primis annis addictus, nemo peritiùs de pictorum manu atque differentiâ, de picturarum pretio atque præſtantiâ, quàm ipſe judicaret.

Res gemmaria.

Rei gemmariæ cognitionem habebat longè ſupra vulgarem; atque in his quidem tam ingenioſam id temporis locabat operam, ut, quod de Gorgiâ Leontino memorat Orator, quicquid addiſci poſſet cum laude, hoc omne ſcire, nihil ignorare velle videretur. Hinc didicerat tornum tractare ſcitiſſimè, quod hodiéque loquuntur vaſa ipſius manu exquiſitiſſimè elaborata ex ebore, ebeno, aliáque præſtanti materiâ, quæ non ſine peritiſſimorum artificum approbatione, in ſelectiſſimâ Principum ſupellectili Monachij viſuntur.

Ad diſ-

Ad diſcendum, ſuâ ſponte ferebatur, ſtimulabatur laude, animabatur inſitâ quadam indolis bonitate. Legi atque expendi non pauca Præfectorum documenta, quibus Guilielmo Parenti de ſui Alumni moribus factiſque crebram rationem referebant, in quibus vix quicquam apparet dignum ullâ ſequiore notâ.

Ad eas, quas recenſui, Præceptiones, ſemel iterum facta eſt acceſſio, quæ Principis ætati atque ingenio conveniret, præſertim Anno M. D. LXXXIV. quando robur corporis, judicij firmitas, & diſciplinarum ordo, regulas requirebant explicatiores, quæ ducerent ad altiora ſtudia ultro properantem.

Iſtis legibus privatim atque in umbrâ vixit Maximilianus, donec ageretur ſuperioris ſæculi Annus octogeſimus ſeptimus, ætatis verò ipſius decimus quartus, quando ſapientiſſimo Parentis judicio, viſus eſt idoneus, qui in Academiæ Ingolſtadianæ lucem produceretur. DAT OPERAM LITTERIS SEVERIORIBUS INGOLSTADII.

Iſthîc quamquam antè jam id Monachij fecerat, ſtatim voluit referri in album eorum, qui peculiare pietatis ſtudium in Deiparæ Virginis cœtu profitentur: nihil veritus, Principis nomen dignitatémque ad eorum leges atque officia demittere, qui, tametſi eſſent longiſſimè naſcendi conditione inferiores, laudabili tamen æmulatione in virtutis ſtudio, à quo nemo, niſi malus, excluditur, ad æternæ vitæ bravium currebant, nihil conceſſuri Regibus in gloriâ, ſi nihil de virtutum meritis conceſſiſſent. XI. CULTUS B. VIRGINIS.

Non fuit etiam, pro perpetuo ſuo in Cœlorum Reginam affectu, ejuſce Congregationis Præfecturam dedignatus, quâ dum Monachij fungeretur, Philippum fratrem, tum quidem Epiſcopum Ratisbonenſem, pòſt S. R. E. Cardinalem in eandem Sodalitatem ſolenni ritu adlegit Anno M. D. LXXXIV.

Operam dedit Ingolſtadij ſeverioribus diſciplinis. Ethicæ præcepta ab uno de Societatis JESU Patribus audijt, cæteras Philoſophiæ partes dignas Principe, cujusmodi ſunt illæ præceptiones, quæ ad rem Architectonicam, ad muniendarum urbium rationem, ex Mathematicis legibus hauriuntur, accepit à Doctore domeſtico. Succeſſit Jurisprudentiæ ſtudium, in quo nactus Ficklerum Præceptorem, virum præſtantem, tantum profecit, ut non modò calleret Civilis doctrinæ præcepta communia, ſed etiam Boicarum legum inſtituta, quantum reddendæ olim juſtitiæ officium in Principe requireret. Tenuerunt iſtæ exercitationes omnino quadriennium, quo ſe vehementer tum privato ſtudio, tum audiendis Academicis disquiſitionibus, quibus frequens avidúsque intererat, toti Academiæ probavit. Id enimvero agebat, ut, quam à DEO conſecutus erat mentem ad bona omnia ceream paratámque, ornaret optimis quibuſque documentis, firmarétque ad capeſſenda cum virtute conſilia, & rerum futurarum eventa. Intererat hoc non ipſius modò, ſed Reipub. etiam, cujus gubernacula nunquam veniunt in meliores manus, quàm ſi eas tam divina, quàm humana ſapientia roborârit. Ut enim ferè in Principum inſtitutione populorum fata librantur, ſic illa tantum valet in utramque partem, ut probè edocti raró, vel nunquam à virtute deſciſcant, ſed juſtè atque ſapienter ſubjectos gubernent; contrà atque accidit in ijs, qui talibus bene regendi adminiculis deſtituti, plerumque ſuo malunt indulgere genio, quàm ſaluti publicæ, in cujus procuratione præcipua, immo tota boni Principis ratio conſiſtit. XII.

Hoc verò perhonorificum Maximiliano, & percommodum in iſto litterario ſeceſſu obtigit, ut eodem, quo ipſe, tempore Ferdinandus, Archidux Auſtriæ, quem poſtea virtus ad ſummum Imperij faſtigium evexit, Ingolſtadij in litterarum ſtudia adoleſcens incumberet: eo enim factum, ut ſanguinis conjunctionem, & amicitiam, morum ſimilitudine, & officijs, crebráque conſuetudine eo nexu adſtringerent, qui utrumque in omnem vitam, magno rei communis emolumento, in mutuâ amoris & affectuum conſpiratione ſanctè retinuit. Id quoque inde profectum eſt utilitatis, quòd, cùm duo magni Principes in eodem virtutum & eruditionis campo certarent, alter alterius imitatione, & pulcherrimo gloriæ incitamento MAXIMILIANI CUM FERDINANDO II. FAMILIARITAS.

tamento ad magnos progreſſus, & communium ſtudiorum palmam adſpi-
raret.

Geminorum fratrum ſocietas.

Necverò etiam parùm attulit adjumenti tergeminorum fratrum in eâdem
palæſtrâ concurſio, ſimul enim cum Maximiliano exercebantur gemini fratres:
Philippus, quem Romana Eccleſia vidit inter ſuos ſupremos Senatores: & Ferdi-
XIII. nandus, futurus unus ex S. R. I. Septemviris. Atque hæc quidem id temporis erant
præſtantiſſima, quibus unquam Lycæum Ingolſtadienſe fulſit, lumina: iſti Princi-
pes, qui univerſo Orbi Chriſtiano claruerunt difficillimis Reipublicæ tempo-
ribus.

Duces Neoburgicos inviſit.

Jam tum Maximilianus illuſtria ſapientiæ & humanitatis ſpecimina edebat,
quoties veniebat in aliorum Principum conſuetudinem. Scripſit Ficklerus, qui
præcipuam rei litterariæ curam gerebat, Duci Guilielmo, quantâ cum approba-
tione vicinos Principes, officij causâ, & captandæ alicujus à ſtudiorum contentione
remiſſionis, Maximilianus adierit. Iis nimirum diebus, quibus æſtus Canicu-
læ ceſſationem ſuaſerat, ad Philippum Ludovicum Ducem Neoburgicum Ma-
ximilianus inviſit. Venienti proceſſit obviam honoris causâ præcipua Aulæ
Neoburgicæ nobilitas ad uſque Ducatus fines. Paulò propiùs adfuit Dux Wil-
helmus Wolfgangus Ludovici filius. Ubi iverat in Maximiliani amplexus, eum
oratione Latinâ dextertimè, juxtà atque facundè ſalutavit. Jucundum fuit audire
Maximiliani extemporaneum ad omnia reſponſum eodem genere dictionis.
Exceptus fuit à Duce Philippo Ludovico, magno cum honore, & præclarâ bene-
XIV. volentiæ teſtificatione. Egit iſthic per dies aliquot, fuitque tum cultus eximiè,

Amicitiam iungit cum Duce Guilielmo Wolfgango.

tum recreatus omnibus, quas honeſtas & anni tempeſtas ſuggerebant, ludis &
animi relaxationibus. Inter has, uti ferebat ætas & ſanguinis cognatio, junxit
amicitiam cum Wolfgango Guilielmo Duce, qui deinde Catholicæ Romanæ re-
ligionis caſtra ſecutus, Magdalenam Maximiliani ſororem ſibi matrimonij vincu-
lo copulavit. Ita ſenſim Deus, cui curæ ſunt res mortalium, ex iſtis initijs longè
majora deſtinabat. Gerebant interim Duces Neoburgici Maximilianum in ocu-
lis, arbitrabantur ſedulò cum ſingulari jucunditate omnes ejus actiones, mira-
bantur ætate majorem in dictis prudentiam, comitatem, maturitatem, quarum
ſuavem longámque ſervavêre memoriam poſt ejus diſceſſum, qui tantum in
omnium animis deſiderij reliquit, quantum adventus attulerat hilaritatis.

Paucis antè diebus, quàm ad eos diverteret Maximilianus, Martini, ex nobi-
liſſimâ & pervetuſtâ Schaumbergiorum familiâ, Epiſcopi & Principis Eiſtattenſis
invitatu, biduum Eyſtadij conſumpſerat, itáque ceperat optimi Præſulis animum,
ut ſe vix ab eo divelli pateretur. Pauca hæc de Ingolſtadienſi commoratione.

Formatur ad capeſſenda Reipublicæ gubernacula.

Inde Maximilianus Anno M.D.LXXXXI. ad Reipub. curandæ tirocinium
à Guilielmo parente fuit avocatus. Conſilium videlicet erat, Maximilianum
publicæ rei conſultationibus paulatim admovere, ſapientiſſimorum virorum,
quibus Guilielmus conſultoribus utebatur, conſuetudine formare, uſu cognitio-
néque rerum agendarùm docere patrij juris formam & adminiſtrationem, quam
à nullis commodiùs poterat, quàm à veteranis Guilielmi Miniſtris edoceri. Su-
XV. per hæc ejus plurimùm intererat, exploratos habere Aulicorum mores; probos ut
ſuo tempore retineret, amitteret minùs probatos. Difficile enim eſt in eâ rerum
& ingeniorum multitudine, non reperiri aliquando, qui Aulas in duas claſſes par-
tiantur. Paris uſus erat, in Conſiliariorum ingenia penetrare, arbitrari reſpon-
ſa, probare fidem, obſervare juſtitiam, dexteritatem, omnem negotiorum for-
mam: ne harum rerum prorſus imperitus, regere priùs inciperet, quàm aliquatenus
regere didiciſſet. Juvabat etiam, Oeconomiæ rationes ſubinde inſpicere, ſimul
condiſcere opes publicas eâ moderatione tractare, ut ne ex privatorum fortunis
Princeps cogeretur repetere, quod in ſumptus vanos, nimiúmque luxum ſæpe pro-
funditur. Didicit eodem tempore belli gerendi rudimenta, doctus adumbrare
prælia, inſtruere acies, noſſe veterum machinarum artificium, novarum invenire,
corpus durare ad labores, venationibus, haſtiludijs, cæterâ armorum tractatione,
in quâ

in quâ excelluit, quotidianâ equitatione, fatigatione, animum verò aptare ad conſilia, auditis, de finitimorum bellorum ratione, ſententijs.

Unum erat in ſpeciem non admodum grande, ſed re tamen ipsâ non negligendæ in tali Principe conſiderationis. Ab ipsâ pueritiâ (ſic refert Petreus in ſua ad Ducem Guilielmum epiſtolâ) Maximilianus naturâ pervereeundus, tametſi inter æquales, inferiorésve foret diſertus; erat tamen, ubi cum Majoribus ſermones erant miſcendi, parcus verborum, & paulò, quàm videbatur convenire, ſilentij retinentior, niſi neceſſitas uſúsque peculiaris ab ipſo reſponſa exigeret: Supererat igitur, ut frequentiore cum Principibus, qui paternam Aulam crebri adibant, commercio, magis ac magis honeſtam dicendi libertatem explicaret. Et explicuit quidem, ſed cum eâ, quæ in omnem vitam ipſi adhæſit, mediocritate, ut nihil præceps eloqueretur, verba ſingula penſiculatè ad rationis libellam expenderet, limaret ſtudioſè, non augeret parva dicendo, magna non minueret, ſuſpensóque velut orationis gradu, ſemper meditari potiùs videretur, quæ diceret, quàm dicere meditata.

SERMONIS ACCURATIO.

XVI.

In his ſedulò verſatus eſt Maximilianus per biennium, cùm Parenti ipſius optimo viſum ex uſu atque dignitate, illum ſupremis Orbis Chriſtiani capitibus coràm ſiſtere. Miſit itaque ad Rudolphum Cæſarem An. M. D. LXXXXIII. ut ſacram illam Majeſtatem præſens adoraret. De ejus Pragam adventu, juvat audire Joannem Barvitium, virum in Aulâ Cæſareâ illuſtrem, & percharum Guilielmo. Ad hunc, vigeſimâ ſeptimâ Februarij, ſic ſcribit.

PROFICISCITUR AD RUDOLPHUM II. IMPERATOREM

Exceptus hodie fuit Sereniſſimus Maximilianus Princeps, Cæſaris mandato ac nomine, à Regni Bohemiæ Iudice, & à Pragenſi Capitaneo, qui eſt ex Popeliorum familiâ, ad milliaris unius iter. Poſtea frequentiſſimâ Aulâ Cæſar ad atrium exterius Principi obviam venit hilari ac blando vultu. Cùm Serenitas ſua poſt primum amplexum paucula verba locutus eſſet, triplo pluribus Cæſar reſpondit benigniſſimè, quod eo modo fieri in publico erga Archiduces ſolet. Inſervire juſſi ſunt Principi, Comites, Barones, & primarij Nobiles. Craſtino autem die omnia ſolenniùs peragentur, ac deinceps, cùm privatim, tum publicè. Non tantùm Cæſar de oblectamentis cogitat, ſed etiam de munere, quo donare Principem poſſit. Annulus ſatis magni pretij propoſitus fuit, commendati equi, artificioſa denique & elegans catena. Cogitatur porrò de invitando ad Cæſaris menſam Principe. Idem ille Barvitius quarto Martij hæc ipſiſſima: *Narrabit ipſe Princeps (Maximilianus) quantâ benignitate à Cæſare exceptus, & tractatus fuerit: in quo ſe ipſe & ſuam naturam ſuperâſſe videtur Cæſar, omnibus admirantibus, qui viderunt, qui audiverunt, quibus ea nova inſolita fuerunt, ita ut omnino divinam hinc cooperationem colligamus, ut ſua virtuti ac pietati gloria conſtet. Princeps autem ita ſe præclarè, heroicè geſſit, ut & Cæſaris, & omnium, tum Aulicorum, tum Oratorum atque Externorum opinionem atque expectationem omnino ſuperârit: quæ res ingentem Serenitati Veſtræ laudem conciliavit & auctoritatem. Ab Oratoribus, intelligo, omnia certatim ſuis Dominis & amicis perſcripta, ita ut magnum apud Exteros fructum conſecuturum minimè dubitem, tanti refert, & egregijs ortum eſſe Parentibus, & filios parentum gloriam virtutésque æmulari.* Domum redeuntem Cæſar ſignificatione magnâ benevolentiæ, atque commendatione eximiâ eſt proſecutus.

EXCIPITUR HONORIFICE ET AMANTER.

XVII.

Subinde Guilielmus Filio impoſuit Romanam profectionem, tum ut eum Clementi VIII. Summo in terris DEI Vicario præſentem ſupplicémque exhiberet, tum ut Romanam urbem, auguſtiſſimum rerum pulcherrimarum theatrum, virorum præſtantiſſimorum domicilium, ſimúlque politos Italiæ mores inſpiceret. Eam peregrinationem ſuſcepit ineunte vere. Ut erat, fuitque per omnem vitam, pietate in DEI Matrem ſingulari, in tranſcurſu, non perfunctoriè, ſed cum magnâ religione ſe ſtitit Virgini Lauretanæ. Votis illic perſolutis, proſecutus iter, quacunque fuit tranſeundum, à Principibus perhonorificè fuit habitus. Romam eſt ingreſſus adulto jam Aprili: iſthic gemini Fratres, Philippus Cardinalis, & Ferdinandus Colonienſi Infulæ & Septemviratui deſtinatus Adjutor, quo ſe ad Romanos ritus conformarent, aliquantum jam temporis poſuerant. Venienti longè

XIIX.

ROMAM A PARENTE MITTITUR.

INVISIT ÆDEM LAURETANAM.

Littera M. Minutij Pont. Prælati. BINI FRATRES EUNT OBVIAM. *Litt. Quirini Leonini 2. Apr. anno 1593.*

longè proceſsêre obviam. Dici vix poteſt, quantâ ſe utrinque lætitiâ fuerint amplexi. Miſſi à Clemente bini Nepotes, qui in agri Romani finibus Pontificio nomine exceptum, in urbem honoris causâ proſequerentur. Ejus adventûs fama & videndi deſiderium, omnem jam Romam impleverat; ſed nec defuit ipſe urbis expectationi. Eam ubi attigit, prima cura fuit, D. Petri Principis Apoſtolorum limina piè viſere, deinde Clementem VIII. quâ decebat religione, venerari. Eum cupidè expectabat Pontifex, quem Podagræ moleſtia lecto affixerat. Erat is Domus Bavaricæ, ob præclaram in retinendâ fide Romanâ, & Eccleſiâ defendendâ conſtantiam, amantiſſimus, & Guilielmo Duci peculiari benevolentiâ addictus.

XIX. EXCIPITUR A CLEMENTE VIII.

Extant Romanæ litteræ, quibus Guilielmo ſignificatum fuit, Clementem morbum, quo tunc detinebatur, divinæ providentiæ retuliſſe in acceptis, quòd crederet à DEO immiſſum, ad temperandam lætitiam, quam alioqui nimiam ex Maximiliani conſpectu fuiſſet accepturus. Salutationi intereſſe voluit octo Cardinales, atque inter eos Altaempſium, tametſi nonnihil ipſi cum Guilielmo controverſiæ privatim intercederet.

Paratum erat Pontificis juſſu, Maximiliano ſplendidiſſimum hoſpitium, in quo Clemens per ſuos domeſticos voluit omnem hoſpitalitatis curam adminiſtrari. Eidem in Sacello Pontificio locus honeſtiſſimus erat deſtinatus, medius videlicet inter duos Cardinales, qui conſeſſum claudebant, qualis ſolet aſſignari Magnis Principibus, quos Regium diadema non inſignit, cùm ſui Principatûs gubernatione potiuntur. Purpurati Senatores Eccleſiæ Romanæ omnes, tribus exceptis, quibus Maximilianus ſalutatis honorem debitum privatim detulit, abeuntem, ad rhedam uſque ſunt comitati: quæ obſervantia paucis Principibus haberi conſuevit. A ſummo Pontifice gladium pileúmque ſacris precationibus initiatos, celebri ritu accepit, cum augurali voto atque omine, ut olim, velut fortis poténſque fidei Catholicæ propugnator, orbi univerſo per egregia in Romanam Eccleſiam merita, ad cæterorum Principum exemplum, poſſet commendari. Tot cumulatus honoribus, poſteaquam viginti circiter dies in urbe conſumpſerat, Neapolim, ineunte Majo, contendit. Comitati ſunt gemini ipſius Fratres & Clementis Nepotes ad Portum Oſtienſem: ſequebatur, Pontificis mandato, nobiliſſimus comitatus. Eum medio itinere perhonorificè ſalutavit Urſinus Brachiani Dux Magni Ducis Nepos. Ventus navigationi adverſus bidui moram attulit: mox ubi poſuit, aurâ ſecundâ ſolvit è portu Romano. Deduxerunt ternæ triremes regio planè apparatu. Neapoli ſplendidè habitus, luſtravit viſenda omnia ampliſſimæ ac nobiliſſimæ Civitatis monimenta per dies aliquot, quibus exactis, Romanum iter relegit. Romæ actis Pontifici gratijs, valefecit ſacri Senatus Purpuratis, & cum ſingulari omnium ſatisfactione officioſas urbanitates ſingulis reddidit.

LOCUS IN SACELLO PONTIFICIO. QUO HONORE CULTUS A CARDINALIBUS.

X X.

NEAPOLIM PROFICISCITUR.

Acceperat à Guilielmo in mandatis, ut, antequam Monachium reverteret, Carolum Auſtraſiæ Ducem Nanceij inviſeret; Principem magnificentiâ, rebus geſtis, defenſæ adverſus Calvinianos religionis, cæterarúmque virtutum laudibus nulli ſecundum.

ITER IN LOTHARINGIAM.

XXI.

Ituro igitur in Lotharingiam eundum fuit per Inſubres, pérque Alpes Lepontias, quas ſummas D. Gothardi nomine vocitant. Juvit paſcere oculos Mediolanenſi amplitudine atque magnificentiâ, & coli debitis officijs.

Dici vix poteſt, quantâ lætitiâ Carolum Lotharingiæ Ducem Maximiliani adventus affecerit. Accepit velut è Cœlo miſſum ex Renatâ ſorore, Guilielmi conjuge, nepotem chariſſimum, & paulò pòſt futurum generum, ex nuptijs cum Eliſabethâ filiâ, Principe, de quâ nemo facilè ſtatueret, majórne eſſet formæ, an probatiſſimorum morum elegantiâ. Multum eſt, fuiſſe Maximiliano ſupparem: tantâ erat ætatis, omnium corporis animíque ornamentorum ſimilitudo, quæ præter alia, fuit optima amicitiæ conciliatrix atque pararia.

MAGNO AMORE EXCIPITUR.

Et verò

Et verò etiam utrinque parentes, in hanc ipſam votis, & magnâ voluntatum conſenſione conſpirabant, cupiebántque coaleſcere in matrimonij affinitatem: Guilielmus quidem expertus Renatæ Lotharingicæ feliciſſimum conjugium; Carolus verò magni æſtimans ſecundam hanc Bavarici ſanguinis cum Auſtraſiâ conjunctionem. Poſuit Maximilianus Nanceij in exquiſitiſſimis honeſtiſſimísque oblectationibus menſem Junium, & relictâ ſui ſecundiſſimâ famâ & ingenti deſiderio, menſe Julio inſequenti in Bavariam redijt. Redit in Bavariam.

XXII.

Eum Guilielmus nequaquam paſſus eſt otiari, ſed in Imperij Comitijs, quæ Ratisbonæ fuerunt habita Anno M. D. LXXXXIV. ipſum voluit ſuas vices in Principum conſeſſu, & recognoſcendis Imperij clientelis, quod & magnâ cum laude præſtitit, obire: ſic pedetentim per omnia Principis officia, & gerendæ Reipublicæ partes ducebatur. Interest Comitiis Ratisbonensibus.

Agebatur interea, ipſo aſſentiente, de Eliſabethæ nuptijs, in quas ubi convenerat, Anno M. D. LXXXXV. ineunte, Monachio diſcedens, Nancejum reverſus, Nonis Februarij cum regiâ celebritate Connubij ſolennia peregit. Revertitur Nanceium.

Jam tum Guilielmum ad quietiorem vitam, quam totam Cælo transſcriberet, anhelanti, ſatias honorum & potentiæ ceperat, lætum, quòd haberet filium, cui Principatus habenas tutò committeret.

Deo igitur diu multúmque conſulto, Anno M. D. LXXXXVI. approbante Cæſare, abdicatâ gubernatione, Maximilianum ex aſſe præfecit utrique Bavariæ, tam raro, quàm memorabili paternæ pietatis in filium, & contemptûs rerum humanarum exemplo. Init Parente volente Boicæ gubernationem.

Nihil priùs habuit Maximilianus, quàm Deum, quo invito nihil ſucceſſum habet, in vota vocare, certus, neminem ſine divino auxilio ullis unquam bene præfuiſſe, & fuiſſe per raros, qui ſubjectos feliciter habuerint, niſi ſe priùs divino Numini ſubjeciſſent. Id, quoad vixit, ſemper habuit propoſitum, ut pius in Deum, in ſubditos juſtus benignúsque eſſe, quàm videri mallet, ratus, ſe ſat amplum atque celebre rectè factorum habere theatrum, cùm ſpectatorem atque arbitrum Deum haberet. Famæ nihilominus ſincerâ probitate quæſitæ magnam ſemper habuit rationem, ne nominis contemptu virtutem contemnere videretur. Cæteris enim mortalibus, non perinde atque Principibus neceſſarium eſt laudis ac poſteritatis ſtudium, quippe quorum vita in excelſo poſita, omnibúsque conſpicua longiſſimam ſui generat recordationem, & talem quidem, qualem ſuis factis temporum monimentis mandaverint. Hæc enim vulgant ad poſteros Principum dicta, conſulta, decreta, geſta, ac proinde quale ſibi nomen fecerint, tale per omnes ætates ſunt habituri. Maximilianus faſcibus admotus, ſibi nihil, niſi ex moderationis libellâ, indulgebat: horrebat otium, cæteráſque omnes bonæ mentis corruptelas. Ex hoc fonte manabat, plus quàm Vatinianum ebrietatis omníſque flagitij odium, eò quòd, cùm multum habeant amentiæ, plurimum adferunt turpitudinis, quæ deformat nobiliſſimam, quæ in humanâ mente eſt, rationis venuſtatem, excluſiſque cœli luminibus, inducunt publici neglectum, privati amorem, ignaviam, ipsúmque horrorem ac deſperationem rerum meliorum. Gubernationis auſpicia et leges. Qualis fuerit in Deum. XXIII. Famæ quæ cura. Otii et vitiorum fuga. Qualis eius Aula.

XXIV.

Non fuit Maximiliano laborandum de Aulæ magnificentiâ: eam enim à Parente accepit eo ſplendore & moderatione conſtitutam, ut nec augeri deberet apparatus, nec foret opus in luxum ſubjectorum opes exigere. Noverat, ſi ullus, Principes, Juſtitiæ causâ omnibus ex æquo reddendæ, à Deo populis imponi, ut ſummos cum infimis pari jure retineant, ut nec opulenti inſoleſcant, neque plebs contumeliam accipiat, nec pereat quiſquam inauditus aut indefenſus, néve conculcetur innocentia, aut reus abſque noxâ damnetur. Justitiæ cura in subiectos.

Vetuit igitur, mox ut faſtigium Principatûs adijt, quicquam apud eos, qui juri dicundo præerant, eſſe venale, aut ſordidum ex pravâ largitionum corruptelâ. Id quò caveretur faciliùs, volebat Juſtitiæ adminiſtris ſtipendia in tempore repræſentari, ne ex rapinis, aliiſque æquitatis offucijs compenſare cogerentur de privatorum fortunis, quod publicæ mercedi decederet. Leges datæ Iudicibus.

Non patiebatur lites æquo longiùs duci, nedum perennare; quod amat fieri, vel otio judicantium, vel eâ paucitate, quæ ſit impar cauſarum multitudini, vel etiam quando velut medici ex morborum diuturnitate pretia, ita Judices atque Patroni ex fori tabe pecuniam faciunt.

MAXIMILIANI IN MATURANDIS IUDICIJS DILIGENTIA

Extant hodieque leges, quas in eam rem condidit. Et ſibi ipſe ſuas indixerat, videlicet ut quàm rariſſimè in ejus conclavi, ſancienda ejus manu decreta pernoctarent. Tam erat in negotijs expediendis alacer & expeditus, ut clementiâ dominatum molliret, itáque haberet ſubjectos, ut niſi deſiperent, non tam timerent Principem, quàm pro Principe timerent.

MODERATIO IN EXIGENDIS POENIS.

XXV. Nulla tamen flagitia ſinebat eſſe ſine freno, nec amabat tamen nimiæ animadverſionis aſſiduitatem: ſed tam erant ipſi exoſa crebra ſupplicia, quàm Medico multa funera: ſi quem ignoſcendo ſervare poterat, ponebat in lucro reſipiſcentis ſalutem. Ex delinquentium mulctis nihil referebat ad ſua commoda, ſed vel ad ſublevandam miſerorum inopiam, & cultum ſacrorum, vel (quod tamen fiebat parciùs) in præmia bene meritorum: ut prorſus conſtaret, eum in facinoroſorum ſupplicijs jus & æquum ſectari, non judiciorum retibus & vindicis Juſtitiæ telis venationem exercere.

LABORUM ASSIDUITAS.

Suſcipiebat pro publico perennes curas, labores, vigilias: nemo unus ex adminiſtris, Maximilianum aſſiduitate laborandi ſuperabat. Duo habebat, quibus ſuas vices quot diebus tribuebat: vel agebat videlicet cum DEO in orationibus, vel de publico in conſilijs. Ipſe velut populorum Pater, oſtendebat ſibi eorum traditam eſſe tutelam, non ſervitutem, séque magis eſſe propter ſubjectos, quàm hos propter ipſum.

VITA EXEMPLARIS.

Illis proinde conabatur eſſe melior, certus, Cives ad Principis exemplum formare ſuos mores, ídque maximè in partem deteriorem: ut ergo bonis præeſſet, nitebatur eſſe optimus. Cogitabat, ſe hominem præeſſe hominibus, ídque DEI munere, cui fas ſit pro arbitrio, ſingulis momentis ſua dona repetere, redigere ſummos quóſque in ordinem, excelſam fortunam ad ima præcipitare.

ÆQUANIMITAS IN UTRAQUE FORTUNA.

Eum ſuæ dignitati atque fortunæ modum adhibebat, ut ne efferretur rebus proſperis, ne dejiceretur adverſis, contemneret neminem.

SAPIENS LIBERALITAS.

In benemeritos erat liberalis, ut ſui pretium virtus ſentiret. Largitiones faciebat nec præcipites, nec immodicas: nôrat apprimè donare, non profundere, aut munificentiæ ſpecie, quod communi rei debebatur, vertere in privatas hirundines, quæ nunquam publico ſanguine ſatiantur. Dicam, quod novi veriſſimum. Aeris ſui, quod privatis arbitrariíſque ſumptibus ipſi debebatur, largus erat ac munificus, publici tenax (niſi cauſa largitatem poſceret) & in erogando perquàm accuratus. Id quoque compertum, eum nunquam aliò avertiſſe, quæ à ſubjectis ad neceſſitatem publicam collegiſſet.

PROFUSIO IN MISEROS.

Profuſus erat in miſeros, ratus, exceſſum admitti non poſſe, ubi DEUS haberet ſuos exactores.

PRUDENTIA IN CAPIENDIS CONSILIIS.

Habitus eſt, & re ipſâ fuit inter Principes ſui ævi ſapientiâ præſtantes: nihilominus abſque ſuorum conſilio nihil, quod alicujus eſſet momenti, ſtatuebat; & cùm mirâ luce atque providentiâ rerum conditiones & eventa per ſe in longum proſpiceret, tamen, ſi quando conſultores ab eo diſſentirent, malebat cum ipſis de errore periclitari, quàm ſolus non errare. Nullum, in arenâ, niſi de ſubitis, capiebat conſilium. Agenda tempeſtivè diſcutiebat, ne ſera forent conſilia, quæ poſt rem venirent.

DELECTUS CONSILIARIORUM.

XXVI. Tales volebat conſultores, qui liberè, modeſtè, fideliter, circumſpectè, animi ſui ſenſa aperirent, & honeſta præferrent utilibus, niſi poſſent utraque ex æquo conjungi. Conſultationum executionem, conſtantem adhibebat, cautam, & feſtinatam. Eos oderat, qui ad gratiam verba dando ejus auribus, conſilia corrumperent, aut ſequiora reticerent.

SEVERITAS IN DEPECULATORES.

Aſſentatores nullo pacto ferebat. Erat ſeverus in æris publici depeculatores, quíque, publicorum munerum obtentu, populo graves eſſent aut injurioſi.

Certè

Certè boni habebantur Conſiliarij, qui Maximiliano ſervivisſent, eóque velut apprimè probati, alijs Principibus erant in pretio. Tributa, tametſi ultimorum temporum iniquitas per belli neceſſitates multùm auxit, eò tamen quòd nova eſſent, & populis gravia, exhorruit. Ab ijs exigendis volebat procul eſſe duritiam, fraudes, avaritiam, ſpongioſas picatásve exigentium manus. Bello (quamvis excelſo eſſet animo) erat infenſus. Nunquam ſibi paſſus eſt ab ambitione, odio, aliíſque animi vitijs imponi, ut arma in ullum ſumeret: ſumpſit duntaxat pro communi ſalute, amoliendis injurijs, ubi reliqua juri defendendo non ſuffeciſſent; cæteroqui pacis amicus & conciliator. Atque hæc quidem pauca de legibus, quas ſibi Maximilianus ipſe dictaverat, ſervabátque examuſſim in Principatu.

Modus exigendorum tributorum. *A bello aversio.* *Pacis studium.*

Sed & hoc pulcherrimum, quòd, cùm ſummo imperio Provincias regeret, eâ tamen erat in Guilielmum parentem obſervantiâ, ut non ipſe regere, ſed regi ab illo videretur. Ita conſueverat ejus conſilia ut leges ſuſpicere, ita capite detecto adſtare ſedenti, nihil, quoad Guilielmus fuit ſuperſtes, de ſolitâ in eum reverentiâ obſequiisve minuere.

Immota in Guilielmum Parentem reverentia.

XXVII.

Jam ſexennium Maximilianus in regendâ Boicâ poſuerat, cùm cœlum Renatam ejus matrem ad ſe recepit. Intulit ejus obitus tum Guilielmo marito, tum Maximiliano grave vulnus, quippe quæ utrique magno fuiſſet ſemper ſolatio, & ab utroque vehementer diligeretur. Operæ pretium eſt, ejus vitam paucis referre. De ejus natalibus ſuperiùs jam dictum. Habebat Renata tempus omne exacto ordine diſtributum, quando quidvis agendum eſſet, aut animo corporive dandum ad neceſſitatem, neceſſariúmve laxamentum. Et quidem plurimùm vacabat rebus divinis; minimum ſibi, negotiisve humanis. Experrecta diluculò, primas omnium cogitationes referebat in Deum: inde ſecundum preces aliquot ſolennes, magnâ ſui conſolatione, quam frons ipſa palàm ſemper oſtendit, de Chriſti Domini geſtis & cruciatibus meditabatur, eâque commentatione mirum quantum afficiebatur. Neque ſolum recitabat preces horarias, inſtar Clerici ad hoc peculiariter adſtricti, verùm & multas alias, pro omnium Chriſtianorum cauſis, variíſque hominum generibus & ſtatibus, quos Deo ſollicitè commendabat, ſub tribus Miſſarum ſacrificijs continenter auditis quotidie, nonnunquam & pluribus: eas preces ſuâ ipſa manu deſcriptas in librum retulerat. Statis horis ante meridiem & ſomnum, intrabat in ſeipſam accuratè, dicta, facta, cogitata ſua diligenter explorabat. Quot hebdomadis minimùm ſemel, ſacratioribus temporibus iterum confitebatur ſacerdoti: toties SS. Euchariſtiam percipiebat, inflammato ſtudio ſe quàm intimè Chriſto devinciendi. Hanc conjunctionem maximè ſpectabat in omnibus, ut à Deo gratiam iniret ſemper majorem, & communionem obtineret illius meritorum & perpeſſionum. Peractâ Synaxi, colloquia pietatis amoriſque plena cum hoſpite Chriſto protrahebat in longum: de cujus rebus, quemadmodum & D. Virginis, aliíſque divinis, audire, ac miſcere ſermones, illi jucundiſſimum fuit. Quapropter curabat ſemper manuum laborem piâ quâpiam lectione, præſertim ex libello de Imitatione Chriſti, veluti quodam virtutum condimento aſpergi: ejuſmodi exercitationes conſtanter illa retinebat, neque alio negotio vel impedimento, niſi forſan ægritudinis, intermiſit. Hinc lumen illud hauſit eximium, quo mente divinitus colluſtratâ, præclarè diſcernebat, quid Deo gratius eſſet, in quo vis & momentum veræ ſolidæque virtutis conſiſteret; idque magno conatu proſequebatur. Ut verbo dicam, verum illa fuit Chriſtianæ perfectionis & religionis exemplar, tali ſtatu, tali loco ac tempore: virtutis omnis & integritatis erat ſtudioſa, prorſus ut Deo conſecratam, in aulâ & in ſæculo vitam degeret, fœmina Dux, tantis delicijs, opibus, clientelis, auráque populari, nî ſpreviſſet univerſa, potens circumfluere & illectari. Obedientiam marito perfectam exhibebat ſemper, & ſingularem deferebat obſervantiam, modeſtiâ, & animi ſubmiſſione erga eundem inſignis. Charitatem ferebat in oculis, & anteferebat omnibus, eâ metiebatur cætera: hâc ſine nil magni ducebat, & illius omnes aſſecuta fuit numeros, prout deſcribit Apoſtolus ad Corinthios. Benefi-

Renatæ Matris Maximiliani vita et obitus. *Rader. M. S. de Renatâ.*

XXIIX.

XXIX.

neficentiam, quæ Charitatis eſt ſoboles, penitis erat complexa viſceribus. Annuum cenſum aliquot millium, quem habebat proprium, effudit in pauperes: ex his delectos duodecim alebat quotidie. Frequenter ipſa coràm miniſtrabat accumbentibus, novo exemplo propè lachrymis rigabat intuentes. Idem faciebat in ægrotos, quà domi, quà foris, eos ſæpenumero viſens, ope, conſolatione, manu etiam ſuâ quaſi famulari juvabat. Idem præſtabat in hoſpitales domos, & noſodochia,
XXX. quorum ipſa unum inſtituit impensâ viginti millium: Idem in orphanos & pupillos educandos, in tenuiores adoleſcentes, ut honeſtis artibus diſcendis poſſent vacare. Religioſos & ſanctimoniales valde coluit & ſuſpexit. Eorum profectu & meritis, qui in communem hominum ſalutem incumbebant, exultabat in Domino, atque vel ſolo eorum aſpectu videbatur recreari. De conſtantiâ ejus, æquitate animi ac robore, in ſufferendis adverſis ac morbis ſine ullâ quiritatione, quàm ſe divino nutui ſemper conformem geſſerit, in quemvis eventum, hilari ſemper, eodémque vultu; quantâ mentis pace, quámque ſtabili ſerenitate gauderet, quæ nullâ poſſet obnubilari triſtitiâ, aut perturbatione caperari, plura ſunt narratione digniſſima, quàm propoſita mihi brevitas poſſit explicare. Silebo de ſummâ lenitate morum & facilitate, quâ domeſticos, etiam peccantes, interdum accipiebat: admonebat ſine omni verborum aculeo & ſtomacho, cujus ne exile quidem verbum eminebat unquam, vel exaſperabat ſermonis comitatem. Nil dicam de neglectu veſtitûs, quem poſterioribus annis gerebat omnino vulgarem & quaſi plebeium: nil de maceratione carnis, per jejunia, flagella, cilicia, ſimiléſque aſperitates, quas in tempore prudenter ſuſcipiebat: nil de parſimoniâ cibi, quem velut
XXXI. medicinam capiebat, & quidem ægrè támque modicum, ut dubitarent periti, an tolerandæ par eſſet vitæ. Tacebo de ſingulari caſtimoniâ puritatéque, quam per quindecim annos cum Sereniſſimo Conjuge ſervavit, denùm liberorum mater, Chriſtophori videlicet, quem unà eâdémque horâ cœlum Boicæ oſtendit & ſubduxit: Chriſtinæ, quæ novennis fratrem eſt ſecuta: Maximiliani, cujus vitam perſequimur: Mariæ Annæ, quæ Ferdinando II. Imp. nupta, Mariam Annam Maximiliani Conjugem, hodie Boicæ pro filio imperantem, dedit. Philippi, S.R.E. Cardinalis: Ferdinandi Colonienſis Septemviri: Eleonoræ, quæ ſemeſtri vitam finijt: Caroli, qui uno eam menſe vivendo ſuperavit, Alberti Bavariæ Adminiſtratoris, Magdalenæ, quam dixi Wolfgango Guilielmo Duci Neoburgico fuiſſe conjugatam. Placet hoc poſtremum de Renatâ addere, præſtantis ſanè religionis indicium: impendente feſto die quopiam illuſtriore, cùm ægrotâſſet antea frequenter & eouſque præciſè, toties ſibi velut prorſus reſtitutam, tantas recuperaſſe vires, ut divinis rebus poſſet intereſſe: tranſacto tempore illicò in priſtinam imbecillitatem viſam relabi. Talem igitur vitam, labis adeò ſinceram, divi-
XXXII. témque virtutum, mirum non eſt, ſi beata mors eſt ſubſecuta. Eam X. Calend. Junij, tranquillè placidiſſiméque, ſub horam diei ſeptimam & amplius, oppetijt, lectulum ſtipantibus, juxta Principes perſonas, multis religioſis è Societate Jesu. Et videbatur diu antè præcepiſſe finem ſuum. Cùm enim, ſuadentibus Medicis, ad refocillandam valetudinem, ex quâ pridem laborâbat, adulto jam vere, profectionem (quam ſibi dicebat ultimam fore) cum Duce Guilielmo, per Eberſpergam D. Sebaſtiano ſacram, inſtituiſſet; Oetingam veterem divertit, matri ſuæ ſibíque (ſic appellabat) dilectiſſimæ Deiparæ poſtremam in hâc vitâ ſalutem & vale dictura. Iſthic ſe ſuáque omnia, ſtatim de viâ ſacrum ſacellum ingreſſa, imis ex præcordijs eidem cùm commiſiſſet; ecce ibi derepente in eodem loco febriculâ corripitur, quâ demum extincta eſt Monachij. Negantibus omnibus medicis eſſe periculum, ipſa tamen reditum urgebat, & revecta domum, ſe comparabat ad mortem, adhibitis omnibus, quæ eò poſſent conducere. Funus ex ædibus Ducis Guilielmi, per Societatis Jesu domum veſpere tranſlatum, Patribus ſuccollantibus, comitante Principis familiâ, aëre tædis collucénte, repoſitum eſt in Collegij templo ante aram ſummam, unde pſalmodiâ funebri recitatâ, portatum in ſacellum S. Cruci dicatum: hîc ſtetit per aliquot dies, dum tandem pridie Calend. Junij conditum eſt in D. Michaëlis templo ad latus dextrum ſepulchreti ſubterranei, quod eſt ſub altari principe.

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS III.

LIBER II.

AN. CHRIST. M. DC. VII.

Expeditio Donavverdana & Salisburgenſis.

I.

Maximiliano demandatur ab Imperatore expeditio Donawerdana.

IAm quinquennium à Matris obitu, Maximilianus rebus in Boicâ præfuerat quietus , magnâ moderatione, & boni publici commodo; cùm Donawerdanorum inquies pacem turbavit, permovitque Rudolphum II. Imperatorem, ut gliſcenti contumaciæ in tempore occurreret. Eam provinciam Maximiliano, nihil tale expectanti, Anno M. DC VII. impoſuit. Fuit iſta expeditio materia grandis invidiæ, quam Catholicæ Religionis æmuli in Maximilianum annis ſuccedentibus derivârunt : alioqui exercendæ potiùs prudentiæ, quàm tractandorum armorum campus fuit. Juvabit altiùs totius rei cauſas ex vero repetere.

Sita eſt Donawerda ad Danubium in Vindeliciæ , quam hodie Sueviam dicunt, finibus. Eam Henricus VI. Imp. fertur prærogativâ libertatis, quam paſſim habent civitates Imperij, donâſſe. Certius eſt, eam, cùm, proſcripto Ludovico Duce Ingolſtadienſi, à Boico Principatu defeciſſet, tandem anno, ſupra milleſimum quadringenteſimum trigeſimo quarto, cogente Sigiſmundo Imperatore, ob ejuſdem Ludovici noxam, citra cæterorum Boicæ Principum, quorum maximè intererat, aſſenſum, cum totius Domus detrimento, priſtinæ ſubjectionis nexu fuiſſe ſolutam. Habet arcem loco editiore, & Cœnobium, quod à Sanctimonialibus translatum, venit in poteſtatem Ordinis D. Benedicti titulo S. Crucis, cujus partem ex Oriente acceptam religioſè aſſervat.

Relat. Donavv. Ger. An. 1610.

Donawerda deficit ſenſim a Romana religione.

Religionem Romanam nondum tota proſcripſerat exemplo aliarum civitatum: nam id temporis & Magiſtratus & pars oppidanorum avitam fidem tuebantur. Iis invitis, cùm Principum conjuratorum armis ceſſiſſet, Anno M.D.XLVI. Confeſſio Auguſtana in civitatem fuit invecta, ſimul direptum S. Crucis monaſterium, juſſi Religioſi, Lutheranos verbi præcones audire, prohibiti priſci Catholicorum ſacrorum ritus, coacti cives dare aures alienis.

II.

Reſtituitur religio

Ea mutatio non omnino trimeſtre tenuit: cùm enim Carolus V. memorabili pugnâ, 7. Idus Octobris eodem illo anno Smalcaldicos ſuperâſſet, Donawerdam, novis iſtis incubatoribus ereptam, exactis Lutheri præconibus, Romanæ Religioni reddidit,

reddidit, Sylveſtro Manſero, quem Novatores in exilium ejecerant, ad Parœciæ atque animarum curam reſtituto. Dehinc Cæſar ſibi atque Imperio, cives ſenatúmque novo juramenti vinculo obſtrictos obligavit ad retinendas in poſterum Romanas ſanctiones

Rursus proscribitur Romana fides. Reducitur a Carolo V.

Igitur ſacra Catholica & privatim & publicè frequentabantur, cùm Anno M.D.LII. qui tum in armis erant Proteſtantes, primo vere, repoſitam fidei priſcæ profeſſionem rurſus exturbant, donec, rebus in Imperio utcunque compoſitis, Cæſar civitatem ad priſtinam tam ſacræ quàm profanæ gubernationis normam reduxit. Eo factum, ut Magiſtratus edicto 3. Cal. Septemb. ſanxerit, nemini fas aut impunè fore, iſtam Cæſaris legem violare. Simul proſcripſit vernaculas Lutheranorum cantiones, ſive, ut edicti verba ſonant, Gannitiones. Expulſo Lutheri præcone, prid. Non. Decembris; decimo pòſt die, Senatus, communibus votis atque precibus, à Præpoſito Cathedralis Eccleſiæ Auguſtanæ petijt, ut tantiſper ſacerdotem, qui Auguſtæ in templo principe, pro concione dicebat, Donawerdanis accommodaret. Bini eodem menſe ſacerdotes, opitulante S. Crucis Antiſtite, Eccleſiæ Parœciali fuêre admoti.

III. Lutheranismus denuo irrepit.

Verùm, quæ fuit Magiſtratus oſcitantia, non modò toleravit in numero civium aliquos, qui à fide Romanâ defecerant, ſed (ut gangræna ſerpit longiùs, cùm corruptæ partes non curantur) hoc mali ex eâ tolerantiâ natum eſt, ut cedens Novatorum precibus atque importunitati, poteſtatem fecerit, in æde D. Joannis, extra mœnia civitatis, Prædicantem, & conventus Lutheranos habendi. Ex eo crevit audacia. Etenim ijdem illi anno M. D. LIII. cùm ex voto prima ſucceſſiſſent, Senatum aggrediuntur denuo, rogantes, ſibi horam aliquam, quæ Catholicis non ſit incommoda, in æde Parœciali, ad conveniendum, indulgeri: ſic enim magis fore cautum Civitati, ſi cives omnes eſſent in promptu atque intra mœnia, quando vel incendium, vel aliud commune periculum oriretur. Paſſi repulſam, paucis pòſt menſibus, coitione factâ, vertuntur in ſeditionem, vim intentant Magiſtratui, perculsúmque cogunt dare minis, quod nuper negaverat orantibus. Sed vide erinaceum, precarium in Apologo lepuſculi cohabitatorem, & foveolæ dominum ſpinarum aculeis eliminantem. Paulatim enim Lutherani, ubi in Aedem ſacram irrepſerant, cœpère querelis, litibus, jurgijs, alijs moleſtijs Catholicos pungere, ſacrorum horas pro libidine mutare, occupare, denique è Parœciâ excluſos cum ſacris Catholicis ad S. Crucis Aedem, & S. Viti Sacellum (ne omnia viderentur unâ vi, atque unâ injuriâ abſtuliſſe) promiſsâ deinceps quiete, retrudere. Addiderunt, ſe nihil ultrà adverſus Catholicæ religionis & parochiæ jura moturos, paſſuros Catholicorum funera, omnibus S. Crucis Religioſis exequias, ſi vellent, euntibus, ſigno Crucis prælato, adhibitâ luſtrali aquâ, ardentibus funalibus, cæteríſque id generis, ritu ſolenni, per publicas civitatis vias, palàm deduci ad S. Crucis, vel D. Viti ſepulchreta: non prohibituros ſacrum Corporis Chriſti viaticum ad ægros, ritu Catholico, per vicos, honeſto comitatu, deferri.

Lutherani per seditionem impetrant locum in Paroeciali æde, ex qua subinde Catholicos eliminant.

IV. Pollicentur Catholicis rituum libertatem.

Verùm, qui genius fuit iſtorum hominum, ſúſque déque habitâ promiſſorum fide, quæ vinculum eſt humanæ ſocietatis, contra pacem Religionis, Anno M.D.LV. ſancitam, primùm prohibent An. M.D.LXVII. Monachos, binis exceptis, funebrem ſepeliendorum pompam comitari: mox Anno ſequenti detrahunt Crucifixi Imaginem (tam erant amici videlicet Chriſti patientis) detrahunt tædas, quaſi eorum oculos læderent: tandem An. M.D.LXIX. abrogant Chriſto ad morituros eunti, conſuetum honorem, mortuis ſolennem apparatum; coacto æditu, qui ſacerdoti ultimam Sacramenti Cœnam deferenti præibat, clàm habere ſub pallio, ſi quid luminis Deo per plateas præferret, & ne conſueto nolæ ſigno obvios ad illius venerationem excitaret. Obtentui erat, quod hoc ab oppidanorum nonnullis improbaretur, à nullo verò advenarum opificum poſſet tolerari. Juſsêre præterea, ſi quam celebritatem Catholici ſuorum funeribus eſſent habituri, eandem extra civium & exterarum operarum, quibus ea res eſſet moleſta, conſpectum, extráque Oppidi mœnia, in vicino colle inſtruerent. Pari auda-

Fallunt fidem.

V.

audaciâ Anno M. D. LXXVII. grandiore jam Acatholicorum numero, & concitatioribus emiſſarijs Lutheri Prædicantibus, quibus authoribus iſta omnia gerebantur 3. Cal. Septemb. Magiſtratui, qui nondum totùs à Romanâ fide deſciverat, remiſſiori, nimiúmque meticuloſo (quæ res paſſim Germaniæ incredibiliter obfuit) Lutherani obtruſere Senatusconſultum, quo caveretur, ut qui ſibi civitatis jura ſalva eſſe vellent; in poſterum Matrimonia coram Lutheranis concionatoribus copularent: iiſdem prolem Baptiſmo tingendam darent: nemo unus in civium album reciperetur, qui in has leges non conveniſſet. INDICUNT NOVOS BAPTISMI ET NUPTIARUM MODOS.

Temerariâ iſtâ pacificæ ſanctionis violatione id agebant, ut ejus auctoritatem uſucapione tandem everterent. Verùm ne ex quieto facinorum uſu, præſcriptionis aliquam imaginem aliquando oſtenderent, S. Crucis Antiſtes primùm de injuriâ conqueſtus eſt ſolenniter apud Magiſtratum: Auguſtani deinde Epiſcopi, in cujus Diœceſi eſt Donawerda, quique ejuſce loci Parochiam jure protectionis peculiariter habet commendatam, auxilium defenſionémque imploravit.

VI. EPISCOPI AUGUSTANI, LUTHERANORUM INJURIIS OBSISTUNT.

Quamobrem Otto S. R. E. Cardinalis idémque Auguſtanus Antiſtes, Romam profecturus Anno M. D. LXVIII. ejúsque ſucceſſor Marquardus 14. Id. Octobris Anno M. D. LXXVII. per ſuos Legatos, ac deinde cùm Magiſtratus Donawerdanus ſacroſanctæ Euchariſtiæ ad ægros deferendæ faces, laternam, & nolam detraxiſſet: rurſus Anno M. D. LXXX. 7. Cal. April. iterúmque ſexto poſt anno 8. Id. Julij, cùm Senatus civibus matrimonio, ritu Catholico, contrahendo eâ, quâ dixi pœnâ, infantibus verò Baptiſmo interdixiſſet, more juridico apud Senatum, non ſine gravi ejuſdem reprehenſione, verbo & ſcripto, per conteſtationem interpoſitam legis pacificæ, demonſtrârunt, talibus facinoribus publicæ tranquillitatis jura, pactáque omnium Imperij Ordinum aſſenſione inita infringi, & in perturbatorum pœnas incurri. Tandem in Comitijs Imperij Anno M. D. XCIV. interpoſitâ de iiſdem illis injurijs expoſtulatione, fuit impetratum decretum, quo juſſus eſt Magiſtratus, quoad ejus fieri poſſet, curare, ut Catholici ritus quà privatim, quà publicè ſuum ſolenne retinerent. Paruit Magiſtratus. DE IIS EXPOSTULAT IN IMPERII COMITIIS.

Sed ne in recenſendis defenſæ poſſeſſionis Catholicorum documentis juſto ſim longior, venio ad propiores Donawerdanæ expeditionis cauſas. Anno M. DC. V. in Magiſtratu civico familiam ducebant, neſcio quis Ephippiarius, Laniones, ferox genus hominum, aliique de plebe cooptati. Adſciti erant præterea ad ſenatus ſubſellia ex agri municipijs, viles & turbulenti accolæ. Ab illis regebatur, ductu Prædicantium, Donawerdana Reſpub. Quò erant literarum ac jurium rudiores, eò proniores ad capeſſenda tubarum, & evertendorum Catholicorum conſilia. Ejuſce rei conficiendæ talis ſe dedit occaſio. QUALIS DONAWERDÆ MAGISTRATUS.

VII. LUTHERANI PUBLICAM CATHOLICORUM SUPPLICATIONEM VIOLANT.

Præſul S. Crucis eodem iſto anno poſtrid. Id. Majas, more uſuque recepto, citra ullius injuriam, ſacris vexillis ante ſupplicantium agmen explicatis, per oppidum, uti aliàs, è ſuo Monaſterio eduxit longam comprecantium ſeriem. Jam aliquouſque proceſſerat, cùm Senatûs emiſſarij facti obviam, disjecto vexillario, Abbatem, nequicquam vim & injuriam cum expoſtulatione deprecantem, rejiciunt in Cœnobium unáque ſupplicantes, viâ progredi molientibus intercluſâ. Super hæc inſtitit Magiſtratus uſum tædarum & ſtolæ ſacerdotalis in Catholicorum juſtis Parentalibus aliáque, quæ ad SS. Sacramenti cultum ſolebant adhiberi, abrogare; majorum more Catholicas nuptias celebrantibus, vel ad Romanam Eccleſiam reverſis, jus civitatis eripere, igni & aquâ interdicere, in proſcriptorum domos, homines agreſtes Lutheranæ factionis ad Civitatis libertatem receptos inducere, Catholicos cogere, ut liberos Lutherico Baptiſmo ſiſtant. INFERUNT ALIAS INJURIAS.

VIII. CÆSAR DIEM DICIT LUTHERANIS DONAWERDENSIBUS.

Hæc Auguſtano Antiſtiti viſa indigna, quæ diſſimularentur. Quare 9. Calend. Novemb. anni jam memorati, à Sac. Cæſ. Majeſtate adverſus Donawerdanos vadationis libellum obtinuit, (ita forum loquitur) ſe incidiſſe in pœnas turbati otij pacis religioſæ. Additum fuit mandatum, ne contra Abbatem, ejus Con-

Conventum, vel Catholicos, propriâ vi vel auctoritate, quicquam tentarent, aut in ſepulturis, ſupplicationibus, alijsve cæremonijs, quæ legitimè obirentur, iiſdem moleſti forent in poſterum. Hæc pridie Cal. Martias Anno M. DC. VI. indicta fuêre Donawerdanis, qui libello profeſſi, ſe in tempore ſuæ cauſæ reddituros rationem, atque interim mandato Cæſareo morem geſturos. Ergo cùm rem univerſam accuratiſſimè cum Imperij Ordinibus, qui erant ab Eccleſiâ Romanâ alieni, contuliſſent, per ſuum Agentem Pragæ; citra omnes exceptiones fori declinatorias, in Aulico Cæſareo Senatu litem ſunt conteſtati.

Contra Cæsaris Decretum, Donawerdani novas turbas movent.

Spes erat, fore ut, donec Cæſar de causâ pronunciaret, res eſſent abſque turbis: ſed contrà planè evenit. Cùm enim 11. Cal. Majas, ſolennis ſupplicatio veteri more eſſet habenda, Conſul Senatúsque Donawerdanus, non expectato Cæſaris judicio, contrà, ac nuper addixerant, monuêre S. Crucis Antiſtitem, ne quid vexillo explicato in proximâ ſupplicantium celebritate ſibi ſumeret, fore alioqui, ut repulſam pateretur. Ille verò religionis pacem, Cæſaris imperium, Senatus promiſſa, Catholicorum jus morémque opponere, hortari etiam atque etiam, ne lite pendente, quicquam temere, adverſus tot rationum juriſque præſidia molirentur.

IX.

Sed in ventum hæc omnia. Ergo cùm Abbas, Catholicis in ordinem more conſueto digeſtis, ſupplicabundus, vexillo per civitatem explicato, die ſolito prodijſſet, exoritur inconditus Oppidanorum clamor, jactantur probra, fit tumultuoſorum concurſus. Catholici metu perculſi, non pauci in ſuas domos dilapſi. Adfuêre aliquot è civibus præcipui, qui ſtipati haſtatorum & ſclopetariorum manu, primùm ab ingreſſu civitatis arcent externorum Catholicorum ſigna, deinde, quaſi diſſimulantes, Sancrucianorum & Teutonicorum ordines ad forum uſque dimittunt. Iſthic ſtabant frequentes oppidani armati ſclopis, haſtis, ſudibus: ſtabant & nonnulli inermes, ad quos momento, velut ad claſſicum, convolavêre magno numero ſeditioſi, arreptis, quæ fors obtulit, haſtilibus, bidentibus, telis alijs, ſtrictóque ferro invadunt, qui iſthic ſupererant, Catholicos, & in Conſulis ac Syndici oculis tria labara diſcerpunt confractâ crucis imagine. Mox oritur valida lapidum grandinatio, quæ à fronte, à tergo, ab utroque latere Catholicos miſerè deprehenſos fuſóſque rejecit in ſacram ædem. Atque hæc fuit quidem iſtius diei tragœdia, quæ Præſulem Auguſtanum, pro eo ac decebat, peſſimè habuit. Quamobrem in tam atroci & manifeſtæ Pacis turbatione, mandatique Cæſarei contemptu, confugit ad Imperatoris tribunal, impetrátque Anno M. DC. VI. 3. Non. Septemb. alteram citationem adverſus Donawerdanos, *ad videndum*, (ſunt verba Curiæ) *ob contraventionem priorum proceſſuum incidiſſe in pœnam Conſtitutionis, præſertim Banni*, cum repetito mandato, *de non turbando, & non offendendo, ſub pœnâ Banni, & Heribanni, & amiſſionis omnium privilegiorum.*

X.

Episcopus Augustanus rursus de vi apud Cæsarem expostulat. Cæsaris novum Rescriptum. Responsum Donawerdanorum.

XI.

Cæsar Maximiliano demandat Catholicorum Donawerdensium defensionem. De ea monet Consulem et Senatum. Maximilianus Defensores Donawerdam allegat.

Fuerunt hæc 23. Decemb. Conſulib. Senatuiq; Donawerdano rite denunciatâ. Repoſuêre, ſe tempeſtivè reſponſuros. Reſponſi argumentum (quod 20. Januarij cum Epiſcopo Auguſtano Anno M. DC. VII. fuit communicatum) iſtud erat, Decretum à Cæſare per ſubreptionem fuiſſe impetratum. Tumultus nuperi culpam non penes Magiſtratum, ſed populum, qui frenari nequiverit, reſidere. Ergo Imperator ad continenda in officio factioſa illa tumultuoſi populi capita, arcendáſque injurias, 26. Martij proximè ſecuti, mandat Maximiliano Duci Bavariæ, ut per ſe, vel per eos, quibus Juriſdictionem demandare vellet, Catholicorum Donawerdenſium ſecuritati in ſupplicatione, quæ iſto anno peragenda erat, proſpiceret, prohiberétque, ne à plebe novæ turbæ excitarentur: dat præterea Cæſar ad Conſules atque Senatum litteras clementiæ & paternæ benignitatis pleniſſimas, quibus monet, Cæſareæ proviſionis fuiſſe, ad defenſionem Pacis, Religionis, & ſervandam Magiſtratûs authoritatem, dare delegatæ poteſtatis Defenſorem, cui proinde debito cum honore morem gerere debeant.

Ergo Maximilianus, quod ſuarum erat partium, binos è ſuis Conſiliarijs inermes, & ſenûm, ſummum ſeptenûm famulitio ſtipatos, menſe Aprili, Donawer-

nawerdam ablegat, cum legitimâ poteſtate, quieti publicæ in proximâ ſupplicantium compreeatione Cæſaris nomine conſulendi.

Venerunt illi Donawerdam, prolatisque Sac. Cæſ. Maj.tis litteris, & demandatæ Commiſſionis libello, ſui adventûs cauſam expoſuerunt in Senatu. Hîc permulti ſenatorum cauſari, ſe ad eam diem nihil omnino de Cæſareâ citatione, nihil de mandatis aut commiſſione Bavaricâ cognoviſſe: populum in eâdem ignoratione verſari. Et verò etiam Conſules & Senatus, biduo ante Commiſſariorum adventum, Senatus conſultum in celebrioribus oppidi compitis affixum vulgaverant hujus tenoris: quòd ſi Dominus Prælatus adverſus Pacem Religionis vexillis explicatis quicquam novi tentaverit, nullitati Conſules Senatúsque obnuntiant, conteſtantúrque pro officij ratione atque poteſtate, ſe non cedere juri ejusmodi facinorâ alienæve auctoritatis violationem arcendi, ſed civium communitati reſervare libertatem, in tempore, tali jure utendi. ALIQUI DE MAGISTRATU, CÆSAREI MANDATI IGNORATIONEM EXCUSANT. SENATUSCONSULTUM ADVERSUS CATHOLICOS DONAWERDÆ PROMULGATUR.

Ea tabella plebem univerſam ſic cepit, ut, cùm ad audendum jam excitatis, Senatus Cæſaris reſcripta 23. Aprilis, hoc eſt ſexto ſeriùs, quàm decuerat, menſe, prælegeret, auditæ fuerint voces ſubſannantium, ejuſmodi codicillos viginti ſeſtertijs emi poſſe. Ex illis ne publica res aliquid detrimenti capiat, opus eſſe civium omnium arctiore, quàm aliàs, conſpiratione. Cum dicto factum. Conjurant in Abbatis, Religioſorum, & Delegatorum capita, ſi ſupplicantium agmen duxerint. XII. DONAWERDANI CONSPIRANT.

Aprilis dies vigeſima quarta illuxerat, cùm Delegati è diverſorio ad S. Crucis Cœnobium ſe contulêre. Id ubi à plebe animadverſum, confeſtim fit ſeditioſa coitio à paucis primùm, deinde, gliſcente tumultu, à plurimis, denique à pleriſque, qui ultro arma corripuerant. Cæteri, qui domi ſuæ ſe continuerant, per vim ad criminis ſocietatem protracti; duo, qui inermes prodierant, graviter ſauciati. Mox ubi turba viſa ſatis conferta, in catervas diviſi, alij convolant in Curiam, claves civitatis & armamentarij magnis clamoribus expoſcentes; alij ad Delegatorum contubernium; ad diripiendum monaſterium alij; omnes tanto animi furentis impetu, ut Magiſtratus vix aliquod ſaltem quietis ſpatium à veſanis exorârit ad deliberandum. SEDITIONEM MOVENT.

Ubi paulùm ferocia reſederat, Senatus Delegatis renuntiat, concitatam multitudinem, quæ in officio retineri non poſſit, mortem potiùs, quàm ſupplicationis apparatum eſſe paſſuram, rogátque infimis precibus, ad vitandum præſentiſſimum diſcrimen, ab eâ abſtineri. XIII.

Iſta denunciatio cùm paratos jam ad procedendum Catholicos Abbatem ipſum & Cœnobitas terruiſſet, ex Deputatorum ſententiâ viſum eſt, cedere furentibus, intermiſsâ ſupplicatione. OMITTITUR CONSUETA CATHOLICORUM COMPRECATIO.

Quæ cùm eſſent ad ſupremum Cæſ. Maj.tis tribunal relata, primùm itum eſt in eam ſententiam, cauſam Donawerdanam citra fori ambages & ordinarias formulas, ex ſolâ facinoris evidentiâ poſſe judicari, deinde Donawerdanorum exceptiones videri frivolas: poſt iſtam ferocientis civitatis manifeſtam contumaciam adverſus tot Cæſaris decreta, per facta *notoria & permanentia*, affinem videri rebellioni. Quare tum ad aſſerendam Imperatoris majeſtatem, tum ad arcenda ſimilium facinorum exempla, cùm nulla reſipiſcendi ſpecies in refractariâ civitate appareret, 3. Non. Auguſti pronuntiatum, Donawerdanos in pœnas, jam antè Cæſaris judicio denunciatas, re ipsâ incidiſſe, earúmque executionem Bavariæ Duci eſſe ſuſcipiendam. DONAWERDANI LUTHERANI DAMNANTUR.

Donawerdani, ubi ferocia paulùm remiſerat, ſeipſos cœperunt reſpicere, & tot facinorum urgente conſcientiâ (quod res erat) triſtes turbarum exitus ominari. Vim à Maximiliano expectare, nimis periculoſum; arma opponere, temerarium, & novæ accuſationis argumentum. Non deerant, qui vicinarum civitatum auxilia meditarentur, ſperarént que, ex religionis conſortio, belli, ſi omnino ſumendum foret, ſocietatem. Talia privatim in circulis, & publicè in conſeſſibus jactabantur. Quibus plus inerat metûs & ſapientiæ, futuri præſagi facilè XIV. VARIIS CURIS AGITANTUR.

con-

conjiciebant, tot malarum cauſarum nubem in triſtem tempeſtatem erupturam. Sociorum fluxam ac brevem eſſe fidem, infidam eſſe potentiam, quæ non ſuâ, ſed alienâ vi nitatur: bella geri eorum diſpendio, quorum causâ ſuſcipiuntur: ſuaderi ferme ab ignavis quibuſque, ſed geri à ſtrenuis, qui in tantillâ civitate ſint infrequentes. Homines capite cenſos, decoctores, triobolarios, cùm fortunarum nullam jacturam metuant, præſentium eſſe incurioſos, futurorum ſecordes, vel ex aliorum calamitate melioris ſortis appetentes. Eos nunquam altiùs, quàm ex tempeſtate & publica rerum agitatione extolli. Sed in longum ſpectare has turbas, ſi obtentu religionis in bellum trahant factioſos. Plenum periculoſæ eſſe opus aleæ, in Dominum conſpirare. Sic paulatim multi redibant ad mentem, metu potiùs quàm amore officij: alij accendebantur flabellis hominum inquietorum. Ubi tamen res in commune fuit expenſa, illorum ſententia obtinuit, qui crediderunt, à Cæſaris clementiâ malo gliſcenti quærenda eſſe remedia. Ergo Conſul Senatúſque Imperatori, per libellum, ſupplices cauſantur, multos civium nuperis tumultibus, aliiſque inſolentijs non dediſſe cauſam: ſi quid viſi fuerint ſecus egiſſe, id non tam feciſſe ultro, quàm fuiſſe paſſos cæterorum metu, à quibus, ut fit in tempeſtate, nolentes in procellam communem ferocientis multitudinis, fuerint abrepti.

CONFUGIUNT AD CÆSARIS CLEMENTIAM.

XV.

Cæterùm Magiſtratui inſanos plebeculæ motus vehementer diſplicuiſſe quidem, ſed nequiviſſe cohibere. In duos etiam, qui præcipui ſunt viſi turbarum auctores, carcere animadvertiſſe, & cupiviſſe, plures dare in vincula, atque meritis ſupplicijs plectere; ſed hoc citra præſentiſſimum vitæ diſcrimen non potuiſſe. Proinde Sac. Cæſar. Maj.tem orare, ut, pro paternâ benignitate, condonato Banni ſupplicio, parcere velit innocentibus, cæteroqui de ſontibus pœnas ſumere.

CÆSAR IUBET DIFFERRI PROSCRIPTIONIS DENUNCIATIONEM.

Quâ ſupplicum demiſſione mota Cæſaris clementia juſſit differri Banni publicationem, eâ tamen lege, ut binos illos, quos conjecerant in vincula, dedant Judicibus, alios nocentes nominent; ſi nôrint, ſi non nôrint, petitos teſtes, ad quæſtiones habendas, Delegatis repræſentent, mandata Cæſaris nupera obſervent, déntque horum omnium promiſſum, litteris & communi Civitatis ſigillo munitum.

DELEGATI DONAWERDÆ FRUSTRA LABORANT.

XVI.

Hæc ſumma fuit Cæſarei reſcripti, quo inſtructi Delegati, à Maximiliano Donawerdam remiſſi, prid. Non. Septembris, non in Curiâ, ne paterent magis eorum conſilia, forentque plebis motibus expoſiti, ſed in diverſorio Conſulib. atque Senatui demandatam ſibi provinciam aperiunt. Per ſex omnino dies, quà demonſtrando rei & imminentium malorum momenta, quà hortando ut Donawerdani ad officium, & Cæſaris obedientiam redirent, fruſtra laborant.

DENUO TUMULTUANTUR.

Tametſi enim Conſules Senatúſque intimus 5. Id. Septemb. ſub mediam noctem (neque enim interdiu, metu plebis, id auſi fuerant) duo præcipua conjurationis capita Deputatis Judicibus permiſerant, & deinceps in Cæſaris obſequio fore videbantur; attamen deprecabantur modum imperatæ in cæteros ſeditioſos quæſtionis. Super hæc nihil dum erat apud plebem compoſitum, ſed clam illâ hæc agebantur. Id in apertum erupit 3. Id. Septemb. Mox enim ut res, Senatui exteriori ſignificata, emanavit in vulgus, atque intellectum eſt, Conſules & Senatum intimum eſſe aſſenſos, ut mos geratur mandatis Cæſareis, ſeditio recruduit adverſus ejuſce ſententiæ auctores, maximè verò Civitatis Archigrammateum. Vociferabatur videlicet inſana plebs, prodi communem ſalutem, innoxiorum corpora dari in lanienam, ipſas aras permitti hoſtium libidini, rem omnem trahi in caſum. Et jam ira eò proceſſerat, ut componi non poſſet, nedum coërceri.

XVII.

CREANT NOVOS MAGISTRATUS, CONIURANT.

Ergo, qui audaciores, multitudinem conciunt ad arma, & ſpretâ Magiſtratus auctoritate, lymphatis ſimiles, civitatis imperium occupant, excubias certis ſtationibus locant, mœnia portáſque præſidio muniunt, & binos ex infimâ ſorte Dictatores, qui rebus cum imperio conſulant, ſuffragijs cooptant; in conventicula, de Republicâ acturi, coëunt, conjurant, ſe nihil prorſus eorum, quæ Magiſtratus ipſis inconſultis

ſultis erat pollicitus, præſtaturos nec permiſſuros, ut vel civium unicus Judicum quæſtionibus ſubjiciatur. Sic Cognitoribus ludibrio habitis, re infectâ, niſi perire vellent, fuit abeundum.

Videri poterat, iſta protervia ultima omnia exempla meruiſſe, & fuêre permulti è Cæſaris Aulâ, qui id ſentirent: ſed plus valuit mitior ſententia apud Cæſarem. Igitur, ne quid intentatum relinqueret, quo contumax multitudo imminenti calamitati eriperetur, Cognitores Rheinam (oppidum in Boicâ eſt, haud procul à Donawerdâ) ire jubet, & rurſus tentare reconciliationem turbulentæ civitatis. Neque enim latebat, refractarios conſilia cum finitimis Principibus & oppidis, quorum ſuppetias orabant, clàm per internuntios agitare, & magnis promiſſis ad audendum incitari: proinde non aberat metus, ne ex iſtâ ſcintillâ majus in Imperio incendium oriretur, quod ſi comperendinatione, & aliquo clementiæ temperamento poſſet evitari, permagno id Reipublicæ commodo futurum. Nec mora: Cæſarei Delegati, Octobri menſe Donawerdanos de mente Cæſaris admonitos, quanto commodum eſſet numero, per delectos omnium Ordinum, Rheinam jubent venire. Adſunt illi ad dictam diem. Primo congreſſu explicata mandata Cæſaris, facta ſpes veniæ, ſi (quod ante promiſerant) Donawerdani Sac. Cæſ. Majeſt. decretis obtemperarent, ſinerent in auctores conſpirationis exerceri quæſtiones. Hæc ſi reipsâ præſtarent, Delegatos interceſſorum partes apud Cæſarem acturos, ut, quemadmodum Proſcriptionis promulgationem diſtulerat, ita legum rigorem de cætero temperaret. Quatriduum omnino colloquium tenuit, nullo alio emolumento, quàm ut profiterentur Donawerdani, ſe nihil, abſque totius Civitatis & numeroſioris Senatus aſſenſu, poſſe polliceri: ſimul rogarent Delegatos, vellent Donawerdam reverti: iſthic enim rem citiùs commodiúſque poſſe componi, ubi omnium vota ſenſúſque breviſſimo tempore poſſent coràm explorari: quaſi verò populus, bellua multorum capitum, tam facili operâ in eandem ſententiam momento poſſet inflecti.

Eos Cæsar conatur ad mentem reducere.

XIIX.

Rhainæ convenitur.

Aſſensêre tamen Commiſſarij, nihil veriti ſuam ſalutem ſeditioſæ plebis licentiæ committere, nihil penſi habentes, criminoſos tam averſari Judicem, quàm pœnas; has defugere, illum odiſſe. Ergo 3. Non. Octobris Donawerdam profecti, ad S. Crucis Monaſterium divertunt. Ilico, ubi de eorum adventu fama per oppidum increbuit, varij extitêre motus, aliquorum ex famâ reconciliandæ cum Cæſare gratiæ, ut pronæ ſunt ad ſua optata mentes mortalium; aliorum, quos malè actorum conſcientia ad ſæva præſumenda & ſuppliciorum metum ferebat, primùm timidæ, deinde deſperatæ cogitationes. Rati igitur, ſe Quæſitores muris incluſos in poteſtate habere, unà cum totius ſuæ cauſæ arbitrio, & vel ab invitis veniam admiſſorum, aut vitam expreſſuros, velut omni perfuncti periculo, partâque victoriâ, quod dici erat reliquum, helluationibus per contubernia conſumere, conferre capita, conſilia captare, &, poſtquam mero incaluerant, efferari, jactare minas, cæteráque, quæ temulentia ſuggerebat. Crediderant Cognitores, primo ſtatim die rei tractandæ initium ſe ſaltem eſſe facturos, ſed Magiſtratus juxta ac cives ſic vino maduerant, ut Senatus Delegatis renuntiârit, eo die cum ebrijs nihil cum ratione agi poſſe, ſobrium mane eſſe expectandum. Firmabantur interim novis excubitoribus vigiliæ, eâ præſertim mœnium parte, quâ ex S. Crucis domicilio ſpectari poterant circuitores, & exaudiri clamores inſultantium, jacientium convitia, maledicta. Quid ab amente civitate, & præfractæ inſolentiæ turbis cauſæ Cognitores expectarent in diem poſterum, præter ſannas, ludibria, contumaciam, vim denique, & quicquid rebellione inſanientibus in manus datura eſſet audacia? Quare viſum eſt, furori ſua capita; Cæſaris authoritatem contemptui ſubducere: tum ne creſceret furentium amentia, tum ut deteſtabilem Civitatis conditionem ſuo Principi referrent. Quare ſub lucis ortum, cùm excubiæ rarum eſſent rariores, civibus ad ſuas officinas, ob ejus diei mercatum, dilapſis, per confertam ad nundinas adventantium turbam, minimè agniti, quaſi in Palatinatum ituri, itinere à Bavariâ tantiſper averſo, diſcedunt.

XIX.

Poſt Donawerdæ.

Populus inſoleſcit.

Inſultat Commiſſariis,

Qui clam, metu majoris mali in Bavariam redeunt.

XX. Magiſtratus Donawerdanus ſe excuſat, et conditiones Cæſari præſcribit. Cæſar iubet dari executioni proſcriptionem.

Tam inopinus receptus cùm Conſules Senatúmque pòſt paulò adverriſſet, ilico per citatum curſorem abeuntibus litteras mittunt inſcriptas Maximiliano Duci Bavariæ, quibus obtendunt, ſe invitis, indomitæ plebis inſolentiam extitiſſe: addiderunt alteras ad Cæſarem, quibus rei componendæ minimè ferendas conditiones præſcribebant, quaſi jam excuſſo jugo, ſui juris eſſe cœpiſſent, immemores ſupremæ Cæſareæ Majeſtatis.

Eo factum, ut Cæſar tam pervicaci improbitate irritatus, Maximilianum novo mandato juberet, poſthabito omni reſpectu, progredi ad declaratæ proſcriptionis promulgationem & executionem, niſi Magiſtratus populúſque univerſus Donawerdanus abſque morâ, jam antè pactam obtemperandi promiſſionem ſcripto expediret, réque ipsâ ſtatim exequeretur. Ne tamen ea pœna præpropera poſſet videri, volebat Cæſar, eam Civitati, antea quàm infligeretur, ritè denuntiari, & offerri tertiam hanc evadendæ vindictæ non difficilem rationem. Erat videlicet Imperatori iſta lenitas ferro & igni potior, tametſi malum propè ab extremis abeſſet: & videbatur præſtabilius, ſervare reſipiſcentes, ſi vellent, quàm nocentes perdere, ſi nollent, & pœnitendo nocentes eſſe deſinerent.

Rurſus conveniunt Rhainæ.

Maximilianus ergo, quod ſuarum erat partium, ne Cæſaris voluntati deeſſet, Commiſſariorum Conventum ad Non. Novemb. Rheinam indicit. Adfuêre bini Conſules, totidem ex intimo Senatu, ex Senatu numeroſiore & Oppidanis ſeni, cum quibus, quoad ejus fieri potuit, actum à Deputatis, nomine Cæſaris, quàm

XXI. leniſſimè. Viderent illi, quantam perniciem, quàm levi ex causâ in ſua ſuorúmque civium capita accerſant, ſi perſeverent eſſe immorigeri. Non ita pridem comprecantes Catholicos, cum ſignis explicatis, è Monaſterij templo per civitatem ordines duxiſſe: cœpiſſe nuper Acatholicos prohibere, ne labara explicarentur, ſed ex haſtili cruce inſigni convoluta geſtarentur: quàm levi momento rem ſuam in ultimum diſcrimen adducant? Quid enim ipſorum interſit, ſigna convolvi an expandi? Quàm multas non inferioris ordinis Civitates, in quibus Lutheri dogmata pari licentiâ tolerantur, eum ritum Catholicis non ademiſſe? Enimvero Donawerdanos ipſos fateri, Catholicorum vexilla ſuis plateis aut parietibus ni-

XXII. hildum attuliſſe labis. Nondum excidiſſe memoriâ, quàm ſæpe, quàm enormiter Acatholici Catholicorum jura, ipſámque Religioſæ pacis ſanctionem, eliminatis propè Romanis ſacris, Catholicíſque ad inſignem paucitatem redactis, violaverint. Miraturam eſſe poſteritatem, ubi intellexerit, Majores ſuos Rempublicam, ex re adeò parvâ, diris Imperij ſubjectam perdidiſſe: attenderent, quàm eſſet probroſum, datam recèns fidem, quâ ſe ad exequenda Cæſaris mandata verbo atque ſcripto obligârant, tam inaniter fallere, nullâ habitâ ratione ſupremæ

XXIII. Donawerdani anteacta ſcripto comprobant. Pacta mitigantur.

Cæſareæ Majeſtatis, & ſpretâ, quam offerret, reconciliandæ gratiæ lenitate. Quòd ſi rebus ſuis conſultum velint, hoc eſſe reliquum, ut Cæſaris imperata faciant, quæſtiones de ſontibus haberi patiantur, ſuperiora pacta omnes uno conſenſu comprobent & amplectantur, nec credant, è Cæſaris dignitate fore, ut alias ſibi leges à ſubjecto oppido dictari patiatur. Molijt aliquantum hæc oratio Donawerdanorum Conſulum aliorúmque Delectorum animos, non tamen flexit ad omnem æquitatem, ſed duntaxat, poſt varias diſceptationes, perſuaſit, ut anteactis conventíſque ſubſcriberent, his legibus, ne, quorum ſontium nomina delata eſſent, eorum judicia, contra civitatis receptum morem, alienis Quæſitoribus ſubderentur: & quando de Catholicis, ad jura Civitatis admittendis aut reijciendis, in acta priora diſertè nihil eſſet relatum, hoc ipſum relinqueretur in medio: ſe enim citra præſentaneum vitæ diſcrimen, inconſultis Civitatis Ordinibus, nihil poſſe eâ de re polliceri, ſibi proinde liceret, eam quæſtionem referre ad populum. Et hæc quidem data fuerunt clementiæ, ne res præcipiti ſeveritate acta videretur: ſimul ſeriò ſunt admoniti, fore ut cives, ſi pergant Cæſaris voluntati refragari, legum ſeveritatem & interminatæ proſcriptionis damna experiantur. Deſinerent proinde nova effugia quærere, vel comperendinando moras nectere.

Domum

Domum reduces Donawerdanorum internuntij, poſt longam operoſámque cum plebe conſultationem, id ſunt aſſecuti, ut, reclamantibus licèt triginta circiter nuperæ conjurationis anteſignanis, 4. Id. Novemb. plebiſcitum fieret; quo decernebatur, mittendos eſſe Delegatis, quoscunque ipſi, viritim ſontes ad ſuum tribunal poſcerent, nullius tamen nomen à civibus eſſe deferendum: interim pro reis Cæſaris clementiam eſſe adeundam: dandum item Catholicis, ut uſus eos à civitatis prærogativis arcendi, communi totius Magiſtratûs & Oppidi conſenſu, antiquetur. Proximum erat, ut lecti hujusce ſententiæ interpretes Rheinam mitterentur, cùm Doctor Juris Rhotius, quîcum rebelles paulò antè conſilia communicaverant, Neoburgo, ubi id temporis ex Lutheri placitis vivebatur, adveniens, magnificis pollicitationibus, quæ ſe ab Ulmenſibus auxilia laturis adferre jactabat, miſeræ plebi bonam mentem eripuit. Haberent modò cives ſalutis æternæ & ſociarum civitatum, quarum dignitas atque incolumitas ſimul vertebatur, conſtantem rationem. Satius fore pati proſcriptionis diras atque fulmina, quàm Dei. Nefas eſſe, Religioni labem ullam, vel ſocijs præjudicium inferre. Adfore arcendo Bavaro pares copias: ſi cætera deficiant, in proximis Comitijs fore curæ omnibus religionis Auguſtanæ conſortibus cauſam defendendæ reformationis; denique ſi quis caſus inciderit, quæſituros ſibi atque poſteris famam immortalem. Populus, quovis vertumno mobilior, hac promiſſorum aurâ flabróque ſeditionis afflatus, planè omnia alia, quàm paulò antè conſtituerat, cœpit reſpicere: Wurmius Conſul, homo audax & verſutus, clancularijs colloquijs vela averſæ plebis implebat. Ergo novo tumultu transverſum acti in priores ſcopulos, ex ſeditioſorum ſententia, Rheinam decretum amandant, hoc argumento. Cives nihil eorum, quæ Delecti addixiſſent, eſſe ſervaturos; etenim ad univerſos non pertinere, quod pauci ſtatuiſſent: non paſſuros item quemquam civium, ulli, quàm urbanis Judicibus dedi ad quæſtiones: malle ſe adire damna proſcriptionis, ipſiúsque adeò vitæ jacturam, quàm fidei Deo debitæ. Poſt hæc, factâ à Magiſtratu ſeceſſione (quanquam & ille magnam partem in eâdem erat navi) novum creant, cives armant quanto poſſunt numero, armatis præficiunt Ductores veteranos exercitæ diu militiæ; aliquot nitrati pulveris dolia ex armamentario depromunt, pro muris frequentes excubant, verbo, facies belli erat, & componendæ veſaniæ deſperatio.

Aſſentiuntur plerique cives.

Pervertuntur a Rhotio.

XXIV.

Rurſus tumultuantur.

XXV.

Arma corripiunt, parant bellum.

Ergo, tot lenitatis remedijs fruſtra conſumptis, viſum Maximiliano progredi ad extrema. Miſſus Cæſareus Fecialis, qui prid. Id. Novembris pro portis Donawerdanis, ritu ſolenni, civitatem Imperij Banno irretitam palàm denunciet; ejus cives Reipub. hoſtes, pacis publicæ violatores, legúmque refugos aquâ & igni interdictos, omni clientelâ, Imperij beneficio, bonorum ſocietate, commercio exuat, exponátque tum corpora, tum fortunas omnes liberæ omnium offenſioni; & paſſim, Ulmæ præſertim ac Nordlingæ, luce palam, programma execrationis affigat. Hinc cura metúsque futuræ obſidionis. Quare luſtrati cives circiter nongenti ad arma idonei, ínque duas cohortes diviſi: delectus habiti è vicinis, implorata ſociarum civitatum auxilia, pontis Danubio impoſiti compages, ut hoſtium incurſio momento ſubduci poſſit, ſoluta: ſuburbanæ domus, quà Boicam ſpectabant, dirutæ, mœnia loricis & propugnaculis inducta, cives ſacramento ad futuram propugnationem mutuò obſtricti, reparatæ turres, & ſi quà uſpiam murorum labes; ex agro vicino annona certatim in oppidum invecta, Martem ſpirare omnia. Et verò etiam Nordlingæ, Ulmæ, Stugardiæ, alibi, varij Illuſtrium Germaniæ Procerum atque civitatum conventus habiti, qui ope communi Donawerdanorum defenſionem ſive armis, ſeu forenſi patrocinio videbantur ſuſcepturi. Atque jam eâ gratiâ non contemnendus tum peditum, tum alariorum numerus ſub ſignis habebatur: etiam graviter apud Cæſarem & Bavarum erant conqueſti, quaſi Donawerdana lis, prætermiſſo Spirenſi dicaſterio, contra Imperij & Circulorum Leges, ad alienum tribunal perperam fuiſſet pertracta, & ne compellato quidem Suevicorum Ordinum Comitio (cujus maximè intererat) præpropere,

In eos ſolenni more Bannum promulgatur.

Se comparant ad obſidionem.

XXVI.

Querelæ ſociorum.

Refutantur. pere, cauſis non ſatis expenſis, fuiſſet judicata: quaſi verò Maximilianus I. Impe-
rator inſtitutâ Spirenſi curiâ, ad levandam Imperialium curarum partem, ſupre-
mam Imperatorum jurisdictionem ſic acciderit, ut cauſas ad ſuum tribunal non
poſſint evocare, aut ultrò delatas nullâque partium exceptione aut fori declina-
XXVII. tione impeditas cognoſcere: cùm tamen judicum inferiorum jurisdictio ſæpenu-
mero à litigantibus ſoleat per litis conteſtationem cum ſummâ æquitate prorogari.
Sed quid ad formam judicij, ultra ea, quæ adhibita ſunt, addi debuerit, nemo peritus
facilè reperiet: cùm præceſſerit accuſatio, dies dicta ſit reis, ijdem vadimonium
obierint, cauſam dixerint, crimen fuerit non manifeſtum modò, ſed etiam perma-
nens. Et verò etiam Cæſar, qui ſummam habuerit poteſtatem cauſæ cognoſcen-
dæ, & judicandæ, idem habuerit pœnæ exequendæ, inconſulto Sueviæ Comitio,
quòd nec vocari in judicium, nec ſedere inter Judices debuit. Sed his, fori con-
troverſijs omiſſis, redeamus, unde ſumus digreſsi.

Creſcebat indies periculum, gliſcente, per ſocias urbes & quorundam Prin-
cipum conſilia, factione, ne Donawerda commune in Imperio belli incendium
excitaret. Quare, antequam flamma latiùs ſerperet, Maximiliano Bavariæ Duci
viſum eſt, opus eſſe celeritate, quæ mirum in modum valet tum ad opprimendos
Maximilianus adverſus Donawerdanos educit exercitum. populares motus, tum ad bella conficienda. Nihil igitur cunctatus, brumâ jam
adultâ aſperâque, in campum altis nivibus, pro regionis genio, obrutum, exerci-
tum properè magnis ærarij ſui ſumptibus conſcriptum, inſtructúmque educit.
Erat is tantò validior, quò proclivius, ut Donawerdanorum ſocij ſuppetias obſeſſis
venirent; & probroſum ac turpe futurum fuiſſet, ſi voti irritus, tantillæ plebis con-
Obſeſſa Donawerda. tumaciam nequiviſſet domare. Severè etiam tum Ducibus, tum militi indixit
Maximilianus, abſtinerent ab inſontium damnis, viverent ſine prædis, aut inſo-
lentiâ. Cujus edicti violationem Moſerus Centurio luit capitis ſupplicio, ad mo-
XXIIX. dum priſcæ ſeveritatis. Caſtris ad Donawerdam poſitis, poſtulatâ deditione,
diſpoſitis circùm tormentis, cœpere oppidani metu expugnationis & ſupremæ ca-
lamitatis percelli. Proximum fuit, ponere tumidos ſpiritus, & mitiora conſilia
Poſcit inducias et colloquium. præhabere imminenti exitio. Viſum eſt è re fore, ſi impetrarent inducias. Pe-
tière quidem, ſed & tempeſtas perincommoda, & ſuſpicio, ne lateret ſub eâ ſpecie
comperendinationis fraus aliqua, ſpéſve venturi auxilij, ne bidui quidem ceſſatio-
nem conceſſerunt. Populus interea doctus ſapere triſti expectatione & inſperato
eventu, qui ſtultorum magiſter eſt, arma oderat, etiam ſua, & belli authores, urge-
bátque ilico mitti pacis interpretes. Senatum & audacia & conſilium deſtitue-
rat, ſimúlque verebatur, ne furentem more ſuo plebem intra muros, & iratum
foris exercitum pateretur. Miſit proinde, qui deditionis conditiones accipe-
Facit deditionem, rent. Datæ ſunt, ut ſeſe Maximiliani arbitrio permitterent, arma mox pone-
rent, præſidium admitterent. Profuit vel tunc geſſiſſe mórem, & victos fuiſſe
ſine ullius cæde aut ſanguine. Nam clementiæ & commiſerationi conceſſæ ſunt
ſuæ partes ex Maximiliani voluntate, qui juſſit, quoad ejus fieri poſſet, ab omni no-
Salvis fortunis. xâ temperari. Vetita ergo militi direptio fortunarum & omnis corporum inju-
ria. Res ſuas ſalvas habuêre univerſi, ijs exceptis, qui ultro in exilium abierunt.
XXIX. Secundum hæc, exercitus ſacramento ſolutus, perſoluto ſtipendio, à ſignis di-
Dimiſſus exercitus. miſſus, eâ duntaxat parte copiarum retentâ, quæ ad continendos cives & caſus
ſubitos, ſi qui à nondum pacatis orirentur, ſatis eſſet.

Civitas componitur. Inde Maximiliani curæ ad reſtituendam civitati priſtinam formam converſæ.
Juſſi oppidani ſecurè redire ad ſua munia, Magiſtratus creatus, quies inſtaurata.
Sparſerunt nonnulli in credulum vulgus, ſed ex vano, vim illatam fuiſſe religioni
& rebus oppidanorum. Atenim nemini nocitum, niſi paucis, qui profugi ſibi
Prædicantes metu profugiunt. ipſis nocuêre. Ex eorum numero terni Præcones Acatholici, quos læva con-
ſcientia metúſque promeriti ſupplicij exegit, quòd crederent, ſibi non fore impu-
nè, quòd per accenſas rebellionis faces, ſpecie religionis, plebeculam primoréſ-
que dementâſſent. Quamobrem deſerto grege, pro quo ſe poſituros animam, &
ſuprema omnia adituros (ſi res poſceret) ſpoponderant, more mercenariorum,

veriùs

veriùs luporum, quos metus indaginis dispellit, tempeſtivè diffugientes, bono fato, vacuas ſedes Catholicis Sacerdotibus reliquerunt. Cæteroqui nihil in ſacris aut profanis à Maximiliano fuit immutatum: ſed ſui cuique ritus, ſua profeſſio ex Pacificationis lege relicta, & eâ quidem accuratione, ut, cùm ultro ſe nonnulli, è quibus Herpferus & Smitius Conſules, Catholicis parentibus oriundi, grandi natu, dum ex morbo ad mortis confinium properarent, ad Romanæ Eccleſiæ gremium vellent recipere, eorum nullus, niſi causâ atque propoſito mutandorum ſacrorum apprimè examinatis, exploratâque conſtantiâ, poſt idoneam inſtitutionem, fuerit admiſſus ad fidei profeſſionem. Si qui præterea ſuos liberos Catholicis Sacerdotibus ſacris undis abluendos offerrent, tum demum audiebantur, ſi laudabilem facti ſui rationem adferrent. Liberum erat Proteſtantibus ad ſuos cœtus, in viciniam, quoties libebat, excurrere, audire declamatores, cœnare eorum ritu, verbo, Luthero litare. Atque hæc quidem, non quòd Maximiliano longè gratiſſimum non fuiſſet, omnes ilicò Deo atque Eccleſiæ Romanæ adjungere, ſed ne querimoniarum occaſio & cauſa turbarum, reſciſſâ illâ libertate, naſceretur, & crederetur ipſe pacis ſanctionem habere inſuper.

XXX. NIHIL MUTATUR IN SACRIS AUT POLITICIS.

Cæterùm Parochiale templum præſidij Bavarici flagitationi fuit indultum. Perincommodum enim erat militi, ad S. Crucis, vel D. Viti ædes procul à ſtationibus diſſitas, ſacrorum causâ adire; & cùm Parochialis, Prædicantium fugâ deſerta, nulli tum præterea eſſet uſui, decebat, annuente Cæſare, Romana ſacra poſt quinquaginta circiter annorum exilium jure poſtliminij redire in ſedem priſtinam.

TEMPLUM PAROECIÆ CATHOLICIS REDDITUR.

XXXI. ALIQUI REFRACTARII CAUSAM DICERE IUSSI.

Non abs re quidem eſt, Smitium & Wurmium Conſules, unà cum Aſenhamero Cauſidico, Clemnio Archigrammateo, Lintschero & Crazero, fuiſſe Monachium accerſitos: ſed iſta vadatio ad ſacra nihil pertinebat. Cauſa erat, quòd graviter à plebe accuſabantur, quòd ſuppreſſiſſent edicta Cæſaris, quòd affixis programmatis econtra concitâſſent multitudinem, quòd ſublatis vexillis cives armâſſent, civium animos furore, ſimpliciorum mentes fraudibus, forum tumultu, oppidum rebellione complêſſent. Præ cæteris malè audiebat Wurmius, qui inſanis vociferationibus ferocientem plebem ad audendum, velut pro aris atque focis, ex mœnibus & portis civitatis animaverat.

Faſces civiles, quos nefas erat proſcriptis civibus nondum in Cæſaris gratiam receptis committi, tantiſper fuêre penes exteros fide & ſapientiâ præſtantes; donec impetratâ proſcriptionis veniâ, fuêre redditi veteri liberæ electionis inſtituto. Et tum quidem creati terni Conſules, novem Senatores, ex quibus quini arcaniora cognoſcerent: redditi inſuper alij Magiſtratus, Ædiles, Tribuni, ſacrarum largitionum adminiſtri, curatores vectigalium Noſocomiorum, ſacrarum fundationum, ſcholarum magiſtri. Ad eum modum non peregrina, ſed longè caſtigatior atque præclarior, quàm ante recenſitos motus, juris dicundi, cæteræque reipublicæ forma, cum magnâ totius oppidi gratulatione, & abſolutiore juſtitiæ accuratione, revixit.

DATI MAGISTRATUS.

XXXII.

Sed cives Banno nondum ſoluti, patebant ingentibus incommodis, jacebant commercia, erant paſſim exoſi atque ludibrio, res indies domi fiebant arctiores, foris nullæ, aut exiles: ſi nullo melioris frugis ſpecimine annum conſumerent, juſtus erat timor majorum calamitatum. Tempeſtivè ergo rediêre ad mentem. Ut verò ſe & obtinendæ gratiæ interceſſores circumſpexerant, nemo viſus Maximiliano melior, qui eos tum ad ſpem erigebat, tum ad rogandum patrocinium invitabat ſuâ clementiâ. Quamobrem ei fiunt ſupplices, ut, quando Juſtitiæ partes in ſontes egiſſet tam ſtrenuè, ageret etiam placabilitatis pro reſipiſcentibus apud Cæſarem, geminam lenitatis & æquitatis palmam relaturus, habiturúſque magis obnoxios, quos ſervaret, quàm ſi ſubactos miſeros eſſe pateretur. Non fuit opus jam inclinantem impellere: longè ſuſcepit libentiùs deprecatoris munus, quàm nuper ſuſceperat debellatoris. Ut ordine rem componeret, primùm omnium Auguſtanum Principem & Sancrucianum Præſulem induxit, quorum

PER MAXIMILIANUM RECONCILIANTUR CÆSARI.

præcipuè cauſa vertebatur, ut lubentes volentes, futuræ condonationi aſſentirentur: deinde perſuaſit, ut Senatus Populúſque per internuntios tum admiſſorum

XXXIII. pœnitudinem profiterentur, tum ſupplices miſericordiam implorarent. Demum addidit ipſe ad Imperatorem deprecatorias, juſsitque ſuum, Pragæ id temporis agentem Oratorem ſupplicum cauſam, quibus poſſet adminiculis, ſublevare. Intererat Cæſareæ clementiæ ſervare civitatem Imperij, nec redigi prorſus ad incitas; Maximilianum levari magnis ſumptibus, quos, cùm Civitas non poſſet rebus neceſſarijs de Boico ærario in præſidium civitatis facere oportebat. Non enim videbantur Proteſtantes fore pacati, priusquam Donawerdani in Cæſaris gratiam redijſſent. Et ſupererant adhuc quidam inter cives, qui res novas coquebant, ſi mitiorum deſperatione ad triſtiora conſilia ferrentur. Etenim Donawerdani exules, in Ulmenſi Comitio, ſpecioſo totius Civitatiſ nomine, Suevicorum Ordinum auxilia rogârant, tametſi Cæſar per Comitem Hohenzolleranum conventum graviter erat dehortatus, ne tam deploratæ cauſæ patrocinium ſuſciperet, rejiceret potiùs ad proxima Imperij Comitia, ſi quid in eam rem haberet.

XXXIV. *Certis conditionibus.*

Nihilo tamen minùs Clementiſſimus Imperator 10. Cal. Auguſti Anno M. DC. IX. flexus ad miſericordiam Donawerdanis noxarum gratiam fecit, hac lege, ut quæcunque eorum bona, poſſeſſiones, opes, Duci Bavariæ manerent obnoxia, donec executionis impenſas, ex præſcripto legum Imperij, re ipsâ reſtituerent. Interim eidem Duci ſacramento & obtemperandi nexu eſſent deuincti. Supererat pœna eorum nocentium, quibus authoribus turbæ fuerant concitatæ. Conradus Bemelbergius, Oppidi pro Maximiliano Gubernator, in paucos animadvertit. Quosdam enim fatum, alios fuga ſupplicio exemerat: profuit permultis non fuiſſe nominatos. Wurmio viro conſulari triens bonorum ademptus, relicta civitatis jura Hohenſcheltio: Verlino, Rotweilero, Melchiori Murario indictum exilium. Joannes Georgius aurifex, & Carolus Magerus ob atrocem maledicendi libidinem, Majeſtatis poſtulati: alij pars vincti, pars increpiti: profugorum facultates, qui in patriam ſæpius revocati exilium præfractè prætulerant, aliquot pòſt annis, velut caducæ ſub haſtâ venierunt. Cæteros pleroſque delicti pœnitudo & Principis benignitas reduxit ad frugem. Perierant videlicet, niſi perijſſent. A privatâ Donawerdanorum cauſâ, venio ad publicarum diſſenſionum ſeminarium.

Antesignani puniti.

An. Christ. M. DC. IIX.

XXXV. *Initia bellorum. Comitia Ratisbonensia.*

Hæc dum gererentur, Rudolphus Cæſar in An. M. DC. VIII. Comitia Ratisbonam indixerat, quibus Ferdinandus Auſtriæ Archidux, vicariâ poteſtate, pro Cæſ. Maj. daret operam. Turcicus in bellum apparatus Ordinum Imperij opem exigebat. Capita deliberationis erant? 1. Quæ vires, unde ſtipendia, quæ Turcicæ in Hungariam irruptioni opponerentur? 2. Quæ in Spirenſi Curiâ emendanda? 3. Quæ ratio pacandi Belgium, ne ex ejus turbis Germanicum Imperium aliquid deinceps detrimenti caperet? 4. Caſtigatio rei nummariæ.

Capita Cæsari proposita. Addita a Protestantibus. Helvic. ad an. 1608.

His addidêre in rem ſuam Proteſtantes, ferè triplo plura. Videlicet 1. Donawerdam reſtitui debere in integrum 2. Cameræ Imperialis tribunal emendandum. 3. Nullas in Aulâ Cæſaris lites eſſe tractandas. 4. Præſides & Aſſeſſores pari numero ex Catholicis juxtà ac Proteſtantibus eſſe conſtituendos. 5. Viſitationes ordinarias omittendas in poſterum. 6. Sacros homines, puta Abbates & Monaſteriorum Priores, pro tribunali non audiendos. 7. Catholicis Epiſcopis nulla inter Imperij Proceres ſubſellia aut prærogativas eſſe debere.

XXXVI. 8. Funerum atque ſepulchrorum jura promiſcuè habenda Catholicis atque Proteſtantibus. 9. Ex Imperio proſcribendam omnem Romani Pontificis auctoritatem & jurisdictionem. 10. Formam juramenti fiduciarij mutandam. 11. Imperij placita non votorum numero, ſed ſapientiâ ſtare oportere.

Protestantes Comitia reddunt irrita.

Hæc cùm alieniora ab æquitate viſa eſſent Catholicis, quàm ut cum ratione concedi poſſent, deſperarêntque Proteſtantes ſe impetraturos; ex condicto,

omiſsâ rerum à Cæſare propoſitarum deliberatione, à Comitijs re omni infectâ diſceſſerunt offenſi. Exiſtimaverant videlicet iniquo rerum novandarum pretio debere emi jam debita multis nominibus Reipub. ſubſidia, & domi imperium ſolutis juſtitiæ vinculis lacerari, ut foris ſartum tectúmque adverſus hoſtem ſervaretur.

CONSPIRANT ASCHHUSII.

Ergo paſſi repulſam, pòſt paulò Aſchhuſij conveniunt, &, fœdere inter ſe inito, ſtatuunt per vim extorquere ab invitis, quod petendo à benevolis non obtinuerant. Vetus tum erat Proteſtantium inſtitutum, quoties metu hoſtilitatis Ottomannicæ, ab Imperatore auxilia Imperij Ordinum petebantur, ea negare, niſi viciſſim ipſis poſtulata æqua, iniqua, concederet. Audaciam id temporis acuit Rudolphi Cæſaris ætas devexa, quieti magis, quàm publicis curis deinceps idonea, & nonnullæ ipſum inter & Matthiam Archiducem fratrem diſſidia. Simul accuſabatur aliquis Conſiliariorum languor & corruptela, alijs ad largitiones & privata commoda, alijs ad ſectariorum dogmata inclinatis. Non deſunt, qui aſſerant, Acatholicis ingratam fuiſſe Auſtriacam potentiam, in quâ videbant ſitum eſſe præcipuum Catholicæ Religionis in Germaniâ firmamentum.

XXXVII.

CAPUT UNIONIS ET LEGES.

In Aſchhuſienſi Comitio fœderis Principem capútque dixêre Fridericum IV. Palatinum Septemvirum, ídque authore Chriſtiano Principe Anhaltino. Dictârunt præterea Unionis Leges. Suæ cuique, pro modo dignitatis & ingenij, rerum gerendarum partes attributæ. Hæc fuêre primò leviorum motuum, deinde graviſſimorum bellorum initia. Nec verò conceptas iras Rudolpho diſſimulârunt; auſi per Legatos apertè denuntiare, niſi quæ Ratiſbonæ poſtulârant, permitterentur, non fore vertendum vitio fœderatis Ordinibus, ſi, quacunque demum poſſent ratione, ſibi ipſi proſpicerent. Abfuit ab iſtis conſilijs, atque ea eſt deteſtatus Saxoniæ Elector, cujus conſtans in Cæſarem Imperiúmque fides nullis poteſt laudibus æquari.

RUDOLPHO CÆSARI MINANTUR.

SAXONIÆ SEPTEMVIRI CONSTANTIA.

XXXIIX.

UNITO-PROTESTANTES RURSUS HALÆ SUEVORUM CONVENTUM AGUNT.

Ut arctiore ſe vinculo obfirmarent, uniti, Halam Suevorum rurſus convenêre. Iſthinc dedêre ad Cæſarem litteras, quibus modeſtiæ leges egreſſi, novam Reipublicæ formam poſcebant. Qui iſti Conventui adfuêre, Saxonis monitu, in duas factiones diviſi. Proteſtantium nomen aliqui, alij Correſpondentium nomen aſſumpsêre. Hi ſe in turbido modum rebus ſuis reperturos rati, fovêre bellum, quod exarſerat in Cliviâ ob ſucceſſionem, Ducis nuper fato functi obitu, dubiam: Ordines Batavicos in partes traxêre, reſpexêre tum arma Francica, quæ ab Henrico IV. in Germaniam parata ferebantur, tum Daniæ Regis auxilia.

CATHOLICORUM UNIO.

AN. CHRIST. M.DC.IX.

Faba cudebatur in Catholicos, quorum ſalus ne ſtaret in ancipiti, pro eâ tutandâ inter Principes coaluit mutuæ defenſionis ſocietas, ſi qua vis inferretur. Datum Unioni defenſivæ, quam Ligam nuncupaverunt, initium Monachij Anno M.DC.IX. 6. Id. Jul. Huic dedêre nomina Maximilianus Dux Bavariæ, Leopoldus Archidux Auſtriæ Argentinenſis & Paſſavienſis Epiſcopus, Julius Herbipolenſis, Henricus Auguſtanus, Wolfgangus Ratiſbonenſis item Antiſtites, Joannes Chriſtophorus Præpoſitus Elvacenſis, Henricus Abbas Campidunenſis. Primaria cauſa fœderis, quòd Acatholici indies nova in poſſeſſiones Eccleſiaſticas, adverſus Auguſtanæ pacis decreta, molirentur. Maximiliano principes fœderis partes conſenſu commiſſæ. Anno M.DC.X. annorum inſequentium turbis præluſum ab Unito-Proteſtantibus, auſpicijs Joannis Friderici Palatini Electoris. Hic militem adverſus Leopoldum Archiducem, bello Clivenſi Cæſaris juſſu occupatum, per Bambergenſium, Herbipolenſium, aliorúmque Catholicorum fines, ne compellatis quidem Principibus, eduxerat in Alſatiam, ubi munitiones aliquas tentârat, alias occupaverat, invaſerat Leopoldi copias tutandæ Alſatiæ relictas: iſti Provinciæ gravia damna intulerat. Habuerant etiam Unito-Proteſtantium aliquæ legiones ſtativa fermè bimeſtria in agro Herbipolenſi & Bambergenſi; pecuniam non à ſubditis modò, ſed ab ipſo etiam Herbipolenſi Principe, quem iter agentem nummis ſpoliatum violaverant, auſi exprimere. Quibus de rebus à Joanne Swicardo Moguntinenſi Electore, & Maximiliano moniti, cùm nomine Catho-

CAUSA UNIONIS.

AN. CHRIST. M.DC.X.

UNITO-PROTESTANTIUM PRINCEPS ELECTOR PALATINUS VEXAT CATHOLICAS DITIONES.

XXXIX.

RES COMPONITUR CUM CATHOLICIS.

Catholici fœderis valida arcendis injurijs ſubſidia viderent comparari, per ſuos Legatos, rem cum Maximiliano ſic compoſuerunt, ut, Juliacenſi diſſidio penes ſuos authores relicto, utrinque ab omni genere hoſtilitatis eſſet ſecuritas.

Aquisgranenses Novatores tumultuantur.

XL.

Per id tempus populus Aquiſgranenſis Novatorum ſtudijs addictus, in Magiſtratum tumultuatus eſt. Querebatur, ritus Acatholicos ſeveriùs fuiſſe habitos, nec potuiſſe adhuc impetrari, ut intra mœnia locum publicum usúmve haberent. Ut eos ex agro vicino inducerent in urbem, abdicato legitimo Magiſtratu, novum ex Catholicis juxtà & Acatholicis creârunt. Secundùm hæc portis mœnibúsque occupatis, religionis causâ proſcriptos revocârunt, mox in Jeſuitarum perſonas contumelijs, in templum ſacrilegio, in domum direptione graſſati. Hasce turbas, quas Colonienſis Elector, & Albertus Auſtriæ Archidux Belgarum Princeps ſedare fruſtra tentaverant, Regis Galliæ Legati Marchio Vievillæus, Lazarus de Selva Regius Mediomatricum Præſes, & Hotomannus compoſuerunt.

Molitiones Protestantium Halberstadii.

Parùm abfuit, quin Halberſtattenſes Canonici, eodem novatorum ſpiritu, cùm Halberſtadij Proteſtantium Comitium haberetur, antiquatâ veteri juramenti formâ, novam inducerent, adverſante Epiſcopo, qui tum Pragæ agebat apud Cæſarem. Volebant nimirum per eam jurisjurandi novitatem Catholicos omnes, Halberſtattenſis Eccleſiæ Collegio, deinceps excludere.

An. Christ. M. DC. XI. Pragenses Acatholici sæviunt in Religiosos.

Atrociùs Pragenſes Sectarij ſævierunt in Religioſos; Franciſcanis quatuordecim trucidatis, Monaſterijs alijs expilatis, nullâ Imperatoris, qui tum Pragæ ſedebat, reverentiâ.

Discordia Rudolphi Cæsaris et Matthiæ fratris.

Deſierat ſcilicet, ab hominibus, divini humaníque juris negligentibus, obſervari ſuprema Cæſaris Majeſtas, extincto legum metu, ob diſcordiam, quæ, armis jam paratis, gliſcebat inter Rudolphum & Matthiam Archiducem, nec priùs erat expiratura, quàm Hungarorum exercitui, quem Matthias in Bohemiam adduxerat, Leopoldi Archiducis copiæ pro Cæſare opponerentur.

Comitium septemvirum Augustalium Norimbergæ, de eligendo Rege Romanorum.

XLI.

Unito-Protestantes obsistunt Comitii decreto.

Cùm ad eum modum Cæſaris dignitas indignè haberetur, Septemviri, quos penes eſt jus Romanorum Regem eligendi, & dandi operam, ne tali re ac tempore Reſpub. quid capiat detrimenti, Norinbergæ convenerant, de futurâ electione Comitium habituri. In eo viſum eſt, ſuadere Rudolpho Cæſari, qui ob afflictam corporis valetudinem, viréſque paulatim ſenio fatiſcentes, non credebatur diu ſuperfuturus, vellet, juberet, de Rege ſucceſſore cooptando Comitia in annum proximum indici. Aſſenſus eſt, juſsítque poſt Paſchales ferias conveniri. Uſſit ea res Unito-Proteſtantes, qui proinde ad diſturbandum Cæſaris conſilium Rotenburgum ad Tuberam coëuntes, turbandi cauſas ſumpsêre ex Donawerdâ priſtinæ conditioni nondum reſtitutâ, quòd præterea Cliviæ ac Juliæ poſſeſſio, Principibus, qui eas inſederant, adhuc dum à Cæſare controverteretur: quòd prærogativæ Proteſtantibus olim conceſſæ minuerentur, novæ negarentur. Miſerant etiam ad Helvetios, qui fœdera inirent, & ſuis ſubjectis paſſim, ad conflandum futuri belli ærarium collectas provinciatim indixerant. In Norinbergenſi Comitio, ex compoſito, partitis in diverſa conſilijs, Rudolpho alij, alij Matthiæ videbantur adſtipulari, re ipsâ neutri favebant. Conſilium erat, fratres inter ſe collidere, utriusque potentiam enervare, vel alterum, in quem fortuna inclinaret, ſuæ factioni conciliare, quaſi id obſequendo meruiſſent.

Primordium expeditionis Salisburgensis.

XLII.

Controversia de Salinis.

Dum res Imperij publicè hisce motibus agitarentur, Maximiliano privatim non licuit domi eſſe quieto. Eum perinvitum ad arma concivit Wolfgangus Theodoricus, ex illuſtri Ratenauiorum gente, Saliſburgenſis Archiepiſcopus, excelſi vir animi, ſed inquies & novandi ſtudioſus; cui ſi par fortunæ moderatio & ſacroſancti Ordinis illibata puritas adfuiſſet, nihil erat, quod ad magni Principis claritudinem in eo poſſet deſiderari. Interceſſerant de ſalis commercio nonnullæ controverſiæ, Maximiliano jus antiquum poſcente, Wolfgango Theodorico novum moliente. Cúmque ſalis conſueta ad finitimos ſubvectio eſſet infrequentior, eò quòd ex Helligenſibus ſalinis, quæ ſunt imperij Saliſburgenſis, pacta olim copia negaretur, pretio à majoribus conſtituto, audiebantur paſſim grandes querimo-

rimoniæ, jámque agebatur inter vicinos de ſale à mari, aut aliunde, cum inſigni Bavariæ damno, comparando. Ea lis diuturnis comperendinationibus ab Archiepiſcopo ducta, non Maximiliano modò, ſed finitimis etiam regionibus erat permoleſta, atque eò reddita difficilior, quòd Saliſburgenſis Archiepiſcopus, ſalinas Bavaricas Halæ divitis, tametſi ſummo jure ad Maximilianum pertinerent, reddebat operoſiores, impeditâ lignatione, operis à lignando prohibitis, unde ex operarum infrequentiâ ſalis pretium augebatur, copia minuebatur. Eſt porrò Hala dives Boicum oppidum in Saliſburgenſi confinio, divitis nomine ideo inſigne, quòd copioſam admodum & perennem ſalſi fontis ſcaturiginem, quæ non modò numeroſis caldarijs ſali excoquendo aquam Halæ ſuppeditat, ſed etiam alteri æquè operoſæ ſalis conficiendi officinæ, quæ Halenſem aquam per ſiphones, mirâ arte per montium juga longo mediæ diei itinere, perpetuo aſcenſu ductam, ſuprà quàm ſatis eſt, recipit, præparátque in oppido Traunſteinenſi. Atque hæc quidem officina Maximiliani opus eſt majoribus ignoratum, certè à nullo tentatum. Ex hoc igitur Halæ fonte, & Saliſburgenſi, quam dixi, officinâ, longè latéque ad Rhenum uſque, intimámque aliquando Helvetiam, ſal magno Boicæ proventu educitur. Tametſi id temporis magnam partem ſalis commercium à Wolfgango Theodorico interverteretur, id tamen Maximiliano tanti non erat, ut armis potiùs, quàm jure, ſua damna vindicaret. Sed accendebant alia, quæ non levem ipſius contemptum præſeferebant: & hic tamen, quâ erat animi magnitudine, dolorem premebat.

Hala dives, ſalis officina et ſcaturigo. XLIII. *Salina Traunſteinia.* *Cauſa belli.*

Verùm, ut amat fieri, iſta Maximiliani lenitas atque tolerantia auxit Archiepiſcopi audaciam. Ferdinandus Maximiliani frater, Præpoſiti jure Bertechsgadenſem Eccleſiam, ſedi Apoſtolicæ & Imperio Romano immediatè ſubjectam, multos jam annos quietus poſſederat. Hanc ut invaderet Archiepiſcopus, militem legit, armat ſubitariam Provincialium manum, & contrà ac à Romano Pontifice fuerat decretum (cùm controverſia, Romano judicio, Præpoſito adverſus Archiepiſcopum fuiſſet nuper addicta) per vim, Bertechsgadenſe oppidum occupat ex improviſo, exarmat cives, & Ferdinandum Præpoſituræ poſſeſſione ſpoliat extruditque. Non videbatur hominis alioqui irritabilis genius odiúmque quieturum; facile erat armato, pari injuriâ Halam divitem à Saliſburgo modicè diſſitam, aliáque Boicæ loca opprimere. Conatus eſt nihilominus Maximilianus antea quàm arma corriperet, per litteras, per Legatos, pérque omnem rei componendæ rationem, Archiepiſcopum revocare ad æquitatem. Sed in caſſum omnia, cùm Wolfgangus protelando, ludificando, pacis expectationem fruſtraretur. Et ſanè is quidem à permultis credebatur non externis modò, ſed etiam Saliſburgenſibus, promiſſis Proteſtantium auxilijs ad bellum accendi. Nam ipſi jam dudum Maximiliani reconditam prudentiam ſuſpectabant, ídque eò magis, quòd rei Catholicæ comprimis addictum nôſſent hæreditario natalium bono, cupiebántque alio, quàm ſuo irretitum bello, acciſis opibus fatigari, reddíque ad Catholicum fœdus tutandum impotentem. Quid faceret tali re ac tempore Maximilianus? Summum Pontificem & Imperatorem Rudolphum II. de vi & injuriâ docet, déque neceſſitate expediendæ defenſionis. Diſplicebat nihilominus bellum, cum tali præſertim hoſte, qui devictus parùm gloriæ, nihil utilitatis, permultum invidiæ atque obloquiorum adferret, quíque is, fors vinceret, immane quantum officeret. Sed & graſſari in ſacram ditionem, quæ retineri non poſſet, perincommodum videbatur. Atqui non poterat Maximilianus ſeipſum, nominis ſui exiſtimationem, & ſubjectorum pericula negligere. Non audire germanum injuſtè oppreſſum, & juſta implorantem auxilia, nimis fuiſſet immite: in longum differre remedia, improvidum. Ergo magnis ſumptibus, fratris ſui nomine, defenſionem omni jure honeſtam, celeriter, adulto jam autumno, comparat: ſed ne vel tum quidem vindictam, irâ præcipiti, quærere videretur, modò hærendo, modò lentis itineribus exercitum trahendo, vímque oſtentando potiùs quàm adferendo, ſpatium, ſaniora conſilia capiendi, Archiepiſcopo indulget. Ut bellum

Litt. Marc. Sittic. Archiep. XLIV. *Maximilianus fruſtra conſilio conatur bello prævertere.* XLV.

Rogatur auxilia a Capitulo Salisburgensi.

lum maturaret, perilluſtre Saliſburgenſis Eccleſiæ Collegium per certos homines de ſuo cœtu orabat. Vehementer querebantur, Archiepiſcopum, abſque cauſa, ſe invitis, per meram animi immoderationem, in eam conditionem & malorum diſcrimen incurriſſe: per imperioſam diuturnæ dominationis potentiam Metropolitanum Capitulum quaſi mancipi jure ſubegiſſe: Provinciæ Ordines, atque ſubjectos omnes omni exactionum acerbitate propè redegiſſe ad incitas, exhauſiſſe ærarium ædificiorum amplitudine, donativorum profuſionibus: demum, niſi ſalus velut oblata divinitus, hac occaſione contingeret, actum eſſe de Eccleſiâ nobiliſſimâ, de Collegio, de Provinciâ, de re universâ. Reſpiceret Maximilianus Majorum ſuorum in fundando Archiepiſcopatu munificentiam, non deſpiceret ſupplicum preces ſpéſque ultimas. His permotus Maximilianus, 11. Cal. Novembris in Titmaningam (oppidum eſt Saliſburgenſis imperij Boicæ proximum) arma convertit. Sat fuit admoviſſe caſtra. Oppidum enim ſine cunctatione fecit deditionem: Arx paucis horis clauſa, eâdem luce ſe Maximiliano permiſit. Hoc belli, tot poſtea rumoribus exagitati, initium & finis, nutu planè divino. Nam Archiepiſcopus terrore panico fractus fugatúſque, nihil ultrà tentare eſt auſus. Subſtiterat Saliſburgi ſtipatus numeroſo milite, tutúſque urbis propè inſuperabilis arcíſque munitiſſimæ inexpugnabili præſidio. Nihilo ſeciùs, poſtridie quàm Maximilianum audijt Titmaningâ potitum, ſive conſcientiâ ſtimulante, ſive ſpe tutioris inter montium fauces receptûs, quicquid tum in ærario, tum in rebus Eccleſiæ fuit auri, gemmarum, ſupellectilis, & gazæ pretioſioris, convaſat, præmittítque in montes; ipſe verò cum paucis, nocte intempeſtâ, Carinthiam verſus iter arripit. Id poſtquam emanavit in vulgus, mox Metropolitanum Collegium, quod abhorrebat à bello, velut in navi nauclero deſtitutâ, arrepto gubernaculo, militem exauctoratum dimittit, jubétque cives eſſe quietos. Mittit deinde Legatum ad Maximilianum, qui eum de Archiepiſcopi fugâ faciat certiorem, & ad urbem invitet prona pacatáque omnia reperturum. Illuc biduo pòſt profectus, ingenti tum ſacrorum hominum, tum civium plauſu lætitiâque eſt exceptus. Ut palàm eſſet, non ambitione, aut conſilio proferendæ ditionis, eum arma ſumpſiſſe, nullam Reipublicæ partem, nullam gubernationem voluit prorſus attingere; nullâ planè re innovatâ, regimen univerſum in eo, quo repererat, ſtatu reliquit. Tametſi Saliſburgo in fidem recepto minus erat periculi, quicquid tandem Archiepiſcopus moliretur, attamen ſupererat metus, ne is contracto rurſus exercitu externíſque auxilijs bellum inſtauraret. Et hoc videbatur eſſe in ipſius manu, cùm ex magnis, quas avexerat, opibus ſtipendia, cæterúmque apparatum haberet in promptu. Nec deerant firmiſſima tum in Carinthiâ, tum in Marchiâ præſidia, quibus ſe Archiepiſcopus tueretur. Ea cura Canonicorum Collegium maximè habebat anxium, tum quòd deinceps Principis odijs futurum eſſet obnoxium, tum quòd metueret, ne res Eccleſiæ in belli ſumptus cum certâ patriæ pernicie verterentur. Ergo communi conſilio Canonici Maximilianum adeuntes, rogant (ut in re, quæ moram non pateretur) celere auxilium. Permiſit, quam vellent, expeditam equitum manum, quâ, quantum ipſis fas eſſet, pro arbitrio uterentur. Confeſtim igitur jubent Canonici alariorum turmam Archiepiſcopum, quantâ fieri poſſit celeritate, inſequi, & ablatam gazam recuperare: vix enim ſpes erat, ut Archiepiſcopum, citatis vehiculis fugientem aſſequerentur. Sed contrà accidit. Wolfgangus enim, neſcio quam paſſus remoram, aliquantulum ſubſtiterat, eóque ſe inſequentibus reddiderat opportunum. Jam tridui iter confecerat, cùm venit in equitum manus unà cum ſarcinis. Illi ſuprà quàm ſperaverant felices, duplici fortunâ læti Archiepiſcopum unáque Eccleſiæ gazam attinent, rati (tam erant ſacri juris ignorantes) nihil intereſſe, an è fugâ ſacram perſonam retraherent, an ſacra ablata recuperarent. Habuerunt ergo Archiepiſcopum in honeſtâ cuſtodiâ, reductúmque in urbem cum ſarcinis Capitulo Metropolitano reddiderunt. Cùm jam eſſet debellatum, Maximilianus, paucis pòſt diebus, rebus compoſitis, dimiſſo à ſignis milite, domum rever-

Vigul. Hund. in Metrop. part. 1. p. 98.

XLVI. Deditione accipit Titmaningam.

Archiepiscopi fuga.

Capituli gubernatio.

XLVII. A qua Maximilianus abstinet.

Capitulum mittit, qui recuperent Ecclesiæ gazam ab Archiepiscopo:

XLIIX. Qui e fuga retrahitur.

reverſus Paulum V. Pontif. Max. & Cæſarem de re totâ per Legatos reddidit certiores, qui, causâ probè expensâ, expeditionem laudârunt. Viſus eſt Imperator nonnihil ſenſiſſe, quòd in Auſtriacis finibus manus fuiſſent Archiepiſcopo injectæ, & conabantur malevoli factum traducere in majus: ſed poſteaquam intellexit, id militum ignorantiâ (qui finium juriúmque notitiam non haberent) contigiſſe, nihil ultrà indignatus, rem probavit. Erant etiam, qui Imperij Septemviros aliósque Principes in Maximilianum concitabant, qui tamen compertâ æquitate, in Norimbergenſi Comitio Cæſaris judicio ſunt aſſenſi. Et quidem Imperator, ob graviſſimas cauſas exiſtimavit, non modò omnino expedire, ut alius Archiepiſcopus Saliſburgenſi Eccleſiæ præficeretur, ſed etiam à Summo Pontifice impetravit, ut abdicatio ſpontanea, quam Wolfgangus Theodoricus in manibus Nuncij Apoſtolici fecerat, rata haberetur, fieretque Capitulo poteſtas alium eligendi, eâ tamen lege, ut deceſſor in Arce Saliſburgenſi pro Ordinis ſui gradu atque reverentiâ, in cuſtodiâ, benignè decentérque haberetur. In eâ ſuperſtes fuit annos quinque, menſes duos, dies aliquot, ac tandem Anno M.DC.XVII. die XVI. Januarij, raro inſignique pietatis exemplo relicto, vitam finijt, Princeps erga miſeros liberalitate prorſus ſingulari.

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS III.

An. Christ. M. DC. XII.

LIBER III.

Bellorum Civilium in Germaniâ & Bohemiâ initia.

Mors Rudolphi Imperatoris. I.

QUÆ recenſuimus, non tam populorum cladibus, partiſque de hoſte trophæis, quàm bellorum imagine ſunt memorabilia. Struebantur tamen jam initia cauſſæque magnorum in Imperio motuum, qui læti aut atroces partibus in iras civiles euntibus, pro temporum rerúmque mutatione fuerunt. Rudolphi II. Imperatoris è vitâ exceſſus Annum M.DC.XII. ineuntem 13. Cal. Febr. pullâ veſte induit. Vixit annos LIX. Imperavit XXXV. Paulò antè Margarita Auſtriaca Hiſpaniarum Regina mortalitatem exuerat. Rudolpho fatis functo, Matthias Hungariæ & Bohemiæ Rex ejusce germanus poſtrid. Id. Junij, omnium Septemvirûm (excepto Brandeburgico) ſuffragijs, Francofurti Cæſar renunciatus, ſuſcepit Imperij inſignia. Nihil ipſi prius fuit Senatûs Francofurtenſis cum plebe, à quâ diffidebat, reconciliatione. Secundum hanc Judæorum uſuris modum conſtituit, ſevero edicto Coloniæ Agrippinæ adverſus Mulheimenſem munitionem proſpexit, indixítque in annum proximum Ratiſbonenſia Comitia, quibus ipſe præfuit.

Inauguratio Matthiæ Imp. An. Christ. M. DC. XIII. In Comitiis Ratisbonensibus Correspondentes res novas moliuntur. II.

In his Correſpondentes de noxis perrexerunt, more ſuo, conqueri, poſcere nonnullam Aureæ Bullæ mutationem, abrogare velle plurium votorum auctoritatem, inducere novam juris reddendi rationem; verbo, repetere antiquas querimonias, nec quicquam priùs velle, quàm his eſſet abunde ſatisfactum. Catholici longè plura conqueſti de Acatholicis. Hinc moleſtæ juxtà ac publico noxiæ comperendinationes. Inter has nunciatur grande periculum Pannoniæ impendere à Turcis. Metum augebat defectio Gabrielis Betlemij Tranſylvaniæ Reguli, qui ſe Ottomannicæ clientelæ ſubdiderat. Quamobrem Cæſar ab Imperij Ordinibus poſtulat communi omnium ſaluti neceſſaria ſubſidia. Negant Correſpondentes, ſe quicquam ejusce generis, niſi votorum factos compotes, eſſe præſtituros. Addixêre Catholici tricenariam expeditionis Romanæ (ut vocant) menſium collectam, & poſt varias altercationes, in ſua vota traxêre Acatholicos. Atque hic Comitiorum finis & pretium.

Catholicorum querelæ. Defectio Battorii ad Turcam. Correspondentes Cæsari negant petita subsidia. Addicunt Catholici.

Non

Non obſcuræ interea Septemvirum Brandeburgicum inter & Ducem Neoburgicum exercebantur diſſenſiones, ex quibus ſimultates, atque odia. Orta hæc præcipuè ex ſacrorum ſtudio. Res erat tum de amovendis præſertim Sacerdotibus Romanæ fidei, qui jure ſuo Parœcias curabant. His Brandeburgicus volebat ex Calvini ſectâ, Neoburgicus ex ſcholâ Lutheri præcones ſurrogare: hæc rixarum, vulnerum, cædium materia, ſi quem paſtore deſtitutum gregem contentioſi competitores pugnaciter invadebant. DISCORDIA BRANDEBURGICI ET NEOBURGICI. CAUSÆ COMPLURES.

Sed & erat aliud, neque ex vano, quod etſi nondum venerat in apertum, tamen clàm Brandeburgici iras ſtimulabat. Suſpicioni addebat faces acre atque indefeſſum in exquirendâ veræ fidei luce Ducis Neoburgici ingenium, præſtánſque ad pietatem inclinatio. Et verò etiam pronior videbatur, quàm permulti alij, ad capeſſenda Cæſaris imperia. Atque hæc quidem minutiora. Summum erat, quòd quamvis ſecretò, paucíſque admodum conſcijs, de Catholicâ religione ageret, tamen ejus animum prodebant aliquæ promicantis fidei ſcintillæ. Secundum erat, quòd ambiret Magdalenæ Bavaricæ, Maximiliani ſororis connubium; cujus rei Cæſar credebatur eſſe conſcius, unáque cum Bavaro Neoburgici cauſæ ſolito impenſiùs ſtudere. Dubium propè omne abſterſerunt nuptiæ cum Magdalenâ Principe lectiſſimâ Monachij hoc anno, ineunte Novembri, magno ſplendore celebratæ, diſſimulatâ tamen palàm Neoburgici religione. Quare Brandeburgicus Elector nihil cunctatus, fœdus icit cum Belgij fœderatis Ordinibus, atque eorum auxilio, cùm Neoburgicus, Magdalenâ conjuge domi relictâ, Leodium eſſet profectus, ductore Schwengelio Duſſeldorpium intempeſtæ noctis ſilentio improviſus aggreditur, loco haud dubiè potiturus, niſi cives, fidei in Dominum memores, à mœnibus nocturnos invaſores depuliſſent. III. NUPTIÆ NEOBURGICI CUM MAGDALENA BAVARA. BRANDEBURGICUS DUSSELDORPIUM VI TENTAT.

Tandem, cùm Brandeburgicus, deſerto Luthero, ſuas ditiones Calvino tranſcriberet, non ſine ſubjectorum offenſione, qui eam ob rem Perlini fuerunt tumultuati; Neoburgicus detractâ larvâ, vulgatis ſuæ converſionis rationibus, Duſſeldorpij, Majorum ſuorum fidem magnâ cum celebritate eſt profeſſus. Idem, paulò pòſt, Philippo Ludovico parente defuncto, in Ducatum Neoburgicum ſacra Romana poſtliminio reduxit. NEOBURGICUS PUBLICE EDIT FIDEI CATHOLICÆ PROFESSIONEM.

Jam Heilbrunnæ Correſpondentes de ſuis rebus Comitium habuerant, cùm An. M.DC.XV. Norimbergam rurſus convenêre, præſentibus Franciæ, Angliæ, Daniæ, & Batavorum Legatis. IV. COMITIUM HAILBRUNNENSE CORRESPONDENTIUM, ET NORINBERGENSE.

An. M.DC.XVII. qui Lutherano nomini ſæcularis fuit, denuo coivêre Hailbrunnam, ubi fœdera ſuperiorum temporum confirmârunt, & nova cum exteris inierunt. Quâ ex re cùm Cæſar flammam magnorum bellorum erupturam proſpiceret, eos litteris gravibúſque rationibus ad hujuſmodi pacta diſſolvenda eſt cohortatus. Illi contrà negârunt, ſe ab inito fœdere diſceſſuros, tametſi Catholici factam nuper unionem diſſolverent. His enim, præſertim Eccleſiaſticis, Romæ Principem capútque ſocialis amicitiæ ſupereſſe, ſi vel alia omnia fœdera abrumpant; ſibi verò, ſi ſua dirimant, neminem eſſe reliquum, cujus curis atque vigilijs cauſæ ſuæ defenſionem committant, hoc ipſo prodentes, quid de Cæſaris communi in omnes Imperij Ordines affectu ſentirent. Multa deinde addiderunt, inolito jam quiritandi inſtituto, de Donawerdâ nondum reſtitutâ, quam nôrant tamen ex normâ legum Imperij, & Rudolphi Cæſaris ſententiâ, reſtitui non debere, antequam ſumptus ipſius causâ factos, ipſa civitas, vel aliùs quiſpiam refudiſſet. Adjecêre veteres querimonias, poſtulârunt totiès exinde jactatum, inter partes religionis causâ diſſidentes, æquilibrium, nomen quidem ſpecioſum, ſed quod re ipsâ juſtitiæ libellam, more novo, in quam ipſi lancem vellent, inclinaret aut ſuſpenderet. Ex his atque ſimilibus, non difficile erat augurari, eos Martem potiùs ſpectare, quàm artem quietè Cæſaris voluntati obſequendi, quæ manifeſta erant argumenta futuræ ſeceſſionis & civilis diſcordiæ, ex quâ internecinum bellum naſceretur. Non fefellit lævum iſtud augurium. Erupit in Bohemiâ incendium, quod mox in Auſtriam, Moraviam, Sileſiam, Luſatiam propaga- AN. M. DC. XVII. HAILBRUNNENSE. NEGANT SE A FŒDERE DISCESSUROS. MULTA QUERUNTUR. V.

pagatum, ſimul traxit in partes Europæos Reges, Imperij Principes, præſertim Maximilianum Bavariæ Ducem, Civitates liberas, Respublicas, Europam propè univerſam. Adolevêre innumera mala iſtis initijs.

ORTVS BELLI BOHEMICI.

Matthiam Imperatorem ſolicitudo inceſſerat, prævertendi, quas animo proſpiciebat, graves Imperij tempeſtates, ſi ipſe, nullo ſucceſſore delecto, diem clauderet. Curas intendebat ſenium & parùm firma valetudo. Ex Maximiliani II. Imp. ſtirpe maſculâ erant adhuc in vivis tres legitimi Principes, quorum ſummus, Cæſar ipſe; proximus, Maximilianus Archidux, Ordinis Teutonici Supremus Magiſter; tertius, Albertus Archidux, Belgij Princeps. Sed hi omnes devexâ jam ætate, & ſpe prolis orbati. Supererant ex Ferdinandi I. Imperatoris poſteris, Caroli Archiducis filij, intérque hos Ferdinandus Archidux, in quem Matthias Imp. inclinabat, ſi Maximilianus & Albertus aſſentirent. Lubens volens aſſenſit uterque, nec diſſenſit Philippus III. Hiſpaniarum Rex Caroli V. Imp. Nepos. Horum omnium voluntate, Auſtriacæ ditiones ac jura, certis pactionibus, in Ferdinandum collata; ipſe verò à Matthia Cæſare fuit in filium cooptatus. Actum deinde de coronis Hungariæ & Bohemiæ.

FERDINANDUS ARCHIDUX A MATTHIA CÆSARE ADOPTATVR.

CORONATUR HUNGARIÆ REX.

VI.

Bohemici Ordines, menſe Majo, Anno M. DC. XVII. à Matthiâ Pragam vocati, paucis quibusdam primùm refragantibus, pòſt verò ſilentio probantibus, majore ſuffragiorum numero Ferdinandum Archiducem legunt Regni ſucceſſorem, ornántque auguralibus Regum inſignibus, magno plauſu & celebritate.

Cæſar poſt hæc, rebus Pragæ rite conſtitutis, Prorege relicto, Viennam, indéque in Hungariam, auditâ Saxoniæ Septemviri de Ferdinando ad Imperium deligendo ſententiâ, proficiſcitur. Reddebant hæc Fridericum Comitem Electorem Palatinum vehementer ſolicitum, ne qua Correſpondentium partibus, per eam ſucceſſionem, quæ in Principem apprimè pium, ínque paucis Catholicum, videbatur inclinare, labes inferretur. Quare omnem movet lapidem apud Moguntinum, & Brandeburgicum Electores, quo eos à Ferdinandi electione reddat alienos, præferátque Maximilianum Ducem Bavariæ. Conſilium erat ſpéſque, Maximilianum à Domo Auſtriacâ divellendi, & conciliandi Correſpondentibus, ſi eorum ope ad faſtigium Imperij proveheretur. Nec latebat, ſi id ex voto eveniret, fore, ut Maximilianus ad ſuſtinendam Imperij Majeſtatem, adverſus Auſtriacorum invidiam, Acatholicorum ſubſidio plurimùm indigeret, cogeretúrque idcirco ipſis multa tribuere, quæ à potentiore expectari non poſſent.

FRIDERICUS ELECTOR PALATINUS ADVERSATUR.

AGIT PRO MAXIMILIANO BAVARO.

VII.

Eam obrem, vertente jam hieme, per amicitiæ ſpeciem Monachium Fridericus ad Maximilianum contendit, excipitúrque perhonorificè. Ubi palmariam adventûs ſui cauſam aperuit, Maximilianus, pro rarâ ſuâ modeſtiâ & ſapientiâ gratijs actis, oſtendit, ſe ad propoſitam dignitatem nullo pacto aſpirare: ſuprema Imperatorum Regúmque ſubſellia, non aliâ ſibi ſpecie obverſari, quàm multorum caſibus inſignita præcipitia: diademata revera eſſe curarum periculorúmque aculeis conferta redimicula, ſceptra notas eſſe dominationis quidem, ſed eſſe quoque indices ſplendidæ ſervitutis. Enimvero quid hodie ſit in Imperio, quod magnopere alliciat ſapientem? Unum quidem debere eſſe in Orbe Solem, perinde atque unum in Imperio Romano Imperatorem: ſed ſi Ordines Imperij in factiones diviſi pergant inter ſe, & adverſus ipſum Cæſarem, uti avorum memoriâ cœpêre, committi, quid tandem futurum ſit ſuper, præter magnum nomen Imperij, inter meras diſcordias & ſubjectarum gentium dimicationes? Non enim regnare eum, qui regnet precariò, qui ſubjectos, niſi nomine tenus, non habeat, quíve ſubjectorum nutus pro legibus cogatur accipere. Difficile olim fuiſſe & futurum ſemper, populorum tametſi obſequentium & quietorum frenos moderari; quid hodie, quando inquieta pleraque, & turbis quàm obſequio propiora? Per Religionum diſſidia tolli obſequendi integritatem, quæ, ubi irrepſit in ſubditos, ob diverſam adverſus Monarchas ſentiendi & agendi formam, non poſſit conſervari. Jungendas eſſe non pro Focis tantùm, ſed etiam pro Aris amicitiam, & pro ſacrorum cultu inprimis eſſe conſpirandum: id niſi fiat, ſemper manſura ſemina diſcordiarum, odiorum, bello-

VENIT MONACHIUM.

SUAM MENTEM MAXIMILIANO APERIT.

MAXIMILIANVS RECUSAT IMPERII FASCES.

EIUSCE RATIONES REDDIT.

IIX.

bellorum, rebellionum; donec diviſum regnum deſoletur. Sed eſto nihil horum eſſet, non eſſe tamen cur Maximilianus Domum Auſtriacam velit inimicam habere. Obductam eſſe veteris æmulationis cicatricem, quam nefas ſit, ſimili propè de causâ, quâ olim incuſſa vulnera, renovare. Domum Boicam aliàs maximis opibus, multis clientelis florentem, & totius propè Germaniæ præſidijs ſeptam, vix fuiſſe parem bellis Auſtriacis; quid hoc tempore futurum, ſi collidatur cum tot coronis & potentiâ longè quàm olim formidabiliore? Hoc videri longè præſtabilius, ut omnes ſuâ ſorte contenti, redeant ad avitam Religionis unionem, ſinántque fata, ordine divino, & ex humanarum ſanctionum præſcripto, ſceptra & diademata diſpertiri. Atque is quidem iſtius congreſſus exitus fuit.

Cæterùm memorant Annales, Fridericum Electorem, cùm nondum acquieſceret, de Daniæ Rege ad Imperij faſces vocando, de Mauritio item Auriaco, & tandem de Sabaudiæ Duce ſeriò cogitaſſe. Nec mirum; inducebatur enim Princeps adhuc juvenis & inexpertus, in ejusmodi conſilia à malis conſultoribus, quorum ſuaſu ſuam fortunam denique evertit. Hæc Cæſarem non latebant; qui ut Ferdinandum contrà magis magíſque firmaret, indictis Hungariæ Comitijs, cum Regni Ordinibus, Poſonij, egit de ſucceſſore Rege eligendo. Hîc non defuere ſuis partibus Acatholici. Cauſabantur eſſe periculum, ne Ferdinandus Regni privilegia varijs interpretationibus minueret, ne Ordines obtentu belli Turcici, externo milite premeret; certè non videri eum Hungaris Acatholicis, quàm Styris, quos nuper reformaverat, fore mitiorem. His atque alijs id generis commentis, adverſus Ferdinandum odiorum faces jactabantur in vulgus. Et erat perincommodum, quòd adverſa valetudo, Bohemicæ curæ, réſque cum Venetis componendæ, Cæſarem Viennæ retinebant, nec patiebantur Hungariæ Comitijs intereſſe, quibus tamen intererant Maximilianus Frater, & Ferdinandus Nepos: ſed nihilominus plurimum authoritatis Comitijs & Cæſaris voluntati, videbatur detractura abſentia Regiæ Majeſtatis, quæ alioquin apud probos fidem & obſequium, apud improbos metum ſaltem & reverentiam eſſet habitura. Cùm res eſſet in ancipiti, viſum tamen eſt Cæſaris mentem Ordinibus explicare, qui opinione longè ſe æquiores præſtitere. Etenim poſt accuratam deliberationem ivere in Cæſaris ſententiam, & Cal. Junij Ferdinando Bohemiæ Regi, Hungarici Regni diàdema cum inſigni Ordinum omnium gratulatione impoſuere.

Fridericus Elector alios destinat ad Imperium. IX. An. M. DC. XVIII. *Ferdinandus fit Hungariæ Rex.*

Hæc cùm gererentur in Hungariâ, Fridericus Elector Palatinus cum Philippo Chriſtophoro Spirenſi Epiſcopo, de munitione Udenheimenſi (quam deinde à Philippo Conditore Philippopolim dixere) diruendâ, certabat. Et diruit ille quidem jam affectam, ſed vicit deinde Cæſaris ſententia, ut Fridericus, eam dari perfectam pateretur.

Fridericus diruit Vdenheimii Munimentum.

Sub hæc tempora Maximilianus Bavariæ Dux ſuæ ditioni Mindelheimenſem Dynaſtiam adjunxit. De eâ diuturna lis, magnâ contentione agitata fuerat inter Fuggeros, uxorio nomine, Comitis Schwartzenbergij hæredes, & Maxelrainios. Videbatur controverſia ſpectare venalem immortalitatem, cùm Maxelrainius Fuggerorum opibus, non cauſæ bonitate inferior, tandémque impos litis apud Cæſarem perſequendæ, jus ſuum omne in Maximilianum transſcripſit. Diſceptata fuit ea transſcriptio, quòd facta eſſet in potentiorem; ſed Maxelrainij impotentia, viſa juſta cauſa transſcribendi. Hærebat nihilominus aqua, nec quicquam quod ad rem eſſet, poterat à Cæſareis judicibus impetrari. Remoram faciebant Fuggeri opes, quibus Maximilianus ab adeundâ partis ſibi addictæ poſſeſſione, prohibebatur. Igitur tot comperendinationum pertæſus, vim aliquam oſtentat Fuggero, quaſi poſſeſſionem invaſurus, niſi eam Fuggerus adiri patiatur. Paſſus eſt, & tandem An. M. DC. XVIII. præſentaneo, eóque grandi admodum ære, ſuam quoque partem volens lubens ceſſit Maximiliano, cui deinde Imperator clientelarem totius dynaſtiæ jurisdictionem mancipavit.

X. *Mindelheimium a Maximiliano emitur.*

Dedit hoc anno varios ſermones Melchioris Cleſelij S. R. E. Cardinalis captivitas. Erat is conſcius & præcipuus Miniſter Cæſaris. Ex infimâ ſorte, rara

Cardinalis Cleselius a Cæ-

 ingenij

saris Aula et negotiis submovetur.

ingenij felicitas & in rebus agendis induſtria, ad tantas eum dignitates extulerat. Impetraverant à Summo Pontifice Rex Ferdinandus ac Maximilianus Archidux, ut Cardinalē à Cæſaris Aulâ dimotum, tantiſper liceret attinere, donec ſua Sanctitas rationibus utrinque auditis, quid porrò eſſet agendum, decerneret.

XI.

Accuſationis capita erant, publico noxiæ molitiones, maximè quòd inter Auſtriacos Principes diſſenſionum & ſimultatum ſemina jacere tentaviſſet. Datus itaque in honeſtam cuſtodiam, citatis itineribus in Stiriam deportatus, & pro ſacri Ordinis obſervantiâ bene liberalitérque habitus, Romam deinde evocatus, ſuiſque ſacerdotijs atque dignitati relictus, reverſus in patriam, obijt. Certè documento fuit, alienorum ſceptrorum munia à ſacris hominibus, rarò, citra diſcrimen noxámve tractari, nec deeſſe unquam, qui iniquis oculis eos extra ſuas oleas ſaltantes adſpiciant. Cæſar, ubi Cardinalem abductum reſcijt, ſenſit quidem, factum id eſſe ſe inſciò, ſed poſteaquam cauſas intellexit, non eſt viſus factum improbare. Ferdinandi Regis æmuli perperam rem ſunt interpretati. Promiſerat ante Bohemicam inaugurationem, vivo Matthiâ, nullam Dominatûs partem attingere; quare criminabantur eum, promiſſi fidem in prehendendo Cardinale violâſſe; ſed Pontificis Max. auctoritate, non Cæſareâ aut Regiâ id factum probavêre Sapientes.

XII. Bohemi Acatholici conſpirant.

Sub hæc Bohemi Acatholici atroci tragœdiæ daturi initia, capita inter ſe Pragæ contulerunt. Conſpirationis authores præcipui fuêre, non ij qui ſolo ſacræ Synaxis modo à Romanis ritibus diverſi, cæteris dogmatibus circiter aſſentientes, poſt longam bellorum ſeriem Calicis uſum obtinuerant; ſed adventitia Lutheranorum, Calvinianorum, Picarditarum, Zwinglianorum ſoboles, quæ paſſim per Bohemiam pullulaverat.

Occasio conspirationis.

Occaſio conſpirandi in Regem hinc accepta. Rudolphus Imperator cùm An. M. DC. IX. à Matthiâ fratre valido exercitu Pragæ circumſeſſus periclitaretur, pro eo ac poterat, Bohemos vocavit in auxilium : Rex fraterno bello petitus, ſubditos; Dominus oppreſſus, Clientes. Annuebant Catholici, repugnabant Acatholici, niſi Rudolphus ſæpius petita, & adhucdum negata privilegia Sectis indulgeret. Cùm cunctantiùs deliberaret, nihil fuit propius, quàm ut ab Acatholicis dereretur. Quare his preſſus anguſtijs, Regio diplomate, quod litteras Majeſtatis vocârunt, inter cætera conceſſit Acatholicis, ut ijs fas eſſet nova templa extruere.

Impetrantur litteræ Maiestatis.

XIII. Brunovienses Acatholici templum extruunt in Ecclesiæ fundo. Iubentur a Rege opus intermittere. Vetant Defensores Acatholici.

Ex malignâ hujuſce legis interpretatione, Brunovienſes fani ædificandi cupido inceſſit. Sed ſolum deerat, niſi ædificarent in alieno. Invadunt itaque fundum Eccleſiaſticum reclamante Domino. Is erat Brunovienſis Aſceterij Antiſtes, Oppidi & annexorum proprietarius. Ipſe quamprimùm fabricatoribus objicit novi operis nunciationem, vetátque ultrà progredi. Tum injuriam defert ad Regem Matthiam, qui comperto per Provinciæ Prætorem, quid rei ageretur, diem jubet dici Brunovienſibus, & ſuperſedere interim inchoatæ molitioni. Haud dubium, Regi debebant morem gerere, & fors geſſiſſent, niſi Defenſorum Pragenſium (erant hi acceptorum privilegiorum permiſſi à Rudolpho Conſervatores) niſi, inquam, horum interceſſiſſet auctoritas. Mandârunt enim Brunovienſibus, ut ſúſque déque habito Regis decreto, cœptum ædificium ducerent ad faſtigium; & ſe quidem, ſi quid inde querelarum aut periculi, abundè proſpecturos. Matthias Imp. quò maturiùs cauſæ momenta expenderet, rem diſtulit ad Annum M. DC. XVI. quando in arce Brandiſina ad examen vocari juſſit litteras Rudolphinas Regiæ Majeſtatis, circa conceſſam Acatholicis licentiam fanorum extruendorum. Aderant examini ex profeſſo vocati, Henricus Matthæus Turrianus Carlſtadij Gubernator, & Regiæ Coronæ Cuſtos: Udalricus Gerſtorfius Regiæ Curiæ Procurator, & tertius aliquis è numero Civium, ijque præcipui Diplomatis Regij & Acatholicorum rituum cum poteſtate aſſertores.

Cæsar contra Acatholicos pronuntiat.

Re autem probè ex præſtantiſſimorum interpretum ſententiâ, in utramque partem libratâ, pronuntiavit Rex, nullum apparere argumentum, permiſſæ Utraquiſtis in Eccleſiaſtici Dominij fundis, pro ſuo arbitrio templa excitandi poteſtatis, invito Eccleſiaſtico

XIV.

ſtico Dominatu: quicquid igitur Rudolphus de Regio fundo ſtatuiſſet, id ratum eſſe oportere, ſed nequaquam eſſe ſentiendum, Principem juſti retinentem, voluiſſe Eccleſiarum jura violare: quapropter abſtinerent à cauſæ tam profligatæ patrocinio Defenſores.

Similem Ædis conſtruendæ licentiam, ſibi ſumpſerant Clauſtrograbienſes, Pragenſis Archiepiſcopi ditioni ſubjecti, ſed conſilio longè ſaniore: cùm enim Cæſarem factum improbare ſenſiſſent, cœptum opus ab Archiepiſcopo funditùs everti, pacatè paſſi ſunt. Neutiquam verò quievêre Defenſores. Vetat antiquum Regni inſtitutum, niſi certis legibus & definito numero cœtus cogi. Illi nihilo ſeciùs Ordinem Eccleſiaſticum univerſum, atque unà Catholicos Pragæ in Collegio Carolino, pro poteſtate jubent adeſſe. Statuerant Regium adverſus Brunovienſes decretum convellere, quaſi Matthias Rudolphi mentem non eſſet aſſecutus: hunc enim feciſſe Utraquiſtis ſacrorum ædificiorum in univerſo Regno, nullis finibus limitatam poteſtatem; non excepiſſe Eccleſiaſticorum Dominia, quorum oppida, caſtella, pagi, villæ, agri, latifundia omnia pertineant ad quæſturæ Regiæ dominatum: de his igitur Rudolpho, regiâ poteſtate, ſtatuere licuiſſe. Sed qui Regi adſtipulabantur, ita ratiocinabantur: Regis eſſe, privilegia à ſe vel præceſſoribus conceſſa, ubi forent dubia, explicare: eum non egêre alienis interpretibus: Poſſeſſionum Eccleſiaſticarum patrocinium atque defenſionem, perinde atque patrimonij Regij, ad Regem quidem, ſed proprietatem uſúmque ad ſacrum Ordinem, pertinere, nihil proinde de his à Rudolpho fuiſſe conſtitutum, aut jure potuiſſe conſtitui. Ea propter Rex de Defenſorum molitione factus certior, jubet Brunovienſes recens fanum occludere, ejúſque claves in Regiâ Cancellariâ deponere: illi contrà, Defenſorum judicium ſecuti, regium Decretum negligere, templum aperire, claves retinere. Quamobrem, ne tam enormis Majeſtatis contemptus illis impune eſſet, contumaciæ anteſignani dati in cuſtodiam. Atque is quidem fuit Carolini Comitij exitus.

Clauſtrograbienſium novum templum diruitur.

Conventus Defenſorum Pragæ.

XV.

Templum Brunovienſe recens ædificatum a Sectariis jubetur claudi. Recuſant, authores dantur in cuſtodiam.

Alterum Comitium habuêre Defenſores menſe Majo, magno numero. Conveniendi cauſam ſumpsêre ex Clauſtrograbienſium obtemperatione. Grandes in Conventu jactatæ adverſus edicta regia expoſtulationes: nimirum iſtiuſmodi exemplis, litteras Majeſtatis unicum Religionis præſidium, abrogatâ ſacrorum libertate, in pravos ſenſus detorqueri: conſulendum in medium, de rationibus conſervandæ immunitatis: eam ſi judicijs non poſſit, armis eſſe protegendam. Et jam tum defenſores conjurati bellum inter ſe ante Comitium decreverant.

Defenſores rurſus conſpirant.

Fieri non potuit quin tam inſolens protervitas vehementer offenderet Imperatoris animum, ſecum reputantis, graviter lædi Regiam authoritatem, & pedetentim ex talibus principijs muniri viam ad longè funeſtiſſima. Dedit eapropter ad Bohemiæ Ordines litteras in hanc ſententiam: In Regno conventus actos eſſe cum legum & Regiæ Majeſtatis injuriâ, adverſus ea quæ Clauſtrograbij geſta eſſent ab Archipræſule Pragenſi. Jactatas eſſe quiritationes de pœnâ, quam ipſe de Brunovienſibus ſumi jure merito juſſiſſet. Acatholicos extra Cæſarei Diplomatis & pactorum cum Catholicis initorum cancellos, longè eſſe egreſſos. Nefas ipſis fuiſſe, manifeſtæ contumaciæ pro ſubditis adverſus Regem ſuſcipere patrocinium, atque illos in pertinaciâ confirmare. Sparſum eſſe ab iſtis Conciliabulis in vulgus, agi de abrogandis litteris Majeſtatis, atque ad eam rem militem externum in Bohemiam parari. Iſtiuſmodi calumnijs imponi ſimplicitati populari, invidioſè traduci nomen Regium, concitari ſeditiones, comparari initia ingentium calamitatum. Regem, ne ſuis deſit partibus, debere in authores inquirere, & ſingulos habere pro merito. Abſtineant proinde ab iſtis coitionibus, ad uſque Regis propediem adfuturi adventum, aut aliam declarationem regiæ voluntatis, ſeſéque Brunovienſium, aliorúmve ſubditorum rebus ne immiſceant, aut in Regno ſerant diſſenſiones. Porrò monendos eſſe Bohemos, ne Conventiculis interſint, ſi quæ rurſus contingat à Defenſoribus, aliiſve injuſſu Regis indici. Experturos illos, qui conſtanti in Regem fide hactenus ea devitâſſent, quàm grata ac laudabilis ſit iſta teſtificatio probitatis. Paruere

Rex confirmat ſuam ſententiam adverſus Defenſores.

XVI.

XVII. Regio decreto morem gerunt Catholici, pauci alii: obsistunt Defensores. Fit coitio Acatholicorum.

Paruere ſtudioſè, qui nondum obſequium & obſervantiam in Regem exuerant. Sed Acatholici, præſertim Directores, quos invaſerat novarum rerum ſtudium, Regis imperium inſuper habuerunt. Quamobrem ſub exeuntem Majum juſsêre per ſingula templa, pro concione certis verbis conceptam exhortationem per Prædicantes recitari. Ejus argumentum erat, ut populus Evangelij tuendi curam seriò ſuſciperet, Deúmque futuris Comitijs propitium redderet.

Magnus poſtridie factus eſt ad Carolinum Collegium, Utraquiſtarum concurſus. Eodem convenêre ex Regni Proceribus, & tergeminis Pragæ partibus, quamplurimi. Bohemicò ſermone ad cœtum dixit è Bohemis Præconibus unus; ſecuta eſt pſalmodia. Tandem itum in conſultationem, de rationibus protegendi novi Evangelij inſtituta, ſervandi templa non Pragæ modò, ſed per Bohemiam univerſam, ne adverſariorum manu evertantur. Incenſi vehementer plerorumque animi ad audaciam, & quemcunque caſum fors eſſet latura.

XIIX. Secuta eſt exinde fatalis dies 10. Cal. Iun. Ad arcem Pragenſem, ſub horam decimam ante meridiem, vecti ſunt frequentes Vtraquiſtarum Dynaſtæ, ſtipati ſingulis famulis, inſtructi binis ſclopis manuarijs. Concurrerat unà plebis promiſcua multitudo. Auditæ eorum querelæ perbenignè à Regni Vicarijs: Guilielmus Slabata ſupremus Prætor, & Iaroslaus Borſita Martinizius Carlſtadij Burggravius, pauca pro Cæſare reſponderunt. Hinc furor & inſana crudelitas. Vicarij, utpote viſi Conjuratis ex ſilentio leniores, ſeorſim abducti. Slabata & Martinizius per longum conclave raptati, cum Philippo Fabritio Cæſaris Conſiliario, & in Regno Bohemiæ Secretario, tanquam Evangelicæ libertatis & privilegiorum hoſtes, ex Arcis feneſtrâ velut è Tarpeio ſaxo in ſubjectum vallum, per ſpatium, ut minimum quadragenûm quinûm pedum (ſcribunt alij quinquaginta cubitos) præcipitant. Datum ſingulari divinæ protectionis beneficio, omnes vitâ incolumi evaſiſſe. Certè tanta fuit præcipitij altitudo, ut mirum ſit non eſſe diffractos, ſed conſervatos ex præcipitio, atq; inter frequentes jaculantium pilas, quarum unâ Martinizius leviter ſecundùm brachium fuit perſtrictus. Fama hujuſce facinoris per trifariam urbem vulgata, cives magnopere turbavit. Et jam armabantur Catholici ad vindictam acceptæ injuriæ, Acatholici ad ſceleris defenſionem, réſque in eo erat, ut cruentam ſeditionem ſpectare videretur. Eo periculo perculſus Henricus Matthæus Comes Turrianus factioſorum Princeps, mox ex arce per urbis compita decurrere, demulcere iratos, jubere à vi mutuâ abſtinere, temperare à rapinis & ſacrorum hominum violatione, non moveri reorum ſupplicio, quòd ſcilicet Reipub. & Evangelij hoſtes, infrà quàm erant meriti, præcipitio, majorum more luiſſent. Nihil ultrà eſſe publici diſcriminis, domum quiſque ſe reciperet, & quietè res ſuas curaret.

Tres Viri præcipitantur e feneſtra.

Hinc motus in Civitate.

XIX.

Componuntur Cives.

Quod reliquum eſſet, Ordines factum Cæſari facilè probaturos. Ita tum quidem populus ad tranquillitatem compoſitus. Cæterùm ſupremus Burggravius intra proprios lares habitus eſt in cuſtodiâ. Ne verò obſcura eſſet rebellio, Conjurati Arcis miniſtros, unáque Præfectum ſacramento in ſua verba adegerunt, cuſtodes item portarum, univerſóſque cives. Dedêre poſt hæc quotidianis conſultationibus operam, in Provinciali cœnaculo, adhibitis ad ſui ſecuritatem octogenis ſclopetarijs, qui pro foribus excubarent. Inter ſe pepigêre fœdus adverſus ſuæ religionis, & Rudolphini Diplomatis adverſarios, & habitis delectibus, exercitum ſub ſua ſigna coëgerunt. Multi præterea miniſtrorum regiorum, conjecti in vincula, ſpoliati fortunis, & gravi ære multati. Super hæc occupârunt arcem Caroloſteiniam, ubi Regium diadema, theſaurus, privilegia Regni ſolebant aſſervari. Arcis Præfectum dejecerunt officio, averterunt in alienos uſus cenſus Regis, graves collectas indixerunt provincijs: ſubjectos, qui in Regis fide perſtabant, ad eam exuendam, quà minis, quà vexationibus adegerunt. Auſi ſunt apologiâ in lucem editâ, litteríſque ad Cæſarem datis, facti ſui rationem reddere. Cæterùm cùm futuræ tempeſtatis ſatis eſſent præſcij,

Rebellant conjurati.

Novum fœdus ſanciunt, arma comparant.

XX.

Edunt Apologiam.

præſcij, confeſtim miſerunt Legatos ad fœderatos Germaniæ Principes, ad Sileſios, Moravos, Luſatios, qui rogarent auxilia, & imminentis belli conſociationem. Is, qui fuerat ad Hungaros deſtinatus, ex itinere retractus ad Cæſarem, in vinculis fuit Viennæ habitus. Jeſuitæ ex universâ Bohemiâ exturbati, inaniſſimo obtentu, quaſi privilegiorum abolendorum ſuaſores fuiſſent, & domi clàm magnum armorum apparatum ad opprimendos Regni Ordines feciſſent: quas calumnias Jeſuitæ extorres edito ſcripto egregiè refutârunt. CONQUIRUNT AUXILIA. IESVITAS PELLUNT.

Cæſar horum omnium factus certior, totus in eo erat, quo Bohemos ad officium revocaret. Eos ante omnia juſſit arma ponere, deinde, ne veniæ deſperatione ad extrema agerentur, non dubiam reſipiſcentibus fecit ſpem gratiæ impetrandæ. REX EOS CONATUR PACARE,

Verùm ſurdis canebatur, & erant in Imperio, qui ſtimulos adderent ſponte currentibus. Fridericus Elector Palatinus eorum cauſam Saxoniæ Septemviro, & Brandeburgico ſtudioſè commendavit, ſuaſitque, ut Conventui de Rege Romanorum cooptando intercederent. SED FRUSTRA.

Imperator ex huiuſmodi machinationibus futura proſpiciens, primùm quidem, ne exterorum acceſſione rebellio firmaretur, Imperij Septemviros de totâ re edocuit, deinde juſſit, quàm celerrimè fieri poſſet, conſcribi exercitum. IDEM CONSCRIBIT EXERCITVM.

XXI.

Talibus initijs ad cruentum bellum omnia parabantur. Bohemi, cùm extremis auxilijs ſuas copias augerent, cœpêre etiam de externo Principe, quem ad Regni gubernacula, Ferdinando repudiato, extollerent, conſilia agitare. Quâ de re Legatos misêre ad Saxoniæ Septemvirum, ad Electorem Palatinum: nec dubitârunt Carolo Emmanueli Allobrogum Duci quaſi venale diadema proponere pretio ſeſquimillionis aureorum, quater mille peditum, mille equitum, quos ſuis ſtipendijs lectos mitteret auxilio, aleretque ad triennium. BOHEMI AGVNT DE REGE ABDICANDO.

Hæc tametſi clàm haberentur, non potuêre tamen Cæſaris intentos in omnem partem oculos effugere. Et jam Budiviſio, quod Cæſari obſequebatur, rebelles obſidionem admoverunt, cùm ille geminum agmen eduxit: alterum demandavit Carolo Longovallio Comiti Bucquoio, alterum Henrico Duvallio Comiti Dampetrio. Hic, caſtris ad Novodomum poſitis, cùm à civibus oppidi deditionem fruſtra poſtulâſſet, inde movens, copias à Turriano Pilgramium miſſas, in via oppreſſas delevit, invaſitque Pilgramium. Non multò pòſt Gomizium, in quo magna annonæ copia, ſtratagemate occupatum, militi diripiendum permiſit: deinde Viennam profectus, volente Cæſare, ſoli Bucquojo exercitum reliquit. Hic nihil feriatus Teutobrodam in Moraviæ finibus ſubegit. Ne Pragam rectâ tenderet, prohibuêre ſuppetiæ miſſæ in urbem, quæ novis operibus à Bohemis muniebatur. Sed neque adhuc tantum habebat virium, ut crederet, ſe conſultò facturum, ſi hoſti longè valentiori ſui copiam faceret. Quamobrem militem prædâ onuſtum, Pilgramio relicto, recepit in Auſtriam. Novembri menſe motis inde caſtris, Novodomi oppugnatione fruſtra tentatâ, per vias admodum impeditas, incommodiſſimámque tempeſtatem, Budiviſium jam prætergreſſus, Bohemorum quatuordecim millia à tergo habuit, quos poſtremum agmen invadentes repreſſit, atque euſque eſt remoratus, donec traductis per ſylvarum ambages copijs, tandem in apertâ planitie aciem inſtruxit. Hìc magnis utrinque animis commiſſa pugna quinque horas tenuit. E Cæſarianis quadringenti occubuêre, capti ducenti, quos velut in triumpho Bohemi Pragam duxêre. E Bohemis pari propè numero deſiderati. Nocte intempeſtâ Bucquojus è campo diſcedens, relecto Budiviſium verſus itinere, paucis pòſt diebus Crumlovium, peropportunum in finibus Auſtriæ præſidium, in Cæſaris poteſtatem redegit. BOHEMI OBSIDENT BUDIVISIUM. CÆSAR MILITEM EDUCIT. INVADIT PILGRAMIVM. XXII. GOMIZIUM. BUCQUOIUS EXERCITVI PRÆFICITVR TEUTOBRODA CAPITVR. PUGNATVR. BUCQUOIUS CRUMLOVIUM OCCUPAT.

XXIII.

Fama paſſim, ſive Bohemorum, ſive aliorum arte, ad diſtrahendas Cæſaris vires, vulgaverat, Tranſylvanum Bethlemum Gaborem & Turcam, Directorum oratu arma comparâſſe adverſus Hungariam. Hac uſi occaſione Bohemi, cùm per litteras eum rumorem refutâſſent, Moravis ſuaſoribus, Cæſarem ſupplices rogâ- BOHEMI PACEM, ET SUORUM POSTV.

LATORUM CONCESSIONEM PETUNT A CÆSARE.

rogârunt, ut florentiſſimi Regni miſertus, ab eo vaſtando vellet ceſſare: reſpice-
ret vota Principum Electorum, qui hoc ipſum precarentur, & Regni poſtulatis
benignus annueret: Quæ ſi faceret, redderétque ſubjectos de cætero ſecuros,
fore, ut confeſtim ſuas ipſi copias dimitterent.

IUBENTUR ARMA PONERE.

Cæſar ad hæc: redirent ad officium, ſeſe ſuo Regi ſubmitterent, abſtine-
rent à Regni munijs, & omni adminiſtratione, arma, quæ primi ſumpſerant, pri-
mi ponerent (Regem enim cum armatis, ſalvâ Majeſtate, paciſci non poſſe) ubi
hæc effecta dederint, ſe abſque morâ, locum tractandæ paci nuncupaturum.

SED TRACTATIONEM PACIS FRUSTRATIONIBUS DIFFERUNT. ANIMANTUR A CORRESPONDENTIBUS.

Sed Bohemis pax cordi non erat. Quamobrem varijs uſi fruſtrationibus, mo-
dò cauſabantur, Pilſnam, quam Saxo tractationi deſtinabat, minimè eſſe oppor-
tunam, eò quòd tota Romanam religionem profiteretur: modò detrectabant
cauſam inermem incertis cônſiliorum eventis ſubjicere, atque decollare omnem
ſui defendendi libertatem; erant videlicet ipſis arma quiete potiora: & hos ſpiritus
adflabant Correſpondentes, veriti, ne ſi Cæſar cum illis rediret in gratiam, ſublato
bello Bohemico, in Imperio eſſet tantò expeditior, ſi quas ipſi turbas excitarent.
Eam ad rem Bohemis Erneſtum Comitem Mansfeldium cum aliquot armato-
rum millibus misêre ſuppetias, ſimul ex Rotenburgenſi Conventu, quo frequentes
XXIV. coiverant, ſcripto egêre apud Cæſarem, vellet motus Bohemicos, ubi primùm

QUI EORUM CAUSAM AGUNT APUD CÆSAREM.

fieri poſſet, pacare, lenitatem ſeveritati, benigniores conditiones aſperis ante-
ferre, exercitum è Bohemiæ finibus educere: fore alioquin, ut Ordines Imperij
opinentur, Suæ Majeſtati eſſe propoſitum, perinde Religionis tranquillitatem tur-
bare in Germaniâ, Evangelicos extirpare, atque abrogare in Bohemia litteras
Majeſtatis: quæ quidem cùm magnam alienationem in Imperio eſſent paritura,
tum in Ottomanicis audaciam ad invaſionem Hungariæ poſſent accendere.

BOHEMI TENTANT MAXIMILIANUM BAVARUM:

Bohemi, ne quid intentatum relinquerent, ſibi conati ſunt Maximilianum
Bavariæ Ducem, miſſo ad eum Legato, conciliare, quaſi laceſſiti injurijs ad belli
conſilia deſcendiſſent, cùm aliter Religionis ſuæ prærogativas nequiviſſent de-
fendere. Legatus potiſſimam culpam conijciebat in Jeſuitas velut authores
Evangelij opprimendi, ſimul excuſabat ſupplicium Triumvirûm, uſu & priſcâ
conſuetudine Bohemorum, qui in hujuſmodi reos præcipitio ſolerent animad-
XXV. vertere. Nollet proinde Maximilianus alio, quàm par eſſet, ſenſu, Jeſuitarum

EIUS RESPONSUM.

proſcriptionem, & Slabatæ, ſociorúmque pœnam interpretari, ſed omnes con-
tra Bohemos delectus in ſuis provincijs interdicere, & auxilia juſtæ cauſæ imper-
tiri. Tulit Legatus à Maximiliano reſponſum: vim Triumviris allatam, videri
nullâ prorſus ratione poſſe excuſari; dato enim (quod tamen nondum palàm eſ-
ſet) eos quicquam fuiſſe molitos contra litteras Majeſtatis, Regni decreta aut pa-
cta conventa Ordinum; tamen nihil ab Vtraquiſtis, causâ indictâ, & Cæſare in-
conſulto, in eos jure potuiſſe decerni, nedum tam atroci pœnâ tentari. Jeſuitas,
Regni conſenſu, à Ferdinando Imperatore fuiſſe in Bohemiam admiſſos, eóque
nefas videri, inauditos, contra jus omnium gentium, exterminari. Atque in
hunc quidem modum Legatus ſpei irritus ad ſuos revertit.

Cæterùm Maximilianus, alijque pro re Catholicâ fœderati, præſagientes
fieri vix poſſe, quin univerſum Imperium, iſtâ Bohemiæ tempeſtate tandem in-
volveretur (nam etiam tum Correſpondentes non contemnendum exercitum

NOVUM FŒDUS CATHOLICUM IN IMPERIO.

conſcripſerant) rebus ſuis tempeſtivè proſpiciendum eſſe ſunt arbitrati. Ergo
fœdus anno M. DC. IX. cœptum, inſtaurant, fœderi acceſſit Joannes Swicar-
dus Archiepiſcopus & Elector Moguntinus: delectibus habendis Maximilianum
præficiunt, decernúntque, quid ſingulis in commune ærarium eſſet conferendum,
& demum An. M. DC. XIX. menſis Decembris 14. die fœderis conditiones re-
ferunt in tabulas.

MANSFELDIUS PILSNAM OBSIDET.

Mansfeldius, quem dixi Bohemis copias auxiliares adduxiſſe, Pragæ ſupre-
mâ rei tormentariæ præfecturâ donatus, primum in hoc bello ſui experimentum
dedit ad Pilſnam. Eſt ea civitas naturâ loci & arte bene munita, quæ quia per-
ſtabat in fide Cæſaris, Bohemis viſa eſt multùm obfutura, ſi Cæſareo præſidio per-
XXVI. mitte-

mitteretur. Nam & tutum Germanicis copijs in Bohemiam ingreſſum præbebat, & Bohemicas excurſiones arcebat à Germaniâ. Acceſſerat quidem ad Rebellium partes ad initium inteſtinorum motuum, ſed mox ubi compererat agi de Religione Catholicâ, quam profitebantur cives, deque Cæſaris obſequio, ſeſe ſeditioſorum factioni ſubduxit. Nec dubium erat, quin Rebelles eam defectionem ulciſcerentur, ſi poſſent, & loci opportunitatem ad ſua commoda trahere conarentur. Quamobrem Pilsnenſes obſidionem veriti, Suburbia everterant, & æquârant ſolo, quæ in agro vicino obſidentibus fore commoda videbantur. Nihilo ſegniùs comportârant in Vrbem, quæ forent uſui diutinæ obſidioni. Mansfeldius nihilominus ratus ſe brevi expugnaturum, coronâ cinxit, cœpitque mœnibus vim adhibere. Verùm Bohemi rati eam obſidionem fore magnorum ſumptuum, & operæ longioris, quàm rei communi conveniret, Mansfeldium jubent, re infectâ, diſcedere. Diſceſſit ad tertium à Pilsna lapidem. Pilsnenſes ſoluti metu, & velut omni periculo perfuncti, præmaturo ardore, tum Mansfeldio inſultare, tum vicina agendis prædis vehementer infeſtare. Quæ res longam ipſis malorum Iliadem invexit: Mansfeldius enim iratum plenus, ad obſidionem, Bohemorum juſſu regreſſus, Pilsnam, quam olim Ziſca non potuit, brevi expugnatam ſub jugum miſit: quo tamen ejus uſibus eſſet aptior, à milite diripi non eſt paſſus. Cùm illa arctè premeretur, ſpéſque eſſet, ut propugnatorum virtute ſervaretur, Maximilianus Bavariæ Dux de civium, utpote apprimè Catholicorum ſalute ſolicitus, Bohemis ſcripſit in hanc ſententiam: Meminiſſent ſuarum litterarum, quibus addixerant, ſe Pilsnenſibus, ne obſidione quidem nocituros; nihil etenim eos peccaſſe, niſi fraudi eſſe debeat, quòd Cæſari velut legitimo Regi morem gerant, & Catholicæ Religionis ſint ſtudioſi. Quòd ſi eos pergant premere, non modò Cæſarem id iniquiſſimo animo laturum, ſed Catholicos etiam Principes, qui de Bohemiâ pacandâ & reconciliandâ ſint ſoliciti, ſic accepturos Pilsnenſium injuriam, ut Romanæ Religionis odio illatam ſint credituri. XXVII. Expugnat. Maximilianus pro Pilsna intercedit.

Sed Bohemi culpam omnem in Pilsnenſes rejecêre, cauſati, deſeruiſſe eos addictam Ordinibus amicitiam, conſcripſiſſe militem Ordinum nomine atque auſpicijs, exercuiſſe hoſtilia, adegiſſe ſubditos in ſua verba, latè in vicina terrorem, excurſiones, prædas circumtuliſſe, Mansfeldio cùm obſidionem abrupiſſet, illuſiſſe, aliáque deſignâſſe, quæ ſevera exempla mereantur, cùm mitiora nihil profuerint. Porrò nihil fieri religionis odio, quam Ordines Pragæ, totóque Regno privatim, atque publicè adhucdum intactam tolerâſſent. Iiſdem propè verbis ſe excusârunt apud Cæſarem ſimul profeſſi, ſe Pilsnæ obſidione, nullum ponere obicem, quo minùs Principes, qui tractandæ pacis id temporis partes in ſe ſuſceperant, ſuo officio fungerentur. Bohemi Pilsnenses accusant. XXIIX.

Sileſij interea, qui militem ſub ſigna cöegerant, jámque lætis Bohemorum ſucceſſibus fiebant audaciores, auſi fuerunt expoſtulare cum Cæſare, Bohemorum cauſæ apertè patrocinari, & liberam eorum exemplo religionis poteſtatem poſcere. Ea cùm differretur, Pilsnâ jam per Mansfeldium ſubactâ, mox ſuas copias ſociavêre Bohemicis, defenſionis (ut quidem ipſi præ ſe ferebant) non offenſionis obtentu, atque his minimè contenti, tandem communem cum ijs belli fortunam, ſociali fœdere inivêre, ſtudio (uti per litteras apud Cæſarem excusârunt) ſervandæ religionis. Ita ſpreta Majeſtas eviluerat apud homines, religionis nomine, à ſuo Rege alienos. Silesii ad Bohemos accedunt.

Cæſar interea Mansfeldium Reipub. hoſtem declaravit: rurſus Bohemos officij admonuit, juſſítque Auſtriæ inferioris Ordines, qui Viennæ convenerant, moras, quas conſultando trahebant in longum, quò ex eventis ſua conſilia metirentur, abrumpere, & publica privatis ſtudijs anteferre. Tempus enim mutuis altercationibus, ob ſacrorum diſſidia conſumebant, dum hoſtis interim, aliquot jam locis Auſtriæ finitimis potitus, ipſis Auſtriæ viſceribus, ad Catholicorum juxtà atque Acatholicorum perniciem, immineret. Sed Proteſtantibus (quorum Mansfeldius proscribitur. XXIX. Protestantes in Au-

BOICÆ GENTIS
ANNALIUM PARTIS III.

An. Christ. M.DC.XII.

LIBER III.

Bellorum Civilium in Germaniâ & Bohemiâ initia.

Mors Rudolphi Imperatoris. I.

QUÆ recenſuimus, non tam populorum cladibus, partíſque de hoſte trophæis, quàm bellorum imagine ſunt memorabilia. Struebantur tamen jam initia cauſſæque magnorum in Imperio motuum, qui læti aut atroces partibus in iras civiles euntibus, pro temporum rerúmque mutatione fuerunt. Rudolphi II. Imperatoris è vitâ exceſſus Annum M.DC.XII. ineuntem 13. Cal. Febr. pullâ veſte induit. Vixit annos LIX. Imperavit XXXV. Paulò antè Margarita Auſtriaca Hiſpaniarum Regina mortalitatem exuerat. Rudolpho fatis functo, Matthias Hungariæ & Bohemiæ Rex ejuſce germanus poſtrid. Id. Junij, omnium Septemvirûm (excepto Brandeburgico) ſuffragijs, Francofurti Cæſar renunciatus, ſuſcepit Imperij inſignia. Nihil ipſi prius fuit Senatûs Francofurtenſis cum plebe, à quâ diffidebat, reconciliatione. Secundum hanc Judæorum uſuris modum conſtituit, ſevero edicto Coloniæ Agrippinæ adverſus Mulheimenſem munitionem proſpexit, indixítque in annum proximum Ratiſbonenſia Comitia, quibus ipſe præfuit.

Inauguratio Matthiæ Imp.

An. Christ. M.DC.XIII.

In Comitiis Ratisbonensibus Correspondentes res novas moliuntur. II.

In his Correſpondentes de noxis perrexerunt, more ſuo, conqueri, poſcere nonnullam Aureæ Bullæ mutationem, abrogare velle plurium votorum auctoritatem, inducere novam juris reddendi rationem; verbo, repetere antiquas querimonias, nec quicquam priùs velle, quàm his eſſet abunde ſatisfactum. Catholici longè plura conqueſti de Acatholicis. Hinc moleſtæ juxtà ac publico noxiæ comperendinationes. Inter has nunciatur grande periculum Pannoniæ impendere à Turcis. Metum augebat defectio Gabrielis Betlemij Tranſylvaniæ Reguli, qui ſe Ottomannicæ clientelæ ſubdiderat. Quamobrem Cæſar ab Imperij Ordinibus poſtulat communi omnium ſaluti neceſſaria ſubſidia. Negant Correſpondentes, ſe quicquam ejuſce generis, niſi votorum factos compotes, eſſe præſtituros. Addixêre Catholici tricenariam expeditionis Romanæ (ut vocant) menſium collectam, & poſt varias altercationes, in ſua vota traxêre Acatholicos. Atque hic Comitiorum finis & pretium.

Catholicorum querelæ.

Defectio Battorii ad Turcam.

Correspondentes Cæsari negant petita subsidia.

Addicunt Catholici.

Non

DISCORDIA BRANDEBURGICI ET NEOBURGICI. CAUSÆ COMPLURES.

Non obſcuræ interea Septemvirum Brandeburgicum inter & Ducem Neoburgicum exercebantur diſſenſiones, ex quibus ſimultates, atque odia. Orta hæc præcipuè ex ſacrorum ſtudio. Res erat tum de amovendis præſertim Sacerdotibus Romanæ fidei, qui jure ſuo Parœcias curabant. His Brandeburgicus volebat ex Calvini ſectâ, Neoburgicus ex ſcholâ Lutheri præcones ſurrogare: hæc rixarum, vulnerum, cædium materia, ſi quem paſtore deſtitutum gregem contentioſi competitores pugnaciter invadebant.

III.

Sed & erat aliud, neque ex vano, quod etſi nondum venerat in apertum, tamen clàm Brandeburgici iras ſtimulabat. Suſpicioni addebat faces acre atque indefeſſum in exquirendâ veræ fidei luce Ducis Neoburgici ingenium, præſtánſque ad pietatem inclinatio. Et verò etiam pronior videbatur, quàm permulti alij, ad capeſſenda Cæſaris imperia. Atque hæc quidem minutiora. Summum erat, quòd quamvis ſecretò, paucíſque admodum conſcijs, de Catholicâ religione ageret, tamen ejus animum prodebant aliquæ promicantis fidei ſcintillæ. Secundum erat, quòd ambiret Magdalenæ Bavaricæ, Maximiliani ſororis connubium; cujus rei Cæſar credebatur eſſe conſcius, unáque cum Bavaro Neoburgici cauſæ ſolito impenſiùs ſtudere. Dubium propè omne abſterſerunt nuptiæ cum Magdalenâ Principe lectiſſimâ Monachij hoc anno, ineunte Novembri, magno ſplendore celebratæ, diſſimulatâ tamen palàm Neoburgici religione. Quare Brandeburgicus Elector nihil cunctatus, fœdus icit cum Belgij fœderatis Ordinibus, atque eorum auxilio, cùm Neoburgicus, Magdalenâ conjuge domi relictâ, Leodium eſſet profectus, ductore Schwengelio Duſſeldorpium intempeſtæ noctis ſilentio improviſus aggreditur, loco haud dubiè potiturus, niſi cives, fidei in Dominum memores, à mœnibus nocturnos invaſores depuliſſent.

NUPTIÆ NEOBURGICI CUM MAGDALENA BAVARA.

BRANDEBURGICUS DUSSELDORPIUM VI TENTAT.

Tandem, cùm Brandeburgicus, deſerto Luthero, ſuas ditiones Calvino transſcriberet, non ſine ſubjectorum offenſione, qui eam ob rem Perlini fuerunt tumultuati; Neoburgicus detractâ larvâ, vulgatis ſuæ converſionis rationibus, Duſſeldorpij, Majorum ſuorum fidem magnâ cum celebritate eſt profeſſus. Idem, paulò pòſt, Philippo Ludovico parente defuncto, in Ducatum Neoburgicum ſacra Romana poſtliminio reduxit.

NEOBURGICUS PUBLICE EDIT FIDEI CATHOLICÆ PROFESSIONEM.

IV.

Jam Heilbrunnæ Correſpondentes de ſuis rebus Comitium habuerant, cùm An. M.DC.XV. Norimbergam rurſus convenêre, præſentibus Franciæ, Angliæ, Daniæ, & Batavorum Legatis.

COMITIUM HAILBRUNNENSE CORRESPONDENTIUM, ET NORINBERGENSE.

An. M.DC.XVII. qui Lutherano nomini ſæcularis fuit, denuo coivêre Hailbrunnam, ubi fœdera ſuperiorum temporum confirmârunt, & nova cum exteris inierunt. Quâ ex re cùm Cæſar flammam magnorum bellorum erupturam proſpiceret, eos litteris gravibúſque rationibus ad hujusmodi pacta diſſolvenda eſt cohortatus. Illi contrà negârunt, ſe ab inito fœdere diſceſſuros, tametſi Catholici factam nuper unionem diſſolverent. His enim, præſertim Eccleſiaſticis, Romæ Principem capútque ſocialis amicitiæ ſupereſſe, ſi vel alia omnia fœdera abrumpant; ſibi verò, ſi ſua dirimant, neminem eſſe reliquum, cujus curis atque vigilijs cauſæ ſuæ defenſionem committant, hoc ipſo prodentes, quid de Cæſaris communi in omnes Imperij Ordines affectu ſentirent. Multa deinde addiderunt, inolito jam quiritandi inſtituto, de Donawerdâ nondum reſtitutâ, quam nôrant tamen ex normâ legum Imperij, & Rudolphi Cæſaris ſententiâ, reſtitui non debere, antequam ſumptus ipſius causâ factos, ipſa civitas, vel aliùs quiſpiam refudiſſet. Adjecêre veteres querimonias, poſtulârunt toties exinde jactatum, inter partes religionis causâ diſſidentes, æquilibrium, nomen quidem ſpecioſum, ſed quod re ipsâ juſtitiæ libellam, more novo, in quam ipſi lancem vellent, inclinaret aut ſuſpenderet. Ex his atque ſimilibus, non difficile erat augurari, eos Martem potiùs ſpectare, quàm artem quietè Cæſaris voluntati obſequendi, quæ manifeſta erant argumenta futuræ ſeceſſionis & civilis diſcordiæ, ex quâ internecinum bellum naſceretur. Non fefellit lævum iſtud augurium. Erupit in Bohemiâ incendium, quod mox in Auſtriam, Moraviam, Sileſiam, Luſatiam propaga-

AN. M. DC. XVII. HAILBRUNNENSE.

NEGANT SE A FŒDERE DISCESSUROS.

MULTA QUERUNTUR.

V.

pagatum, ſimul traxit in partes Europæos Reges, Imperij Principes, præſertim Maximilianum Bavariæ Ducem, Civitates liberas, Respublicas, Europam propè univerſam. Adolevêre innumera mala iſtis initijs.

ORTVS BELLI BOHEMICI.

Matthiam Imperatorem ſolicitudo inceſſerat, prævertendi, quas animo proſpiciebat, graves Imperij tempeſtates, ſi ipſe, nullo ſucceſſore delecto, diem clauderet. Curas intendebat ſenium & parùm firma valetudo. Ex Maximiliani II. Imp. ſtirpe maſculâ erant adhuc in vivis tres legitimi Principes, quorum ſummus, Cæſar ipſe; proximus, Maximilianus Archidux, Ordinis Teutonici Supremus Magiſter; tertius, Albertus Archidux, Belgij Princeps. Sed hi omnes devexâ jam ætate, & ſpe prolis orbati. Supererant ex Ferdinandi I. Imperatoris poſteris, Caroli Archiducis filij, intérque hos Ferdinandus Archidux, in quem Matthias Imp. inclinabat, ſi Maximilianus & Albertus aſſentirent. Lubens volens aſſenſit uterque, nec diſſenſit Philippus III. Hiſpaniarum Rex Caroli V. Imp. Nepos. Horum omnium voluntate, Auſtriacæ ditiones ac jura, certis pactionibus, in Ferdinandum collata; ipſe verò à Matthia Cæſare fuit in filium cooptatus. Actum deinde de coronis Hungariæ & Bohemiæ.

FERDINANDUS ARCHIDUX A MATTHIA CÆSARE ADOPTATUR,

CORONATUR HUNGARIÆ REX.

VI.

Bohemici Ordines, menſe Majo, Anno M. DC. XVII. à Matthiâ Pragam vocati, paucis quibuſdam primùm refragantibus, pòſt verò ſilentio probantibus, majore ſuffragiorum numero Ferdinandum Archiducem legunt Regni ſucceſſorem, ornántque auguralibus Regum inſignibus, magno plauſu & celebritate.

FRIDERICUS ELECTOR PALATINUS ADVERSATUR. AGIT PRO MAXIMILIANO BAVARO.

VII.

Cæſar poſt hæc, rebus Pragæ rite conſtitutis, Prorege relicto, Viennam, indéque in Hungariam, auditâ Saxoniæ Septemviri de Ferdinando ad Imperium deligendo ſententiâ, proficiſcitur. Reddebant hæc Fridericum Comitem Electorem Palatinum vehementer ſolicitum, ne qua Correſpondentium partibus, per eam ſucceſſionem, quæ in Principem apprimè pium, ínque paucis Catholicum, videbatur inclinare, labes inferretur. Quare omnem movet lapidem apud Moguntinum, & Brandeburgicum Electores, quo eos à Ferdinandi electione reddat alienos, præferátque Maximilianum Ducem Bavariæ. Conſilium erat ſpéſque, Maximilianum à Domo Auſtriacâ divellendi, & conciliandi Correſpondentibus, ſi eorum ope ad faſtigium Imperij proveheretur. Nec latebat, ſi id ex voto eveniret, fore, ut Maximilianus ad ſuſtinendam Imperij Majeſtatem, adverſus Auſtriacorum invidiam, Acatholicorum ſubſidio plurimùm indigeret, cogeretúrque idcirco ipſis multa tribuere, quæ à potentiore expectari non poſſent.

VENIT MONACHIUM. SUAM MENTEM MAXIMILIANO APERIT. MAXIMILIANVS RECUSAT IMPERII FASCES. EIUSCE RATIONES REDDIT,

IIX.

Eam ob rem, vertente jam hieme, per amicitiæ ſpeciem Monachium Fridericus ad Maximilianum contendit, excipitúrque perhonorificè. Ubi palmariam adventûs ſui cauſam aperuit, Maximilianus, pro rarâ ſuâ modeſtiâ & ſapientiâ gratijs actis, oſtendit, ſe ad propoſitam dignitatem nullo pacto aſpirare: ſuprema Imperatorum Regúmque ſubſellia, non aliâ ſibi ſpecie obverſari, quàm multorum caſibus inſignita præcipitia: diademata revera eſſe curarum periculorúmque aculeis conferta redimicula, ſceptra notas eſſe dominationis quidem, ſed eſſe quoque indices ſplendidæ ſervitutis. Enimvero quid hodie ſit in Imperio, quod magnopere alliciat ſapientem? Unum quidem debere eſſe in Orbe Solem, perinde atque unum in Imperio Romano Imperatorem: ſed ſi Ordines Imperij in factiones diviſi pergant inter ſe, & adverſus ipſum Cæſarem, uti avorum memoriâ cœpêre, committi, quid tandem futurum ſit ſuper, præter magnum nomen Imperij, inter meras diſcordias & ſubjectarum gentium dimicationes? Non enim regnare eum, qui regnet precariò, qui ſubjectos, niſi nomine tenus, non habeat, quíve ſubjectorum nutus pro legibus cogatur accipere. Difficile olim fuiſſe & futurum ſemper, populorum tametſi obſequentium & quietorum frenos moderari; quid hodie, quando inquieta pleraque, & turbis quàm obſequio propiora? Per Religionum diſſidia tolli obſequendi integritatem, quæ, ubi irrepſit in ſubditos, ob diverſam adverſus Monarchas ſentiendi & agendi formam, non poſſit conſervari. Jungendas eſſe non pro Focis tantùm, ſed etiam pro Aris amicitiam, & pro ſacrorum cultu inprimis eſſe conſpirandum: id niſi fiat, ſemper manſura ſemina diſcordiarum, odiorum, bello-

bellorum, rebellionum; donec diviſum regnum deſoletur. Sed eſto nihil horum eſſet, non eſſe tamen cur Maximilianus Domum Auſtriacam velit inimicam habere. Obductam eſſe veteris æmulationis cicatricem, quam nefas ſit, ſimili propè de causâ, quâ olim incuſſa vulnera, renovare. Domum Boicam aliàs maximis opibus, multis clientelis florentem, & totius propè Germaniæ præſidijs ſeptam, vix fuiſſe parem bellis Auſtriacis; quid hoc tempore futurum, ſi collidatur cum tot coronis & potentiâ longè quàm olim formidabiliore? Hoc videri longè præſtabilius, ut omnes ſuâ ſorte contenti, redeant ad avitam Religionis unionem, ſinántque fata, ordine divino, & ex humanarum ſanctionum præſcripto, ſceptra & diademata diſpertiri. Atque is quidem iſtius congreſſus exitus fuit.

Cæterùm memorant Annales, Fridericum Electorem, cùm nondum acquieſceret, de Daniæ Rege ad Imperij faſces vocando, de Mauritio item Auriaco, & tandem de Sabaudiæ Duce ſeriò cogitaſſe. Nec mirum; inducebatur enim Princeps adhuc juvenis & inexpertus, in ejusmodi conſilia à malis conſultoribus, quorum ſuaſu ſuam fortunam denique evertit. Hæc Cæſarem non latebant; qui ut Ferdinandum contrà magis magisque firmaret, indictis Hungariæ Comitijs, cum Regni Ordinibus, Poſonij, egit de ſucceſſore Rege eligendo. Hîc non defuere ſuis partibus Acatholici. Cauſabantur eſſe periculum, ne Ferdinandus Regni privilegia varijs interpretationibus minueret, ne Ordines obtentu belli Turcici, externo milite premeret; certè non videri eum Hungaris Acatholicis, quàm Styris, quos nuper reformaverat, fore mitiorem. His atque alijs id generis commentis, adverſus Ferdinandum odiorum faces jactabantur in vulgus. Et erat perincommodum, quòd adverſa valetudo, Bohemicæ curæ, résque cum Venetis componendæ, Cæſarem Viennæ retinebant, nec patiebantur Hungariæ Comitijs intereſſe, quibus tamen intererant Maximilianus Frater, & Ferdinandus Nepos: ſed nihilominus plurimum authoritatis Comitijs & Cæſaris voluntati, videbatur detractura abſentia Regiæ Majeſtatis, quæ alioquin apud probos fidem & obſequium, apud improbos metum ſaltem & reverentiam eſſet habitura. Cùm res eſſet in ancipiti, viſum tamen eſt Cæſaris mentem Ordinibus explicare, qui opinione longè ſe æquiores præſtitere. Etenim poſt accuratam deliberationem ivere in Cæſaris ſententiam, & Cal. Junij Ferdinando Bohemiæ Regi, Hungarici Regni diadema cum inſigni Ordinum omnium gratulatione impoſuere.

Fridericus Elector alios deſtinat ad Imperium.

IX.

An. M. DC. XVIII.

Ferdinandus fit Hungariæ Rex.

Hæc cùm gererentur in Hungariâ, Fridericus Elector Palatinus cum Philippo Chriſtophoro Spirenſi Epiſcopo, de munitione Udenheimenſi (quam deinde à Philippo Conditore Philippopolim dixere) diruendâ, certabat. Et diruit ille quidem jam affectam, ſed vicit deinde Cæſaris ſententia, ut Fridericus, eam dari perfectam pateretur.

Fridericus diruit Udenheimii Munimentum.

Sub hæc tempora Maximilianus Bavariæ Dux ſuæ ditioni Mindelheimenſem Dynaſtiam adjunxit. De eâ diuturna lis, magnâ contentione agitata fuerat inter Fuggeros, uxorio nomine, Comitis Schwartzenbergij hæredes, & Maxelrainios. Videbatur controverſia ſpectare venalem immortalitatem, cùm Maxelrainius Fuggerorum opibus, non cauſæ bonitate inferior, tandémque impos litis apud Cæſarem perſequendæ, jus ſuum omne in Maximilianum transſcripſit. Diſceptata fuit ea transſcriptio, quòd facta eſſet in potentiorem; ſed Maxelrainij impotentia, viſa juſta cauſa transſcribendi. Hærebat nihilominus aqua, nec quicquam quod ad rem eſſet, poterat à Cæſareis judicibus impetrari. Remoram faciebant Fuggeri opes, quibus Maximilianus ab adeundâ partis ſibi addictæ poſſeſſione, prohibebatur. Igitur tot comperendinationum pertæſus, vim aliquam oſtentat Fuggero, quaſi poſſeſſionem invaſurus, niſi eam Fuggerus adiri patiatur. Paſſus eſt, & tandem An. M. DC. XVIII. præſentaneo, eóque grandi admodum ære, ſuam quoque partem volens lubens ceſſit Maximiliano, cui deinde Imperator clientelarem totius dynaſtiæ jurisdictionem mancipavit.

X.

Mindelheimium a Maximiliano emitur.

Dedit hoc anno varios ſermones Melchioris Cleſelij S. R. E. Cardinalis captivitas. Erat is conſcius & præcipuus Miniſter Cæſaris. Ex infimâ ſorte, rara ingenij

Cardinalis Cleſelius a Cæ-

ſaris Aula et negotiis ſubmovetur.

XI.

ingenij felicitas & in rebus agendis induſtria, ad tantas eum dignitates extulerat. Impetraverant à Summo Pontifice Rex Ferdinandus ac Maximilianus Archidux, ut Cardinalē à Cæſaris Aulâ dimotum, tantiſper liceret attinere, donec ſua Sanctitas rationibus utrinque auditis, quid porrò eſſet agendum, decerneret. Accuſationis capita erant, publico noxiæ molitiones, maximè quòd inter Auſtriacos Principes diſſenſionum & ſimultatum ſemina jacere tentaviſſet. Datus itaque in honeſtam cuſtodiam, citatis itineribus in Stiriam deportatus, & pro ſacri Ordinis obſervantiâ bene liberalitérque habitus, Romam deinde evocatus, ſuiſque ſacerdotijs atque dignitati relictus, reverſus in patriam, obijt. Certè documento fuit, alienorum ſceptrorum munia à ſacris hominibus, raro, citra diſcrimen noxámve tractari, nec deeſſe unquam, qui iniquis oculis eos extra ſuas oleas ſaltantes adſpiciant. Cæſar, ubi Cardinalem abductum reſcijt, ſenſit quidem, factum id eſſe ſe inſciò, ſed poſteaquam cauſas intellexit, non eſt viſus factum improbare. Ferdinandi Regis æmuli perperam rem ſunt interpretati. Promiſerat ante Bohemicam inaugurationem, vivo Matthiâ, nullam Dominatûs partem attingere; quare criminabantur eum, promiſſi fidem in prehendendo Cardinale violâſſe; ſed Pontificis Max. auctoritate, non Cæſareâ aut Regiâ id factum probavêre Sapientes.

XII.

Bohemi Acatholici conſpirant.

Sub hæc Bohemi Acatholici atroci tragœdiæ daturi initia, capita inter ſe Pragæ contulerunt. Conſpirationis authores præcipui fuêre, non ij qui ſolo ſacræ Synaxis modo à Romanis ritibus diverſi, cæteris dogmatibus circiter aſſentientes, poſt longam bellorum ſeriem Calicis uſum obtinuerant; ſed adventitia Lutheranorum, Calvinianorum, Picarditarum, Zwinglianorum ſoboles, quæ paſſim per Bohemiam pullulaverat.

Occaſio conſpirationis.

Occaſio conſpirandi in Regem hinc accepta. Rudolphus Imperator cùm An. M. DC. IX. à Matthiâ fratre valido exercitu Pragæ circumſeſſus periclitaretur, pro eo ac poterat, Bohemos vocavit in auxilium: Rex fraterno bello petitus, ſubditos; Dominus oppreſſus, Clientes. Annuebant Catholici, repugnabant Acatholici, niſi Rudolphus ſæpius petita, & adhucdum negata privilegia Sectis indulgeret. Cùm cunctantiùs deliberaret, nihil fuit propius, quàm ut ab Acatholicis deſereretur. Quare his preſſus anguſtijs, Regio diplomate, quod litteras Majeſtatis vocârunt, inter cætera conceſſit Acatholicis, ut ijs fas eſſet nova templa extruere.

Impetrantur litteræ Maieſtatis.

XIII.

Brunovienſes Acatholici templum extruunt in Eccleſiæ fundo. Iubentur a Rege opus intermittere. Vetant Defenſores Acatholici.

Ex malignâ hujuſce legis interpretatione, Brunovienſes fani ædificandi cupido inceſſit. Sed ſolum deerat, niſi ædificarent in alieno. Invadunt itaque fundum Eccleſiaſticum reclamante Domino. Is erat Brunovienſis Aſceterij Antiſtes, Oppidi & annexorum proprietarius. Ipſe quamprimùm fabricatoribus objicit novi operis nunciationem, vetátque ultra progredi. Tum injuriam defert ad Regem Matthiam, qui comperto per Provinciæ Prætorem, quid rei ageretur, diem jubet dici Brunovienſibus, & ſuperſedere interim inchoatæ molitioni. Haud dubium, Regi debebant morem gerere, & fors geſſiſſent, niſi Defenſorum Pragenſium (erant hi acceptorum privilegiorum permiſſi à Rudolpho Conſervatores) niſi, inquam, horum interceſſiſſet auctoritas. Mandârunt enim Brunovienſibus, ut ſuſque déque habito Regis decreto, cœptum ædificium ducerent ad faſtigium; & ſe quidem, ſi quid inde querelarum aut periculi, abundè proſpecturos. Matthias Imp. quò maturiùs cauſæ momenta expenderet, rem diſtulit ad Annum M. DC. XVI. quando in arce Brandiſina ad examen vocari juſſit litteras Rudolphinas Regiæ Majeſtatis, circa conceſſam Acatholicis licentiam fanorum extruendorum. Aderant examini ex profeſſo vocati, Henricus Matthæus Turrianus Carlſtadij Gubernator, & Regiæ Coronæ Cuſtos: Udalricus Gerſtorfius Regiæ Curiæ Procurator, & tertius aliquis è numero Civium, ijque præcipui Diplomatis Regij & Acatholicorum rituum cum poteſtate aſſertores. Re autem probè ex præſtantiſſimorum interpretum ſententiâ, in utramque partem libratâ, pronuntiavit Rex, nullum apparere argumentum, permiſſæ Utraquiſtis in Eccleſiaſtici Dominij fundis, pro ſuo arbitrio templa excitandi poteſtatis, invito Eccleſia-

Cæſar contra Acatholicos pronuntiat.

XIV.

ſtico

ſtico Dominatu: quicquid igitur Rudolphus de Regio fundo ſtatuiſſet, id ratum eſſe oportere, ſed nequaquam eſſe ſentiendum, Principem juſti retinentem, voluiſſe Eccleſiarum jura violare: quapropter abſtinerent à cauſæ tam profligatæ patrocinio Defenſores.

Similem Ædis conſtruendæ licentiam, ſibi ſumpſerant Clauſtrograbienſes, Pragenſis Archiepiſcopi ditioni ſubjecti, ſed conſilio longè ſaniore: cùm enim Cæſarem factum improbare ſenſiſſent, cœptum opus ab Archiepiſcopo funditùs everti, pacatè paſſi ſunt. Neutiquam verò quievêre Defenſores. Vetat antiquum Regni inſtitutum, niſi certis legibus & definito numero cœtus cogi. Illi nihilo ſeciùs Ordinem Eccleſiaſticum univerſum, atque unà Catholicos Pragæ in Collegio Carolino, pro poteſtate jubent adeſſe. Statuerant Regium adverſus Brunovienſes decretum convellere, quaſi Matthias Rudolphi mentem non eſſet aſſecutus: hunc enim feciſſe Utraquiſtis ſacrorum ædificiorum in univerſo Regno, nullis finibus limitatam poteſtatem; non excepiſſe Eccleſiaſticorum Dominia, quorum oppida, caſtella, pagi, villæ, agri, latifundia omnia pertineant ad quæſturæ Regiæ dominatum: de his igitur Rudolpho, regiâ poteſtate, ſtatuere licuiſſe. Sed qui Regi adſtipulabantur, ita ratiocinabantur: Regis eſſe, privilegia à ſe vel præceſſoribus conceſſa, ubi forent dubia, explicare: cum non egêre alienis interpretibus: Poſſeſſionum Eccleſiaſticarum patrocinium atque defenſionem, perinde atque patrimonij Regij, ad Regem quidem, ſed proprietatem uſumque ad ſacrum Ordinem, pertinere, nihil proinde de his à Rudolpho fuiſſe conſtitutum, aut jure potuiſſe conſtitui. Ea propter Rex de Defenſorum molitione factus certior, jubet Brunovienſes recens fanum occludere, ejúſque claves in Regiâ Cancellariâ deponere: illi contrà, Defenſorum judicium ſecuti, regium Decretum negligere, templum aperire, claves retinere. Quamobrem, ne tam enormis Majeſtatis contemptus illis impune eſſet, contumaciæ anteſignani dati in cuſtodiam. Atque is quidem fuit Carolini Comitij exitus.

Clauſtrograbienſium novum templum diruitur.

Conventus Defenſorum Pragæ.

XV.

Templum Brunovicenſe recens ædificatum à Sectariis jubetur claudi. Recuſant, authores dantur in cuſtodiam.

Alterum Comitium habuêre Defenſores menſe Majo, magno numero. Conveniendi cauſam ſumpsêre ex Clauſtrograbienſium obtemperatione. Grandes in Conventu jactatæ adverſus edicta regia expoſtulationes: nimirum iſtiuſmodi exemplis, litteras Majeſtatis unicum Religionis præſidium, abrogatâ ſacrorum libertate, in pravos ſenſus detorqueri: conſulendum in medium, de rationibus conſervandæ immunitatis: eam ſi judicijs non poſſit, armis eſſe protegendam. Et jam tum defenſores conjurati bellum inter ſe ante Comitium decreverant.

Defenſores rurſus conſpirant.

Fieri non potuit quin tam inſolens protervitas vehementer offenderet Imperatoris animum, ſecum reputantis, graviter lædi Regiam authoritatem, & pedetentim ex talibus principijs muniri viam ad longè funeſtiſſima. Dedit eapropter ad Bohemiæ Ordines litteras in hanc ſententiam: In Regno conventus actos eſſe cum legum & Regiæ Majeſtatis injuriâ, adverſus ea quæ Clauſtrograbij geſta eſſent ab Archipræſule Pragenſi. Jactatas eſſe quiritationes de pœnâ, quam ipſe de Brunovienſibus ſumi jure merito juſſiſſet. Acatholicos extra Cæſarei Diplomatis & pactorum cum Catholicis initorum cancellos, longè eſſe egreſſos. Nefas ipſis fuiſſe, manifeſtæ contumaciæ pro ſubditis adverſus Regem ſuſcipere patrocinium, atque illos in pertinaciâ confirmare. Sparſum eſſe ab iſtis Conciliabulis in vulgus, agi de abrogandis litteris Majeſtatis, atque ad eam rem militem externum in Bohemiam parari. Iſtiuſmodi calumnijs imponi ſimplicitati populari, invidioſè traduci nomen Regium, concitari ſeditiones, comparari initia ingentium calamitatum. Regem, ne ſuis deſit partibus, debere in authores inquirere, & ſingulos habere pro merito. Abſtineant proinde ab iſtis coitionibus, ad uſque Regis propediem adfuturi adventum, aut aliam declarationem regiæ voluntatis, ſeſéque Brunovienſium, aliorúmve ſubditorum rebus ne immiſceant, aut in Regno ſerant diſſenſiones. Porrò monendos eſſe Bohemos, ne Conventiculis interſint, ſi quæ rurſus contingat à Defenſoribus, aliiſve injuſſu Regis indici. Experturos illos, qui conſtanti in Regem fide hactenus ea devitâſſent, quàm grata ac laudabilis ſit iſta teſtificatio probitatis.

Rex confirmat ſuam ſententiam adverſus Defenſores.

XVI.

Paruere

XVII. Regio decreto morem gerunt Catholici, pauci alii: obsistunt Defensores. Fit coitio Acatholicorum.

Paruere ſtudioſè, qui nondum obſequium & obſervantiam in Regem exuerant. Sed Acatholici, præſertim Directores, quos invaſerat novarum rerum ſtudium, Regis imperium inſuper habuerunt. Quamobrem ſub exeuntem Majum juſsêre per ſingula templa, pro concione certis verbis conceptam exhortationem per Prædicantes recitari. Ejus argumentum erat, ut populus Evangelij tuendi curam seriò ſuſciperet, Deúmque futuris Comitijs propitium redderet.

Magnus poſtridie factus eſt ad Carolinum Collegium, Utraquiſtarum concurſus. Eodem convenêre ex Regni Proceribus, & tergeminis Pragæ partibus, quamplurimi. Bohemico ſermone ad cœtum dixit è Bohemis Præconibus unus; ſecuta eſt pſalmodia. Tandem itum in conſultationem, de rationibus protegendi novi Evangelij inſtituta, ſervandi templa non Pragæ modò, ſed per Bohemiam univerſam, ne adverſariorum manu evertantur. Incenſi vehementer plerorumque animi ad audaciam, & quemcunque caſum fors eſſet latura.

XIIX. Secuta eſt exinde fatalis dies 10. Cal. Iun. Ad arcem Pragenſem, ſub horam decimam ante meridiem, vecti ſunt frequentes Vtraquiſtarum Dynaſtæ, ſtipati ſingulis famulis, inſtructi binis ſclopis manuarijs. Concurrerat unà plebis promiſcua multitudo. Auditæ eorum querelæ perbenignè à Regni Vicarijs: Guilielmus Slabata ſupremus Prætor, & Iaroslaus Borſita Martinizius Carlſtadij Burggravius, pauca pro Cæſare reſponderunt. Hinc furor & inſana crudelitas. Vicarij, utpote viſi Conjuratis ex ſilentio leniores, ſeorſim abducti. Slabata & Martinizius per longum conclave raptati, cum Philippo Fabritio Cæſaris Conſiliario, & in Regno Bohemiæ Secretario, tanquam Evangelicæ libertatis & privilegiorum hoſtes, ex Arcis feneſtrâ velut è Tarpeio ſaxo in ſubjectum vallum, per ſpatium, ut minimum quadragenûm quinûm pedum (ſcribunt alij quinquaginta cubitos) præcipitant. Datum ſingulari divinæ protectionis beneficio, omnes vitâ incolumi evaſiſſe. Certè tanta fuit præcipitij altitudo, ut mirum ſit non eſſe diffractos, ſed conſervatos ex præcipitio, atq; inter frequentes jaculantium pilas, quarum unâ Martinizius leviter ſecundùm brachium fuit perſtrictus. Fama hujuſce facinoris per trifariam urbem vulgata, cives magnopere turbavit. Et jam armabantur Catholici ad vindictam acceptæ injuriæ, Acatholici ad ſceleris defenſionem, réſque in eo erat, ut cruentam ſeditionem ſpectare videretur. Eo periculo perculſus Henricus Matthæus Comes Turrianus factioſorum Princeps, mox ex arce per urbis compita decurrere, demulcere iratos, jubere à vi mutuâ abſtinere, temperare à rapinis & ſacrorum hominum violatione, non moveri reorum ſupplicio, quòd ſcilicet Reipub. & Evangelij hoſtes, infrà quàm erant meriti, præcipitio, majorum more luiſſent. Nihil ultrà eſſe publici diſcriminis, domum quiſque ſe reciperet, & quietè res ſuas curaret.

Tres Viri præcipitantur e fenestra.

Hinc motus in Civitate.

XIX.

Componuntur Cives.

Quod reliquum eſſet, Ordines factum Cæſari facilè probaturos. Ita tum quidem populus ad tranquillitatem compoſitus. Cæterùm ſupremus Burggravius intra proprios lares habitus eſt in cuſtodiâ. Ne verò obſcura eſſet rebellio, Conjurati Arcis miniſtros, unáque Præfectum ſacramento in ſua verba adegerunt, cuſtodes item portarum, univerſóſque cives. Dedêre poſt hæc quotidianis conſultationibus operam, in Provinciali cœnaculo, adhibitis ad ſui ſecuritatem octogenis ſclopetarijs, qui pro foribus excubarent. Inter ſe pepigêre fœdus adverſus ſuæ religionis, & Rudolphini Diplomatis adverſarios, & habitis delectibus, exercitum ſub ſua ſigna coëgerunt. Multi præterea miniſtrorum regiorum, conjecti in vincula, ſpoliati fortunis, & gravi ære multati. Super hæc occupârunt arcem Caroloſteiniam, ubi Regium diadema, theſaurus, privilegia Regni ſolebant aſſervari. Arcis Præfectum dejecerunt officio, averterunt in alienos uſus cenſus Regis, graves collectas indixerunt provincijs: ſubjectos, qui in Regis fide perſtabant, ad eam exuendam, quà minis, quà vexationibus adegerunt. Auſi ſunt apologiâ in lucem editâ, litteríſque ad Cæſarem datis, facti ſui rationem reddere. Cæterùm cùm futuræ tempeſtatis ſatis eſſent præſcij,

Rebellant Coniurati.

Novum fœdus sanciunt, arma comparant.

XX.

Edunt Apologiam.

præſcij, confeſtim miſerunt Legatos ad fœderatos Germaniæ Principes, ad Sileſios, Moravos, Luſatios, qui rogarent auxilia, & imminentis belli conſociationem. Is, qui fuerat ad Hungaros deſtinatus, ex itinere retractus ad Cæſarem, in vinculis fuit Viennæ habitus. Jeſuitæ ex universâ Bohemiâ exturbati, inaniſſimo obtentu, quaſi privilegiorum abolendorum ſuaſores fuiſſent, & domi clàm magnum armorum apparatum ad opprimendos Regni Ordines feciſſent: quas calumnias Jeſuitæ extorres edito ſcripto egregiè refutârunt. CONQUIRUNT AUXILIA. IESVITAS PELLUNT.

Cæſar horum omnium factus certior, totus in eo erat, quo Bohemos ad officium revocaret. Eos ante omnia juſſit arma ponere, deinde, ne veniæ deſperatione ad extrema agerentur, non dubiam reſipiſcentibus fecit ſpem gratiæ impetrandæ. REX EOS CONATUR PACARE,

Verùm ſurdis canebatur, & erant in Imperio, qui ſtimulos adderent ſponte currentibus. Fridericus Elector Palatinus eorum cauſam Saxoniæ Septemviro, & Brandeburgico ſtudioſè commendavit, ſuaſitque, ut Conventui de Rege Romanorum cooptando intercederent. SED FRUSTRA.

Imperator ex huiuſmodi machinationibus futura proſpiciens, primùm quidem, ne exterorum acceſſione rebellio firmaretur, Imperij Septemviros de totâ re edocuit, deinde juſſit, quàm celerrimè fieri poſſet, conſcribi exercitum. IDEM CONSCRIBIT EXERCITUM.

XXI.

Talibus initijs ad cruentum bellum omnia parabantur. Bohemi, cùm extremis auxilijs ſuas copias augerent, cœpêre etiam de externo Principe, quem ad Regni gubernacula, Ferdinando repudiato, extollerent, conſilia agitare. Quâ de re Legatos misêre ad Saxoniæ Septemvirum, ad Electorem Palatinum: nec dubitârunt Carolo Emmanueli Allobrogum Duci quaſi venale diadema proponere pretio ſeſquimillionis aureorum, quater mille peditum, mille equitum, quos ſuis ſtipendijs lectos mitteret auxilio, aleretque ad triennium. BOHEMI AGUNT DE REGE ADDICANDO.

Hæc tametſi clàm haberentur, non potuêre tamen Cæſaris intentos in omnem partem oculos effugere. Et jam Budiviſio, quod Cæſari obſequebatur, rebelles obſidionem admoverunt, cùm ille geminum agmen eduxit: alterum demandavit Carolo Longovallio Comiti Bucquoio, alterum Henrico Duvallio Comiti Dampetrio. Hic, caſtris ad Novodomum poſitis, cùm à civibus oppidi deditionem fruſtra poſtulâſſet, inde movens, copias à Turriano Pilgramium miſſas, in via oppreſſas delevit, invaſitque Pilgramium. Non multò pòſt Gomizium, in quo magna annonæ copia, ſtratagemate occupatum, militi diripiendum permiſit: deinde Viennam profectus, volente Cæſare, ſoli Bucquojo exercitum reliquit. Hic nihil feriatus Teutobrodam in Moraviæ finibus ſubegit. Ne Pragam rectà tenderet, prohibuêre ſuppetiæ miſſæ in urbem, quæ novis operibus à Bohemis muniebatur. Sed neque adhuc tantum habebat virium, ut crederet, ſe conſultò facturum, ſi hoſti longè valentiori ſui copiam faceret. Quamobrem militem prædâ onuſtum, Pilgramio relicto, recepit in Auſtriam. Novembri menſe motis inde caſtris, Novodomi oppugnatione fruſtra tentatâ, per vias admodum impeditas, incommodiſſimámque tempeſtatem, Budiviſium jam prætergreſſus, Bohemorum quatuordecim millia à tergo habuit, quos poſtremum agmen invadentes repreſſit, atque eouſque eſt remoratus, donec traductis per ſylvarum ambages copijs, tandem in apertâ planitie aciem inſtruxit. Hic magnis utrinque animis commiſſa pugna quinque horas tenuit. E Cæſarianis quadringenti occubuêre, capti ducenti, quos velut in triumpho Bohemi Pragam duxêre. E Bohemis pari propè numero deſiderati. Nocte intempeſtâ Bucquojus è campo diſcedens, relecto Budiviſium verſus itinere, paucis pòſt diebus Crumlovium, peropportunum in finibus Auſtriæ præſidium, in Cæſaris poteſtatem redegit. BOHEMI OBSIDENT BUDIVISIUM. CÆSAR MILITEM EDUCIT. INVADIT PILGRAMIUM. XXII. GOMIZIUM. BUCQUOIUS EXERCITUI PRÆFICITUR TEUTOBRODA CAPITUR. PUGNATUR. BUCQUOIUS CRUMLOVIUM OCCUPAT.

XXIII.

Fama paſſim, ſive Bohemorum, ſive aliorum arte, ad diſtrahendas Cæſaris vires, vulgaverat, Tranſylvanum Bethlemum Gaborem & Turcam, Directorum oratu arma comparâſſe adverſus Hungariam. Hac uſi occaſione Bohemi, cùm per litteras eum rumorem refutâſſent, Moravis ſuaſoribus, Cæſarem ſupplices rogâ- BOHEMI PACEM, ET SUORUM POSTU-

LATORUM CONCESSIONEM PETUNT A CÆSARE. rogârunt, ut florentiſſimi Regni miſertus, ab eo vaſtando vellet ceſſare: reſpiceret vota Principum Electorum, qui hoc ipſum precarentur, & Regni poſtulatis benignus annueret: Quæ ſi faceret, redderétque ſubjectos de cætero ſecuros, fore, ut confeſtim ſuas ipſi copias dimitterent.

IUBENTUR ARMA PONERE. Cæſar ad hæc: redirent ad officium, ſeſe ſuo Regi ſubmitterent, abſtinerent à Regni munijs, & omni adminiſtratione, arma, quæ primi ſumpſerant, primi ponerent (Regem enim cum armatis, ſalvâ Majeſtate, paciſci non poſſe) ubi hæc effecta dederint, ſe abſque morâ, locum tractandæ paci nuncupaturum.

SED TRACTATIONEM PACIS FRUSTRATIONIBUS DIFFERUNT. Sed Bohemis pax cordi non erat. Quamobrem varijs uſi fruſtrationibus, modò cauſabantur, Pilſnam, quam Saxo tractationi deſtinabat, minimè eſſe opportunam, eò quòd tota Romanam religionem profiteretur: modò detrectabant cauſam inermem incertis cônſiliorum eventis ſubijcere, atque decollare omnem ſui defendendi libertatem; erant videlicet ipſis arma quiete potiora: & hos ſpiritus

ANIMANTUR A CORRESPONDENTIBUS. adflabant Correſpondentes, veriti, ne ſi Cæſar cum illis rediret in gratiam, ſublato bello Bohemico, in Imperio eſſet tantò expeditior, ſi quas ipſi turbas excitarent. Eam ad rem Bohemis Erneſtum Comitem Mansfeldium cum aliquot armatorum millibus misêre ſuppetias, ſimul ex Rotenburgenſi Conventu, quo frequentes

XXIV. QUI EORUM CAUSAM AGUNT APUD CÆSAREM. coiverant, ſcripto egêre apud Cæſarem, vellet motus Bohemicos, ubi primùm fieri poſſet, pacare, lenitatem ſeveritati, benigniores conditiones aſperis anteferre, exercitum è Bohemiæ finibus educere: fore alioquin, ut Ordines Imperij opinentur, Suæ Majeſtati eſſe propoſitum, perinde Religionis tranquillitatem turbare in Germaniâ, Evangelicos extirpare, atque abrogare in Bohemia litteras Majeſtatis: quæ quidem cùm magnam alienationem in Imperio eſſent paritura, tum in Ottomanicis audaciam ad invaſionem Hungariæ poſſent accendere.

BOHEMI TENTANT MAXIMILIANUM BAVARUM: Bohemi, ne quid intentatum relinquerent, ſibi conati ſunt Maximilianum Bavariæ Ducem, miſſo ad eum Legato, conciliare, quaſi laceſſiti injurijs ad belli conſilia deſcendiſſent, cùm aliter Religionis ſuæ prærogativas nequiviſſent defendere. Legatus potiſſimam culpam conijciebat in Jeſuitas velut authores Evangelij opprimendi, ſimul excuſabat ſupplicium Triumvirûm, uſu & priſcâ conſuetudine Bohemorum, qui in hujuſmodi reos præcipitio ſolerent animad-

XXV. EIUS RESPONSUM. vertere. Nollet proinde Maximilianus alio, quàm par eſſet, ſenſu, Jeſuitarum proſcriptionem, & Slabatæ, ſociorúmque pœnam interpretari, ſed omnes contra Bohemos delectus in ſuis provincijs interdicere, & auxilia juſtæ cauſæ impertiri. Tulit Legatus à Maximiliano reſponſum: vim Triumviris allatam, videri nullâ prorſus ratione poſſe excuſari; dato enim (quod tamen nondum palàm eſſet) eos quicquam fuiſſe molitos contra litteras Majeſtatis, Regni decreta aut pacta conventa Ordinum; tamen nihil ab Vtraquiſtis, causâ indictâ, & Cæſare inconſulto, in eos jure potuiſſe decerni, nedum tam atroci pœnâ tentari. Jeſuitas, Regni conſenſu, à Ferdinando Imperatore fuiſſe in Bohemiam admiſſos, eóque nefas videri, inauditos, contra jus omnium gentium, exterminari. Atque in hunc quidem modum Legatus ſpei irritus ad ſuos revertit.

Cæterùm Maximilianus, alijque pro re Catholicâ fœderati, præſagientes fieri vix poſſe, quin univerſum Imperium, iſtâ Bohemiæ tempeſtate tandem involveretur (nam etiam tum Correſpondentes non contemnendum exercitum

NOVUM FŒDUS CATHOLICUM IN IMPERIO. conſcripſerant) rebus ſuis tempeſtivè proſpiciendum eſſe ſunt arbitrati. Ergo fœdus anno M. DC. IX. cœptum, inſtaurant, fœderi acceſſit Joannes Swicardus Archiepiſcopus & Elector Moguntinus: delectibus habendis Maximilianum præficiunt, decernúntque, quid ſingulis in commune ærarium eſſet conferendum, & demum An. M. DC. XIX. menſis Decembris 14. die fœderis conditiones referunt in tabulas.

MANSFELDIUS PILSNAM OBSIDET. Mansfeldius, quem dixi Bohemis copias auxiliares adduxiſſe, Pragæ ſupremâ rei tormentariæ præfecturâ donatus, primum in hoc bello ſui experimentum dedit ad Pilſnam. Eſt ea civitas naturâ loci & arte bene munita, quæ quia perſtabat in fide Cæſaris, Bohemis viſa eſt multùm obfutura, ſi Cæſareo præſidio permitte-

XXVI.

mitte-

mitteretur. Nam & tutum Germanicis copijs in Bohemiam ingreſſum præbe-
bat, & Bohemicas excurſiones arcebat à Germaniâ. Acceſſerat quidem ad Re-
bellium partes ad initium inteſtinorum motuum, ſed mox ubi compererat agi
de Religione Catholicâ, quam profitebantur cives, déque Cæſaris obſequio, ſeſe
ſeditioſorum factioni ſubduxit. Nec dubium erat, quin Rebelles eam defectio-
nem ulciſcerentur, ſi poſſent, & loci opportunitatem ad ſua commoda trahere
conarentur. Quamobrem Pilsnenſes obſidionem veriti, Suburbia everterant,
& æquârant ſolo, quæ in agro vicino obſidentibus fore commoda videbantur.
Nihilo ſegniùs comportârant in Vrbem, quæ forent uſui diutinæ obſidioni.
Mansfeldius nihilominus ratus ſe brevi expugnaturum, coronâ cinxit, cœpitque
mœnibus vim adhibere. Verùm Bohemi rati eam obſidionem fore magnorum
ſumptuum, & operæ longioris, quàm rei communi conveniret, Mansfeldium
jubent, re infectâ, diſcedere. Diſceſſit ad tertium à Pilsna lapidem. Pilsnen-
ſes ſoluti metu, & velut omni periculo perfuncti, præmaturo ardore, tum Mans-
feldio inſultare, tum vicina agendis prædis vehementer infeſtare. Quæ res lon- XXVII.
gam ipſis malorum Iliadem invexit: Mansfeldius enim irarum plenus, ad obſi-
dionem, Bohemorum juſſu regreſſus, Pilsnam, quam olim Ziſca non potuit, bre-
vi expugnatam ſub jugum miſit: quo tamen ejus uſibus eſſet aptior, à milite di- Expugnat.
ripi non eſt paſſus. Cùm illa arctè premeretur, ſpéſque eſſet, ut propugnatorum
virtute ſervaretur, Maximilianus Bavariæ Dux de civium, utpote apprimè Catho-
licorum ſalute ſolicitus, Bohemis ſcripſit in hanc ſententiam: Meminiſſent ſua- Maximilianus pro
rum litterarum, quibus addixerant, ſe Pilsnenſibus, ne obſidione quidem nocitu-
ros; nihil etenim eos peccaſſe, niſi fraudi eſſe debeat, quòd Cæſari velut legiti- Pilsna in-
mo Regi morem gerant, & Catholicæ Religionis ſint ſtudioſi. Quòd ſi eos per- tercedit.
gant premere, non modò Cæſarem id iniquiſſimo animo laturum, ſed Catholi-
cos etiam Principes, qui de Bohemiâ pacandâ & reconciliandâ ſint ſoliciti, ſic
accepturos Pilsnenſium injuriam, ut Romanæ Religionis odio illatam ſint cre-
dituri.

Sed Bohemi culpam omnem in Pilsnenſes rejecère, cauſati, deſeruiſſe eos ad- Bohemi
dictam Ordinibus amicitiam, conſcripſiſſe militem Ordinum nomine atque auſpi- Pilsnenses
cijs, exercuiſſe hoſtilia, adegiſſe ſubditos in ſua verba, latè in vicina terrorem, ex- accusant.
curſiones, prædas circumtuliſſe, Mansfeldio cùm obſidionem abrupiſſet, illuſiſſe, XXIIX.
aliáque deſignâſſe, quæ ſevera exempla mereantur, cùm mitiora nihil profuerint.
Porrò nihil fieri religionis odio, quam Ordines Pragæ, totóque Regno privatim,
atque publicè adhucdum intactam tolerâſſent. Iiſdem propè verbis ſe excusâ-
runt apud Cæſarem ſimul profeſſi, ſe Pilsnæ obſidione, nullum ponere obicem,
quo minùs Principes, qui tractandæ pacis id temporis partes in ſe ſuſceperant,
ſuo officio fungerentur.

Sileſij interea, qui militem ſub ſigna cöegerant, jámque lætis Bohemorum ſuc- Silesii ad
ceſſibus fiebant audaciores, auſi fuerunt expoſtulare cum Cæſare, Bohemorum Bohemos
cauſæ apertè patrocinari, & liberam eorum exemplo religionis poteſtatem po- accedunt.
ſcere. Ea cùm differretur, Pilsnâ jam per Mansfeldium ſubactâ, mox ſuas co-
pias ſociavêre Bohemicis, defenſionis (ut quidem ipſi præ ſe ferebant) non offen-
ſionis obtentu, atque his minimè contenti, tandem communem cum ijs belli
fortunam, ſociali fœdere inivêre, ſtudio (uti per litteras apud Cæſarem excusâ-
runt) ſervandæ religionis. Ita ſpreta Majeſtas eviluerat apud homines, religio-
nis nomine, à ſuo Rege alienos.

Cæſar interea Mansfeldium Reipub. hoſtem declaravit: rurſus Bohemos of- Mansfel-
ficij admonuit, juſsítque Auſtriæ inferioris Ordines, qui Viennæ convenerant, dius pro-
moras, quas conſultando trahebant in longum, quò ex eventis ſua conſilia me- scribitur.
tirentur, abrumpere, & publica privatis ſtudijs anteferre. Tempus enim mu- XXIX.
tuis altercationibus, ob ſacrorum diſſidia conſumebant, dum hoſtis interim, ali-
quot jam locis Auſtriæ finitimis potitus, ipſis Auſtriæ viſceribus, ad Catholicorum
juxtà atque Acatholicorum perniciem, immineret. Sed Proteſtantibus (quo- Protestan
rum tes in Au-

STRIA, PETUNT RELIGIONIS LIBERTATEM.

FAVENT BOHEMIS.

rum magna erat in Auſtriâ authoritas atque numerus) non Reipub. ſed ſuæ libertatis cura inceſſerat. Proinde id agebant potiſſimùm, ut ante omnem de defendendo bello conſultationem, certi aliquid de fidei profitendæ licentiâ ſtatueretur: nullam alioqui fore in tantâ diſcordiâ, & mutuis ſimultatibus, animorum nedum auxiliorum conſenſionem. Nihilominus tamen, ne Provinciæ hoſti paterent ad ictum, non obſtabant, quò minùs extemporanei haberentur Provincialium delectus, tenue & infidum adverſus religionis ſocios præſidium. Ad eum modum, Cæſaris mandata fruſtrabantur, clanculum læti felicibus Turriani progreſſibus, & Comitis Schlickij, quorum ille libellis hinc inde ſparſis per Provincias, rerum bonarum montes aureos ſociis pollicebatur; iſte, quater mille armatorum manu ſtipatus, agebat opimas prædas, & nonnulla Auſtriæ tum Monaſteria, tum minoris notæ oppida occupârat, ceciderátque è Cæſarianis mille nuper excurſores ad Budiviſium. Et verò etiam præſidium, quod Teutobrodæ pro Cæſare curabat, nullâ vi expectatâ, ſolo obſidionis metu profugerat in Auſtriam. Ulti quidem non multò pòſt ſuam cladem Budiviſini, & Comes Dampetrius, collectâ propè Cremiſanium ter mille armatorum phalange, aliquas Turriani copias profligavit; attamen, cùm & domi factiones, & foris vis aperta, nullo ſatis firmo, quod Cæſar opponeret, ſubſidio, urgerent Auſtriam, cæteráque Germania ſuis periculis premeretur, creperum ſanè bellum fore videbatur. Quare Cæſar, per Wallenſteinium, denuo Turrianum Bohemiæ Directorem eſt cohortatus, armis poſitis bimeſtres ſaltem inducias admitteret, imploraret Ferdinandi Regis interceſſionem, captivos aliquos cum Jeſſenio Bohemo itidem captivo, commutaret, commutationem quidem obtinuit, ſed cætera fruſtra fuère, cauſante Directore, ſe nihil id generis injuſſu Ordinum Bohemiæ, Sileſiorum, aliorúmque fœderatorum, poſſe ſtatuere.

COMES SCHLICKIUS AUSTRIAM VEXAT: CÆDIT MILLE CÆSARIANOS.

XXX.

DAMPETRIUS CÆDIT VICISSIM BOHEMOS.

TURRIANUS RECUSAT INDUCIAS.

AUSTRII AD ANASSUM PARANT REBELLIONEM.

Anaſſini primæ Auſtriæ indigenæ, ſua etiam de Religione placita, Cæſari commendârunt. Cùm verò Cæſar nihil ex eorum ſententiâ decerneret, cœpère & ipſi non obſcura futuræ ſeceſſionis indicia palàm edere. Nam inconſulto Cæſare, quaſi limitem Auſtriæ defenſuri, ad oram Danubij, munitiunculam aggere foſſâque munitam, excitârunt, ſylvæ Bohemicæ fauces, disjectis in transverſum arboribus, occupaverant, non tam hoſtem, quàm Cæſarianos prohibituri. Quæ res, cùm Maximilianum & Patavienſem Epiſcopum advertiſſet, monuere de periculo Cæſarem, qui è veſtigio juſſit Anaſſinos, propugnaculum æquare ſolo, Bohemici ſaltus anguſtias aperire, Bucquojo, ſi res poſceret, ultro citróque commeandi vias expedire, ſe Cæſarianis pro ſummâ Republicâ conſociare, colere mutuam amicitiam, annonam præbere. Sed ne dubium eſſet, quorſum Anaſſinorum conſilia reſpicerent, ad unum omnia Cæſari negaverunt.

XXXI.

MAXIMILIANI ARCHIDUCIS OBITUS.

ITEM ANNÆ AUSTRIACÆ.

COMETES APPARET.

Hæc dum gererentur, Maximilianus Auſtriæ Archidux Ordinis Teutonicæ militiæ Magiſter, fatis conceſſit Viennæ poſtrid. Cal. Novemb. Princeps ſapiens & amans publicæ tranquillitatis. Eum duodecimo pòſt die, ſecuta eſt Anna Auſtriaca Ferdinandi Archiducis Oenipontani filia, Matthiæ Imp. conjux. Utrumque non multò antè præceſſerat Carolus Marchio Burgovius, natus legitimè ex eodem Ferdinando & Welſerâ Auguſtanâ.

Hoc ipſo anno, crinitus Cometa, aſpectu formidabili, caudâ promiſſâ, menſe Novembi cœpit apparere. Ingolſtadij primùm viſus Calendis Decemb. paulò ante quartam matutinam. Ingentis erat magnitudinis, ſervabátque cum fixis ſideribus conſtantem ſupra horizontem aſcenſum. Quid portenderit, longa quæ ſecuta eſt malorum ſeries, explicavit.

BOICÆ

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS III. LIBER IV.

Ferdinandus II. creatur Imperator: Fridericus Comes Palatinus S. R. I. Elector, Bohemiæ Regnum capeſſit.

ORdines Bohemiæ, interprete atque ſuaſore Saxoniæ Septemviro, Pragæ agebant de impetrandis firmandíſque inducijs, cùm Matthias Imperator 13. Cal. April. Viennæ, An. M.DC.XIX. horâ circiter nonâ antemeridianâ, mortem oppetijt, annos natus ſexaginta duos, dies quindecim. Ejus obitus non modò mœrorem pijs, ſed rebus etiam lugubrem faciem, magnámque conſiliorum mutationem attulit. Pragæ intercidêre pacis vota: in Germaniâ Acatholici ex interregno occaſionem nacti, magnas ſpes fortunæ in majus attollendæ conceperunt: Catholicorum potiſſima cura fuit, proſpicere, ne res communis, ex futurâ ſucceſſoris electione, aliquid caperet detrimenti.

An. Christ. M.DC.XIX.
I.
Cæsar moritur.

Quare poſt funeſtum iſtum caſum, Moguntinus Elector Joannes Swicardus, cui id ex Germaniæ Cancellarij officio incumbebat, in vigeſimam diem Julij, more majorum, Imperij Septemvirûm conventum Francofordiam indixit. De Ferdinando Rege Bohemiæ ad Comitia venturo, magna lis à Friderico Palatino Electore & Bohemis fuit excitata. Egit per Camerarium Palatinus cum Septemviro Saxoniæ, ne Ferdinandus jure ſuffragij potiretur; Bohemi ingenti conatu eodem connitebantur: cauſabantur utrique, Ferdinandum Regni Bohemiæ poſſeſſionem nondum adijſſe, contentionem augebat metus, ne eum ſuæ factioni minùs faventem eſſent habituri, & ut in cæteris machinationibus, obtentui ſumebatur libertas novæ Religionis, quam conſtabat Ferdinandum averſari. Sed obtinuit ſententia aſſerentium, ad eligendum nulla præterea opus eſſe poſſeſſione, quàm ut Rex per ſolennem inaugurationem, Regni Coronam (cui Septemviri dignitas eſſet adnata) ſit aſſecutus: quorum neutrum cùm Ferdinando deeſſet, ad Comitia conſuetâ formâ fuit vocatus, adverſarijs nequicquam repugnantibus.

Indicuntur Comitia Septemvirum Augustalium.
Fridericus Elector conatur Ferdinandum a Comitiis excludere.
Vocatur nihilominus, habetque ius suffragii.

Juſtis funebribus Matthiæ Cæſ. ritu Cæſareo Viennæ perſolutis, Ferdinandus tanquam legitimus ſucceſſor, hæréſque Auſtriacarum ditionum, Ordines per litteras ſui officij admonuit. Scripſit item in Hungariam & Bohemiam, ac Bohemis quidem addixit, in ſe nihil futurum moræ, quo minùs Regni privilegia o-

II.
Init regimen Austriaca-

CARUM DITIONUM.

mnia confirmaret, oblitteratâ, ſi quidem ipſi vellent, præteritorum motuum memoriâ. Addidit regias tabulas, quæ reipſâ confirmationem complectebantur: præter hæc, pollicitus eſt, ſe ſuis ſumptibus Arci Carlſtadienſi proviſurum, nec paſſurum inpoſterum, ullos niſi Bohemicæ nationis, ad Regni munia admoveri. Sed nihil hæc moverunt Bohemorum animos: quin verò de Ferdinando apud Saxoniæ Electorem graviter fuêre conqueſti, petierúntque à Maximiliano, ut ſubſidia Hiſpanica, quæ erant in procinctu, arceret à ſuis finibus. Parùm hæc profecêre.

BOHEMI FRUSTRA PETUNT A MAXIMILIANO, NE AUXILIA HISPANICA PER SUOS FINES TRANSMITTAT.

III.

Certè Maximilianus non ignarus, quorſum iſta ſpectarent, reſpondit, ſe dudum à Cæſare, cùm in vivis eſſet, petiviſſe, nec impetrâſſe tamen, ut ne copiæ militares per ſuas Provincias iter facerent: id enim ſibi, atque ſubjectis eſſe permoleſtum, ſed ſe etiamnum hoc ipſum prohibere non poſſe: non enim eſſe ad manus vires, quibus obſiſtat, & Boicam eſſe adeò apertam, ut ſi vel maximè vellet, nequiret impedire, quò minùs ſe etiam invito, exercitus Hiſpanorum, quà fuerit lubitum, in Bohemiam perrumpat. Et verò etiam leges, morémque Imperij, amicis (maximè cùm accedit Cæſaris voluntas) huiuſmodi tranſitus permittere, modò de damno, per ſponſores caveatur. Sibi ſemper in optatis fuiſſe, ex quo turbæ Bohemicæ natæ ſunt, ut ijs ſedatis, iſtiuſmodi malis, quæ ex vicinorum bellis oriuntur, poſſet ſuperſederi. Et hoc quidem eſſe in Ordinum Bohemicorum arbitrio, qui ſi Regi ſuo, pro eo ac par eſſet, deferant, nihil fore de cætero, cur exteri exercitus in ipſos cum finitimorum detrimento educantur.

BOHEMI LITTERAS REGIAS FERDINANDI REJICIUNT: NEGANT SE SACRAMENTUM DICTUROS: INUADUNT REGNI MUNIA: ARMANT SUBDITOS.

Accepêre quidem Bohemi Ferdinandi Regis litteras, verùm, cùm non ad ipſos Ordines, ſed ad Præfectos regios, quos illi officio moverant, more recepto, eſſent datæ, nullo loco fuêre. Ergo communi conſenſu decreverunt, nullum Ferdinando ſacramentum dicere, niſi exercitu dimiſſo, poſtulatis Ordinum priùs feciſſet ſatis. Invasêre interea, dum ea præſtarentur, Regni gubernacula, publicæque rei adminiſtrationem. Monuerunt itidem Ordines, affixis paſſim edictis, ut toto Regno, qui armis ferendis eſſent magis idonei, ad ſigna centuriati in hoſtes tam domeſticos, quàm exteros, ſi qui regni finibus imminerent, ducerentur.

FERDINANDUS VICARIUM IN HUNGARIA RESTITUIT.

Ferdinandus ab Hungaris conſultò nullam exegit debitæ fidei & obſequelæ profeſſionem, ne dicendi ſacramenti prætextu, ad tumultum, aut importunas petitiones moverentur: ſatis habuit, Regni Palatino, qui Regis vices gerebat, vicariam ſummæ rei gubernationem demandare.

IV.

AUSTRII SUPERIORES REBELLIONEM ADORNANT.

Superiores Auſtrij, qui ad Anaſſum incolunt, juſſi Viennæ per delectos proponere, ſi quid propoſitum vellent, & per eos reſponſum accipere, non geſſêre morem, ſed frænato Danubio, ductâ in utramque ripam catenâ, geminíſque propugnaculis, quæ catenæ præſidio forent, excitatis, in Provinciali Comitio, poſtulârunt, ut, quò tutiùs rebellarent, Arx Linzenſis præſidio nudaretur, & ne Bucquoius, qui in ſuperiore Auſtria ſedem belli fixurus ferebatur, Auſtriæ fines ingrederetur.

AUSTRII INFERIORES DIVISI IN DUAS CLASSES.

Inferiores Auſtrij, qui Viennæ convenerant, erant in duas factiones diviſi. Qui erant Romanæ fidei, Ferdinando ſe lubentes volentes jurejurando obſtrinxerant: Cæteri, velut rem maturiùs expenſuri, ſacramentum diſtulerunt. Vel hinc palàm eſt, quid diſtent inſtituta ejuſce fidei, quæ jubet obedire præpoſitis, atque iis ſubjacere, præſtátque hoc ipſum quod docet, ab illâ, quæ id quidem docet in ſpeciem, ſed non præſtat, niſi cùm libet, & everſa Principum Imperia quoties poteſt, mutat cum Dominatu vel nullo vel populari, niſi Princeps pareat voluntati ſubjectorum.

V.

Cùm igitur paterna Ferdinandi benignitas, ab Acatholicis Auſtrijs nihil aut parùm, à Bohemis planè nihil impetraret, coactus eſt arma corripere. Quare Bucquoio, qui Budiviſij curabat, permiſſum, ſi quà poſſet, hoſti vim adferre: implevit is quidem vicinum agrum terroribus, ſed mox habuit Tribunum Kinſkium, qui cum mille alarijs & quingentis legionarijs primos impetus reprimeret.

BUCQUOIO OBSISTIT KINSKIUS.

Hîc

Hic quadringentos Hungaros de viâ, cùm Polnam tenderet, cecidit, excuſsítque prædam, quam de Bohemis opimam reportârant. Mox è Budiviſino præſidio quadringentos, in Schwanbergenſi dynaſtiâ, poſt trium horarum conflictum, Comitis Georgij Solmenſis auxilio oppreſſit, captis centum quadraginta, reliquis pleriſque occiſione deletis. Bohemi læti his ſucceſſibus, multorum indies acceſſione firmabantur. Turrianus ſedecim millium exercitum conflaverat, & factâ irruptione in Moraviam; Iglaviam, Trebizium, Moravo-Budiviſium, Zunamiam, aliáque loca ſubigebat, caſtríſque Olomucium verſus promotis, Walleniteinium & Nachotium, qui iſthic cum mille equitibus conſtiterant, in fines Hungariæ repulerat. Sileſij interea Lignizium & Rhenizium in ſuam poteſtatem redegerunt. His initijs, Bohemis prona omnia videbantur. Turrianus Prinam progreſſus, Moraviæ Ordines, cùm iſthic haberent Comitia, adegit; ut fœdere juncti cum Bohemis, venirent in belli ſocietatem, ijſdem legibus, quibus ſe nuper Luſatij adjunxerant. Hoc præterea expreſſit, ut Cardinalis Dietrichſteinius, & Carolus Tſcherotius, qui Ferdinandi partes tuebantur, tenerentur in cuſtodiâ. Prinenſis item Senatus, qui ex Catholicis conſtabat, unáque centum quinquaginta milites, quos legerat ad arcis præſidium, cæteríque Moraviæ Præfecti, poſt redditas dati & accepti rationes, exauctorarentur. Eccleſiaſticorum poſſeſſiones juſſæ in fiſcum referri, exceptâ tamen tenui ſuſtentatione. Monialibus facta eſt poteſtas contrahendi nuptias, acceptâ dote ex communi ærario. Tieffenbachius, qui ter mille armatos ductabat, tranſijt ad partes Bohemicas: Jeſuitæ è Moraviâ exterminati.

CÆDIT 400 HUNGAROS, ET TOTIDEM ALIOS.

TURRIANUS IN MORAVIA REM BOHEMICAM PROMOVET.

SILESII PARITER.

MORAVI CUM BOHEMIS SOCIATI; CÆSARIS MINISTROS DANT IN CUSTODIAM, SUBSTITUUNT ALIOS.

VI.

JESUITÆ PULSI EX MORAVIA.

Rebus hiſce confectis, Turrianus, qui deinceps ab Acatholicis Auſtrijs ſibi quidlibet pollicebatur, movit Viennam, Ordinum utriuſque Auſtriæ, qui tum iſthic agebant, & Viennenſium civium, qui non obſcurè Bohemorum cauſæ favebant, quà invitatu, quà fiduciâ urbis nullo negotio occupandæ. Verùm comperto per exploratores, validiore eam teneri præſidio, quàm ut prodi ab Ordinibus, aut à civibus dedi, aut ab exercitu poſſet expugnari, caſtris nocturno ſilentio inde motis, Labacum deditione accepit.

TURRIANUS IRRITO CONSILIO VIENNAM TEN-

LABACUM OCCUPAT.

Atque hæc quidem rei Auſtriacæ tum in Germaniâ erat conditio. Carolus Archidux Preslavienſis Epiſcopus, Sileſiorum rebellione atque inſidijs coactus, refugerat in Poloniam. Leopoldus Ferdinandi frater Argentinenſis & Paſſavienſis Antiſtes, curas in diverſa partitus, modò in Tiroli, modò in Alſatiâ, mox alibi verſabatur. Regi Ferdinando à ſubditis propè deſerto, copiæ omnino erant impares tantæ hoſtium multitudini. Sola Vienna (quanquam & ipſa haberet non paucos infidos, offenſóſque) nondum jugum excuſſerat. Non deerant etiam inter Regis conſiliarios, quorum fides erat dubia. Superior Auſtria, icto cum Bohemis fœdere, apertè rebellaverat. Inferiores Auſtrij nutabant, proni ad defectionem. Sileſij non videbantur arma poſituri, niſi pari cum Bohemis libertate potiti, à Rege extorquerent litteras (ut vocabant) Majeſtatis: Moravi cum Bohemis conſpiraverant: quicquid tandem ſpei faceret Ferdinandus de Privilegiorum confirmatione; apud armatos, & rebellione accenſos, nihil proficiebat. Tandem etiam Bohemi rebus ſecundis inflati, de Coronâ Ferdinando abrogandâ, conſilia cœperunt agitare.

STATUS RERUM IN AUSTRIA.

VII.

SILESIA.

MORAVIA.

BOHEMIA.

Omnium quidem ſtudia conſpirabant adverſus Principes Auſtriacos, ſed de alio deligendo, déque formâ futuræ gubernationis, inter ſe diſſidebant. Reſpiciebant nonnulli ad Ariſtocratiam, vel Democratiam, recenti Batavorum & antiquiore Helvetiorum exemplo: præferebant alij Monarchiam, utpote ad frangendam Auſtriacorum potentiam, Regis alicujus acceſſione, potiorem. Proceres enim pari ferè ambitu nullum è ſuâ gente præferri, nemini, quem æqualem habuiſſent, poſtponi ſe patiebantur. Civitates cupiebant aliquid de Dominatu delibare ſaltem, ſi totum abſorbere non poſſent: ſed Optimates nolebant ijs æquari, quos inferiores adhuc habuerant. Sperabant nihilominus omnes, per fœdera Vicinorum, quos jam habebant addictos, Bohemiæ potentiam,

quamcunque tandem formam indueret, poſſe magnopere amplificari. Nec diffidebant, Hungaros & pleroſque Germaniæ Proteſtantes, imò etiam Anglos, Danos, Batavos, alios (tam erant ſpei immodici) in cauſam venturos; quippe, quos eadem in Auſtriacos odia, & communium ſacrorum ſtudia ſtimularent.

IIX.

Ferdinandi Regis animi magnitudo et proviſio.

Inter hæc Ferdinandus Rex pro inſitâ animi magnitudine, & ingenti in Deum fiduciâ, ſibi & cauſæ non deerat. Antequam ad Francofurtenſia Comitia, pro Rege Romanorũ eligendo, diſcederet, ſedecim millium exercitum, partim ex Hungaricis, Italicis, Belgicis; partim ex Germanicis copijs, quæ tum Saxoni Lavenburgico, tum Dampetro parebant, Bucquoio cum ſummâ Legati poteſtate commiſit. Secuta eſt de Mansfeldio memorabilis ad Theinam ſex ferè horarum conflictu reportata victoria. Inde Wittigavia, Theina, Camiſca, oppida alia, ad Ferdinandi obſequium reducta; expugnata arx Erenbergica, occupata Roſenberga, ſoluta Budiviſij à Bohemis cincti obſidio, tantúſque terror paſſim incuſſus, ut Bohemicorum Ordinum juſſu, Turriano, omiſſâ Auſtriâ, in Bohemiam fuerit redeundum. Nam & Græzena, Weitrachium, Angeloſteinium, Schacolicium, Hohenberga, Birbachium, Wallenſteina recepta, non modicè Bohemos perculerant, eo maximè, quòd Bucquoius apertâ in Auſtriam viâ, facilè inde auxiliares copias accipere, & viciſſim cùm uſus foret, eò mittere valeret. Progreſſus iſtos & rerum ſecundarum felicitatem nonnihil temperavit clades octingentorum Hungarorum, quos ad Soltianum, Comes Solmenſis delevit. Bohemici Directores, omni pacis abjectâ cogitatione, Comitia menſe Julio Pragam exciverunt, ut conceptam Ferdinandi Regis abdicationem, communi omnium Ordinum conſenſu, atque decreto firmarent. Leges pleræque (centum aliqui memorant) quæ ſucceſſori fuerunt præſcriptæ, erant ejuſmodi, ut, cùm Catholicæ Religioni admodum eſſent infeſtæ, futurum Regem ſic aſtringerent, ut ſi quas violaret, illicò Regiâ dignitate decideret, & ſubjecti omni fidei in ipſum, & obſequij nexu ſolverentur. Talia ponebantur Regni admodum brevis fundamenta. Ita habent res humanæ, cùm offenſo Deo geruntur, & perverſo ordine: Inſtar magnæ molis arenâ ſubnixæ, & mox in rudera abituræ, ingentem novi Regni fabricam Bohemi meditabantur.

Bucquoius Mansfeldium profligat, varia loca occupat. Turrianus revocatur in auxilium Bohemiæ.

IX.

Comes Solmenſis 800. Hungaros cædit. Comitia Bohemica de Rege abdicando.

Betlemus Gabor Hungariam invadere cogitat.

Betlemus Gabor molientibus addidit animos, datis ad Ordines litteris, quibus cùm eos hortabatur ad conſtantiam, tum promittebat auxilia. Parabat videlicet expeditionem in Hungariam, invitatu Proteſtantium, & inani fiduciâ, fore, ut Turcarum auxilijs eo Regno potiretur.

X.

Arma parantur in Imperio. Maximilianus militem conſcribit.

In Imperio paſſim habebantur delectus. Correſpondentes non in Germaniâ modò per ſuos Ductores, ſed etiam apud exteros per Mansfeldium, & Donavum Comitem, magnas copias conſcribebant. Armabant è diverſo Catholici. Maximilianus Boicæ Dux, ut erat acri ad futuras curas ingenio, mox poſt Matthiæ Cæſaris exceſſum, cùm ex Bohemorum, aliorúmque molitionibus facilè collegiſſent, quanta tempeſtas eſſet oritura, ratus opus eſſe armis & celeritate, ad avertenda pericula, exercitui comparando, quà domi, quà foris dare cœpit operam. Factum initium Monachij. Ut verò ſibi atque publico Numen propitiaret, ex Ordinariorum decreto, preces horarum quadraginta partitis in ſingula templa vicibus, toto propè anno voluit continuari. Legerunt etiam, tum Moguntinus Septemvir, tum Herbipolenſis Epiſcopus, non contemnendum militem. Quinto Idus Julij, Monachium appulit Regis Britanniæ, miſſus ad Ferdinandum Regem, Legatus, de pace, ſi qua conciliari poſſet, ineundâ. Verebatur Rex in paucis pacificus, nec abs re, ut ne ſuus Gener Palatinus Elector, periculoſo fœderi alligatus, pravis ſuorum conſilijs, ad belli cum Bohemis ſocietatem abriperetur. Quâ de re cum Maximiliano Legatus prolixè locutus, ejuſdem ad tranquillitatem propenſione exploratâ, bonæ ſpei plenus perrexit in Auſtriam, comperítque, Ferdinando Regi nullam rem pace fore potiorem.

Conſcribunt Moguntinus Elector, et Herbipolenſis Epiſcopus.

Legatio Regis Britanniæ.

XI.

Ferdinandus Rex.

Appetebat interea dies dictus futuræ Regis Romanorum electioni, cùm Ferdinandus Rex, Leopoldo Archiduce fratre Viennæ Vicario relicto, civiúmque armis

armis in Armamentario ſepoſitis(ne quid adverſus præſidium, de cuius contubernijs erant queſti, molirentur) ſe dedit in iter: Intererat enim eum à Comitijs non abeſſe, tum ne Bohemicæ Coronæ jus negligeret, tum, ut eorum votis, qui ipſum ad Imperij faſtigium invitabant, faceret ſatis. De viâ 14. Cal. Auguſti divertit ad Maximilianum, qui venienti, cum Aulâ cultiſſimâ proceſſit obviam, ſtipatus mille quadringentorum egregiè armatorum manu. Plateas utrinque ſepiebant cives, præclarè in diverſas cohortes diſtributi. Effudit ſe ad tanti Regis conſpectum, civitas univerſa. Maximiliani lætitia nullis verbis poteſt exprimi. Sanguinis arcta conjunctio, affinitas ex ſorore, quæ Ferdinandum felici prole beaverat: adoleſcentia per familiarem in Lycæo Ingolſtadienſi conſuetudinem ducta, virtutum & affectuum conſpiratio, admirabilem efficiebant animorum nexum, & conſenſionem. Diebus aliquot cum ſummâ utriuſque voluptate Monachij poſitis, diſceſſit Ferdinandus eò lætior, quòd & amici fidem ac benevolentiam,& bellicum apparatum coràm inſpexiſſet. Abſentem proſecutus eſt Maximilianus fauſtis adprecationibus, ut Deus bene verteret ipſius deſideria. Equis meritorijs cum honeſto quidem, ſed modico comitatu, venit Francofurtum, atque iſthic reperit Moguntinum, Colonienſem, & Trevirenſem Septemviros, Palatini verò, Saxonis,& Brandenburgici Legatos.

Divertit ad Maximilianum.

Bohemi iniquiſſimo animo tulerunt, Regem, quem Ordines ſuâ lege exauctoratum dixerant, ad Comitia fuiſſe admiſſum. Ne ſuffragij jure potiretur in electione, per Legatos, per litteras, ſolennéſque conteſtationes egêre vehementer, ſed fruſtrà; Legatis, ne in urbem quidem admiſſis, rejectiſque cauſis, quas Ferdinandi odio, Septemvirûm Collegio propoſuerant. Ut ventum eſt ad ſuffragationes, ritè atque ordine 5. Cal. Septemb. Romanorum Imperator eſt renunciatus Ferdinandus II. & 5. Id. Septemb. Imperij inſignia ſuſcepit, gratulantibus bonis omnibus, lamentante (quod produnt ſcriptæ ad varios litteræ) Camerario Calviniſtâ, qui primarius Conſultorum fuit, qui Friderico Electori Palatino, earum, quas perpeſſus eſt, calamitatum authores fuêre.

Bohemi fruſtra eum conantur ab Auguſtali Comitio removere.

XII. Creatur Imperator.

Prodigij loco habitum, quòd non multò ante Cæſareæ inaugurationis celebritatem, examen apum, quod ex alveari migraverat, omnibus, qui in foro (quod Francofurtenſes Romanum dicunt) aderant, ſpectantibus, ante Curiam Auguſtalem conſedit, donec à Francofurtenſi quodam patritio, receptum alveo aſportaretur. Conjectores interpretati ſunt, Ferdinandum benigniſsimi genij Principem, rei communi, non dominandi cupiditate, ſed publicæ ſalutis ſtudio, bene conſulturum.

Bonum augurium.

XIII.

Dum hæc Francofurti gererentur, Bohemi, Sileſij, Moravi, Luſatij, Pragæ de Bohemiæ Coronâ in alium transferendâ, conſilia agitabant. Conſultationibus intererant ex equeſtri nobilitate proceres unus ſupra nonaginta, habebant etiam civitates in Comitio ſuos Legatos. Operoſa fuit in ſpeciem de ſubrogando Rege ſententiarum conflictio; ſed, qui rerum potiebantur, in Fridericum V. Comitem atque Electorem Palatinum jam antè ſua vota contulerant. Hunc igitur 7. Calend. Septembris, pleriſque Civitatum aſſentientibus, ex Optimatibus triginta ſex, Bohemiæ Regem dixerunt, juſſeruntque renuntiari. Secuta mox publicæ lætitiæ demonſtratio, plauſus populi, acclamatio, compulſatio campanarum, tormentorum curulium fragores, feſtiva Hymni Ambroſiani decantatio. Nec mora, miſſi celeres ad Fridericum Legati, qui tot populorum vota referrent, rogaréntque, vellet deſtinatum Regni ſceptrum, & diadema auſpicatò delatum admittere. Condita deinde lex, quæ pœnas perduellionis & proditæ patriæ, decernebat omnibus, qui contra Ferdinandi abdicationem mutirent.

Fridericus eligitur Bohemiæ Rex.

Hæc ſimul ac ipſi fuêre relata, Unito-Proteſtantes, qui Norimbergæ rei eventum expectabant, ipſúmque Palatinum Electorem, ab iſtâ Bohemicæ rebellionis ſocietate graviter eſt dehortatus, additis etiam promiſſorũ delinimentis, ſi quâ par erat fide, Juſtitiæ, quam nemo niſi malus improbaret, ſua ſtudia commodarent. Perſuaſit aliquibus, qui rem ſapientiùs expenderant, alijs, quos rerum

Ferdinandus monet Fridericum, et Unito-Proteſtantes.

rum novandarum cupido occupaverat, obſurdeſcentibus. Legationem pro Cæſare obijt Comes Hohenzolleranus. Aures animúmque Friderici Electoris, perverſis conſilijs impleverant Camerarius alijque, quos ambitio in Domini ſui perniciem dementaverat: eorum ipſe vota ſecutus, Bohemorum de ſe optionem probavit, dolendo juxtà ac fatali errore, qui longam malorum Iliadem in Germaniam invexit. Penes exitioſos conſultores, culpa fuit potiſſima, ſed pernicies penes Principem, ſequiora complexum. Parùm ad rem facit, pereátne quis ſuo unius vitio, an ſimul alieno: nimium quantum eſt, non ſine, vel levi culpâ perire: Credita eſt etiam ipſius conjux, ambitionis vela Anglici ſanguinis ſpiritibus impleviſſe, cùm diceret, non eſſe conveniens illi, qui Regis filiam ſibi matrimonio junxiſſet, velut è cœlo oblatum Regnum reſpuere, dignum eſſe ſceptro, qui Regiam habeat uxorem. Longè ſaniora ſuaſit ſocer Rex magnæ Britanniæ: ſed fiducia adfuturi in tempore ab alijs Regibus ac Principibus, à fœderatis, & magnâ Germaniæ parte auxilij, aliæque offuciæ induxêre in fraudem Principem alioqui non inclementem. Rem pro eo, atque ad huius ſcriptionis ſpectat inſtitutum, paulò repetam altiùs.

Fridericus Ferdinandi monita susque deque habet.

XV. Cùm Bohemorum Legati de factâ electione ad Fridericum retuliſſent, quamquam eorum in ſe animum dudum perſpectum habuerat, nec ignoraret Ferdinandi Regis jus atque injuriam, prævideretque motus ex tantâ mutatione naſcituros, & verò etiam ijs, quos dixi ſuorum fraudibus impulſus, totus inclinaret ad Bohemiæ diadema, ſi id quidem à Regni Ordinibus offerretur; nihilominus ubi in rem præſentem venit, pro eo ac ſolent propiùs viſa, oculos magis, quàm remotiora percellere, altiùs rem demiſit in animū. Obverſabantur cogitanti, longè quàm antè clariùs ingentia pericula, quibus ſe, ſuos poſteros, alios graviſſimarum dimicationum ſocios, ditionéſque ſuas eſſet implicaturus: Non latebat, quis multorum eſſet de Ferdinandi abdicatione ſenſus; qui, ſi verum haberet, non apparebat, quî poſſet dari atque accipi bonis artibus, quod malis alteri eſſet ademptum. Et ut pro Bohemis ſtarent jura omnia, non conſtare tamen, quorſum fortuna tandem eſſet inclinatura, quæ nulli unquam tam fida fuit, ut non debuerit ſemper eſſe ſuſpecta. Tam eſſe ipſi familiare rapere, quæ donavit, quàm donare, quæ rapuit. Non defore adverſario manus, quibus noceat, qui habiturus ſit in acie totius Auſtriacæ Domûs armatas clientelas: ergo non poſſe caput propoſitæ Coronæ ſubijci, quin tot obijciatur hoſtibus, quot Auſtriaci habeant amicos. Quid denique profuturi ſint ad arcendam

Rem tamen propius inspicit. Eius curæ ancipites.

XVI. eorum potentiam ingentes animi, ſi deficiant vires, ſi periculorum ſocij fidem fallant, ſi ex eventis res ſuas metiantur, ſi denique etiam cœperint adverſari? Raram eſſe amicitiam, quæ velit conſtanter ſuo malo, alienis commodis inſervire: longè fore ſatius, in mediocri fortunâ quieſcere, quàm augendo potentiam, adire tantarum turbarū agitationes. Poterant hæc, & ſi quæ præterea curas metúmque adferebant, nutantem ad æquiora inclinare; ſed vicit maleſuada maleferiatorum conſultorum opinatio, & renidentis Coronæ illecebroſa lenocinia, quam fucabant ſpes, quas dixi, incertæ, & religionis larvata à Calvini aſſeclis incrementa. Utut tamen ſe res haberet, voluit Fridericus explorare tum Acatholicorum Principum, tum Maximiliani Ducis ſenſa. Oſtendêre Saxoniæ & Brandenburgiæ Septemviri, ſe magnopere improbare Palatinianorum conſilium: nec probarunt alii permulti, quibus erant cum ipſis, cúmq; Friderico ſacra communia.

Ultimum decretum.

Maximiliani tentandi hæc cauſa præcipua. Licèt Catholici Imperii Principes, cum eo jam fœdus icerant, quo ſuarum provinciarum fines tuerentur, atque eam in rem jam tum aliquæ copiæ erant in armis, cùm tamen incertum eſſet, quo tandem animo eſſent futuri, ſi Friderico Bohemiam invadente, à Ferdinando Cæſare vocarentur in auxilium, videbatur magnopere ad tam arduæ expeditionis emolumentum pertinere, habere cognitum, an Maximilianus, à quo exercitus Catholicæ Unionis magnam partem pendebat, hoſtis Friderico, an amicus eſſet futurus: profuturum illum quidem, ſi faveat; minùs autem nociturum, ſi vel neutrarum fuerit partium, vel ſaltem apertus hoſtis, à quo ſibi Fridericus poſſit cavere.

Maximilianum consulit.

Ergo

Ergo ad ipſum Legatio decernitur. Princeps Legationis fuit Rheinhartus Solmenſis Comes: additi bini Friderici Conſultores. Summa mandatorum hæc: Electorem Palatinum Dominum ſuum, nuper in Francofurtenſi Septemvirûm Comitio, pro ſingulari ſuo, tum in Maximilianum, tum in rem communem ſtudio, cum ſuo voto Imperatorem legiſſe. Id argumento eſſe, cur ſuſpectare non debeat fœderatorum copias, quæ propediem in ſuperiorem Palatinatum eſſent venturæ. Has enim eò duntaxat ſpectare, ut fines tuerentur, citra omnium, Maximiliani præſertim, offenſionem. Militis legendi neceſſitatem impoſuiſſe fœderatis, numeroſos delectus, qui paſſim fiant ab alijs, deportationes & contubernia copiarum, metum excurſionum, rapinas prædatorum, irruptionum tumultus. Fridericum Electorem magni beneficij loco habiturum, ſi ex Maximiliano poſſit cognoſcere, quid tandem ſpei fœderatis, Friderico præſertim eſſe poſſit, ſi quæ vis injuſta, aut hoſtilitas ingrueret: item, ſi in fœderatorum exercitu annonæ aliqua inopia exiſteret; denique quænam foret ratio reconciliandæ in Imperio amicitiæ, quæ ex mutuis ſimultatibus propè omnis intercidiſſet. Quod verò ad Bohemiæ Regnum adeundum ſpectabat, pro re natâ duntaxat, non ex profeſſo debere Legatos Maximiliani mentem explorare; atque hoc quidem primarium erat Legationis caput. PER LEGATOS. XVII. LEGATIONIS CAPITA.

Ad priora Maximilianus reſpondit, ſe pro eo, quòd Elector Fridericus in Septemvirûm conventu, tam honorificam de ſe ſententiam dixiſſet, habere immortales gratias, & verò etiam relaturum, ſi unquam reponendi beneficij naſcatur occaſio. Pergratum etiam ſibi fuiſſe cognoſcere, cum militem, qui in citeriore Palatinatu luſtrandus ſit, nihil periculi, aut incommodi ullis Imperij Ordinibus allaturum: ſe item confidere, ex Bohemiæ & ſociarum Provinciarum turbis, nullos in Imperio motus excituros: daturum præterea Fridericum operam, ut quemadmodum ſuas ditiones tutas eſſe velit ab alieno milite, ita etiam tueatur alienas, ne à fœderatorum, vel ſuis copijs quicquam accipiant detrimenti, quod vel maximè de Bambergenſibus, Herbipolenſibus, & Eiſtattenſibus velit intelligi. Si quæ traducendi exercitus neceſſitas inciderit, neutiquam id Dominis, aut ſubjectis fraudi damnóve eſſe debere, petendam eſſe priùs commeandi libertatem, repræſentandum annonæ pretium, modeſtè atque citra ullius damnum aut moleſtiam eſſe agendum. Revocarent tamen Legati in memoriam, quid cladis accepiſſent Solmenſes equites, quid damni ager Eiſtattenſis, in quo recens factâ ex improviſo irruptione, Marchio Sigiſmundus ſtativa pro ſuo arbitratu habuiſſet. Quòd ſi porrò is agendi modus procedat, non defore juſtas miſerorum querelas, qui ægrè patiantur ſe redigi ad incitas. Atque his quidem adhibenda eſſe remedia, fore alioqui proclive admodum, ut Principes ſuorum defenſionem ſuſcipiant, & qui inito fœdere ad mutua auxilia ſunt adſtricti, junctis viribus ſeſe mutuò tueantur. Minas à Correſpondentibus in vulgus jactatas; damna accepta, adegiſſe Catholicos, ut adverſus inopinatos caſus, aliquem militem conducerent, nulli tamen, niſi defenſionis causâ vim allaturum. MAXIMILIANI RESPONSUM. XVIII.

De belli ſocietate, ſi quæ fors injuria Catholicorum juxta ac Acatholicorum ſubſidia expoſceret, manere apud Maximilianum certum fixúmque, quod jam antè erat conſtitutum. Quòd ſi quis annonæ defectus in Friderici Electoris exercitu contigerit, æquo pretio è Bavariâ, quantum quidem Maximiliani uſus, & ſubjectorum commoda patientur, peti poſſe. XIX.

De ratione reſtituendæ in Imperio concordiæ, credere Maximilianum, nuper in Septemvirûm Comitio, atque in Bohemicâ tractatione actum eſſe. Et ad hanc quidem rem plurimùm valituram Friderici, aliorúmque induſtriam: malum non eſſe uſque eò deſperatum, ut curari non poſſit.

De Bohemico diademate cùm mentio aliqua incidiſſet, Rheinhartus Solmenſis Comes, pro eo atque habebat in mandatis, profeſſus eſt, Ordinum Bohemicorum vota, Fridericum, præter omnem ipſius expectationem nedum ambitum, ad Regiam dignitatem deſtinâſſe: Ab illis propediem adfuturos Legatos,

qui diadema ſceptrúmque offerant: ſed Fridericum pendêre animi, quid in re tam difficili, conſilij ſit capiendum. Videri quidem eum divinitus ad Regnum vocari: ſed ipſum metuere Ferdinandi Cæſaris offenſionem: ſperare tamen, ut cùm illud ægrè, Bohemis adverſantibus, retinere poſſit, fore ut malit venire in manus amicas & conſanguineas, quàm ad hoſtes, à quibus præter inſidias & grandia mala nihil poſſit expectare.

Maximilianus diſſuadet Friderico Bohemicam Coronam.

XX.

Quâ de re, cùm maximi eſſet momenti, Maximilianus maluit per litteras agere cum Electore Friderico, quàm ſua reſponſa committere fidei alienæ, in cujus ſit arbitrio, plura pauciorávc pro ſuo affectu, referre: perinde enim atque ex ipſo fonte ſinceriùs quàm ex rivulis hauritur aqua, ita credebat animi ſenſa, è proprio pectore quàm ex ore alieno, meliùs depromi, eò maximè, quòd Friderici Miniſtros pleroſque noſſet rerum novarum ſtudio eſſe corruptos.

Scripſit igitur Friderico in hanc ſententiam: Sibi eſſe perſuaſum, ipſum, utpote columnam Imperij, & communis patriæ ſtudioſum, non eſſe ejus animi, ut novas turbas excitare velit in Imperio. At enim Bohemiæ Regnum, abſque ingenti Germaniæ concuſſione, invadi non poſſe: ſecum reputaret, quàm rarò, veriùs, nunquam, Bohemis grati, tutíve fuiſſent Principes exteri: atque eam quidem ob rem, olim Albertum Bavariæ Ducem, oblatum diadema recuſaſſe: famam eſſe, ab Ordinibus graviſſimas Regi futuro leges, & velut ſpeciem quandam ſervitutis, eſſe impoſitas, quas ſi ipſe ſubeat, quanti id oneris ſit futurum? Quòd ſi verò in Germaniâ eam ob rem naſcatur bellum, vix quieturos Ottomannicos, ſed fore proclive, ut per Betlemum Gaborem Hungariam ſaltem, Orbis Chriſtiani propugnaculum, nitantur occupare, atque inde in Imperium

XXI. inveteratâ ambitione & odio in Chriſtianos, irrumpere. Veſtigia Turcicæ ſævitiæ atque tyrannidis, quæ fixa jam ſint in Tranſylvaniâ, Moldaviâ, & Wallachiâ, cæteris Provincijs debere eſſe terrori. Ergo inde metuendum bellum exitiale à gente immanitate barbarâ, hinc à Domo Auſtriacâ, quæ jus ſuum in Bohemiæ Regnum non ſit neglectura: Eam non fore quietam, ſed viribus omnibus Ferdinando Cæſari opitulaturam. Hunc à toto Septemvirûm Collegio, pro legitimo Bohemiæ Rege eſſe agnitum, atque eò nuper in Comitijs iviſſe in ſuffragia. Tale præjudicium multum ſanè ponderis habiturum, nec paſſurum Ferdinandum, Coronam ſuo capiti tantis ceremonijs impoſitam, impunè atque cum ignominiâ detrahi. Quid hinc, niſi diviſa Principum ſtudia, bella, & incredibiles calamitates? Non eſſe forſan Bohemos eò uſque à Ferdinando alienos, neque omnes in ejus caput ſic conſpirâſſe, quin poſſint ad mentem & obſequium redire, reconciliare amicitiam, reddere obſequium. Ejuſce cauſæ exemplum, cùm ad omnes prorſus Reges atque Principes vel maximè pertineat, credibile eſſe, ne ab ipſo quidem Britanniæ Rege eſſe probandum: non fore vertendum vitio Domûs Auſtriacæ Principibus, nedum Ferdinando Imperatori, cujus dignitas agitur; ſi conſumptis fruſtra omnibus rei componendæ remedijs, arma denique corripiant, ad ſui defenſionem.

Fridericus conſilium de regno accipiendo defendit et explicat.

Ad hæc reſpondit per litteras Fridericus: Se publicæ tranquillitati nihil anteferre quidem; ſed neque fraudi eſſe debere, ſi oblatum divinitus, & velut è cœlo miſſum diadema ſibi patiatur imponi, quippe quod nec ambierit, nec amet privati commodi gratiâ, aut deſiderio augendæ dignitatis. Atqui ſe credere, parendum divinæ vocationi. De Regis Ferdinandi abdicatione, curæ Bohemis fore, ut eam probent Orbi Chriſtiano: eos nuper paratos fuiſſe, Electorum Collegio ſui facti rationem reddere, ſed ne ad dicendum quidem fuiſſe admiſſos. Nihil

XXII. equidem ſibi eſſe cum Betlemo negotij: non fore tamen mirum, ſi Hungari multa, tam in ſacris, quàm in civilibus rebus adverſus Regias conceſſiones perpeſſi, finitimis ejuſce Regni præſidijs, annonâ, réque tormentariâ propè nudatis, ad Bethlemi auxilia reſpexerint, atque hinc quidem etiam eſſe manifeſtum, quantum interſit, Reges ſua cum ſubditis pacta conventa ſervare ad amuſſim. Demum ſe à Maximiliano petere, ut Palatinas regiones, non ſecus ac proprias, velit ha-

lit habere commendatas, ſimul à Bohemicâ cauſâ abſtinere, arcere à ſuis finibus externum militem. Decimo poſtquam has ſcripſerat die, ad Maximilianum Ambergâ dedit alteras, quibus denunciavit, ſe Bohemiæ Coronam tandem admiſiſſe, & cum eſſet in procinctu ad profectionem, Joannem Comitem Palatinum Ducem Bipontinum ſuis ditionibus cum vicariâ poteſtate, præfeciſſe: optare ſe, ut Maximilianus cum ipſo ſervet amicitiam, pacémque cum Palatinianis ſubditis.

Maximilianus cognati ſanguinis miſeratione, & impendentium malorum metu, properantem ad interitum, in viam revocare conatus eſt per litteras, quarum hoc erat argumentum. Intellexiſſe Maximilianum ex binis Friderici litteris, non fuiſſe ingratas, quas ad ipſum nuper dederat de repudiandâ Bohemiæ Coronâ, atque eas quidem eo ſenſu fuiſſe acceptas, ut, quemadmodum res erat, creditæ ſint, ex ſincero affectu eſſe profectæ: ſe quidem veniſſe in ſpem, fore, ut coràm eâdem de re fidenter & amicè poſſet agere, & prolixiùs quas ſcripſerat rationes, explicare, ſimul eas ſuggerere, quæ aliquantò plus lucis attuliſſent, tum ad reijciendum Bohemiæ diadema, tum ad turbas Bohemorum cum Cæſare componendas. Verùm quando jacta eſſet alea, nihil ſupereſſe conſilij, quo ab incepto Fridericum deterreat: debere tamen fateri, ſe cogitatione non aſſequi, qui fieri poſſit, ut ex Bohemicis motibus Imperij incolumitas, totiúſque Germaniæ quies naſcatur. Hoc ſolatij eſſe reliquum, quòd, in quemcunque tandem caſum res venerint, amanter, fideliterque, quæ commoda ſint viſa, Friderico aperuerit: Domum Auſtriacam res ſuas non neglecturam, & vix, ac ne vix quidem futurum, quin ſuppetias per Bavariæ fines traducat; id tametſi damno futurum ſit, non poſſe nihilominus prohiberi, niſi ſedes belli figatur in Boicâ, & cum Domo Auſtriacâ, ipſiúſque fœderatis, capitales inimicitiæ contrahantur. Non videri legibus Imperij conſentaneum, Cæſarianas legiones, quæ amicè ſe gerant, prohibere tranſitu, & debitam ſupremi in Imperio capitis rationem non habere. Cæſarem, Cæſariſque amicos, non debere eſſe deteriore loco, quàm alios. Fridericum enimvero, extero militi per ſuas ditiones in Bohemiam eunti, non obſtitiſſe, non obſtitiſſe itidem ejuſce fœderatos: iſtis exemplis non debere concedi, ut Cæſaris hoſtes ſint ipſo Cæſare in Imperio potiores. Addidit alia de cauſis conſcripti à Catholicis exercitûs, ad ſui defenſionem; eos enim non immeritò vereri, ne poſtquam Romanam Religionem in ſuo Regno Bohemi everterint, eandem in Germaniâ nitantur ſtirpitus evellere, quanquàm à Friderico mitiora ſperentur.

Maximilianus eundem denuo admonet. XXIII.

XXIV.

Certè graviter percelli Catholicorum animos, nonnullis crudelitatis exemplis. Caſſoviæ de duobus Religioſis, unóque præterea adoleſcente in foro, mox poſt abſoluta divina, causâ indictâ, capitis ſumptum eſſe ſupplicium; eſſe alia, quæ paulatim erumpant in apertum: nihilo tamen ſeciùs Bohemos, Hungaros, alióſque polliceri Catholicis omnem conſcientiæ, rituúmque Romanorum libertatem. Talia autem facinora, nihil cum iſtiuſmodi pollicitis conſentire; procul abeſſe à deſiderio reconciliandæ mutuæ fiduciæ & conſenſionis, quod ipſe Fridericus præ ſe ferat: concludit, Deum precando, ut omnia bene feliciterque evenire jubeat.

Ferdinandus Cæſar, poſt Auguſtalia ſolennia, Francofurto digreſſus, ex itinere denuo per Boicam ad Maximilianum divertit. Monachij acceptus fuit cum ſingulari obſervantiâ & amoris ſignificatione. Ingreſſuro prodijt obviam prolixa rhedarum pompa: eundem proſecutæ ſunt alariorum turmæ tredecim, omnes inſigni cultu. Pedites, qui celebritatem ornârunt, quater mille. Cæſaris currum præceſsêre Dux Palatino-Neoburgicus, Albertus Maximiliani germanus, & Teſchinenſis Princeps Sileſius. Cæſar Maximilianum voluit eodem ſecum curru vehi. Æneæ machinæ pro mœnibus in campo extra Neohuſinam portam triginta ſex ordine locatæ, feſto fragore Cæſari venienti ſunt gratulatæ; cæteræ pro muris ſuum quoque exhibuêre honorem. Cives nihil prætermiſerunt, quod præſtare poſſent ad colendam Cæſaream Majeſtatem. Ferdinandus octiduum Monachij exegit, atque inde ſuo & Catholici fœderis nomine, legationes

Ferdinandus Cæsar redit Monachium. XXV. Excipitur magnificè.

nes decrevit ad Summum Pontificem, Reges Hiſpaniarum & Galliarum, ad Septemvirum Saxoniæ, & ad ipſum Palatinum Bohemicæ Coronæ imminentem.

PACTA CONVENTA DIRECTIONIS EXERCITUS CATHOLICI. XXVI.

Per idem tempus in tabulas ſuæ Sac. Cæſ. Majeſtatis, & Maximiliani Ducis manu ſubſcriptas, relata fuerant pacta atque conditiones, quibus Maximilianus liberam exercitûs fœderis Catholici directionem in ſe ſuſcepit. Conventum autem fuit in has leges. I. Maximilianum Bavariæ Ducem, prout ipſe pro rerum ac temporum ratione utile eſſe duxerit, fide integrâ Sac. Cæſ. Majeſtati & fœderatis, quantum vires patientur, contra eorum hoſtes opitulaturum, ubi primùm rebus ad id neceſſarijs fuerit inſtructus. II. Cæſarem, ejúſque Domum, nullam cum hoſtibus pacis tractationem, armorum ſuſpenſionem, aliáſve pacis conditiones, inſcio aut invito Maximiliano, neque Maximilianum vice versâ, inituros. III. Maximilianum ad belli ſumptus, inſtar aliorum Imperij Ordinum Catholicorum, ratam portionem collaturum; ſi quid præterea, rebus ita poſcentibus, contulerit, aut majoris notæ damna acceperit in auxilium Sac. Cæſ. Majeſtatis, Cæſarem cum universâ ſuâ Domo ad hoc refundendum, ſub hypothecariâ cautione bonorum omnium, fore obligatum. IV. Si contingeret, Maximilianum quicquam de ſuis ditionibus per talem expeditionem amittere, Cæſarem ejúſque Domum tantundem repoſiturum. V. Quicquid de Provincijs Auſtriacis Maximilianus, ejúſque hæredes ac ſucceſſores hoſti armis eripuerint, id omne cum univerſis emolumentis, juribúſque, loco pignoris retenturos, cum jurisdictione abſolutâ, aduſque ſumptuum extraordinariorum & damnorum refuſionem. Ab his tamen excepta ſunt Telonia, Salinæ, Fodinæ, & ſi quæ alia ad Principis fiſcum, ſive ut vocant, bona Cameralia pertinent. Monachio diſceſſit Cæſar Ferdinandus 8. Id. Octob. & per Salisburgum, indéque per Stiriam Viennam revertit.

FRIDERICUS SUSCEPTÆ CORONÆ BOHEMICÆ APOLOGIAM EDIT. XXVII.

Fridericus Elector Palatinus, ſuſceptis prid. Non. Novembris, Pragæ, Bohemici Regni inſignibus, quarto pòſt die per litteras Apologiam edidit, quâ Chriſtianis Principibus, orbique univerſo, occupati Regni rationes redderet. Id nimirum ſibi propoſitum, ut primùm tueretur Religionis, Evangelij, & conſcientiæ libertatem, adverſus jugum Pontificium, & politicam Dominationem: deinde, ut arceret horrendas ſubjectorum populorum afflictiones, templorum everſiones, regionum devaſtationes, iniquas ſubſidiorum exactiones, belli Turcici obtentu, ſolitas extorqueri: deinde, ut ſartam tectam præſtaret legum Regni, in quibus ſtatus publici columen ſit ac fundamentum, atque Rudolphinarum (quas Majeſtatis nuncupant) tabularum obſervationem: ad extremum, ne Regnum, quod electione deferri oporteat, hæreditariâ ſucceſſione deinceps occupetur. Id verò ſe Numine priùs implorato, communicatóque cum amicis conſilio, adiviſſe, ne ſuæ conſcientiæ, aut divinæ vocationi, cui nefas ſit obluctari, poneret obicem. Subjectorum ſalutem ſibi unicè curæ futuram, nec cuiquam religionis causâ fore gravem, ſed pacem cum omnibus, concordiam & vicinitatis jura ſanctè habiturum.

EA SUPER RE SCRIBIT MAXIMILIANO. XXIIX.

Idem, litteris Norimbergâ prid. Non. Decembris ad Maximilianum datis, eadem illa prolixè de integro repetijt, graviter expoſtulans, quòd Bohemorum Legatio, à Francofurti Comitio nec admiſſa, nec audita fuiſſet: adjecit multa, de pacis tam in Bohemiâ, quàm in Imperio ſervandæ rationibus, quæ nullo numero apud nonnullos fuiſſent: non obſcurè enim denunciavit, fore tandem, ut ſi exterorum arma in Imperij viſcera admittantur, oppreſſi, rebus neceſſarijs deſcendant ad ſui, rerúmque ſuarum juſtam defenſionem: effundendi ſanguinis culpam penes illos fore, qui bellum excitârint. Porrò nihil eſſe, quòd Maximilianus à rebus Bohemicis timeat, ut ſibi religioni ducat, ſi militem externum è ſuis finibus procul habeat: id enim per Imperij Conſtitutiones omnino licere. Subſidiarias legiones ad Bohemos miſſas, longè diverſæ eſſe rationis, quibus proinde commeandi licentiam fas fuerit indulgere. Sibi verò omnino perſuaſum, nullum ex Imperij Principibus fore, qui contra Bohemiæ Regnum, aut Palatinas ditiones arma induat, palàm, clámque opem ſuppeditet, tametſi conſtet, aliquos indies

indies novos habere delectus. A Correſpondentibus hoſtile nihil eſſe metuendum; ſibi verò omnino eſſe conſtitutum, in Bohemiâ à Catholicorum vexatione abſtinere: quòd ſi fortè quippiam ab alijs in eo genere admiſſum; ad eos pertinere, ut culpam excuſent: ſe tamen arbitrari, eos uno alteróve loco, per impatientiam acceptarum injuriarum recordatione, rationis cancellos excedere potuiſſe. Videamus porrò cætera atrociſſimi belli initiamenta. Eodem iſto, quem dixi, menſe, ex Norimbergenſi Correſpondentium Conventu, cui Fridericus aderat, ad Maximilianum redijt Rheinhartus Comes Legatus, cum oppidò gravibus atque minacibus poſtulatis, quorum hæc erat ſumma: Bohemiæ Regem Imperij Septemviros, Principes, Comites, atque Civitates Evangelicæ religionis Correſpondentes, in Norimbergenſi Comitio probè atque libenter intellexiſſe. Ducem Bavariæ, alióſque nominis Catholici Principes atque Ordines, parare arma quidem, ſed quæ non ad inferendã vim, ſed defendendam ſpectarent, & eo quidem jure, quod natura, omniúmque gentium jus, ſemper dictâſſet, dictarétque exulceratiſſimis iſtis Reipub. temporibus, quæ Imperio cladem, patriæ perniciem minari videantur, niſi gliſcenti malo maturè occurratur. Evangelicæ Unionis fœderatos, eodem omnes animo turbas atque tempeſtates averſari: velle ipſos, amicorum loco habere Catholicos, non ſecus atque ſuorum ſacrorum ſocios, niſi, quod abſit, rebus neceſſarijs ad ſequiora conſilia adigantur. Diſſenſionum fomitem exiſtere ex injurijs, quæ Proteſtantibus adverſus Pacificationis legem inferantur. Eos quidem continuò de ijs quiritari, ſed in caſſum: differri enim perpetuò promiſſa à Cæſare remedia, itáque non mitigari, ſed nimiâ fruſtratione exaſperari læſos quiritantium animos. Non videri omnino eſſe ex vano rumores, quaſi his malis, non niſi ex civili ſanguine fieri poſſit medicina: fidem ejuſmodi dictis conciliari, dum cernuntur Romano Catholicorum manus formidando ferro indies armari, dum audiuntur exteræ legiones, cædibus & hauriendo Germanico cruori propè imminere: Proteſtantes, nullo ſuo crimine, deſignari ad lanienam. Has eſſe cauſas, cur ipſi, cùm ſuam ſalutem, religionem, innocentiam inſuper habere nequeant, capere debuerint conſilia juſtæ propugnationis: nullam ſanè ab Hiſpanis, qui contra Imperij Leges, ſeſe Germaniæ infuderunt, æquitatem eſſe expectandam.

Legatio Correſpondentium ad Maximilianum. XXIX.

Eorum querimoniæ.

XXX.

In Imperij Judicijs, quoties de ſacris ritibus, de rebus ad religionẽ pertinentibus, de ſacroſanctis poſſeſſionibus, res eſt, Judicum ſubſellia majore Romanenſium numero inſeſſa, Catholicorum cõmodis ſua vota librare, juſtiorem cauſam obrui multitudine ſuffragiorum, quæ non ponderantur, ſed numerantur. Juſtitiæ bilancem, ſuffragantium pietate, ad æquipondium componi oportere. Plura allata de peregrino milite, à Germaniæ, præſertim Fœderatorum finibus, cohibendo, de Eccleſiarum patrimonio, quod Acatholici contra Religionis pacem paſſim uſurpâſſent, in poſterum retinendo, de Donawerdâ in ſtatum priſtinum reducendâ; de libellis in publicum ſparſis, de conſuetis Acatholicorum querimonijs, quæ quidem omnes, ſi intra bimeſtre ſpatium, amicâ partium conſenſione, additis idoneis ſponſoribus & vadimonij ſecuritate, tranquillentur, nihil prorſus eſſe, quod Romano-Catholici ab Evangelicis infeſtum metuant; ſin ſecùs, Fœderatos iuris ſui rationes expedituros. Nudas pollicitationes, quales hactenus fuêre adhibitæ, nullius prorſus fore pretij: luculentam ergo & categoricam reſponſionem ſuper his, intra bimeſtre à Fœderatis expectari: fruſtra fore, ſi ad futura Comitia hæc poſtulata reijciantur: cùm enim nihil in his præter comperendinationes adhuc ſit impetratum, certum eſſe Proteſtantibus, deinceps ab ijs abſtinere, donec tot eorum petitionibus fuerit factum ſatis. Proinde Bohemiæ Regem, Fœderatóſque rogare, ut Bavariæ Dux, pro inſigni ſuâ prudentiâ & authoritate, eam ſatisfactionem à Catholicis velit impetrare; id ſi fecerit, futurum toti Germaniæ felix ac ſalutare, ipſi verò Duci præclariſſimum, ac celebrem illuſtriſſimi nominis immortalitatem.

Ad hæc Maximilianus per ſuos in hanc ſententiam (verba non adnumero)

Maximiliani reſponſa.

XXXI. reſpondit: Sibi gratum fuiſſe, cognoſcere pacatos Correſpondentium animos, ſtudiúmque reparandæ veteris inter Germaniæ Principes amicitiæ & aureæ tranquillitatis: omnino ſe ejuſdem eſſe mentis, nec quicquam, niſi ineluctabilis neceſſitas aliud exigat, contrà moliturum. Quòd ſi privatæ quorundam cupiditates non obſtitiſſent, nihil hodie eorum, quæ populorum ſeditiones concitant, quæ vaſtitatem agris, civibus cædes, urbibus excidia minantur, ſuperfuturum; ſed vigeret in Imperio pacata tranquillitas, & abeſſent finitimorum factiones. Videri interea, rem non procùl eſſe à Romani Imperij exitiabili calamitate, cùm nihil ſit propiùs, quàm ut convellatur Imperij Majeſtas, & Principes in factiones diviſi, inter ſe collidantur. Viderint illi, quorum artibus in talium calamitatum confinium deventum ſit, quamnam à poſteris gratiam ſint inituri. Eorum enim foret, illæſam Imperij fortunam, dignitatémque, transmittere ad Nepotes. Quòd ſi ſecus faxint, inanes fore exquiſitos rerum malè geſtarum colores: genuinam conſiliorum perinde atque corporum formam tegi quidem, ſed tolli non poſſe, tempus ipſum larvam aliquando detracturum. Catholicos ſumpſiſſe arma, nemini cuiquam, nedum Correſpondentibus, nocitura; niſi ſi quis voluerit ſibi noceri. Legatos ſuorum Principum verbis addicere ſecuritatem, aſſeverare, nihil hoſtile eſſe ab ijs metuendum, in nullum, qui tranquillè vixerit, à vi abſtinuerit, ferrum ſtricturos, atque id quidem exordium orationis; ſed reliquum contextum, procul ab iſtâ comitate diſcedere. Quid enim tale ſperetur à tantâ deproperatione, quæ res maximi momenti, quas anni plurimi non potuerunt confectas dare, cogit intra bimeſtres anguſtias, cùm tamen Correſpondentes nolint cogi, aut ullis ſpatijs circumſcribi? Id genus petendi multùm abludere ab amicorum lenitate, & valde affine videri Manlianæ ſeveritati. Sed quid illud, quòd niſi confeſtim, citra longiorem deliberationem, promittatur nova judiciorum & Magiſtratuum forma, par utrinque Judicum numerus, Eccleſiaſticorum ſpoliorum uſurpatio, Donawerdæ poſtliminium, exterminatio peregrini militis, omnium, quæ hucuſque ab Acatholicis motæ ſunt, litium, optata deciſio; niſi per ſponſores ſatisdetur, ſi res ad Imperij Comitia differatur, Fœderati ſint juris ſui rationes expedituri? Id profectò non eſſe amicè cum volentibus velle agere, ſed cogere velut ſub coronâ, & invitis minaciter imperare. Atque hæc quidem eſſe ejuſmodi, quæ accuratè revocata ad libellam, miram præ ſe ferant ſpeciem odiorum: ſed Maximilianum tamen mitiora ominari, & adhibere orationi Legatorum, benigniorem interpretationem. Non enim videri eſſe credibile, Correſpondentes tam eſſe ſeveros, ut adeò dura mandârint, nedum obſtinârint. Longè abeſſe ab eorum humanitate, à patriæ charitate, & curâ publicæ ſalutis, ut velint è veſtigio proſilire ad arma, niſi mox fiant imperata, & ſi ea, quæ injuſta cenſeri debeant, atque ex conſequenti negari, non ſtatim præſtentur, citra longiorem deliberationem. Catholicis, velut in re compertâ, quæ orbi univerſo palàm ſit, eam ſententiam altè eſſe impreſſam, mox à conſtitutâ pace Religionis, Proteſtantes cœpiſſe ejus leges violare: id hodiéque verſari in omnium oculis, patere Eccleſiarum ſacratúmque poſſeſſionum uſurpationes, palpari rerum anguſtias, in quas Catholici ſunt redacti, non latere, quàm multa Acatholicorum molitionibus facta ſint deteriora. Maximilianum credere, manifeſta eſſe Catholicorum gravamina, Acatholicorum verò longè aliter habere, nec videri dubium, quin jure poſſint diſceptari. Et poſtulata quidem Proteſtantium repugnare conſuetudini, longo uſu in Imperio receptæ, adverſari antiquæ poſſeſſioni partis alterius. Sed & illud, quod de æquilibrio judiciorum adfertur, eſſe ejuſmodi, ut non ſit maturaturum exitum controverſiarum, ſed potiùs majoribus difficultatibus implicaturum. Indicabat videlicet Princeps ſapientiſſimus, id tandem ex iſto æquipondio futurum, ut, qui accepit injuriam, nihil, aut vix quicquam unquam, à Judicibus pari numero in contrarias ſententias diviſis, opis conſequatur, ſed uſurpatio rei alienæ, Juſtitiæ victrix, pergat interim, dum res in perpetuo æquilibrio pendebit, afflictis ſine fine dominari.

Cæterùm

Cæterùm pauca eſſe inter Proteſtantium poſtulata, quæ privatim ad Bavariam pertineant, Ducem tamen ſalutipublicæ & Religioni tantundem auxilij debere, quantum Proteſtantes ſe debere pro ſua parte fateantur. Jam ſæpe ſæpius datas eſſe publico, & Proteſtantibus præſertim, Civitatis Donawerdanæ rationes, videlicet pignoris loco duntaxat à Maximiliano teneri: ubi primùm ſumptus in eâ compeſcendâ facti, per Donawerdanos, aliósve reſtituti fuerint, nihil moræ futurum, quo minùs in antiquum ſtatum revertatur. Ei difficultati finem fore, ſi, qui tantopere ipſi patrocinantur verbis, re quoque ipsâ collatâ æris debiti ſummâ, velint patrocinari. XXXI.

Porrò neſcire Maximilianum, quis controverſiarum deciſionem ſit remoratus; non tamen neſcire, haud pauciores à Catholicis, qui ſuis ſe poſſeſſionibus à Proteſtantibus exutos queruntur, quàm ab Acatholicis in ſingulis Imperij Comitijs ſolere moveri, quæ cùm ad eam diem, per tales procraſtinationes hæreant in dubio, facile eſſe ſtatuere, utra partium ſit læſa enormiùs.

Et quanquam eidem non conſtet, an, & quidnam Cæſar ſit pollicitus de amicâ compoſitione, tamen cùm rerum perturbatio, quæ Romano Imperio immineat, per eam poſſit averti, haud dubiè Proteſtantes unà daturos operam, ut talis compoſitio iniri poſſit, & ſigillatim (quòd adhuc non potuit ab ipſis impetrari) explicaturos ſuarum querelarum materiam; id niſi fecerint, fore ut ad concordiam nunquam queat deveniri, & culpa in Proteſtantium procraſtinationem referatur.

Quòd verò Catholici alijs ſuper alijs affecti damnis, rite atque ordine juris remedia popoſcerint, non plus id fraudi eſſe debere, quàm Acatholicis, qui viciſſim de ſuis (ut vocant) injurijs conqueruntur. Fruſtra adiri Judices, niſi eorum ſententia expectetur: aliorſum qui deflectit, hoc ipſo prodere, quòd vel deſperet de obtinendâ æquitate, vel ſibimet jus velit dicere: quod ſi cuivis liceret, nemo iniquus damnaretur unquam, & tali judice nullus, aut vix ullus ſuum jus obtineret. Catholicos ſemper fuiſſe paratos, ſuorum factorum & conſiliorum reddere Judicibus rationem, neque id etiamnum detrectare; atque id quidem ſatis videri, ad tollendas Correſpondentium ſuſpiciones. XXXII.

De ſparſis in vulgus libellis & rumuſculis, de ijs præſertim, quibus jactatur Evangelicorum querelis ſuccurri non poſſe absque cæde & humano ſanguine, operæ pretium facturos Evangelicos, ſi authores ejuſmodi libellorum & rumorum ediderint: tametſi facturi ſint conſultiùs, ſi plus tribuerint publicis Principum decretis & pactis, quàm vanis iſtiuſmodi malè feriatorum narratiunculis: alioquin ſi ſimilia famæ commenta, in cenſum atque æſtimationem venire debeant, Catholicis Ordinibus, indies uberiorem ſuſpicandi ac diffidendi materiam præberi, quando ex varijs, qui paſſim jactantur, codicillis, audiunt jam confectos eſſe indices Archiepiſcopatuum, aliorúmque Sacerdotiorum, quæ certis hominibus ſint deſtinata: quando Correſpondentium legiones ſuis vexillis diſtinctas, conſpiciunt, & legunt, quæ Eccleſiæ ſpolia cuique Tribuno ac Centurioni, immo Legionario, quæ prædia Deo dicata, ceſſura ſint in prædam, aut ſtipendium: cùm privatim in circulis, & palàm in foro jactatur, ſacrorum hominum Ordinem, unà cum ſuo capite, ex rebus humanis eſſe tollendum.

Ut verò Catholici id genus terriculamentis nihil moveantur, opténtque iſtiuſmodi commenta Legibus Imperij caſtigari, attamen vereri Maximilianum, ut ſi tam graves Correſpondentium minæ atque interminationes, in vulgus emanarent, fieret à plerisque conjectura, decretum eſſe Evangelicis, ſua poſtulata humano ſanguine imbuere, contrà ac de ipſis ſentiat Maximilianus. XXXIII.

Etenim Catholicos, quorum ipſe cauſam nequeat deſerere, talibus conſilijs non dediſſe anſam, non feciſſe delectus, niſi Bohemicis turbis, & Correſpondentium exemplo coactos; priùs tam domeſticum, quàm peregrinum militem, viritim, manipulatim, agminatim vidiſſe intra fines Imperij ſuis capitibus immi-

nen-

nentem, agentem prædas, incubantem Catholicis regionibus, quàm de ſui tutelâ, nedum de ullâ vi inferendâ cogitarent. Non defuiſſe quidem illis jam pridem cauſas arma induendi; cùm cernerent, novis quotidie injurijs Eccleſias affici, ſuis poſſeſſionibus ſpoliati; ſed credidiſſe eos, conſiliorum moderatione omnia priùs quàm armis, eſſe tentanda.

Herbipolenſem Epiſcopum paulò maturiùs aliquem feciſſe apparatum: ſed feciſſe poſt turbas Bohemiæ, póſtque peregrinorum militum graſſationes & occupata contubernia: poſt famam, quæ paſſim vulgaverat, velle Proteſtantes, controverſiam ad Epiſcopum ſpectantem, brevíque à legitimo Judice terminandam, ad aliud tribunal avocare & dirimere, imò pro ſuo arbitrio dare executioni, cum ingenti damno Epiſcopatûs & injuriâ. Jam antè eum vidiſſe, à Proteſtantibus arma comportari, annonam, cæterúmque belli apparatum: meminiſſe eum, paucis antè annis, cùm intempeſtivâ ſpe ſecuritatis, à milite legendo abſtinuiſſet, aliquot centenorum millium ducatorum damna, ſe accepiſſe. Debuiſſe videlicet ſapientem Principem, cum piſcatore, ictum ſapere, atque fieri ex malis præteritis, in futura cautiorem.

XXXIV. Et univerſim quidem, oportere Principes omnes atque Ordines, ſive ſeculares, ſive Eccleſiaſticos meminiſſe ſuæ obligationis, quâ juramenti vinculo, ad ſuorum Principatuũ jura, privilegia, ac fines pro virili tuendos, ſunt obſtricti. Quòd ſi Eccleſiarum Antiſtites caſtrorum inſueti, complicatis ulnis, debent eſſe ſui exitij otioſi ſpectatores, nihil eos diſtaturos à proſcriptis, quorum facultates cujusque direptioni publicè ſunt apertæ. Non fuiſſent adverſus eorum ſalutem hoſtium conſpirationes, abfuiſſent minæ, arma, expilationes, hodie metum fuiſſe abfuturum, homines ſacros divino cultui intentos, ne ferrum quidem adſpecturos. Militem poſſe legi ab omnibus Principibus, nullo religionis diſcrimine, modò legatur juxta leges Imperij. Hoc intereſſe, quòd legem violâſſe is cenſendus ſit, qui laceſſiverit, qui vim fecerit, qui hoſtem fecerit, qui provocarit ad defenſionem. Supervacaneum eſſe referre, quàm iniquè Catholicorum aliqui à Correſpondentibus habiti ſint, & adhuc nonnulli habeantur: quid ſint paſſi à ſuppetijs, quas Acatholici misêre in Bohemiam. Atqui ſi Catholicus Princeps militem ſcribit, ſi continet intra ſuos fines, ſi arcet à finitimorum damnis, ſi de ſuo præſtat annonam & ſtipendia, nihil cauſæ videri, cur ullius culpæ poſſit accuſari. Sed Cæſar per Catholicorum Regiones, pérque ipſam Boicam, militem externum in Bohemos eduxit. Eſto, ſed non eſt Ducis Bavariæ, Cæſari dare leges, ſed à Cæſare accipere. Bavaria eundem illum militem illubens paſſa eſt, quem Acatholici per ſuos fines, nihil repugnantes, jam tranſmiſerant: repuliſſent illi, Bavaria non admiſiſſet: admiſit, quos nequivit arcere, & admiſit perinde atque Correſpondentium & Bohemorum auxiliares, quos ſi cohibuiſſet, hodie Correſpondentes & Bohemi quererentur, crederéntque Bavariam non ſibi minùs, quàm Cæſari debuiſſe. In Cæſaris exercitu fuiſſe quidem exterarum gentium milites; atqui ſub ſignis Correſpondentium, fuiſſe Gallos, Italos, Wallones, Scotos.

XXXV. De Bavarico apparatu ſic rem habere: Bohemicos motus, copias Auſtriacas, arma Correſpondentium, meritò curas injeciſſe Duci Bavariæ, ne qua vis Boicæ, Circulóve Boico (cujus ipſe caput eſt) fieret: ſerpebat indies longiùs Bohemicum incendium, videbantur inde finitima periclitari, atque nihil eſſe propius, quàm ut proximos Bohemiæ Boios flamma corriperet. Creditum fuiſſe initio, brevi ignem iſtum reſtinguendum, eóque lentos & tenues habitos eſſe delectus, ſed ſumptuoſos ac difficiles; quòd ex ipsâ Weſtphaliâ petendi, cùm propior miles ad aliorum ſtipendia jam defluxiſſet; ſed neceſſarios, quòd ipſorum Correſpondentium confeſſione, orbis Bavaricus alioqui tutus eſſe non poſſet. Ubi Bohemici tumultus creverant, ubi gemini erant in Germaniâ exercitus: ubi Betlem Gabor Turcæ fiduciarius, in Hungariam irruperat, jam Viennam uſque, flammas,

mas, ferrum, ſævitiam tulerat, jactabátque patêre adhuc clauſtra, quibus ſui Majores penetrâſſent in Bavariam: cùm Correſpondentium equites in Eichſtattenſi Epiſcopatu, Marchionatu Anſpacenſi, ab incolis, pro libidine, hoſpitia, victúmque extorquerent, prædas agerent, in eadem ditione quingentos equites Hungariæ & Bohemiæ Regi auctoratos, profligaviſſent, oportuiſſe tandem curas intendere, conquirere rationes tutandorum finium, augere vires, & ſe ad tam manifeſta pericula comparare. Adhucdum copiarum aliquid expectari, ſed quæ citra noxam venturæ ſint: eas, ſi contingeret præter inſtitutum & leges, quibus adhuc uſæ ſint, Correſpondentium limites aliquantùm carpere, Maximilianum, ſi id Tribuni non faciant, damna præſtiturum.

Tandem Correſpondentium Poſtulata, quæ ipſi *indiſputabilia* nuncupant, non eſſe ejusmodi, quæ tam feſtinatam, cámque decretoriam deciſionem admittant, ut bimeſtri ſpatio, cum reali ſatisdatione ſecuturæ executionis, poſſint definiri: nedum à Maximiliano Duce ſic agi, ut à Catholicis Imperij Principibus atque Ordinibus, tantâ celeritate & juris ſui incogitantiâ, probentur. Non enim eſſe cogitandum, ipſos ita prodigos eſſe ſuæ libertatis, ita incurioſos Religionis, & rerum ſuarum negligentes, ita meticuloſos aut ignavos, ut ſervilem in modū ad alienæ voluntatis arbitrium illico flecti poſſint, quaſi omnino ſuæ exiſtimationis obliti, ſeſe obtorto collo, velut ad furcas Caudinas, rapi patiantur. Et hoc quidem tale eſſe, ut à Maximiliano, ſine crimine tentari, ſine temeritate ſuaderi non poſſit, præſertim Principibus Electoribus, quorum in Imperio eſt tanta prærogativa, dignitas, & ſapientia, ut eam momento non ſint peſſumdaturi. Tales cauſas, quæ ad omnes Catholicos pertinent, ab omnibus in commune expendi oportere. At enim quanti negotij foret, tot Catholicos Ordines, tam vaſtis terrarum, & forſan etiam opinionum ſpatijs diſſitos, intra bimeſtre cogere in unum locum, aut adducere in unam ſententiam, ut de rebus tam gravibus, quæ perfunctoriè duntaxat tam brevi tempore poſſent tractari, decretoriè ſint pronunciaturi? Ad animum revocent Correſpondentes, pro ſuâ prudentiâ, quid futurum eſſet, ſi quippiam iſtiusmodi à ſui fœderis hominibus peteretur; an ſperari poſſet, eos tam benignè id accepturos, ut confeſtim velut rem debitam, decentémque eſſent addicturi? Potuiſſe nuper Herbipoli mentem Catholicorum exquiri, & citra comperendinationem explicatè cognoſci, cùm iſthic in Comitio, non de Correſpondentibus infeſtandis, nedum exterminandis (quod nonnulli commenti ſunt) ſed de pacis ſervandæ, & communis ſalutis rationibus, conſilia agitarent: eam quidem occaſionem eſſe è manibus elapſam, ſed ſupereſſe adhuc modum agendi per Electorem Moguntinum Germaniæ Archicancellarium, cujus partes ſint, cùm res publica vertitur, Conventum Ordinum Imperij indicere, & deliberationis capita proponere. Quòd ſi non imperioſè, ſed eâ, quâ par eſt moderatione, tanquam unius corporis membra Correſpondentes cum Catholicis, dato, quantum ſit ſatis deliberandi intervallo, agerent de ratione utrinque acceptâ & tolerabili, tollendi è medio diſſenſionum ſemina, & revocandi ad æquitatem, quæ temporum atque hominum injuria labefactavit, id verò futurum idoneum ad reconciliandos animos, & benevolentiam fiduciámque mutuam reſtituendam: ut verò hoc, metu, qui malus ſit conciliator charitatis, pejórque diuturnitatis cuſtos, tentetur, ſuaderi prudenter non poſſe: quantum enim formidini accedit, tantum decedere amori. XXXVI.

Poſtremò Maximilianum vix poſſe ſibi perſuadere, à Comitio Norimbergenſi Decretum tam gravibus poſtulatis, & interminatione fuiſſe ſancitum; multò minùs credere, quòd cæteris Auguſtanæ Confeſſionis Ordinibus, qui Evangelicorum nomine etiam velint cenſeri, ita placeat, ut non malint omiſſis iſtiuſmodi malorum denunciationibus, humanè ac benevolè agi cum Catholicis, qui, cùm ad eandem Rempublicam pertineant, nec animis aut numero cedant Acatholicis, ex conſequenti paſſuri non ſint, ſe aliter quàm decet unius corporis XXXVII.

partes, dignitate & prærogativâ præcellentes, ab ijs tractari. Eos nunquam eſſe averſatos benignum agendi modum, qui legibus Imperij eſt conſtitutus, ac proinde nunquam eò fuiſſe progreſſos, ut Correſpondentes ullâ vi aut periculorum metu laceſſerent. Atque hæc quidem Maximilianum, tametſi ad Catholicos omnes, & pleroſque Confeſſionis Auguſtanæ Ordines, reijcere potuiſſet, prolixiore nihilominus declaratione, voluiſſe aperire Correſpondentibus, ut intelligant, ipſum omnino cupere, dare operam, ut ſi ipſi quidem pacis deſiderio teneantur, reipsâ ſentiant, Maximilianum eodem, ut qui maximè, teneri. Proinde eum etiam atque etiam illos hortari, ut probè expenſis belli incommodis, dubio præliorum eventu, exemplo Bohemicæ calamitatis, & miſerijs, quæ ſeu à Turcis, ſeu alijs exteris, in Germaniam communem omnium patriam poſſunt invehi, ſi (quod proclive eſt fieri) veniant in belli ſocietatem, aut ex Germanorum Principum diſſidijs belli per ſe inferendi occaſionẽ nanciſcantur; ſecum ipſi deliberent, an non benignitas, mutua charitas ac concordia, denique amica pacis compoſitio, civilibus diſcordijs, cruentis dimicationibus, præcipiti executioni, & communi calamitati, ſint præferendæ. Atque hæc quidem Monachij, Anno M. DC. XIX. ultro citróque acta. Prætereo reſponſa alia; tum quòd in idem propè recidant, tum quòd accuratè ſint in vulgus edita, eo præſertim Germanico volumine, quo Acta huiusce temporis publica recenſentur.

BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS III.
LIBER V.

Auſtria Superior Cæſari ſubjecta, Inferior pacata, ſubacta Bohemia.

An. Christ. M. DC. XX. Causæ Germanicarum turbarum. I.

ANnum damus, rebus, à Maximiliano præſertim, geſtis memorabilem. Ordiemur à cauſis, quæ tot in Germaniam motus hoc noſtro, & ſuperiore ſeculo concitârunt: quas juvat ſub unum ſimul aſpectum ponere perpaucis, ne narrationis curſum morentur. Exercuit iſta quæſtio multorum ſcriptorum ſtylum & ingenia, ſed affectu diſpari, longéque differente ſentiendi & ſcribendi ratione. Acatholici originem bellorum tribuêre Catholicis: hi viciſſim in illos rejecêre. Sed crederem, neutros culpâ caruiſſe; minore, majore, prout divinam iram ad ſcelerum vindictam plus minúsve hi vel illi provocârunt. Si quæ partium ſibi conſcia eſt tantæ integritatis & innocentiæ, ut nullius prorſus improbitatis contactu fuerit deformata, eam dicemus à bellorum cauſis procul abfuiſſe; ſin ſecus, bellorum ream ſe fateatur, eſt neceſſe. Deum excivêrunt ad arma, impietas, perfidia, luxus, faſtus, immenſa habendi cupiditas, libidinum eluvies, ventris ſervitus, ſacrorum injuſtæ contrectationes, uſurpationes, nundinationes & contemptus, odia mortalium Vatiniana, alia id generis. Hæc, ante Lutheri aliorúmque dogmata, ſic dominabantur, ut rarus eſſet, quem ſuo jugo non ſubjeciſſent. Ea ubi menſuram expleverant, redundârunt in pœnas, non ſecus atque torrens nimbis tumefactus per plana exæſtuando, *ſata læta boúmque labores, præcipitésque trahit ſylvas, rapit omnia ſecum.* Catholicos cæteris facit meliores conſtans fides, ſana doctrina, Eccleſiæ, quæ nunquam deficit, perſeverans ſanctitas, multorum innocentia & vitæ integritas. Cæterùm in commune res non poteſt meliùs explicari, quàm verbis Adriani Papæ VI. cui orbis Chriſtiani, Germaniæ præſertim, probè erant noti mores. Is in mandatis quæ dederat Franciſco Cheregato Norimbergæ apud Sac. Rom. Imp. Ordines Nuncio Apoſtolico, An. M. D. XXII. Cal. Decembris, de cauſis Luthericæ vexationis ſcribens, his verbis loquitur: *Item dices, nos ingenuè fateri, quòd Deus hanc perſecutionem Eccleſiæ ſuæ inferre permittit, propter peccata hominum, maximè Sacerdotum, & Eccleſiæ Prælatorum. Certum enim eſt, non eſſe abbreviatam manum Domini, ut*

Peccata.

II.

ſalvare nequeat, ſed peccata dividere inter nos & ipſum, & abſcondere faciem ſuam
à nobis, ut non exaudiat. Clamant ſcripturæ, peccata populi derivari à peccatis Sa-
cerdotum, proptereàque (ut ait Chryſoſtomus) Salvator noſter curaturus infirmam civi-
tatem Hieruſalem, ingreſſus eſt priùs templum, ut peccata Sacerdotum priùs caſtigaret,
inſtar boni medici, qui morbum à radice curat: & paucis interjectis: Omnes nos (id
eſt Prælati & Eccleſiaſtici) declinavimus, unusquisq; in vias ſuas, nec fuit jam diu, qui
faceret bonum, non fuit usq; ad unum. Peccaverat igitur, ſicut populus, ſic & Sa-
cerdos, & Germania nimiâ multorum annorum felicitate perfuſa, nimióque
III. quaſi ſanguinis æſtu prærcalida, remedio eguit, quod fecit Deus immerſo in tu-
mentes venas ferro, quas cruore ſimul & ſcelere levare voluit. Id negotij per-
miſit novationi doctrinæ, quæ inimica eſt diſciplinæ cœleſti. Eâ nihil ad ma-
Hæresis effecta. lorum cumulum auctius, nihil ſævius ad vindictam. Prima diximus, dicamus
ſecunda. Hæc religionis diſſenſio mentes infecit, turbavit judicia, concuſſit
fundamenta regnorum, avertit ſubditos à Dominis, membra à ſuo capite, mi-
ſcuit ſacra profanis, & non ſecus ac vipera venenum ſpargendo, nihil à ſuâ na-
Lud. Avil. de bell. Bohemico. turâ fecit alienum. Ab orbe condito hactenus Novatoribus proprium ac fami-
liare eſt, canere claſſicum, ciere Martem, ſurſum deorſum vertere imperia, Mo-
narchias, Regna. Conflictus Agricolarum in Algoiâ, Alſatiâ, in Saxoniâ, Tu-
Serere bella potestati resistere. ringiâ, alibi, hoc loquuntur. Bellum Smalcaldicum, Friderici Saxonis & Haſſi
ſpiritus, nondum excidêre memoriâ. Lutherus increſcens, eiúſque diſcipuli
prima turbarum libamenta propinârunt: adulto ſupervenit Calvinus, qui ſanè
non ſuſtulit vitia, ſeditiones, rebelliones. Crevit malum, creſcendi ſpatium de-
dêre Catholicorum diſſidia, auxilio fuêre, qui minimè debuerant, fuêre tamen,
quia id voluerunt ſimultates inextricabiles, ambitio immenſa, obtentus è ſcholâ
politicâ, Dei neglectus. Alimenta præbuerunt averſæ Catholicorum opes.
Usurpare bona Deo dicata. Hinc itum ad Paſſavienſe pactum, & malè ſervatam pacem Religionis, quâ fa-
ctum, ut ſacrarum poſſeſſionum detentio, licentia credendi, ſacráque in vitâ &
morte miniſtrandi, firmaretur. Sed neque ſic pax firma fuit. Illa enim, ne-
IV. gligente an connivente Principe, quòd de malâ bene, vel de meliore causâ
minùs bene ſentiret, fuit impune violata; grandiores in Eccleſiâ ſtrages editæ.
Hucuſque Confeſſioniſtæ, quamquam non omnes, pari modo (certè Saxoniæ
Septemviri cæteris fuêre moderatiores, uti & fidei in Cæſarem retinentiores)
ſed in Confeſſioniſtarum ſocietatem venerunt alij. Non potuit ſacris opibus
tam multorum ſatiari cupiditas, potuit tamen irritari. Quiſquis tum Patrimo-
nium Chriſti defenderet, vim inferre; qui repeteret, rapere dicebatur: ita de re-
cuperatione vel hiſcere, crimen erat, morte piandum. Interea Catholici pleri-
que, ut manſuetæ oves, vellera ſibi detrahi, opes auferri, accidi potentiam in-
viti ſentiebant, patiebantur tamen reclamantes: plurimum erat, ſi aliqui ſua re-
tinerent, ſociorum incurioſi: nec defuêre aliquorum Nepotationes, Nepotiſmi,
in rebus Dei oſcitantia, tandem etiam paucorum à fide defectio, verbo, Iliacos
Litt. Frid. IV. Palat. ad Duc. Wirtemb. an. 1600. 14. Aug. ad Bipont. 1600. 8. Octob. Archivum fœderis Proteſt. c. 1. intra muros peccabatur & extra. Hæc tametſi ita haberent, metuebant tamen
Eccleſiarum detentores, legem repetundarum, & ne ijs detractis, ad priſtinam
mediócritatem, vel ſanè egeſtatem laberentur. Igitur, quia non modò ritibus,
ſed etiam opibus cautum volebant, nolebant parta à ſe repeti. Hic Rhodus,
hic ſaltus, hic ſcopulus, & cardo rerum Spiræ, Wormatiæ, Auguſtæ, Ratiſbonæ,
Francofurti, ubi ubi erat Comitium. Aſſumebatur rei invenuſtæ, larva minia-
ta. Acceſsêre ad hæc violenta conſilia, conſilijs, partium acceſſione crevêre
vires, cum viribus crevit audacia. Animos addidêre concilia Fridbergæ, Heidel-
bergæ, Aſchhuſij, alibi. Eò tandem ventum, ut Cæſar tentaretur: ſi faveret, be-
Caraff. Conſult. Caulu. Heidelb. Verid. German. ne quidem; gratia erat futura uſui: ſi foret difficilior, urgeretur: ſi prorſus eſſet
averſus, panderentur vela occaſioni, arriperetur anſa exprimendi ab invito, quod
impetrari à lubente non poſſet. Ab his conſilijs ad facta eſt deſcenſum, ſed
callidè. Si enim Comitia metu Ottomannicæ irruptionis indicebantur, ars erat,
debita ſubſidia ſacro rerum ſacrarum pretio habere venalia, nec præſtare, niſi
repræ-

repræſentaretur pretium, vel penſaretur libertate vivendi. Tandem tot debuêre concedi, ut vis dominationis, Majeſtáſque, ſi non frangeretur, inflecteretur. Ex hoc torculari expreſſæ per Bohemos litteræ Majeſtatis, quarum communionem alij appetiêre: iſtis ſubditorum laxamentis ſolvebantur Reipublicæ vincula, creſcebat audacia, & habendi immenſa cupiditas. Tandem à minis ventum eſt ad manus, ad bella civilia, quæ ſortita ſunt exitum, nec optandum bonis, nec malis profuturum. Ex his principijs noſtrâ ætate, quæ provenêre arma Correſpondentium, Bohemorum contumacia, motus Hungariæ, Auſtriæ rebellio; fecêre, ut Maximilianus, tum de Catholici fœderis ditionibus, tuendíſque Boicæ finibus, tum de juvando Cæſare, ex nupero pacto, ſolicitus, copias augêret indies. Ea res Correſpondentibus ingrata, Friderico Electori Palatino non vanas ſuſpiciones movebat, fore tandem, ut Maximilianum adverſarium pateretur. MAXIMILIANUS AUGET EXERCITUM. V.

Quare pridie Non. Jan. litteris ad Maximilianum datis ſignificavit, ſe quidem non videre, quam ob rem ille tantos faciat belli apparatus; quandoquidem Correſpondentium miles, nihil ſpectet præter defenſionem: & cum quidem eâ causâ ſcriptum, quòd Catholici Principes delectus habuerint, quòd jactatæ ſint paſsim gravium malorum minæ, & exteri ab Imperij finibus eſſent prohibendi. Atque hæc quidem ſpecioſè. Verùm Maximilianum non latebant, Correſpondentium vires, conſilia, fœdera cum exteris, miſſæ in Bohemiam ſuppetiæ, prædæ, quas de Catholicis egerant, contubernia, quibus eoſdem vexaverant, pericula quæ ab ipſis imminerent, niſi foret in promptu exercitus, quo in officio continerentur. FRIDERICUS EIUSCE CAUSAM INQUIRIT.

Sed nec par erat Cæſarem deſtituere, qui publico edicto propediem erat damnaturus Friderici Pragenſem inaugurationem, & poſcebat adverſus rebelles præſentanea auxilia. Tentatis enim fruſtra clementiæ remedijs, tandem Ferdinandus Cæſar 4. Cal. Febr. vulgavit eam, quam dixi, damnationem, graviter incuſans Bohemorum ſub Matthiâ Cæſare contumaciam, vim illatam Regijs Vicarijs, alijſque proceribus, dejectos ſuâ dignitate atque officijs regios Miniſtros, uſurpata Regni munia, intruſos Directores, ſpretam Matthiæ clementiam, fœdera adverſus Regem inita, vocatos in auxilium hoſtes exteros, contemptum oblatæ confirmationis privilegiorum, delectus toto Regno habitos, tractos ad defectionem Moravos, Olomutium, Prinam, Pilsnam, unáque Regia inſignia occupata, Optimates fidei Regi debitæ, & juramenti religione ſolutos, Monachos ad apoſtaſiam allectos, propagatam in ipſam Auſtriam rebellionem; Laam, Viennam oppugnatam. Regem, ne in Imperij Septemvirûm Collegio ſuo jure potiretur, graviſsimè appetitum, tandem velut exauctoratum & Regno exutum, Orbis ludibrio expoſitum, corruptos Hungaros, Betlemū Gabrielem evocatum ad Hungariæ & Auſtriæ perniciem, vaſtatas ferro, igne, direptionibus, hæreditarias provincias, jactas in Cæſaream ac Regiam Majeſtatem atroces calumnias, revocatam in dubium ejuſdem electionem atque poteſtatem, everſas veteres Regni leges, novam regendi formam erectam, Regni incubatorem ex Imperio, cúmque Cæſaris clientem, eſſe repertum, qui inſuper habitis Cæſareis, Septemvirûm, aliorúmque Principum dehortationibus, perduellionem Bohemorum fovêret, qui legitimi Regis abdicationem probaret, qui diadema illi, quem antè Regem fuerat profeſſus, detractum ſibi aſſumeret: Bohemos juramento in ſua verba obſtringeret, atque iſta quidem obtentu vindicandæ Religionis. VI. FERDINANDUS CÆSAR FRIDERICUM PROSCRIBIT.

Hujus damnationis edictum miſit Cæſar Franciæ, Angliæ, Daniæ, aliiſque tum Regibus, tum Principibus, ſimul petivit, ne damnatæ cauſæ, ſed Juſtitiæ patrocinium, auxiliáque præſtarent. Id verò ad omnium Principum ſalutem, dignitatémque ſpectare, quibus non expediat pati, ut tam pernicioſum exemplum ad alios derivetur. EDICTUM CÆSAREUM CUM REGIBUS ET PRINCIPIBUS EXTERNIS COMMUNICATUR.

Sed tantum abfuit, ut Fridericus hiſce moveretur, ut Moravos præterea atque Sileſios in ſua verba adigeret, idem exigeret à Luſatijs, qui tamen triſtes rerum exitus veriti, jusjurandum detrectârunt. VII. FRIDERICUS PERSTAT IN SENTENTIA.

Humanaius transit ad partes Cæſaris.
Cozacorum egregia facta.

Pergebat interea Betlemus infeſtus [illegible] Hungariæ, cùm Humanaius Hungarus Cæſari, atque debitæ in ipſum fidei redditus, non contemnendam manum militum, qui à ſignis hinc inde diffluxerant, ſuo ære conduxit. Inter iſtos Cozaci, qui contra Tranſylvanum ſtipendia meruerant. Hi, quò ſuæ fortitudinis, primo ſtatim aditu, ſpecimen ederent, Danubium natatu traijcientes, profligatis aliquot hoſtium centurijs, præda divites, ablatíſque ſignis glorioſi, ad Cæſarianos rediverunt. Id geſtum fuit tantâ celeritate, ut Fridericus oppreſſus eorum adventu, vix fugiendi ſpatium nactus, in eorum manus propè venerit: quo certè futurum fuiſſet, ut longo bello finis imponeretur: ſed nondum id erat in fatis. Iidem illi, paulò pòſt equitatum, quem Hollachius ex Hollandiâ Bohemis ſuppetias adduxerat, noctc intempeſtâ, ex improviſo aggreſſi fuderunt, trecentis in loco interemptis, tribus ſignis & opimis ſpoliis detractis.

Comitia Saxonica.

VIII.

Sub id temporis Saxoniæ Septemvir Lipſiæ Comitia habuit, in quibus præter decretos ad finium ſecuritatem delectus, conſtitutum, ut Saxoniæ ſecundæ auxilia peterentur, útq; prima Saxonia neutri bellantium parti accederet. Huic decreto, cùm Comes Schlickius Bohemorum Legatus ſeriùs interceſſiſſet, Dreſdæ, Saxoniæ Electorem conveniens, poſtulati repulſam ad ſuos retulit. Fixum enim certúmque erat Electori, nihil moliri adverſus Cæſarem, aut quietem Imperij.

Bucquoius Mansfeldio infert cladem.

Ad eum modum videbatur Numen Cæſaris voto adſpirare. Simul enim Bucquoius caſtellis quinquaginta hoſti ereptis, datíſque militi in prædam, cùm Bohemos longè ſubmoviſſet, trajecto per Cremſianum pontem Danubio, Mansfeldio cohortes novem, & ſex equitum centurias, mille ducentis occiſis, ducentis captis, fudit, fugavit. Ex eo conflictu duas æreas minoris modi machinas & opimas manubias reportavit. Eandem ſortem ſubiêre, qui ex Hollachij equitatu à nuperâ clade ſuperfuerant: peditéſque Sallerini trecenti, qui defectu ſtipendiorum, nuper à Moravis defecerant. Sed ne fortunæ ſuæ deeſſent vices;

Bohemi Cæſarianos aliquot cædunt.

Bohemi ad Burgosleinizium, adulto jam Februario, Cæſarianos nonnullâ clade affecerunt.

Comitia Pragensia.

IX.

Suppetiæ Bohemis missæ.
Marchio Badensis in armis.

Sub ejuſdem menſis exitum, Pragæ Comitia celebrata de ſtabiliendâ rebellione, de augendo exercitu, de parandâ novorum fœderum conſociatione, déque alijs ad publicæ rei gubernationem ſpectantibus. Correſpondentes, ut factionem confirmarent, Bohemis miſêre nova Weſtphalorum auxilia, quibus acceſsêre ter mille Batavi veterani, quorum vices in diverſis Bataviæ præſidiis quater mille Angli tirones occupârunt. Marchio Badenſis acatholicus, id temporis decem legionariorum millia, alarios millenos in armis habebat, inter quos è Franciâ & Helvetiâ permulti.

Maximiliani exercitus.
Suppetiæ Hispanicæ.

E diverſo Maximilianus in Auſtraſiâ, Belgio, Suevіâ, Franconiâ, Boicâ, Alſatiâ, potentem exercitum collegerat. Hiſpaniarum Rex Cæſari tria equitum, peditum viginti millia ſuis ſumptibus, donec finis bello imponeretur, addixerat: & jam in eam rem Comes Ognatenſis, in Auſtriâ, quantum poterat, militis conſcribebat, alij ex Italiâ expectabantur.

Protestantes abigei vapulant.

In Imperij regionibus nihil adhucdum hoſtile tentabatur, niſi ſi quando, alteri ſtativa alterorum incurrerent. Proteſtantium manus in Moguntinum & Wormatienſem agrum infuſa, ut jumenta abigeret, malè vapulavit. Sic paulatim promiſſa à Correſpondentibus Germanicæ quietis, puræ & putæ defenſionis larva ponebatur. Apertiùs ſua conſilia prodidêre, cùm ijdem conati ſunt, Cæſaris & Catholici fœderis copias è Belgio atque aliunde venientes, per Provincias quoad ejus fieri poterat, Catholicas, vitatis magno ſtudio Acatholicorum finibus, intercipere; auſi in alieno etiam ſolo locare excubias, & conteſtati, ſe, ſi vel omnia belli, rerúmque diſcrimina adire oporteat, nullam commeandi facultatem permiſſuros. Quâ in ſententiâ perſtitêre ad uſque ineuntem Junium; quando tandem certis legibus utrinque conventis, aditus fuit patefactus.

X.

Urebat Correſpondentes, quòd Catholici nuper de ſuis rebus, déque communi

Monita Mulhuſini conventus ad Fridericum.

muni ſalute, Herbipoli conſilia agitâſſent, quòd Maximilianus Norimbergenſis Conventus querimonias ſecus, quàm voluiſſent acceptas, ad Cæſarem rejeciſſet. Angebantur etiam, quòd Septemviri ex Mulhuſino conventu Fridericum Palatinũ Electorem monuerant, majora indies tum Hungariæ, tum Imperio creari pericula ex rerum in Bohemiâ mutatione, & nihil inde certius, quàm Regni perniciem, civilia bella Germaniæ, & Turcæ irruptionem poſſe expectari: meminiſſet, Bohemiæ Regnum non caruiſſe rege, cùm ipſe fuiſſet adſcitus: Ferdinandum etenim dudum antè fuiſſe electum, receptum, renunciatum, coronatum, & fiduciario juramento cultum ab Ordinibus. Eundem non ſolùm ab omnibus Imperij Septemviris, ſed ab ipſo Imperatore, ab exteris Regibus & Principibus, conſuetis gratulationibus, titulíſque cohoneſtatum: fuiſſe item ſolenni ritu ad Regis Romanorum Electionem vocatum, & à Septemviris non ad conſeſſum modò, ſed etiam ad eligendi ſuffragationem admiſſum. Unde ſit conſequens, quòd à Bohemis invitus non potuerit amoveri: non latere eos, quanta ſit Domus Auſtriacæ potentia, quæ eam ignominiam ſit ultura, nec paſſura ſibi eripi Regnum, quod credit ad ſe jure hæreditario pertinere. Meritò itaque metuendum, ne Domui Palatinæ, æterna inquies, & diſcrimen ſuas ditiones amittendi accerſatur. Sapienter ergo Fridericum facturum, ſi has ob cauſas, habitâ excelſi ſui generis atque dignitatis ratione, pro eâ fide, quâ Romano Imperio ſit obſtrictus, próque patriæ ſuæ charitate, armis poſitis, à Regno Bohemiæ abſtineat.

Litteræ ad Ordines Bohemiæ. XI.

Ejuſdem propè argumenti litteras dedère Septemviri ad Bohemiæ Ordines, Provinciáſque Regno connexas, quibus gravibus verbis monuerunt, ut ſuo Regi uncto & coronato, debitum obſequium obſervantiámque præſtarent: id ſi facerent, non defore rationes gratiæ recuperandæ. Si ſecus faxint, tandem Principes atque Ordines Imperij, Cæſari fide officióque devotos, modum adhibituros, quo Regnum & Septemviratus Imperij, unà cum Provincijs annexis ab interitu poſſint vindicari.

Correſpondentium Conventus Ulmæ. Maximilianus ducit in Sueviam. De pace agitur. Correſpondentium poſtulata. XII. *Maximiliani reſponſa.*

Correſpondentes interea de rebus ſuis ſolliciti, Ulmæ convenerant, útque haberent in promptu exercitum, in agro vicino collocârant. Maximilianus contrà veritus, ne quid novi adverſum proximam Boicam ſubitò molirentur, caſtra poſuit ad Ginſburgum & Lavingam, non procul ab Ulma, ratus periculi minus futurum, ſi extra Boicam aliquid tentaretur. Præterea ſtativa habuit Dilingæ oppido Auguſtani Epiſcopatûs. Subinde Legatum miſit percontatum, quorſum ſpectarent Correſpondentium conſilia; Bohemicos tumultus jam ſeſe extra Regni fines effudiſſe, proclive eſſe, timere, ne ipſi quoque turbas in Imperio concitarent. In Comitio, cui Proteſtantium nomine præerat Anſbachius Princeps Friderici Legatus & Archiſtrategus, conſpecto utrinque periculo, cœptum cum Maximiliani Legato agi de pace, quò minùs tamen illico fieret, obſtabat potiſſimùm diffidentia, quòd neutri crederent, ſatis fore cautum ſecuritati, niſi per medios ſponſores, qui ſuam fidem interponerent. Urgebant etiam vehementer Maximilianum, efficeret, ut Albertus Archidux, à quo ſibi oppidò metuebant, pacis futuræ pacta unà cum Catholicis amplecteretur. Quæ res Proteſtantibus videbatur fore percommoda, quippe quæ eos à Belgio tutos præſtaret, redderétque ad Bohemicam expeditionem promptiores. Volebant etiam à Maximiliano nuperis Correſpondentium querimonijs, confeſtim adhiberi remedium, ſuóque & Catholicæ unionis nomine ſponderi, fore, ut ſi quis è Proteſtantibus à Cæſare proſcriberetur, nullus Catholicorum Principum proſcriptionis executionem in ſe reciperet. Hæc atque id genus alia velut à ratione aliena rejecit. Etenim Fœderatorum Catholicæ unionis voluntates eſſe liberas; proſcriptionis fulmen nulli, niſi facinoroſo eſſe formidandum, eum, qui innocentiâ tegeretur, non poſſe tali igne afflari. Ea Maximiliani conſtantia Legatis Gallicis, qui Comitio pacis aderant, valde ſatisfecit. Quamobrem nihil iſtiuſmodi ab ipſo fuit ultrà petitum.

Ergo poſt complures ultro citróque concertationes, pax in Imperio his legibus XIII.

Pax ſancitur in Imperio.

gibus ſancita. *Nullus Principum Ordinúmve Proteſtantium Vnitorum, ullum Principem Ordinémve Catholici fœderis, armis vel traducendis copijs, offendito: pari ſecuritate Proteſtantes viciſſim gaudento, & utrinque pax ſanctè colitor. Miles utrinque mox abito: ſuccedaneus ne inducitor: ſi quis militem per alienos fines deportare voluerit, id fas eſto; ſed is priùs tempeſtivè præmoneto, neque ſubiectis damnum inferto: Huius pactionis legibus Bohemi, eorúmque Provinciæ, Auſtriacæ Domus hæreditariæ regiones, populique ſubjecti ne comprehenduntor. Damnorum datorum & acceptorum præſertim ad Suntheimium, dijudicatio in aliud tempus, & tribunal differtor.*

Ad hanc pacem, Proteſtantes impulſi metu. Nam cùm Marchio Spinola cum valido exercitu, Rheno & inferiori Palatinatui imminere nunciaretur, verebantur, ne cum gemino hoſte ſimul eſſet decertandum. Maximiliano verò, cùm Catholicis ad Rhenum, ſatis fore per Spinolam proſpectum adverſus Proteſtantes, crederet, propoſitum erat, Superiore Germaniâ tantiſper domeſtici belli timore ſolutâ, viribus omnibus, Cæſari, quemadmodum condixerat, adverſus Bohemos, aliósque rebelles ab iſtâ pace excluſos, qui omnes juſtæ pacis mentionem averſabantur, ire opitulatum: ne ijdem iſti Hungarorum ſuppetijs audaciores in ipſa denique Romani Imperij viſcera, Catholicis infeſti, ſeſe infunderent.

XIV. Id temporis Maximiliani exercitus, qui haud procul Lavingâ caſtra poſuerat, ſupra triginta armatorum millia quingentos univerſim ſub ſignis habebat.

Tillius exercitui Boico præficitur.

Huic cum vicariâ poteſtate Legatum præfecit Joannem Tſerclaſium Tillium virum inſigni fortitudine, & rei militaris peritiâ (quam Turca non ita pridem ſenſerat) qui tot ferè reportavit de hoſte victorias, quot conſeruit pugnas.

Maximilianus movet in Auſtriam.

Statim ubi pax cum Proteſtantibus coaluerat, Maximilianus nihil prorſus cunctandum ratus, movit in Cæſaris hoſtes. Primi viſi ſunt petendi citeriores Auſtrij, qui Boicæ propiores; tum quòd ijs debellatis Boica ab Oriente redderetur tutior, tum quòd per eorum fines, via ad Bohemos, vel ſi res poſceret, ad ſecundam Auſtriam, aliáſque quà nutantes, quà immorigeras provincias, foret expedita.

XV. Maturandæ expeditionis cauſæ; præſens rerum ſtatus, & quia Ulmæ convenerat, ut exercitus è ſuis quiſque ſtativis educeret,: & plurimùm intererat, Auſtriæ Ordinibus ſpatium firmandæ novis operibus atque delectibus factionis præripere: ij etenim ut remiſſiùs egerant, eâ ſpe, fore ut Maximiliano Proteſtantes in Imperio affatim negotij faceſſerent; ita accepto pacis Ulmenſis nuntio, tantò intenſiùs ſibi erant proſpecturi, quantò ſibi plus periculi ab hoſte tam valido imminêre ſentiebant. Enimverò gens alioqui ferox & inquieta, Manſfeldium habebat ad nutum, qui ſi Maximilianum præveniſſet, fieri poterat, ut ſi pugnacia Anaſſinorum ingenia militari diſciplinâ inſtruxiſſet, bellum non diuturnum modò, ſed etiam periculoſum ipſo ſtatim initio, evaderet. Ergo prima Maximiliani cura fuit, belli certamen à celeritate incipere.

Auſtriæ Superioris apparatus.

Clauſerant Auſtrij Anaſſini, quod jam recenſui, Danubij, ductâ in utrumque littus catenâ, alveum, quæ res ſubvehendæ è Boicâ annonæ, cæteróque belli inſtrumento, erat oppidò importuna. Lintzium quoque aliáque loca firmârant præſidijs, erántque à milite alióque apparatu ſic muniti, ut non niſi ægrè admodum, & debellati quidem, manus daturi eſſe viderentur.

Maximiliani celeritas.

Ergo Maximilianus properandum ratus, equitatum, quò minùs Boicæ incommodaret, diviſit in duo agmina: alterum juſſit movere Straubingam oppidum Bavariæ Danubio adſitum; alterum miſit Brunovium, quod firmum eſt Oeni in ſecundâ Boicâ præſidium: ſex deinde legiones Boiodurum, hodie Paſſavium, juſſit navigijs deportari. Ipſe verò navi conſcenſâ, cùm Palatinam Principem Viduam futurorum anxiam, per tranſennam Hœchſtadij ſalutaſſet, ſecundo Danubio Neoburgum delapſus, à Guilielmo

XVI. Wolfgango Duce Neoburgico honorificè acceptus, per Ingolſtadium, prætercelectâ Ratiſbonâ, Donaſtauffium fuit delatus. Iſthic Ratiſbonenſium Duumviri ipſius adventum ſolennibus donis honorârunt. Hinc deſcendens Filshovium luſtrato annonæ & rei tormentariæ apparatu, Scherdingam Boicæ limitaneam munitionem appulit, ubi 16. Cal. Auguſti ipſi ſe junxerunt quatuor Principes,

Maximilianum adeunt exteri Principes.

bini è Domo Lotharingicâ, Carolus videlicet, cujus imperio fata Lotharingiam deſtinabant, & Dux Elbovius; è Sileſiâ verò Princeps Teſchinus, & ex Italiâ Virginius Urſinus, qui primum militiæ experimentum in Maximiliani caſtris & aulâ erant facturi.

Auſtrij Anaſſini, qui ferè priùs jam imminentis exercitus, quàm venientis famam acceperant, ut in re ſubitâ, non mediocriter fuêre perculſi, concurrêre tamen ad arma, certi, ſi quà poſſent, ſuos fines tueri, dum è Bohemia ſuppetias acciperent. Jam potiebantur arce Starenbergicâ, & Hagenum municipium ejectis Catholicis inſederant, ut è vicino Maximiliani iter, motúmque omnem arbitrarentur. AUSTRII PARANT DEFENSIONEM.

XVII. Ordines Auſtriæ de ſuis rebus vehementer ſoliciti, cùm ſe nondum ad vim propinquæ tempeſtatis avertendam, ſatis comparatos ab armis eſſe ſentirent, conſilio agendum rati, Legatum ad Maximilianum Scherdingam mittunt cum precibus, ut exercitum à finibus Auſtriæ abſtineret. Eam enim Provinciam, finitimæ Boicæ propinquitatis officia juráque ſemper reddidiſſe, nihil peccâſſe in Maximilianum, nihil hoſtile eſſe molitam. Agreſtium turbam tanti exercitûs adventu territam, arma corripuiſſe quidem, ſed momento domum reverſuram, ubi primùm metus abfuerit. Legato reſponſum, rediret ad ſuos, & referret, mox ſecuturum, qui Maximiliani mentem Ordinibus explicaret. Datum id negotij Wenzino Baroni, & Tribuno Reinachio, qui Linzium Superioris Auſtriæ principem urbem profecti, Ordinibus ſignificârunt, rem in eo eſſe, ex Cæſaris voluntate, ut niſi ſponte reſipiſcant, latæ de ijs proſcriptionis pœna ſumatur. Non ignorare ipſos Cæſareæ Majeſtatis edictum, quod prid. Cal. Quintil. editum, eos perduellionis & læſæ Majeſtatis damnatos ac proſcriptos, Reipub. hoſtes declarârit. Cogitarent ſuas cum Bohemis conſpirationes, tumultus, occluſa adverſus Cæſaris mandatum clauſtra Provinciæ, frænatum Danubium, abdicatos Cæſareos præſides, Magiſtratus intruſos, extortas ad bellum, Cæſaris injuſſu, collectas, decimum quemque de plebe armatum, prohibitos Cæſaris conquiſitores, ne militem ſcriberent, annonam, tranſitum, Cæſareis copijs negatum, uſurpatam Arcem Linzij, occupatam totius Provinciæ gubernationem, vexatam obſidionibus, direptionibus Inferiorem Auſtriam, Monaſteria, Oppida, arces, pagos in Cæſaris fide conſtantes, inclementer habitos; Bohemos in obſidendâ Viennâ, auro, tormentis, nitrato pulvere, annonâ adjutos, præfractam adverſus Cæſarem in detrectando obſequio, contumaciam, mandata tranquillandæ Provinciæ contemptim habita, alias denique manifeſtæ perduellionis graviſſimas injurias. LEGATUM MITTUNT AD MAXIMILIANUM. MAXIMILIANUS PER LEGATOS RESPONDET. XIIX.

Atque ad earum quidem vindictam, Imperatorem ſuas commiſiſſe vices Duci Bavariæ, cum ſummâ poteſtate ſumendi de facinoroſis juſta ſupplicia, niſi hac denunciatione permoti, pacis veniæque à Cæſare impetrandæ conſilia amplecterentur. Redirent proinde ad frugem, præſidiũ omne Linzio deducerent, arcem, urbémque dederent, omnes ad ultro citróque commeandum vias patefacerent, fœderibus cum Cæſaris hoſtibus initis nuntium remitterent, eorúmque tabulas abolitas Maximiliano traderent, eidem tanquam Cæſaris Vicario, ſacramento dicerent, futuros ſe inpoſterum in Sac. Cæſ. Majeſtatis poteſtate, fide, obſequióque. Qui ſine morâ manus dederint, receptum iri in gratiam atque clientelam, donec Cæſar, causâ cognitâ, vel generalem omnibus, vel ſingulis privatim admiſſorum veniam dederit: qui fuerint contumaces, vi ad officium eſſe cogendos: habitum iri diverſam pro modo ſeu violatæ, ſeu ſervatæ fidei, rationem. Innocentes à pœnâ immunes, rebellionis authores non eodem quo alios loco futuros. Deliberando, dies omnino quinque eſſe indultos, quibus elapſis, bellum eſſet certò expectandum. Nondum tam ſeverâ denunciatione fractis Procerum animis, cùm indicti ad deliberandum temporis prorogatio peteretur, quo procraſtinantes auxilia ſuis rebus accerſerent, Maximilianus juſſit viciniora Boicæ præſidia, & clauſtra Provinciæ occupari. Jam enim peditatus Danubio devectus, factâ Paſſavij deſcenſione, Riedam egregium Boicæ munici- XIX. OCCUPAT FINES AUSTRIÆ.

pium ad fines Auſtriæ advenerat, & in horas quod adhuc deerat de equitatu, expectabatur. Ad primam impreſſionem ter mille pedites, & bis mille equites Baroni Haslango Supremo Excubiarum Magiſtro, cum quaternis æneis machinis fuêre attributi, cum mandatis, ne quem niſi laceſſitus aut aditu prohibitus læderet, abſtineret ab agrorum populatione, omníque incolarum injuriâ. Moram aliquam injecit iter per ſylvam grandibus arborum truncis cancellatim inter ſe commiſſis, impeditum. Dum removentur obices, cum frequente ruſticorum turbâ, quæ confeſtim ad ea repagula reſtiterat, fuit confligendum. Non pauci milites, ruſtici aliquantò plures cecidêre, donec apertâ viâ, denſatis ordinibus iratæ cohortes furentibus agricolis incumbentes, fugam, ſtragémque edidere. Saluti permultis fuêre ſylvarum receſſus, multi tamen obtruncati, quòd in milites, ſi quos nacti fuerant, ſe præſtiterant ſæviores. Ubi ventum in plana, contineri miles non potuit, quin flammis in tecta, ferro in homines graſſaretur: tam difficile eſt accenſo ſemel furori modum fundendi ſanguinis, & quibus poteſt modis ſæviendi, ſtatuere.

Certamen adverſus agreſtes. *Clades colonorum.* XX.

Doluit miſerorum ſortem Maximilianus, ſanxítque pœnam capitis, qui tum atque deinceps domibus ignem ſubjeciſſent, unde in aliquot ejus noxiæ compertos gladio, in alios laqueo juſſit animadverti. Terruerunt hæc initia non exercitum modò, qui factus eſt diſciplinæ militaris obſervantior, ſed etiam Anaſſinos, ſeveriora in poſterum metuentes. Tanti fuit non magna quidem adhuc, ſed bene cœpta & deproperata proſperitas. Quamobrem Optimates, exoratâ fidei publicæ ſecuritate, miſerunt qui Maximiliano pollicerentur, illos in officio, ejusque auctoritate futuros. Cùm famâ tanti exercitûs, formido ſecundam quoque Auſtriam invaſit, reputantem fore, ut ubi prima adverſus vicinos, & ejuſdem propè cauſæ ſocios ſucceſſiſſent, ſecunda in ipſos cum tota belli mole verterentur. Neque apparebat adfutura à Betlemo, à Mansfeldio, aut à Bohemis in tempore auxilia, quippe quos ſua pericula affatim alibi occupabant. Ergo Auſtrij Proceres rati eſſe ſatius Cæſaris clementiam ſuppliciter, quàm hoſtium arma temere experiri, quod conſilium Deus bene vertit, rogantes in gratiam, dicto ſacramento, fuêre recepti, quod mox allatæ ad Maximilianum litteræ nuntiârunt.

Supplicia ſævitiæ militari inflicta. *Auſtrii pacem orant.* *Auſtrii inferiores territi.* *Exorant Cæſaris clementiam.*

XXI. Sub id temporis Tillius Supremus Bavarici exercitûs Legatus, binas legiones & mille admodum equites in citeriorem Auſtriam duxit, quibus Haslangi copias adjungeret. Juſſus quoque Dux Croyus cum denis equitum, binisque peditum Cæſarianorum ſignis (mille erant univerſim equites, pedites ſexcenti) ducere in Bohemos mixtos Hungaris, eóſque à Paſſavienſium finibus, quibus populabundi imminebant, prohibere.

Cæſarianus miles Bohemis, in finibus Patavienſibus reſiſtit.

Crudeliter interea factioſorum agreſtium manus Erneſtum Ludovicum Ducem Saxo-Lauenburgicum, octavo circiter à Paſſavio milliari, trucidavit, quod ab ipſis crederetur ſuper menſam dixiſſe, Anaſſinos propediem alios hoſpites (hoſtes interpretati ſunt) habituros.

Dux Saxo-Lavenburgicus ab agreſtibus trucidatur.

Cùm nihil æquitatis ultro ab Anaſſinis oppidis, arcibus offerretur, vim placuit admovere. Haga oppidum à primo Haslangi agmine, ſolo propè terrore eſt receptum. Starenberga ſponte dedit manus. Aiſterheimium Hohenfeldenſium caſtrum naturâ atque opere egregiè munitum, extrema maluit experiri. Eò contulerant agreſtes, quicquid ſervatum volebant melioris ſupellectilis, annonæ, rerúmque cæterarum. In loco curabant cum præſidiario milite coloni bono numero. Præfectus, qui præſidio imperabat, auctor erat faciendæ deditionis, quod milites ſuaſu unius è gregarijs omnino detrectabant. Ergo cœpêre mœnia tormentis validè arietari à primo mane aduſque meridiem, donec editâ ruinâ irrupturis via fuit aperta. Defenſores nihilo ſegniùs rem egêre, ſtratis aliquot viris fortibus, inter quos Montonius Lotharingicæ cohortis Centurio. Datum tandem eſt expugnationis negotium Legioni Marcoſſianæ, quam Maximilianus in Lotharingiâ legerat. Ea tantâ fortitudine rem eſt aggreſſa,

Invaduntur Auſtriæ oppida, arces. XXII. *Aiſterheimium ad deditionem coactum.*

greſſa, ut obſeſſi ſeſe victorum arbitrio, re deſperatâ, dediderint. Præſidiarijs, qui adverſus Ductoris imperium obſidium ſuſtinêre auſi, gula fracta eſt. Pari ſupplicio affectus agreſtium anteſignanus. Caſtri Curatori caput à cervice revulſum. Id exempli eò ſtatutum, ne deinceps iſtiusmodi arces, exercitum ſuâ pertinaciâ temere morarentur. Emicuit in oppugnatione virtus Comitis Marcoſſæi, qui non multò pôſt eodem loci febri malignâ, quæ jam tum gliſcebat in exercitu, extinctus eſt, vir dignus inſigni laude & vitâ longiore.

Obitus Comitis Marcossæi.

Prid. Cal. Auguſti, Maximilianus Ordinum Anaſſinorum Legatis, qui impetratâ liberè veniendi poteſtate venerant, Grieskirchij dicendi copiam fecit. Multa illi excuſare, alia negando refellere, jura omnia atque prærogativas à Maximiliano II. Imperatore conceſſas, ſalvas velle, precari ne Provincia diutiùs à milite prematur, deprecari ignominiam ex fœderum & tabularum abolitione, velut ex fractâ fide, ſecuturam: poſcere generalem omnino perpetuámque admiſſorum oblivionem. Hæc ſi impetrarent, Maximiliano Provinciam univerſam, ipsúmque Linzium fore apertum. Benignè auditi, juſſi ſunt diſertè profiteri, vellent nécne, quod caput rei erat, eſſe in Maximiliani poteſtate, & Linzij de cæteris reſponſum expectare.

Maximilianus audit Austriæ Legatos.

XXX.

Welſium celebre in Anaſſino oppidum, venienti Maximiliano, nullâ vi expectatâ patuit, ſeſéque Cæſari novo ſacramento obſtrinxit. Dum illic Maximilianus Rempublicam componit, & Magiſtratus, civésque ſuis reddit officijs atque honoribus, affertur nuntius, Mansfeldium oppugnato Wallerenſi propugnaculo, quod in Paſſavienſi confinio adverſus Bohemorum excurſiones miles Cæſarianus tuebatur; Sollenavienſi præſidio totis copijs imminere. Permagni intererat eam munitionem ſervari, ne eâ amiſsâ, facultas tranſmittendæ Cæſarianis annonæ, atque inſtrumenti bellici accideretur. Jam de mittendis ſuppetijs conſilia agebantur, cùm reſcitum eſt, Mansfeldium, multis in Wallerenſi oppugnatione amiſſis, audito Maximilianum cum univerſo exercitu citeriorem Auſtriam inijſſe, Sollenavio omiſſo, pedem retuliſſe in Bohemiam.

Welsium Maximiliano se permittit.

Mansfeldius refugit in Bohemiam.

Quare ad 3. Non. Sextiles, Maximilianus juſſit movere in agrum Linzenſem, atq; omnia circùm municipia, per diſtributas in certa ſtativa legiones, occupari. Ipſe verò die poſtero ſecutus, urbem ingreſſus, ſub veſperum conceſſit in Arcem, ubi à Provinciæ Prætore, à Proceribus, Ordinibúſque Cæſari fidem jurejurando integrare paratis, perhonorificè fuit exceptus. Ne tempus inutili morâ conſumeret, eodem iſto die ad illos hæc mandata dedit. Primùm, ut omnium Procerum virorúmque illuſtrium nomina, ne abſentibus quidem omiſſis, in tabulas relata ſibi cum fide exhiberent: deinde edicerent numerum militum, quos ſub ſignis antehac habuiſſent, & haberent etiamnum: præterea ne ullum ſe inſcio dimitterent: denique ne quis ex Proceribus, qui Linzij adeſſent, pedem inde efferret, quotquot verò exeſſent, edicto vocarentur: qui venire detrectarent, hoſtium loco haberentur. Poſtremò, ut ne hæc lentè, ſed properatò conficerent.

Maximilianus Linzium movet.

XXIV.

Eius ad Ordines mandata.

Ordines Provinciæ, re in commune deliberatâ, reſponderunt ſe imperata facturos, ſed eâ tamen lege, ne Cæſari velut hæreditario Domino, ſacramento dicerent, maneréntque ipſis ſarta tecta cum Religionis libertate, privilegia; néve civitatibus, arcibus aut municipijs, præſidia imponerentur.

Ordinum petitiones.

Cùm conſultando, procraſtinando ad 15. Cal. Septemb. rem extraxiſſent, Maximilianus moræ pertæſus, ipſis juſſit renunciari, fore ut niſi omni prorſus omiſsâ comperendinatione poſtulatum juramentum exſolverent, alijs modis ad officium cogerentur. De privilegijs, aliíſque ad demandatam executionem minimè ſpectantibus, adeundum eſſe Cæſarem: ipſum, quod eis ex uſu foret, decreturum. Cæteroqui ne vererentur fœdus cum Bohemis reſcindere, non enim futurum dedecori, ſi honeſtè revocarent, quod turpiter promiſiſſent: nondum verò rei communi expedire, ut Provincia præſidiario milite deſtituatur.

Iubentur imperata facere.

XXV.

Ergo tandem Bohemici fœderis tabulas Maximiliano tradiderunt: Miles quem

Fœdera rescindunt.

Militem; arma, tradunt. Iurant in verba Cæsaris. Accipiunt Præfectum

quem collegerant, accepto à Provinciâ duorum menſium præteriti temporis ſtipendio, Maximiliano lubens volens fuit transſcriptus: ejus loco Bavaricus præſidijs impoſitus: totius Provinciæ arma, reliquúſque belli apparatus, Linzium comportata. In verba Cæſaris denique jurârunt Sacri Antiſtites, deinde Equeſter Ordo, poſtremò Legati civitatum, addicto ſe Maximiliano morem geſturos, quoties quippiam, Cæſaris nomine imperaret, quousque Cæſar ipſe juramentum ab illis proprio nomine exigeret. Tandem Herberſtorffio Provinciæ Præfecturam & quingentorum equitum turmam, quâ, cùm res poſcerent, uteretur, Maximilianus demandavit.

Bohemi auxilia pollicentur Austriis.

Dum hæc Linzij geruntur, interceptæ fuerunt hoſtium litteræ, quibus nunciabatur Bohemos magnas propediem Anaſſinis miſſuros ſuppetias: bono proinde eſſent animo, & tantiſper Bavarum diſtinerent. Quare rebus jam in Auſtriâ compoſitis, Maximiliano viſum, tum ex Boicæ, tum Auſtriæ uſu fore, bellum procul habere, atque in hoſtico ſedem figere.

XXVI. Maximilianus copias præmittit in Bohemiam.

Ergo Anholtium Generalem Ordinum Magiſtrum cum Sulzianâ Legione, cui tum ipſe præerat, & decem turmis equitum, præmittit in Bohemiam, ut dum reliquus exercitus ſequeretur, in Bohemorum motus eſſet intentus. Is cùm decimo à Budiviſio lapide ſubſtitiſſet, paucis pòſt diebus, curules machinas Freiſtadium miſſas accepit. Acceſsêre bis mille quingenti Herbipolenſes Legionarij, alarij omnino quingenti.

Ipseque eo sequitur.

Ad 10. Cal. Sept. Maximilianus Linzio movens cum equitatu, terniſque legionibus, Lotharingica videlicet, Haslangiâ, & Rouvillæâ, itinere ob continuos imbres perdifficili, Freiſtadium appulit.

Spinolæ ad Rhenum expeditio. XXVII.

Jam tum Marchio Spinola è Belgicâ, per Confluentes ulteriorem Rheni oram occupârat. Habebat ſub ſignis viginti peditum, equitum quatuor millia. Rheno, nemine prohibente, transmiſſo, à Mauritio Haſſiæ Landgravio id temporis ad reſiſtendum imparato, liberum per Cattos commeatū impetrârat; idem Oppenheimio, Baccaraco, Crucinaco, Altesheimio Palatinæ ditionis, occupatis, Superiorem Germaniam Correſpondentium metu ſolverat. Ex iſtâ expeditione id accedebat commodi, quòd Proteſtantium copiæ, in tuendo Palatinatu affatim occupatæ, Bohemis ſuppetias ire nequibant, quo facilior Maximiliano res erat futura.

Maximilianus Fridericum et Ordines Bohemiæ belli imminentis admonet.

Is, tametſi vix quicquam ſpei reliquum foret Bohemiæ citra vim componendæ, quâ tamen erat animi lenitate, anteaquam rebellibus arma propiùs inferret, tentandos putavit eorum animos, imminentis periculi & calamitatis ex bello naſcituræ denunciatione. Præmiſit igitur tum ad Fridericum, tum ad Bohemiæ Ordines, & ſocias Provincias, demandatæ ſibi à Cæſare executionis apographa, cum amico conſilio, ut ſe tandem, résque ſuas, vel ſerò reſpicerent: malum quidem jam graviter increviſſe, ſed nondum eſſe deploratum: ſupereſſe medicinam à Cæſaris clementiâ, quâ nulla poſſit eſſe lenior, nulla facilior, cùm unâ poſſit reſipiſcentium pœnitudine impetrari. Sapientum eſſe, cavere ferrum & ignem, quando in promptu ſint benigniora remedia. Paucorum culpâ Regnum in tam graves turbas eſſe prolapſum, cæterorum intereſſe, communem patriam ſervare, & privatæ ſuæ ſaluti conſulere: pacem bello præferrent, & res domi pacatas atque florentes, venturæ, quæcunque demum ſors foret, ingenti calamitati: parcerent ſaltem inſontium fortunæ atque ſanguini, quos nefas eſſet in eandem cum ſontibus ſortem conijcere: ſinerent etiam Ordines hanc denuntiationem paſſim vulgari, ne, ſi quid ſecus eveniat, ipſi ſecuturorum malorum culpam præſtare cogantur.

XXIIX. Illi bellum eligunt, freti promissis Betlemi.

Ad hæc reſponderunt quidem, ſed cum eâ cauſæ ſuæ defenſione, ut oſtenderent ſe priùs ad arma, quàm ad pacatiora venturos. Eorum ſtimulabat audaciam Betlemus Gabor, qui 9. Cal. Sextil. Hungariæ Rex fuerat renuntiatus. Scripſerat ipſe ad Maximilianum minaces litteras, de Boicâ ferro atque igni vaſtandâ, ſi Cæſaris partes ultrà ſequeretur. Eæ, quòd barbaræ oſtentationis & ferociæ magnam ſpeciem præ ſe ferrent, viſæ indignæ, quibus ab humaniſſimo Princi-

Principe reſponderetur. Ipſe interea cum numeroſo exercitu nunciabatur Poſonium contendere, eóque poſcebat Cæſar, unà cum copijs, quas ipſe Maximiliano junxerat, auxilio mitti aliquot Bavaricas legiones.

CONTRA QVEM CÆSAR POSCIT AUXILIA.

Ne Bavariæ fines omni præſidio nudati, hoſtibus paterent, ijs tuendis Maximilianus ſeptem peditum millia, equites mille ſexcentos, Ductoribus Herlebergio & Haimbhuſio, reliquerat. Eos, quòd eſſent à Bohemiâ nonnihil remoti, juſſit Maximilianus propiùs accedere, tum ut (ſi uſus ferret) promptiùs eſſent ad manum, tum ut Mansfeldio in Boicam moventi occurrerent. Et jam erant in procinctu, cùm ille eorum non expectato adventu, Neohuſium ſe ſubduxit, atque inde (audito Teiniam à Baltaſare Marrada expugnatam) Pilsnam abiit, veritus, ne iſti civitati, Maximilianus obſidium admoveret.

MANSFELDIUS PILSNAM SE RECIPIT.

XXIX.

Boicus exercitus ubi attigit Weitrachium in Auſtriâ ſecundâ, finitimum Bohemiæ oppidum, quò penetrârat per ſylvæ Bohemicæ compendia; Anaſſinus miles, qui nuper ad Maximiliani ſtipendia tranſierat; nunciatur Maximiliano, hoſtem latè effuſum, cædibus in palantes circa Boicos graſſari, & jam non paucos obtruncâſſe. Juſſi proinde per præcones à ſignis non abire: aderat enim haud procul hoſtis cum decem millibus, quibus totam circà regionem reddebat infeſtam, & recens Bucquoij nonnullas ſarcinas, cæſis, fugatis defenſoribus, invaſerat. Eo factum, ut ſolito denſioribus ordinibus, confertiſque legionibus exercitui eſſet progrediendum ad Neobelam, qui locus luſtrationi & conſociationi Cæſariani juxtà ac Boici exercitûs ex condicto erat deſtinatus. In eâ profectione, quæ viarum confragoſis anfractibus fuit impeditiſſima, miles ingentes moleſtias exhauſit, multos dies impranſus & incœnatus, ob cibariorum, quæ convehi non poterant, grandem inopiam.

BOHEMI BAVARICO MILITI INFESTI.

Arx Gillenſteinia, quam Kueffenſteinius apud Bohemos caſtrenſis commeatûs curator, recens loco peramœno extruxerat, ubi vim præſentem ſenſit, illico manus dedit. Hic Bucquoius, fauſtum Maximiliano adventum precatus, nonnulla de re communi collocutus, ad ſuos revertit. Wildberga 6. Id. Sept. exarmato ac dimiſſo hoſtili præſidio, Anholtio in manus venit: Bohemi, quibus Altenburgenſis Aſceterij cuſtodia erat demandata, miſſo caduceatore, ultro ad Maximiliani ſigna tranſivêre. Qui Duce Anhaltino aliquot Inferioris Auſtriæ arces & oppida occupârant, nullâ vi expectatâ, refugêre in Bohemiam. Egenburgum, & Horna tormentis quaſſata, Tranio fecêre deditionem. Caſtrum Driſſidelium incendio corruptum.

GILLENSTEIN DEDITIONE ACCIPITUR: CAPIUNTUR ALIA LOCA.

XXX.

Infeſta erat id temporis exercitui annonæ difficultas, quam ab ipſâ uſque Bavariâ, ingenti labore convehere oportebat: immenſi propè ſumptûs erat atque operæ, utrique exercitui quantum ſatis eſſet, ſuppeditare: neque enim ex Auſtriâ, quæ ipſa eſuriebat, aut ex Bohemiâ, quam hoſtis, quacunque iter erat, prorſus exhauſerat, colonis ex agro dilapſis, quicquam poterat expectari: & quo remotiùs à Danubio diſcedendum, eò fiebat vectura ex hoſtium inſidijs periculoſior. Quæ res Maximiliano neceſſitatem impoſuit maturandi belli, & quocunque loco hoſtis ſui copiam faceret, prælio decernendi. Bohemi contrà nullibi pedem figere, ſectari diverticula, omnem pugnæ occaſionem fugere. Credebant videlicet, ſe, ſi rem ad uſque proximam brumam extraherent, fame, laboribus, transfugio, morbis, hoſtem fractum tandem facilè debellaturos. Quæ mens tam altè ipſis inſederat, ut ſola adventantis exercitûs fama, non eos modò, qui in caſtris, ſed & qui in præſidijs, abigeret.

ANNONÆ DIFFICULTAS.

MAXIMILIANUS BELLUM MATURAT.

BOHEMI PUGNAM DETRECTANT.

XXXI.

Eſt Droſendorfium civitas loco edito, & arte bene firma, quæ ad inſtar clauſtri Auſtriam à Moravis dirimit. Eam Bohemi coronâ cinctam, jam quatriduum plenis caſtris obſederant, & credebantur loco tum pugnæ, tum rebus ipſorum tam opportuno, niſi tentato Marte, non deceſſuri; ſed cùm famam propinquantium legionum accepiſſent, conclamatis vaſis ſeſe recepêre in Moraviam.

SOLVITUR OBSIDIO DROSENDORFII.

Quapropter Hornæ Idib. Septemb. volente Maximiliano, in commune de rationibus belli actutum finiendi deliberatum. Bucquoio videbatur nimis ar-

CONSULTATIO DE RA-

TIONE BELLI ADMINISTRANDI. BUCQUOII SENTENTIA.

duum in ipſâ ſtatim Bohemiæ viſcera penetrare : id enim plenum fore periculi. Conſultiùs refugientis hoſtis veſtigia premere, occupare quæ à tergo relinqueret, agere in anguſtias, tandem ad confligendũ adigere. In Moraviâ, quæ adhuc dum abundaret, laxiorem fore annonam, quæ in Bohemiâ futura ſit parciſſima : propiora fore Auſtriæ, cui Gabor imminebat, auxilia: Cæſarem eo modo futurum

XXXII. longè tutiorem. Si Bohemiæ umbilicus peti debeat, id niſi à triplici exercitu conſultò tentari non poſſe : ejusmodi enim eſſe Regni poſitum & munitiones, ut vis minor fruſtra ſit futura. Et (quod nonnemo ſcriptum reliquit) pro iſtâ ſententiâ certabat nonnulla illuſtris ac fortis bellatoris animi celſitas (quæ Heroibus, poſtquam ſuis potiùs quàm alienis nutibus aſſueverunt, ferè adnaſcitur) quòd Maximiliani imperijs ægrè eſſet ſubjectus, eò quòd ſi quam fortuna daret gloriam, ea non ipſi, ſed Maximiliano eſſet ceſſura, eóque videbatur malle diviſis copijs contra Moravos ducere, atque in opimâ regione hiberna captare.

MAXIMILIANI DECRETUM.

Vicerunt nihilominus Maximiliani rationes, Pragam belli Regníque caput eſſe nullâ interjectâ morâ petendam, quâ debellatâ, cætera forent prona. Eò convenisſe Fridericum, Regni Optimates : iſtic eſſe populi ſtudia, ſupereſſe Catholicos audendo validos, religioni ac Cæſari fidos, inde peti Regiam & Regni primordia, ceremonias, ſceptrum, diadema, populi plauſum : hæc quantumvis lenia, populo tamen auguſta videri. Non fore neceſſe ultrà veſtigare hoſtem; ad Pragam, velut ad cor arcémque ſalutis, concurſuras omni ex parte Bohemorum vires omnes, quibuscum tolerabilius futurum ſit certamen, quàm cum eſurie,

XXXIII. morbis, brumâ, aliíſque incommodis. Pragam Regni ſedem, ab hoſte citra ingens dedecus, deſeri non poſſe. Annonæ vectionē numeroſo fortíque defenſore eſſe protegendam: ſi bellum extrahatur, pabulum ubique hieme jam appetente jumentis defuturum; moram non laxaturam, ſed contracturam in deterius cibariorum anguſtias : militem febri ac peſtilitate, quæ jam tum graſſabatur, & Aulicum Maximiliani famulitium in hoc bello ſemel iterum extinxit, hieme periturum; vere novo reliquias hoſti nimium quantum fore impares : ſi periclitandum ſit, diuturnum diſcrimen longiore eſſe redimendum; quicquid caſus tulerit, in lucro fore, bello aliíſque malis quamprimum expediri, ſi ſpatium reſpirandi hoſti concedatur, per otium novis copijs, ſociorum ære, novíſque in Regno munitionibus firmatum iri. Cæſarem, Auſtriam, aliáſque Provincias eo loco eſſe, ut ſe poſſint tueri; ſi eguerint auxilio, mitti poſſe in tempore : verbo ex uno conflictu univerſa pendere, qui ſi differatur, non geri bellum, ſed duci. Ergo itum eſt in Maximiliani ſententiam, ita tamen iter inſtitutum, ut ne hoſtis ex ejus modo atque ratione Pragæ petendæ conſilia conijceret. Quocirca non rectâ Pragam, ſed obliquâ viâ cœptum eſt moveri.

UNGERSCHIZ OCCUPATUR.

Arx Ungerſchiziana velut per tranſitum admotis baliſtis occupata. Rapſium, cujus caſtrum in excelsâ rupe ſitum, flumen in imo alluit, poſt quartum fulmen ſuperatum.

300. CÆSARIANI PROFLIGATI.

Trecenti è Cæſarianis, qui prædatum excurrerant, 13. Cal. Octob. ab hoſte omnes intercepti, pars obtruncati, pars capti. Eo die Gmundiæ, quæ eſt Auſtriæ ſe-

XXXIV. cundæ civitas, fuit ſubſiſtendum, dum reſtitueretur exercitus in ſuos ordines, quos viarum ambages flexúſque diverſi, hinc inde turbaverant, & tormenta cum impedimentis advenirent. Itum deinde Grazenum, atque hinc Schwenizium, quod oppidum eſt Bohemiæ confine.

AUXILIARES COPIÆ VIENNAM MISSÆ.

Iſthic Maximilianus ab Harrachio Cæſaris Legato rogatus, Legioni Anholtinæ, quam Auſtriæ ſuperiori præſidio reliquerat, tribúſque equitum turmis mandata dedit, ut quamprimum ad cöercendas Ungarorum excurſiones, Viennam properarent.

XXXV.

SAXONIÆ VII. VIR BUDISINUM OBSIDET.

Inter hæc Saxoniæ Septemvir caſtris ad Budiſinum, quæ Luſatiæ civitas eſt, poſitis, Provinciam ad reconciliandam Cæſaris gratiam, tum armis tum clementiâ ſolicitabat. Obſtabat Marchio Jagerndorfius, reclamabant Sileſij, fortiter renitebatur firmum ejuſce civitatis præſidium, Proceres verò obſidionis & Bohemici belli eventum reſpectabant, oppidanis, ni prohiberentur, pronis ad obſequium. Placuit igitur, cùm leniora nihil proficerent, acriora adhibere. Et

primùm

primùm quidem ager Budiſſinus prædæ permiſſus. Quæ res illicò movit colonos ad Saxonis clementiam, protectionémque implorandam. Profuit miſeris fuiſſe ſupplices. Dehinc urbi admotæ machinæ, propugnatoribus impigrè reſiſtentibus. Jagerndorfij auxiliares copiæ, dum effuſæ, populationi magis quàm bello ſunt intentæ, à Saxonibus ſubitò oppreſſæ, conflictu qui duas horas tenuit fuêre profligatæ. Et jam muri ruinam aſſultui idoneam, tormenta ediderant, ſimul amiſsâ exteriore loricâ, Budiſſinenſe præſidium, flammâ ex injectis pyrobolis horrendum in modum intra mœnia graſſante, premebatur. Ergo ne ſupremum diſcrimen adiret, deditionem fecit 7. Cal. Octob. eâ lege, ut ne intra trimeſtre adverſus Saxonem militaret. Exeunti permiſſæ ſarcinulæ, vexilla Ductoribus ex gratiâ reddita: civibus novo ſacramento devinctis noxa condonata: arx cum omni annonâ atque inſtrumento bellico, Electori tradita. Eâdem expeditione Graditium, Baruta, Camentia, aliáque oppida per vim recepta.

JAGERNDORFII CLADES.

BUDISSINUM DEDITUR.

DEDUNTUR ALIA OPPIDA.

Maximilianus interea Budnam balliſtarum & punicarum ſphærarum crebris jaculationibus adegit ad deditionem, præſidiarijs absque telis, ſarcinîſque aliò dimiſſis. Bucquoius è diverſo Bragadizium expugnavit, præſidio unà cum civibus, nullo ætatis ſexúsve diſcrimine, interemptis. Sub id temporis cœperat Mansfeldianus miles, Boicæ finibus prædando eſſe moleſtus: ſed huic malo confeſtim itum eſt obviam; nam cùm Bavaricæ copiæ, quas ad tuendum limitem Maximilianus in Boiâ reliquerat, adverſus populatores moviſſent, colonos metu, agrum direptione liberârunt, Mansfeldicis, qui è Wallerianâ etiam munitione profugerant, in Bohemiam retruſis, qui ubi ubi ſors ferebat, promiſcuè de Bohemis, perinde atque ſi hoſtes forent, prædas egerunt: tanta erat in diſſoluto milite (uti amat fieri, cùm ſtipendia deficiunt) ex ductorum diſſimulatione, rapiendi libertas.

MAXIMILIANUS BUDNAM OCCUPAT.

XXXVI.

BUCQUOIUS BRAGADIZIUM EXSCINDIT.

MANSFELDICI ARCENTUR A BOICÆ FINIBUS.

Diverſis porrò caſtris deinceps progrediebatur Cæſarianus & Maximiliani exercitus. Movit uterque Piſcam. Oppidani per æneatorem deditionem poſtulati, cùm numeroſo milite & oppidi munimentis ſe tutos crederent, ſeſe fato apprimè funeſto objecerunt. Cœpta igitur locis opportunis, Maximiliano ad Moldavum amnem, Bucquoio è regione coronam claudentibus, obſidio. Prid. Cal. Octob. cùm ſeptem majoris modi tormentis mœnia fulminarentur, tantus terror oppidanos inceſſit (ea ſolet eſſe inexpertæ plebis imbellia) ut ſecundâ poſt meridiem horâ, cœperint pacem deditionémque orare. Vix datum erat colloquio initium, cũ Cæſarianæ cohortes Præfectorum injuſſu, ſuperatis mœnibus civitati infuſæ, eam ſtragem ediderunt, ut pauci admodum ex civibus, ex quingentorum præſidio ne unus quidem lanienæ ſuperfuerit, quicquid demum Maximilianus atque Bucquoius, contra militarem furorem & prædæ aviditatem niterentur. Præſtitiſſet miſeris, maluiſſe oblatam Ducum clementiam tempeſtivè, quàm militum iras nimis citò experiri.

XXXVII.

PISCÆ EXCIDIUM.

Calend. Octob. conſenſu omnium, qui frequentes adfuêre bellico conſilio, decretum Pilsnam petere, quòd eâ domitâ videretur Pragæ expugnatio fore facilior. Et ſuberat occulta ſpes ejusce civitatis potiundæ, quòd Mansfeldius, cujus erat in manu, de pretio deditionis, & reconciliandâ Auſtriacorum gratiâ, ſeu fictè pro innatâ vafritie, ſive dubius, pro genij inconſtantiâ, cum Bucquoio egiſſet. Cur huic impoſuerit, incertum, an avaritiâ, quam pro arbitrio non explerent promiſſa præmia; an deſperatione recuperandæ apud Hiſpanos priſtinæ dignationis; an pudore; quòd antea tam turpi defectione fidem prodidiſſet. Credibile eſt, Bohemos eum in iſtâ licitatione, ſpe, quæ Bucquoij pollicita longè ſuperaret, præſtinaſſe. Certè Maximilianus, cui iſta nundinatio fallax, otioſáque videbatur, præſagiebat, quod res erat; Mansfeldium cum temporis diſpendio, poſt pluſculorum dierum ludificationem, Bucquoio impoſiturum, eo lætum, quòd meliora conſilia tantiſper ſuſpendiſſet. Nihilo tamen minùs, omiſsâ Pilsnâ, eo quem dixi, die, caſtris ſub veſperum motis, Maximilianus tetendit propè Straconizium: eum lento agmine Bucquoius trans amnem eſt ſecutus.

MAXIMILIANUS PILSNAM MOVET.

MANSFELDIUS EIUS DEDITIONEM VENALEM EXPONIT.

XXXIIX.

cutus. Datum eſt ipſi à Berchtoldo (fides penes auctorem ſit) quòd in iſtâ expeditione, moram ex morâ necteret, tardiùs quàm erat condictum, caſtra moveret, ſeriùs metaretur, plus æquo militari licentiæ, corruptâ diſciplinâ, indulgeret, ſineret vexari belli injuriâ ſontes juxtà ac inſontes, & alia id genus, quæ nolim de tanto viro maximis ex rebus egregias laudes promerito, affirmare.

Cæterùm Haslangum, qui primum Boici exercitûs agmen ducebat, ne miles tantillum feriaretur, 4. Non. Octob. juſſit Maximilianus Grunbergam arcem, ſubjecto oppido ex alto colle imminentem, petere. Ille maturato itinere prævertit Anglorum & Scotorum manum, qui ſuppetias arci properabant. Cùm jam proximi montem ſubirent, quadraginta in loco cæſis, ſexaginta captis, rejecit cæteros. Et eâ Haslangi celeritate factum, ut arx, quæ vix alioqui expugnari potuiſſet, intra horæ ſpatium ad deditionem cogeretur, præſidiarijs ad Boica ſigna receptis.

Grunberga Maximiliano deditur.

XXXIX.

Hoſtis eodem iſto die, quemadmodum Maximilianus antè prædixerat de Pragæ ſalute, in quâ rei ſumma vertebatur, ſolicitus, citatis itineribus ſic feſtinârat, ut vix tribus paſſuum millibus à Bucquoij caſtris abeſſet. Quamobrem Maximilianus veritus, ut, ſi totis viribus à Bohemis invaderetur, multitudini impar eſſet futurus, Tillium cum delecto equitatu juſſit advolare in auxilium. Et fuit ſanè operæ pretium: nam Chriſtianus Princeps Anhaltinus Friderici Legatus, ut Bucquoium motis caſtris abeuntem, ad pugnam adigeret, ejus poſtremum agmen continuis velitationibus, non ſine multorum cæde, eò uſque carpſit, donec ope Tillij opportunam ſtationem nactus, obversâ fronte inſequentem hoſtem inhibuit.

Succurritur Bucquoio.

Inter hæc Balthaſar Marradas cum firmo alariorum præſidio miſſus, qui venientes è Bavariæ finibus ſexies mille ſexcentos pedites, mille ſeptingentos equites exciperet. Is de viâ Arce Riſenburgenſi, quæ ab Hollandico præſidio tenebatur, hoc ſtratagemate eſt potitus. Nocte concubiâ, aliquot equitum manipulos jubet in pedes deſilire, atque inſtructis ordinibus, accenſos funiculos manu geſtantes ſtare in arcis conſpectu: ut verò crederent præſidiarij, hoſtem magno numero imminere, à tergo procul aliquot tympaniſtas locavit, qui ſigna darent quaſi advenientium Legionum. Nox unáque metus, ut ſolet, rem auxit in majus. Præceſſit Marradas ad arcis portam, cœpítque minari atrociter, ni è veſtigio Boiorum Duci traderetur, fore ut omnes nupero Piſcæ exemplo, ad unum mactarentur. Perculſi igitur Hollandi, ne petitis quidem reliquæ noctis inducijs, Marradæ trepidi portam aperuerunt. Vitæ venia facta dedititijs, & conceſſum, vel redire ad ſuos domum, vel Cæſari facere ſtipendia. Ternæ æneæ machinæ ad arcis cuſtodiam relictæ. Eâ nocte apparuit verum Ulyſſis dictum, Pectora eſſe potiora manu.

Riſenburgum ſtratagemate occupatum.

XL.

Per id tempus euſque jam frigore cœlum inhorruerat, ut unicâ nocte decem, ex ijs, qui pro tormentis excubabant, obriguerint: ipſa jumenta (quod mirum) cùm algoris inſolentiam non ferrent, aliquo numero fuêre extincta.

Inſolens frigoris aſperitas.

XLI.

Poſteaquam Marradas Boicis, quas dixi, Legionibus acceſſerat, Herlebergius qui ipſis cum poteſtate præerat, Tauſſium brevi obſidione ſubegit, non ſine ſuo damno: nam incendium in Tauſſenſi ſuburbio exortum, ejus ſarcinas, in quibus erant aliquot aureorum millia, corrupit. Idem Glattovienſes redegit in ordinem. Miles à Bohemis conductus, ſigno explicato, cum impedimentis abire permiſſus: collectitij populares, armis (excepto enſe) ſpoliati, in agros remiſſi: cives Cæſari ſacramento dicere juſſi: Nobilibus cum familijs facta poteſtas in civitate degendi, vel eundi quò vellent, eâ tamen lege, ut ne adverſus Cæſarem militarent. Cætera Cæſareæ Majeſtatis voluntati relicta. Demum copiæ, quas ducebat Herlebergius, & ſuppetiæ Cæſarianæ, ſalvæ ad Maximilianum 5. Idus Octob. venêre.

Tauſſium, Glattovium occupata.

Noctem agebant in pago Loſino Belgicorum equitum turmæ quinque, ductore Erwitto: eæ circa tertiam noctis vigiliam, ab Hungaris ex improviſo deprehen-

Erwittenſes equites carpuntur ab Hungaris.

prehenſæ, de ſuo numero viginti equites, de lixis quinquaginta amisêre. Pago incenſo, Hungari fugientibus, quàm victoribus ſimiliores, quantâ potuerunt celeritate, ſeſe in proximi ſaltus latebras receperunt.

Dum hæc gererentur, Betlemus Gabor cum ſex Pannonum millibus Langenbachium, Eſterhaſij Toparchæ caſtrum coronâ cinxerat, magnâ ſpe, ejusce brevi expugnandi: ſed ſpem fruſtravit Dampetrus Comes, qui ad tutandam Hungariam miſſus à Cæſare, cum novem equirum centurijs, tantâ vi hoſtium caſtra invaſit, ut per mille ducenta interfectorum corpora in arcem penetrârit, triginta duntaxat è ſuorum numero deſideratis. LANGENBACHIO SUCCURRIT DAMPETRUS. XLII.

Atque hoc quidem egregium facinus viro immortali memoriâ digno propè poſtremum fuit. Cùm enim paulò pòſt nimis excelſo periculi contemptu, portæ Poſſonienſi tormentum inſititium (vulgò petardum) applicaret, hoſtili glande occubuit. EIUS MORS.

Properantem Maximilianum, & ſuâ jam ſponte ſatis incitatum, aëris intemperies, & vulgata febris malignæ lues, quæ copias paulatim attenuabat, ad feſtinationem urgebant, ſed remorabantur ægrorum corpora, quos nefas erat, in hoſtico, rerum neceſſariarum inopes deſerere. Gravis etiam erat impedimentorum multitudo, & turba imbellis, nata duntaxat frugibus conſumendis. Ut igitur hiſce oneribus exercitum levaret, redderétque magis ad ſua munia expeditum, ægros, perſonas inutiles, magnámque ſarcinarum partem remiſit ad fines Bavariæ. MAXIMILIANUS CASTRA IMPEDIMENTORUM PARTE LEVAT.

Erat inter infirmos Haslangus ſupremus Vigiliarum præfectus, tantâ jam corporis ægritudine, ut par non eſſet caſtrorum & concitatæ profectionis incommodis. Eum, utpote charum dignúmque, quem Maximilianus ad futura ſervatum vellet, juſſit lecticâ vehi verſus Bavariam. Vixdũ à caſtris proceſſerat decẽ paſſuum millia, cùm ab Hungaris, quos in inſidijs ſylvarum denſa texerant, intercipitur. Fit primùm in Haslangum impetus, è lecticâ protrahitur, & ægrè ſpirans, ſpe grandis lytri, ſtrigoſo jumento vinctus imponitur, in hoſticum revehendus. Tum fit impetus in reliquam multitudinem. E ſtipatoribus decem obtruncati, capti triginta, cæteri fugâ elapſi. Fœminæ nobiles, alijque rebus omnibus ſpoliati. Capti Haslangi nuncium ſanè mœſtum, Maximilianus ut accepit, miſit illico caduceatorem cum litteris, qui eum à Friderico Electore repeteret, mox ubi convaluiſſet, cum fide remittendum. Reſpondit Fridericus, eum non eſſe in ſua, ſed Bornemiſſæ Ungari manu, eóque ſe Maximiliano hac in parte gratificari non poſſe. Ita vir genere, virtutibus, rebúsque pro patria & religione geſtis præclarus, crudiùs quàm curandæ valetudinis ratio poſcebat, habitus, 3. Non. Novemb. extinctus eſt. In ſua ephemeride ſcriptum reliquit Anhaltinus junior Chriſtiani filius, Fridericum cum Haslango, cùm primùm in caſtra veniſſet, multa percontando ad duas horas fuiſſe collocutum. XLIII. HASLANGUS ÆGER VENIT IN HOSTIUM MANUS. MORITUR. XLIV.

Inter eos, quos Hungarica (ut vocant) peſtilitas abſumpſit, mihi recenſendus eſt Collignonius Rouvillæus, qui per omnes militiæ gradus egregiâ animi magnitudine, & multorum annorum ſtipendijs, quæ Regi Catholico in Belgio fecerat, ad Tribuni dignitatem fuerat evectus. Hic poſt Pragenſem victoriam non ante fuit extinctus. Eâdem illâ contagione non in caſtris modò Maximiliani, ſed in ipsâ etiam Aulâ multi laborârunt, permulti fato conceſſerunt, quæ res boni Principis animum non mediocri dolore affecit, quippe cui in primis curæ erat, ſuos, quâcunque poſſet ope, ſervare.

Cùm Fridericus ſe indies magis magiſque urgeri ſentiret, publicâ fide impetratâ, ad Maximilianum miſit Tribunum Schlammerſtorfium virum acrem atque verſutum per ſpeciem officioſæ ſalutationis, re autem ipsâ, ut conquereretur, ſuum Principem eò deveniſſe infelicitatis, ut cum proximo ſanguine, cui in nuperis Comitijs ſupremam in orbe poteſtatem conciliare voluiſſet, cogeretur gerere inimicitias: & eum quidem nihil æquè habere in votis, quàm ut ne tam triſte exemplum longiùs procederet. Eam ob rem, nî foret ingratum LEGATIO FRIDERICI AD MAXIMILIANUM. XLV.

Maximiliano, magnopere optare Fridericũ venire in amicum colloquium: non dubitare ipſum,& Haslangum ipſum ita ſuaſiſſe,quin(ſi fide Germanâ inter ſe conſilia coràm agitaverint) fieri poſſit, ut, rebus ex æquo & bono compoſitis, bello finis imponatur. Vellet proinde Maximilianus locum, modúmque tam ſalutari conſultationi, utrique ſecurum ac commodum, rei verò communi, quod cœlum bene vertat, profuturum, nuncupare. Eſſe præterea in nuperâ denuntiatione quippiam, cuius ſenſum Fridericus non ſatis aſſequatur: cupere ipſum proinde ex Maximiliano cognoſcere, quidnam illud ſit, quòd cum Ordinibus Bohemiæ, eorúmque ſocijs facta ſit ſpes impetrandæ à Cæſare veniæ, ſi redirent ad obſequium, adjecta ſit peculiaris cautio, ſpectans ad Friderici perſonam, quaſi ipſius ſingularis aliqua & diverſa quidem ratio ſit habenda: jucundum fore, reſcire quam in partem id liceat interpretari.

Maximiliani responſum. XLVI.

Senſit Maximilianus, moras quæri & comperendinationes, donec adveniente hyeme, copiíſque morbis, aliíſque id genus malis inſigniter imminutis, ipſe hoſtibus fieret opportunior, minúſque formidandus: reſpondit nihilominus eâ, quâ decebat, humanitate: Se cum Friderico Electore ſummâ fide egiſſe, atque diu antè prædixiſſe eam, in qua res jam fluctuarent, belli tempeſtatem: & ſe profectò non ultro, vel ex affectu ſequiore, ſed ex Cæſaris imperio ob cauſas, à Septemvirûm & Principum Comitio Mulhuſij vulgatas, mero publicæ ſalutis amore, tam moleſtam & periculoſam adverſus Bohemos, ipsúmque Fridericum dimicationem ſuſcepiſſe. Se quidem non averſari colloquium, ſed vehementer metuere, ut fruſtra ſit futurum. Etenim Cæſari, cujus res ageretur, certum eſſe atque omnino fixum, nullam prorſus admittere pacis mentionem, niſi ante omnia, ipſe Bohemiæ Rex unctus, inauguratus, agnitus, receptúſque ab univerſis Ordinibus, quocunque alio excluſo, in abſoluto Regni dominatu, & Provinciarum ab eo pendentium poſſeſſione, fide debitâ, obſequio atque reverentiâ, quâ par ſit ſubmiſſione, colatur. Atque hanc eſſe, ac fore deinceps normam legémque cujuſcunque de pace conventionis. Cùm primùm hâc ſuper re Fridericus ſuam mentem aperuerit, non fore moram, quin ad conſultationem mox poſſit deſcendi, quæ citra iſtas conditiones nulli planè ſit uſui futura. Edicti Cæſarei clauſulam videri non habere aliam explicationẽ, quàm ipſa verba primo aſpectu præ ſe ferant; ſi quid ſit reconditum, id ex Cæſaris mente eſſe indagandum: ad ipſum pertinere penitiorem ſuæ legis interpretationem. Eo reſponſo perculſus Fridericus, nihil ultrà movit de inſtituendo colloquio.

Fridericus Bavarum conatur opprimere. XLVII.

Paucis pòſt diebus, idem oſtendit, quo eſſet in Maximilianum animo. Rem deſcribam ex Junioris Anhaltini Principis Commentarijs. Ad diem II. Cal. Novembris, ſub horam noctis ſeptimam, Fridericus cum toto equitatu, & parte peditatûs, movit eo conſilio, ut Bavaricam ſtationem (caſtra tunc Tuſcowicij Maximilianus locaverat) inobſervatus noctis beneficio opprimeret. Primum Friderici agmen ducebat Comes Hollachius cum ſelectis omnium turmarum equitibus & baliſtarijs, vulgò muſquetarijs, mille trecentis, quos Hungari, deinde Auſtrij, poſt hos Stubenvollius cum ſuis, poſtremò cæteri ſtipatâ ſerie ſequebantur. Anhaltinus cum ſuis alarijs Fridericum proximus anteibat: agmen claudebat Vicarius Mansfeldij Comes Stirumius natu major. Palatinum, præter aulicos, cingebant duæ equitum turmæ Spaldorfij & Ducis Weinmarij. Decies mille feruntur univerſim fuiſſe è toto hoſtium exercitu ſelecti. Bucquoius eâ nocte tanto intervallo à Bavaricis aberat, ut in re ſubitâ, & ob nocturnam caliginem impeditâ, atque longè difficillimâ, ſi vel maximè voluiſſet, nequiviſſet adeſſe Maximiliano, quem ſervârunt Cœlites diſcriminis prorſus neſcium. Ei nox iſta luctuoſa fuiſſet futura, niſi pro ipſo divinus oculus vigilâſſet. Hungari enim, qui in primo agmine viæ ductoribus aderant, tracti in devia, per ſylvas, itinere perquàm difficili atque impedito, toties remorati ſunt turmas omnes atque legiones, ut, cùm deſperarent, ſe ante lucem è ſuis erroribus poſſe ad caſtra Bavarica emergere, re infectâ, bene fatigati omnes pedem retulerint. Acceſ-

Maximilianus miro modo periculo eripitur.

ſit re-

ſit repentè excitatus ab Hungaris ex panico terrore tumultus, cum eâ perturtione, ut ſibi ipſi vix à mutuâ cæde temperârint. Omnium ſententia fuit, ſi iſta expeditio proceſſiſſet, Bavaricas copias internecinâ clade deleri potuiſſe. Et quando mentio incidit divinæ in Maximilianum benignitatis, juvat hoc loco attexere, nonnullis è Bohemicis proceribus, quaſi divinitus illata ſupplicia. Slawata Guilielmo fratri longè diſſimillimus, non poſtremus inter eos, qui præcipitandorum triumvirûm è prætorij feneſtrâ fuêre authores, inter repentè accenſos nitrati pulveris ignes, miſerè vitā poſuit. Schwanbergius, qui ipſo præcipitij die, Catholicos Pragæ omnes è medio tollere, aut è Regno pellere moliebatur, dum menſæ accumberet, primo ſtatim bolo ſibi ſpiritum intercluſit. Kinskius in caſtris interijt: Felſius fuit in campo mactatus. Omnes iſti prudentioribus viſi ſunt divinâ manu periiſſe. Pœnæ Bohemis aliquot divinitus inflictæ. XLIIX.

Cùm Maximilianus dies pluſculos, quos perſequendo bello opportuniſſimos judicabat, inutili cunctatione in ijſdem caſtris perinvitus conſumpſiſſet, moras tandem rupit indictâ profectione. Bucquoius, quem recenſui ab invadendâ Bohemiâ alienum, tempus cunctando extrahebat, eo prætextu, quòd propter ſuorum pabulationem, qui palantes ad ſigna nondum rediſſent, negaret ſibi eſſe integrum caſtra movere. Paruit tamen Maximiliano. Signis ergo refixis, exercitus uterque progreſſus eſt ad dextram Pilsnæ. Croatæ, qui erant in primo agmine, è Britannicis ac Batavis centum quinquaginta, partim obtruncârunt, partim conjecerunt in vincula. Poſtridie profectionis, Bucquoius rurſus cœpit hærere: ſed cùm hoſtis inſtaret, Bavaricos ad Bielam eſt ſecutus. Maximilianus caſtra movet. 150. ex hoſte cæduntur.

Ex eo tempore prælijs velitaribus ſolito longè acrioribus, decretoriæ pugnæ cœpit præludi. Edebat videlicet hoſtis ſupremos conatus, quò Maximilianum à Praga & Regni umbilico averteret, quaſi malo imminenti, ut in extremis morbis natura facit, totis viribus conaretur occurrere. Cùm enim Maximilianus ad Cralowizium tetendiſſet, cum mille ducentis equitibus Raconizium verſus profectus, ſub tertiam pomeridianam, animadvertit hoſtem haud procul Senomato è ſylvâ prodeuntem, unâ equitum alâ velle occupare clivum, ex quo facilè poſſet Pragenſe iter impediri. Id ne fieret, actutum à ſuis juſſit locum invadi. Cum dicto id confectum. Mox ipſe cum reliquis turmis eò ſecutus, Tillium juſſit cum legionibus eodem properare. Hîc orta primùm velitatio, cui ſucceſſit vis ab hoſte validior, ſed quæ tantâ fortitudine à Bavaricis fuit repreſſa, ut hoſtis in fugam actus, Raconizium pedem perfugij causâ retulerit. Subinde formatâ in colle ſtatione, juſſit Maximilianus duobus tormentis locum muniri. Dies poſterus, qui fuit quintus ante Calendas Novembris, datus prælijs levioribus. Iſtud eo die jucundum viſu ac memorabile, tam defuiſſe hoſti audaciam, ut ſpectante Maximiliano, Bucquoio, aliiſque primæ notæ viris, octodecim Bavarici ducentos quinquaginta Bohemicos equites fuderint, fugârint, quæ res reliqui exercitus animos non mediocriter accendit. Crebræ velitationes. XLIX. Bohemorum conatus. Caſtra ad Raconizium: pugna velitaris.

Certè Anhaltinus in ſuo Diario fatetur, rem parùm fortiter fuiſſe geſtam à Bohemico equitatu 3. Calend. Novembris, quo die in acri admodum conflictu ſignum Friderici prætorianum, cæſo vexillifero, à Bavaris eſt reportatum; Theodorus Comes Donavius Hollachij Legatus lethali vulnere ictus; hoſtis è ſylvâ & colle, quem inſederat, cum non levi ſuorum clade pulſus; magna in Bohemicis caſtris per ſphæras punicas è Bavaricis machinis emiſſas, ſtrages edita, paucis Catholicorum deſideratis, inter quos Aquaviva Neapolitanæ legionis Tribunus, & Teuffelius Auſtriacus Chiliarcha, qui venerunt in hoſtium manus. Rari admodum occubuerunt, paulò plures fuêre ſauciati. Certamen nox diremit. Obfuit tardior Cæſarianorum adventus, adfuêre enim duabus poſt conflictum horis, qui ſi maturiùs adfuiſſent, hoſtis magnâ clade affici, ſi non debellari potuiſſet. Sed nondum id erat in fatis. Præſtitêre nihilominus poſt adventum grande operæ pretium, quando ſerâ jam nocte ſubmoverunt hoſtem à valle paluſtri, quam ad caſtra munienda, ſubmiſſis ter mille alarijs, occupabat. Eâdem iſtâ no- Velitatio gravis et longa. L. Cæſariani rem fortiter gerunt LI.

ćte, caſtra aggeribus proxime hoſtem fuêre munita, in quibus dextram Bavari, lævam Cæſariani tenuêre. Pridie Cal. Novemb. majoribus tormentis graviſſimè fulminatum, quibus multi utrinque lacerati. In his fuit Comes Marcus Philippus Fuggerus juvenis fortiſſimus, cui poples uterque pilâ grandiori fuit avulſus: is ſupervixit in noćtem inſequentem, dignus, ſi Deo fuiſſet viſum, vitâ longiore; certè ſui glorioſam memoriam reliquit.

Fuggeri mors.

Ex eo die, hoſtis cunćtabundus & pugnæ eo loci detrećtans, intra caſtrorum loricam ſe continuit, nec potuit ullâ vi aut arte adduci, ut prælio de ſummâ re decerneret. Urgebat interea Maximilianum grave cœlum & brumæ confinium. Hoſtium caſtra apprimè munita expugnare, res erat perdifficilis & ingentis periculi: intercipi commeatus non poterat hoſti, cui à tergo omnia itinera erant aperta, ob addićta totius Regni ſtudia: quare ne ſedendo iſthîc cum jaćturâ temporis, & tam hominum, quàm jumentorum exitio, exercitus fruſtra conſumerentur, communibus votis itum eſt in eam ſententiam, nihil tum quidem ad laceſſendum hoſtem eſſe aptius, quàm ſi oppugnatis circùm locis, ad quæ tutanda ille rebus neceſſarijs adigeretur, conaretur uterque Catholicorum exercitus, extorquere aliquam confligendi opportunitatem.

Hoſtis pugnæ fugitans.

LII.

Ergo Calend. Novemb. Maximilianus rem aggreditur. Erat in ſubjećtâ valle templum ſatis firmum, quod ducenti hoſtes tormentis acriter petiti fortiter hactenus defenderant: multùm intererat eum locum expugnari, eò quòd hoſtium caſtra tutaretur, & noſtros aquatione prohiberet. Datum ergo tribus legionibus, Germanicæ uni, Neapolitanæ alteri, tertiæ Lotharingicæ, id negotium. Reſtitêre fortiter primæ impreſſioni intra Cœmiterij muros Bohemi, ſed tandem, cùm nullæ advenirent ſuppetiæ, & virtute & numero oppugnantium, qui murum tranſcenſu ſuperaverant, devićti, vix ullo fugâ elapſo, ad unum omnes ferro fuêre conciſi, vel capti. Geſtum id in Bohemorum conſpećtu, quibus tanti non fuit miſerorum cædes, ut miſſo auxilio juſtæ pugnæ periculum vellent adire. Stabant interim noſtri in acie ad confligendum parati.

Pellitur ex una statione.

Poſtridie ejus diei, Bucquoius adverſam Hungarorum ſtationem conatus eſt opprimere, ſed quò minùs veniret ad manus, obſeptæ viarum anguſtiæ obſtiterunt. Idem eſt aggreſſus noćte, quæ tertium Novembris eſt ſecuta: id cùm Hungari ſenſiſſent, dirupto vicini lacus aggere, tantâ aquarum vi Bucquoij iter inundarunt, ut miles pećtore tenus immerſus, ægrè fuerit lućtatus. Habuerunt interea Hungari ſpatij affatim, quo mutatâ ſtatione pone vicinum collem ſeſe in tutum reciperent. Quare cùm ad rei ſummam, leviores conflićtus & machinarum tonitrua nihil proficerent, quod jam antè erat conſtitutum, Maximilianus totis caſtris profećtionem in Nonas Novembris indixit, annonâ per ſingulas cohortes, turmáſque viritim diſtributâ.

Fruſtra tentatur Hungarorum statio.

Indicitur noſtris profectio.

LIII.

Præmiſſus cum exiguâ peditum equitúmque manu Wallenſteinius, Launam civitatem volentem lubentem, déque Maximiliani adventu ſibi ac Bohemiæ gratulantem, recepit, præſidiúmque ad ejus defenſionem reliquit.

Launa volens recipitur.

Eâdem iſtâ luce, Bucquoius, dum in caſtris non procul ab hoſte mandata ſuis diſpartitur, baliſtæ minoris glande miſſili, ſecundum genitalia perſtrićtus citra vitæ diſcrimen, ad adſtantes animo erećto, voce ludicrâ, exclamâſſe dicitur, per quæ quis peccavit, per hæc & punietur. Id malim dare viri fortiſſimi modeſtiæ, quàm merito. Ergo Raconizio Non. Novemb. totis caſtris diſceſſum: eodem veſpere perventum Litſchanam itinere bis mille quingentorum paſſuum, Bavaris conceſſa prima ac poſtrema acies. In hac curavit Floreinvillæus, vir nobiliſſimus, ei muneri ob præclaram fortitudinem & rei militaris peritiam, meritò viſus idoneus. Arduum cenſent etiam præſtantiſsimi Duces, in receptu ſequentem hoſtem coërcere, quod eo die à Floreinvillæo egregiè fuiſſe præſtitum Berchtoldus ſcriptum reliquit.

Bucquoius vulneratur.

Castra Raconizio moventur.

Floreinvillæus receptum protegit.

LIV.

Poſtridie Nonas Novemb. triginta curruum commeatus hoſti fuit ereptus, interempto Hungarorum præſidio: Straſſoniza oppidum ſuperato à noſtris muro, & defenſoribus in vincula conjećtis, expugnata. Inter tot rerum difficultates,

Hoſti commeatus eripitur.

tes, Deus Maximiliani votis ſic adſpirabat, ut manifeſtè appareret, vix quicquam ab eo potuiſſe ſuaderi ſapientiùs, quàm ut Praga totius Regni cor capútque peteretur: quod ni fuiſſet factum, bellum evaſiſſet non periculoſum modò, ſed etiam diuturnum.

Strassoniza expugnata.

Hoſtis enim comperto noſtrorum diſceſſu, incertus adhuc quorſum tenderent, Nonis Novembris ſeſe in caſtris continuit, verùm ubi per exploratores accepit, eos occupata Launâ rectâ Pragam movere, die poſtero, diviſo exercitu quantâ fieri potuit celeritate, ſeſe ad eam tutandam accinxit. Turrianus Comes cum duodecim peditum millibus, & aliquanto equitatu eò juſſus eſt accurrere. Eum Anhaltinus itinere perdifficili cum reliquis copijs eſt ſubſecutus: ne à noſtris obſervatus ad conflictum adigeretur, obſtitere obſcuræ nebulæ & denſa ſylvarum.

Anhalt. Ephemeris.

Turrianus Pragam festinat.

LV.

Die jam ad noctem inclinante, cùm Bucquoius ex vulnere decumberet, tũ Maximilianus coacto Ductorum tum Cæſarianorum, tũ Bavaricorum conſilio, juſſit utriusque exercitûs impedimenta Straſſonizæ relinqui, quo expeditiùs hoſtem poſſet perſequi, & ne quà elaberetur impedire: ſimul copijs omnibus certum ad conveniendum locum edixit.

Illuc ſeptimo Novembris pervenit multâ adhuc luce, Cæſarianos horis aliquot antevertens, certúsque manus conſerere, ſicubi hoſtis loco opportuno ſui copiam faceret. Dum à meridie nebulâ, quæ totum mane tenuerat, diſcuſsâ, loca vicina circumluſtrat; ecce tibi quaternæ equitum turmæ hoſtiles apparent, miſſæ ad explorandum. In has actutum emittit è Bavaricis juſtum equitum numerum, qui ubi in conſpectum venerunt, momento ex eorum oculis evanuêre Bohemi. Preſsêre nihilominus abeuntium veſtigia, donec in aperta camporum delati, adverterunt hoſtium copias loco plano ſtantes in acie. Quam rem Maximilianus cùm lætus accepiſſet, mox juſsit legiones ad prælium componi, & per curſorem moneri Bucquoium, ut ne occaſioni deeſſet, ſed copiarum adventum, quoad ejus fieri poſſet, maturaret. Verùm tenebris jam obortis, elapsáque confligendi occaſione, appulit. Ea ne rurſus elaberetur, indictâ ad noctis medium abitione, Gaucherio è maximè veteranis Tribuno plurimorum ſtipendiorum in paucis rei militaris experto, imperatum, ut hoſtium caſtra exploraret. Hic arrepto è ſtatione vigile ad Bucquoium febriculâ ex vulnere tentatum, curriculo reverſus, renunciat, hoſtem confuſis ordinibus Pragam feſtinato itinere properare. Ergo ad horam dictam exercitus uterque ſigna refigit. Gaucherius, de viâ, Hungarorum agmen, multis in loco occiſis, dedit eâ nocte in fugam. Maximilianus ſub diei crepuſculum ex Tillio, qui ipſe hoſtem inſpexerat, cognoſcit, in proximo priores Boici equitatûs turmas cum hoſte jam ad manus veniſſe. Ergo miſſo in pugnantium ſubſidium Anholto ſupremo Vigilum Magiſtro cum ducentis alarijs, ſtetit Boicus exercitus in acie, Bucquoij atque Cæſarianorum adventum præſtolaturus. Tillius hoſtium ordines ſtationéſque è propinquo arbitratus, paululum ad pagi cujusdam vicini latus progreſſus, obſervat planiciem explicandæ aciei oppidò commodam. Eò ſtatim ductæ Boicæ phalanges acie inſtructâ. Paludoſus alveus, cui incumbebat ponticulus, Bavaricos ab hoſte dirimebat. Illum præſidio munierant Bohemi, ut tum Bavaros tranſitu prohiberent, tum reſiſtendo, muniendis caſtris otij aliquid compararent. Sed è ſuâ ſtatione ab Anholto depulſi, transmiſſuris nihil deinceps obſtitere: palus paſſim modicè arefacta, non legionibus duntaxat, ſed etiam alarijs mollem præbebat trajectum. Ergo Anholtus longiùs provectus in hoſtem, jam evadebat in collem vicinum, cùm Maximilianus Floreinvillæum jubet cum ſuâ legione ſubſequi. Succeſsêre mox, nullo obſiſtente, totis caſtris Bavari. Hoſtis adhucdum ambiguus varijs ſententijs diſtrahebatur, eſſétne rei ſumma ſupremæ unius conflictûs aleæ committenda. Suadebat Anhaltinus, diſſuadebat Hollachius. Immenſum profuit ea deliberatio. Etenim ſi primo ſtatim mane in aciem Bavaricam duxiſſent, cùm nondum Bucquoius adveniſſet, næ illi magnum

Maximilianus hostem insequitur.

Hungari fugantur.

Velitatio cum Hoste.

LVI.

Bohemi ſe intra caſtrorum valla recipiunt.

fuiſſent nacti emolumentum: ſed non eſt conſilium contra Dominum. Juſſæ itaque ſunt Bohemorum cohortes ſe ex edito monte, quem antè occupaverant, in caſtra recipere, cúmque cæteris conſiſtere intra vallum. Dum hæc lentè aguntur, ſpatium conceſſum eſt Cæſarianis, inſtructâ acie ſe jungendi Bavaricis. Et tum quidem adhuc circumducendæ caſtris coronæ hoſtis acrem dabat operam, creſcebátque in momenta munitio atque periculum, ne abſoluto opere hoſtis tectus, auctúſque novo è Pragâ aliquot millium ſubſidio, ſuo more atque inſtituto prælium eluderet.

LVII. Conſultatio, an pugna committenda?

Sed neq; ſatis inter Maximilianum atque Bucquoiũ conveniebat, variantibus eorum, qui conſultationi aderant, opinionibus, eſſetne è veſtigio invadendus intra ſua munimenta hoſtis, an potiùs eo relicto, Praga ex diverſo montis latere, recto itinere petenda. Hoc Bucquoio videbatur tutius atque præſtabilius, Maximiliano incertius; cùm Mottæus, qui hoſtium caſtra coràm inſpexerat, conſilio denuntiat, ea non eſſe uſque eò munita, quin non magno diſcrimine poſſint ſuperari. Tormenta poſſe quidem aggredientes primo aditu nonnihil lædere, ſed brevi feſtinatione extra eorum jactum poſſe evadi. Si Pragam eatur, exercitum ex quâ parte eundum ſit, machinarum fulminibus multò maximè fore expoſitum: longè minùs à caſtris fore nocumenti. Ergo Deo auſpice decreta pugna. Teſſera à Maximiliano data, Sancta Maria, gentis Boicæ ſervatrix, Maximiliani patrona, cujus imagine prætorianum vexillum erat inſigne. Nec mora. Tillius Maximiliani juſſu ad ſiniſtrum aciei cornu, in quo Bavarici; Tieffenbachius ad dextrum, in quo Cæſariani, advolant. Locum pugnæ, vocant Weiſſenbergum, quem Latinè reddas montem Albanum. Eſt mons humilis ac clemens, aſcenſu non admodum arduo, ſed ſolo ubique ſerupeo, hinc inde confragoſo, quod foveæ ac verrucæ aſperant. In ſupercilio eſt Suburbana Regia, cui adiacet ſaltus eleganter obſeptus. Stellatum nuncupant à ſtellatâ figurâ.

Locus prælii.

LIIX.

Montis longitudo ad milliare Germanicum exporrigitur, planicie, Pragam verſus, modicè declivi. In hac ſtabat hoſtilis Bohemorum acies, quæ tametſi loco ſublimi, Catholico exercitui immineret, ab objecto tamen montis latere tecta ejus conſpectui adimebatur. Ternæ fulminatrices baliſtæ, ſingulis aggeribus impoſitæ caſtrorum frontem in utroque cornu firmabant. Obſtabat etiam nonnihil lorica opere ſubitario aliquantùm affecta: & ſubeuntibus in ſublime, montis acclivitas erat periniqua, Bohemis autem percommoda.

Forma aciei Bohemicæ. *Conſtant. Pereg. n.100.*

Aciei utriuſque hæc forma: Bohemica, quæ tenſum arcum cum duplici nervo parallelo referebat, poſt principia habebat Hungarorum turmas. In alâ dextrâ curabat Streiffius cum ſex turmis equitum: totidem in ſiniſtrâ ducebat Stubnavius, quæ ordines modicâ diſtantiâ præcedebant. In longum alternabant ordinem rectilineum peditum quinque cohortes, totidémque turmæ equitum: his à tergo ſimili formâ ſuccedebant pedites & equites pari numero. Peditatui imperabat Junior Comes Turrianus, Schlickius, Hollachius, Hohenloüs, Caplirus: univerſim erant triginta ſeptem cohortes. In ſaltu mœnibus clauſo, erat Legio Anhaltini, Joannis Erneſti Saxonis Weynmarij, & cohors Prætoriana. Equitatus conſtabat turmis quinquaginta quatuor ſub Juniore Anhaltino, Hollachio, Stirumio, Stubenvollio, Streiffio, Hoffkirchio, Iſelſteinio, Borſeda & alijs.

LIX. Numerus hoſtium.

Pugnatorum numerus, non idem omnibus ſcriptoribus. Minuunt alij, gloriam victoriæ ne augeant, fatendo multos eſſe ſuperatos. Captivi uno ore retulêre, ut minimùm viginti quinque millia; haud paulò plures alij. Anhaltinus in ſuo Commentario mille trecentos ſupra vigeſies mille recenſens, fatetur, ſe infra juſtum numerum calculum inijſſe: & meritò id quidem: nam bis mille duntaxat Hungaros recenſet, qui tamen novies mille ab alijs numerantur. In toto Bohemorum exercitu, faſſi ſunt captivi, fuiſſe velut è cœlo incuſſam, tum viri tum jumentis trementibus trepidationem.

Figura aciei Catholicæ.

Figura aciei Catholicæ, quadratæ fuit ſimilis. Dextram alam conſtituebant Cæſariani, ſiniſtram Bavarici. In primâ Cæſarianorum acie binæ peditum phalan-

phalanges, binis ſclopetariorum cornibus antrorſum atque retrorſum prominentibus, quæ ſingulæ tripartitis equitum alis ſuſtinebantur. Hinc curabant Gaucherius, Mottæus, Comes Torquatus, Crucius, Montecuculi; inde Breinerus, Tieffenbachius, Areycaga, Avendainus. Media acies Neapolitanos equites, & ex Dampetri ac Lebeli turmis alarios continebat: hanc ducebat Carolus Spinellus caſtrorum Præfectus. Poſtrema acies prioris formam referebat, alis tamen ſingulis ad phalanges ſingulas, Poloníſque ad lævam diſpoſitis. Iſthic erant Legiones Ducis Saxoniæ & Comitis Naſſovij, nonnulli Dampetrij equites, Fuggeri & Quatrij, cum alarijs Florentianis. Bavarica acies à cornu ſiniſtro tributa erat in quinque partes: in primâ ſtetêre duæ Legiones; Colonellus Baurus lævam; Floreinvillæus cum Lotharingis dextram regebat. Secundam explevêre tria equitum agmina ſic diviſa, ut ab utroque cornu duo latiùs excurrerent, medium verò duarum in acie primâ Legionum intervallo obverteretur. Singula quinis equitum ſignis conſtabant: ſiniſtro præerat Legatus Ennetenus, medio Lotharingus, dextro Cratzius. Tertia acies ab lateribus, haud multùm ſecundam excedens, tribus phalangibus erat viſenda: ſiniſtram curabant cum ſuis Legionibus Schmidius & Rouvillæus, de quo ſuperiùs: mediam Herlebergerus, dextram Haslangi & Comitis Sulzij Legiones. In quartâ acie tria equitum agmina. Primum Harſello ductore à lævâ in antecedente ordine phalangium intercapedinem complexum: alterum ſub Benedictheuſero intervallũ medij & tertij membri in acie tertiâ obſervabat: tertium Baro Papenheimius intervallo aliquantò remotiore ad dextram continebat. Demum Bavarus Bucquoiuſque, quos ſtipabant Benichuſij equites ſexcenti. Extra ordinem ad ſiniſtram, ſeparato ordine Poloni in equis imperium expectabant. Albertus Comes Wartenbergius cum Croatis ad ponticulum obſervabat. Superaverat jam montem cum ſuis equitibus Grienius & San-Julianus, conſiſtebántque obliquâ ſerie ad cornu dextrum hoſtilis exercitus. LX. *Berchtold. Pag. 57.*

Numerum copiarum certum non reperio. Refert Monacenſis Panegyricus, ex viginti quatuor millibus, quos Maximilianus eduxit, ſupra quatuordecim millia morbo periiſſe: ſed habet in demortuorum numero eos ſimul, qui poſt hoc prælium, duorum ferè menſium ſpatio, quotidianis funeribus in Libitinæ cenſum venerunt: venerunt autem plurimi, qui hodie fortiter pugnavêre: & jam tum adeò erant diminutæ tot funeribus legiones, ut tametſi earum ſigna ac nomina recenſeantur, numerus tamen ſuperſtitum, qui ſteterunt in acie, non exprimatur. De Bavarico equitatu paulò certiora: nam univerſim ter mille ſeptingentis conſtitiſſe memorat commentarius manuſcriptus, qui Monachij cum curâ & fide aſſervatur. Sed omiſſo numero ad rem veniamus. LXI. Numerus Bavarorum.

Acie eo, quem dixi, modo inſtructâ, paulò poſt meridiem ſignum pugnæ datum eſt. Initium fuit ab horrendâ tormentorum fulminantium jaculatione. Succeſſit acerrima cominus confligentium dimicatio. Per horam mediam Marte ancipiti pugnatum: deinde Cæſariana acies, quâ parte manus conſerebant Tieffenbachiana & Preineriana Legiones, cœpit fluctuare. Impreſſionem faciebat Princeps Anhaltinus Chriſtiani hoſtium Archiſtrategi filius, tantâ vi & animi magnitudine, ut fulminis inſtar invectus in Cæſarianas turmas, cùm ſuſtineri non poſſet, ita perculerit binas, quas antè dixi, Legiones, ut amiſſo Preinero, ordines turbarent. Eam inclinationem ubi ſenſit Maximilianus, è veſtigio Cratzium ad dextram aciei Bavaricæ curantem cum quingentis alarijs in Anhaltinum immittit. Ille ingenti fortitudine, agmini turmarum novem (decem alij numerant) illatus, juvenem Principem aggreſſus, ejus aciem diſijcit, diſſipat, cædit, ipsúmque Anhaltinum, poſt accepta vulnera, in terram ex equo inter pereuntium corpora effundit. Hæc ſtrages victoriæ fuit principium. Pugnæ Pragenſis initium. LXII. Cæsariana acies nutat. Reſtituitur a Cratzio.

Hungari enim eâ certaminis converſione attoniti, fugam arripuêre per montis declivia ruentes in Moldaviam profluentẽ, cujus gurgitibus hauſti magno numero. Eorum exemplo Bohemicæ Legiones turbatæ, primùm ſe circumſpicere, Hungarorum, aliorumque fuga.

ſpicere, confusè agere, deinde ſpreto ductorum imperio, quà data via, terga vertere. Junior Turrianus cum ſuo equitatu tempeſtivè ſe prælio ſubduxit.

LXIII. Catholici contrà, ſtantes adhuc hoſtium ordines campo dimovere, invadere propugnacula, occupare machinas, inſtare fugientibus, totis caſtris, campóque dominari. Grandis ſtrages ad ſtellatum viridarium fuit edita. Laurentius Medicæus Dux tormentis viridario vicinis eſt potitus. Hoc loci in victorū manus venit Prætorianū Friderici vexillum, in quo expreſſa cæleſtis ſphera cum hoc elogio: DIVERTI NESCIO. Utinam miſerandi Principis animum, ad tam triſtia, mali conſultores non divertiſſent! Pugna horam omnino tenuit. Tormenta curulia Cæſarianis tria ceſsêre, Bavaricis ſeptem: vexilla univerſim devictis erepta, centum. Cæſorum numerus haud ſatis compertus. Ex quorundam litteris apparet novies mille Pragæ fuiſſe terræ mandatos: non dubium, quin aliqui ſepulturâ caruerint, vel acceperint alibi, quibus accenſendi, qui in Moldavia perierunt. Maximilianus in ſuâ ad Paulum V. Pont. Max. Epiſtolâ omnium modeſtiſſimus non meminit, niſi quater mille cæſorum, & mille ſubmerſorum. Qui medium numerum ineunt, ſexies mille numerant, alij mille novies: ſatius fuiſſet ſine ſanguine, ſine bello ac cæde Bohemos ſapuiſſe. Vulneribus debilitatus junior (ut dixi) Anhaltinus, venit cum Duce Saxo-Veinmarienſi, Comite Stirumio cum Rhenano ſilveſtri Comite, ſeniore item Schlickio, multiſq; Tribunis, & grandi aliorum numero, qui minimum ad quingentos pervenit, in

Conſt. Pereg. Catholicorum poteſtatem. Refert nonnemo, aliquot millia in ſolo ſtellari ſaltu, miſſo ad Maximilianum caduceatore, vitæ veniam ſupplicando impetrâſſe.

LXIV. E Cæſarianis ac Bavaricis vix ultra ducentos fuêre deſiderati, ſauciati centeni. Inter occiſos Carattæus Neapolitanus equitum Magiſter, Meccavius Chiliarcha, Baro Petersheimius, alij. E Bavaricis Baro Papenheimius graviter vulneratus inter cæſorum corpora propè à morte abfuit: ſaluti fuit Cæſarianus eques, qui ſeminecem in equum ſublatum, mille Ferdinandicorum præmium pactus, morti, & Croatarum, qui hoſtem credebant, manibus eripuit. Dies Dominica fuit, ſexta ante Id. Novemb. quâ celebrabatur octava Cœlitum omnium, & legebatur in Evangelio: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*, cùm, Deo fortunante, parta eſt præclara hæc de Cæſaris hoſtibus victoria. Turrianus ſenior & Hohenlous, deſperatâ victoriâ, maturè ſe Pragam receperant: hi Friderico Electori authores fuêre experiendi Maximiliani clementiam, mittendo, qui viginti quatuor horarum inducias rogaret, ad aliquam rerum componendarum tractationem. Octo duntaxat horæ conceſſæ, eâ lege, ut Fridericus Regno Bohemiæ, annexiſque Provincijs repudiatis, interea temporis rediret ad Cæſaris obſequium: ſed cùm ſuæ fortunæ modum nondū implêſſet, malè feriatorum conſilio, maluit ſeſe infidis rerum eventis & adverſæ ſorti committere. Quare eâdem iſtâ die ſub noctem è Regiâ Pragenſi ſeceſſit in Pragam veterem, & rebus, quas feſtinatio & turbata Aulæ ſervitia collegêre, convaſatis, die poſterâ, albeſcente cœlo, cùm

FRIDERICUS FUGIT VRATISLAVIAM.

LXV. jam Wallones urbi, muro perfoſſo, imminerent, unà cum conjuge, liberis atque familiâ, cum Turriano ſeniore, Hohenloo, aliiſque Bohemiæ Dynaſtis, quantâ potuit celeritate Uratislaviam, Sileſiæ civitatem contendit. Periſcelidem adamantibus intextam, Anglici Ordinis inſigne, quod Friderico properanti exciderat, Verdugo inter primos Cæſariani exercitûs ductores, Maximiliano velut opimum ſpolium obtulit. Eſt omni prorſus admiratione majus, ex tanto exercitu ne unum quidem fuiſſe militem, qui iſtâ nocte pro Friderico excubaret: eam fuiſſe omnium conſternationem, ut, cùm devicti intra Pragenſis urbis mœnia tutum haberent receptum, palantes, quà terror impellebat, vagique diffugerint, ijs exceptis, qui ad Strohoffenſis Monaſterij propugnaculū è prælio cum Iuniore Turriano profugerunt, & eâ ſtatione deſertâ ad veterem Pragam convolârunt, cum duabus cohortibus, quæ Pragenſi caſtro præſidio relictæ. Mirum valde, tum ſuperfuiſſe neminem, qui auderet de Pragâ tutandâ cogitare. Poſt acceptam cladem cœpêre mali conſultores accuſare Bohemorum avaritiam, quaſi parcè

IDEM DESERTUS AB OMNI MILITE.

PALATINIANORUM DE BOHEMIS QUERIMONIÆ.

nimis

nimis militi ſtipendia ſuppeditâſſent, inſimulare Ductorum ſimultates, ambitionem, diſſenſiones, aliáque ejusmodi; quæ ipſi ſapientiùs in acceptis ſibi retuliſſent. Suaſiſſent juſta, nihil fuiſſet cur alios accusâſſent. Sera nimis in bello poſt rem perditam expoſtulatio.

Praga Tripolis eſt civitas tergemina. Quæ minor nomine, pulchritudine maior eſt cæteris, quas Veterem, ac Novam nuncupant. In minore enituit cum venuſtate major prudentia: Cives enim non ignari, quas cædis ac direptionis calamitates mox eſſent adituri, ni deditionem feſtinarent, cùm per effoſſum carcerem, captivis libertate donatis, jam ſenſim miles intra mœnia irreperet, rati non eſſe differendam ſalutis ſuæ rationem, miſerunt aliquot ex Optimatibus, qui Maximiliano victoriam adventúmque gratulati, claves Urbis, cives, omnésque facultates ultro offerrent, quíque imperata ſe abſque morâ facturos pollicerentur. Maximilianus Catholicorum juxtà ac Acatholicorum, pro ſuâ clementiâ, ſortem miſeratus, mox ipſe properè acceſſit ad mœnia,&, ne miles ſæviret in obvios,omni prorſus cæde ac direptione, capitis pœnâ, interdixit. Tanti fuit apud benignum Principem maturata ſupplicum pœnitudo. Sed benè etiam ceſſit Veteri juxtà ac Novæ Pragæ, ſuam perniciem tametſi paulò cunctantiùs prævertiſſe. Cùm enim per caduceatorem tridui deliberationem rogâſſent, ne trihorij quidem impetrato ſpatio, juſſæ confeſtim ſe dedere, nî vellent extrema experiri. Interea binæ legiones portis admotæ, quæ militem ingreſſu prohiberent, imperatum reliquis, imperium ſub ſignis expectare. A meridie Maximilianus Regiam per Ratſchinum ingreſſus, in æde ſacrâ PP. Capucinorum precibus fuſis, Deo victoriam gratulatus, obvios habuit Guilielmum Popelium, qui, deſertâ Catholicâ religione, præfecti regij munus occupaverat, unà cum quinque alijs ex Bohemicorum Ordinum Collegio, qui porrecto ſupplice codicillo rogârunt religionis exercendæ libertatem, ſalva privilegia, ſecuritatem rerum atque corporum adverſus militarem licentiam; præteritorum amneſtiam, immunitatem à militari præſidio. Paucis admodum Princeps reſpondit, ſed eo verborum pondere, ut, poſitâ ob oculos admiſſorum in Deum atque Cæſarem criminum gravitate, lacrymas ſupplicibus expreſſerit. LXVI. Minor Praga deditur Maximiliano. Vetus ac Nova item faciunt deditionem. LXVII.

Subinde 4. Id. Novemb. Bohemico militi, qui Pragam ſe receperat, cùm abeundi commeatum ultro peteret, imperavit Maximilianus, ſeſe ut è veſtigio aliò proriperet. Sed cùm is negaret ſe abiturum, quin priùs Bohemiæ Ordines debita ſtipendia repræſentâſſent, & Haimhuſium, qui Principis nomine abitum indixerat, cum minis & ſpecie aliquâ movendæ ſeditionis ferociores quique circumſiſterent, graviter increpiti, & viciſſim minis adacti, polliciti ſunt, ſe die poſterâ (ut re ipsâ factum) abituros. Ad 3. Id. Novemb. tergemina civitas ad ſacramentum Cæſari dicendum evocata, ſeſe novo jurejurando eidem obſtrinxit, antiquatis ejuratíſque omnibus cum hoſte fœderibus. Ipſis, per internuntios, jam antè Maximilianus ſignificaverat, ſe de privilegijs & religione, nulla à Cæſare mandata accepiſſe, locum adhuc ſupereſſe apud ipſum agendi de huiusmodi poſtulatis. Bohemicus miles Praga ejicitur. Tota Praga Cæsari iuramentum dicit.

Prid. Id. Novemb. ante meridiem adfuêre Duci frequentes Regni Ordines, Dynaſtæ, Proceres, Nobiles equeſtris Ordinis, quotquot in urbe id temporis agebant. Peroravit Guilielmus Popelius omnium nomine, & primò quidem perduellionis culpam exquiſito ſermone, quem adſperſit lachrymis, eſt demiſſiſſimè deprecatus, tum infimis precibus pacem, veniamque rogavit, demum oravit Principem, ſuâ ut interceſſione Cæſaris iram mitigaret; poſtremò ſanctè addixit, Proceres nullum deinceps Regem, niſi Cæſarem, agnituros, cui omnem venerationem atque obſequium, quâ ſubjectos decet fide, promptè conſtantérque eſſent præſtituri. Omnes proinde paratos eſſe juramentum, quod poſcebatur, edere; ſed cùm ex Ordinibus nonnulli adhuc abeſſent, precari ſe brevem dilationem, donec vocati ad jurandum unà præſtò forent. LXIIX. Bohemi Dynastæ fiunt Maximiliano supplices.

Maximiliani juſſu verbiſque reſpondit Joannes Chriſtophorus Preiſingius vir Responsum Maximiliani.

LXIX. vir nobiliſſimus, Vicedominus Landishutanus. Laudavit vel ſeram pœnitudinem, & debitum in Cæſarem affectum: ſed oſtendit præterea deſiderari, ut publicas fœderum contra Sac. Cæſ. Majeſtatem initorum tabulas autographas, atque id generis litteras ſignáque Principi exhiberent: ita denique fore, ut Regno tranquillitas, ipſis Cæſaris gratia poſſit reſtitui; ſi priùs tamen ſeſe ipſi ſacramento obligârint. Si quæ præterea velint, ea à Cæſaris clementiâ eſſe æquo animo expectanda. Aſſenſi ſunt ſupplices, ſimul Maximilianum orantes, ut ipſos, conjuges, liberos, familias, résque à vi militari, inſolentiâ, atque direptione tutaretur. Annuit perhumaniter, quantum quidem ſuarum eſſet partium. Cæterùm Bucquoium quoque eâ ſuper re adeundum, quò & ille in officio Cæſarianum militem contineret.

Bohemo-Broda dedita.

Bohemobroda civitas quatuor circiter milliaria à Pragâ diſſita, eodem propè tempore miſit ad Maximilianum litteras, quibus profitebatur, ſe in Cæſaris deinceps poteſtate fore: ſimul rogabat Religionis ac Privilegiorum libertatem. His reſponſum perinde atque Pragenſibus.

Ordines Bohemiæ ſacramento ſe Cæſari obſtringunt.

Rurſus poſt biduum Bohemiæ Ordines, uti erat conſtitutum, frequentes ſeſe Principi ſtiterunt. Cleri Primores eidem, cùm à re divinâ rediret, à reliquis diſcreti victoriam gratulati, codicillo ſupplicârunt, uti in Cæſaris tutelam receptis Eccleſiarum poſſeſſiones poſtliminio redderet. Iuſſi ſunt bono eſſe animo: quæ poſtulâſſent, Cæſari commendatum iri. Poſt Clerum, qui Barones, equites, Nobiles ſacra Romana conſtanter retinuerant, à Maximiliano ſeorſum auditi,

LXX. profeſſi ſunt, ſe nihil unquam in Sac. Cæſ. Majeſtatem eſſe molitos: quod Ordines cæteri patrâſſent, id feciſſe ſe invitis: orare proinde, ut, cùm de Bohemiæ ſtatu ad Cæſarem referretur, eiuſce conteſtationis fieret mentio peculiaris. Hos pariter collaudatos, Maximilianus erexit in ſpem, fore ut ſingularis eorum ratio à Cæſare haberetur, & ſe id quidem ab ipſo petiturum. Atque hi quidem fuère, in quibus adhuc ſteterat religio Catholica, quæ ſanè in Bohemiâ ad miſerandum ſtatum devenerat. Huſſitæ olim rebus ſacris ingens intulerant detrimentum.

Status rei Catholicæ in Bohemia.

Lutherani, Anabaptiſtæ, Calviniſtæ, Picarditæ malum in immenſum auxerant. Homines divino cultui dicati omni propè dignitate & poſſeſſionibus exuti, nullo ferè numero habebantur. Eccleſiæ patrimonium in manus profanas deve-

LXXI. nerat: templa, monaſteria paſſim impiè habita, proſcripti magnam partem Sacerdotes, ſeu rerum inopiâ, ſive quòd ſectarij eorum loca occupâſſent. Qui in orthodoxâ fide perſtabant, minis, fraudibus impellebantur, ut eâ desertâ Romano Pontifici, Concilio Tridentino nuntium remitterent. Ædes ſacra S. Viti

Helvic. lib.8

omnium, quæ in Bohemia ſunt, princeps, ipſo S. Andreæ feſto An. M. DC. XIX. fuerat Calviniſtarum ceremonijs & conventiculis attributa, ſublatis Sanctorum imaginibus, ipſáque Chriſti è cruce pendentis effigie in fruſta comminutâ. Aris everſis, Divorum reliquiæ conculcatæ. Sed & ad cæterorum exemplum Deus in aliquos Iconoclaſtas animadvertit. Eorum unus per ludibrium in templo principe tripudians, velut fulmine tactus, tanto impetu corruit, ut fractâ utrâque tibiâ ſubitò animam exhalârit. Alius, qui contemptim atque ignominioſè Joannis Martyris olim Pragenſis Canonici ſepulchro inſultabat, illico corruens, & manibus alienis è templo protractus, poſt horæ unius inducias, fuit extinctus horrendis pedum ex ultrice caloris intemperie correptorum doloribus. Hæc de miſerando religionis in Bohemiâ ſtatu. Revertor ad filum narrationis.

LXXII. Ex Optimatibus acatholicis, qui frequentes aderant, fuère nonnulli, qui ſeparatim audientiam popoſcerunt. Cauſabantur, ſe ut ritibus, ita etiam conſilijs animiſque ab Anabaptiſtis, Calviniſtis, Picarditiſque fratribus ſemper fuiſſe averſos; atque hoc ipſum eſſe conteſtatos, quoties de civili bello & rebellione fuiſſent in conſultationibus auditi: multa alios ſe inſcijs decreviſſe, non pauca geſſiſſe ſe repugnantibus: eóq; par non eſſe, ut eâdem, quâ alij ſorte habeantur. His renunciatum juſſu Principis, fore ut eodem adhuc die, vel certè poſtero,

quoad per temporis anguſtias & aliorum negotiorum multiplices curas liceret, ſigillatim audirentur. Secundum hæc Bucquoio & Lichtenſteinio Principe ſpectantibus, Maximiliano repræſentata fuerunt ſex autographa initarum adverſus Ferdinandum Regem ſocietatum: earum videlicet, quibus Bohemi ſe Betlemo Gabori, Auſtriæ Anaſſinæ, Sileſijs, Moravis, & utrique Luſatiæ devinxerant: addita fuerunt tricena Directorum volumina, quæ eorum acta complectebantur, quæ omnia unà cum juramenti formâ miſſa fuerunt ad Cæſarem. Poſt hæc ſacramentum dictum Cæſari. LXXII Ejus exemplum ſcripto Ordinibus fuerat antè traditū, quò meliùs ſingula capita inſpicerent. Erat verò huiuſce argumenti. Ordines, fateri ſe gravi crimine offendiſſe Ferdinandum II. Rom. Imperatorem, legitimum, hæreditarium, coronatum, ſacro ritu inunctum, & ab Imperio agnitum atque receptum ſuum Regem; quòd ab ipſo correptis armis deſciviſſent. Id ſe dolere, & ex animo factum nolle: deinceps autem ſe præter Ferdinandum II. Imp. neminem pro ſuo legitimo, vero, juſto Bohemiæ Rege habituros, ſed eum unum veneraturos debitâ obſervantiâ, obſequio, eâ, quâ à ſubjectis atque clientibus fieri oportet, fide atque probitate: ſe præterea omnibus, quæ ſecus haberent, promiſſis, juramentis, fœderibus, conſociationibus, cum quibuslibet, adverſus eundem contractis, abnunciare, eadem illa reſcindere, abolere, extinguere: quæ proinde omnia ſolenni ſacramento protenſis in cœlum digitis confirmarent, & per tabulas ejusce rei teſtes, quas intra viginti quatuor horas eſſent edituri ſuis chirographis, ſigniſque munitas, ad futuræ in his exequendis, & fide ſervanda, conſtantiæ monimentum. Ad hæc polliciti ſunt, ſe Regium Bohemiæ diadema, cum gemmarum theſauro, quem in Curiâ Veteris Pragæ ſepoſuerant, D. Wenceslai ſacrario, quod eſt in æde principe, reddituros; quod & re ipsâ præſtitêre 15. Cal. Decemb.

Forma iuramenti.

Auditi etiam fuêre gemini è Britanniâ de pace Legati: qui, cùm nihil admodum de ejus componendæ rationibus adferrent, id effecêre tamen, ut Maximilianus, quod ad ſe ſpectaret, ad eam ſe vehementer propendere oſtenderet. LXXIII Tum ipſe Aulicæ familiæ officiisque ad 15. Cal. Decemb. reditum in Bavariam indixit, & quoad Cæſar aliud conſtitueret, Principem Lichtenſteinium Regno, cum vicariâ poteſtate præpoſuit: militiæ verò Tillium Legatum dedit.

Legati Regis Angliæ auditi.

Maximilianus reditum in Boicam indicit.

Eodem iſto die, qui Dominicus fuit, in ſummo arcis templo, quod Divis omnibus ſacrum eſt, pro victoriâ rebúsque proſperè geſtis, Deo ſolennes gratiæ perſolutæ, tum res divina, quâ potuit celebritate, peracta.

Solennis gratiarum actio.

Sub hæc Maximilianus per litteras Saxoniæ Septemvirum reddidit de Bohemiæ rebus certiorem, ſignificavitque Tillium habere in mandatis, ut, quoties ab Electore poſceretur, ſuam illi operam, arma, legionéſque accommodaret.

Maximiliani ad Saxoniæ Septemvirum litteræ.

Tandem rebus ad eum modum Pragæ conſtitutis 15. Cal. Decemb. diſcedens, magnis itineribus Boicam repetijt. Redeunti occurrêre Guilielmus parens Erdingæ, Eliſabetha conjunx & Dux Albertus frater, Landishutæ. Juſſit verò pro inſigni ſuâ modeſtiâ, omitti omnem gratulantium pompam, quacunque ipſi erat tranſeundum, & Monachium 7. Cal. Decembr. ſub veſperum ingreſſus, per confertiſſimam lætiſſimæ civitatis turbam, cùm ipſe quà jubendo, quà properando omnia alia publicæ hilaritatis indicia præveniſſet, rectà contendit ad Baſilicam B. Virginis, ubi à Vito Adamo Friſingenſi Epiſcopo & à Clero, ipſo præcipuâ pietate comprecante, Dei laudes celebratæ fuêre, quibus abſolutis, in Regiam ſe recepit. LXXIV

Maximilianus redit in Bavariam.

Præter cætera, quibus accepti à Deo beneficij memoriam poſteris conſtare voluit, in eâdem iſtâ æde (cujus viſendo opere excitandæ, Anno ſalutis humanæ M. CCCC. LXVIII. Sigiſmundus Bavariæ Dux ad Deiparæ honorē auctor fuit) Maximilianus in ara principe, ejuſdem Virginis in cœlum Aſſumptæ, amplitudine, arte exquiſitâ, cæteróque pereleganti ornatu præſtantem effigiem locavit cum hac Epigraphe, quæ ab averſâ facie litteris uncialibus viſitur.

Aram B. Virginis exornat.

LXXV. # D. O. M.

MAGNÆ DEI MATRI

Auguſtæ æternæque Virgini

OPT. MAX.

BAVARIÆ PATRONÆ,

Singulari Principum tutelæ,

AUXILIATRICI, VICTRICI,

MAXIMILIANUS BOIORUM DUX,

è victâ Bohemiâ redux, memor

gratúſque poſuit.

ANNO poſt C. N. CIↃ. IↃC. XX.

Pragâ antequam diſcederet, pro ſummâ ſuâ in S. Sedem Apoſtolicam reverentiâ, hanc dedit ad Paulum V. Pontificem Maximum Epiſtolam.

Beatiſsime Pater.

SCRIBIT AD SUMMUM PONT. LXXVI.

REſpexit tandem DEUS *Eccleſiam ſuam, ejúſque hoſtes debellavit, illuſtri ſanè victoriâ, quæ jure merito Victoria* DEI *vocetur. Nos equidem & venimus, & vidimus, pugnæq; præſentes fuimus, ſed vicit optimus* DEUS, *cui nos omnem Victoris titulum, gratiſſimâ mente, ex ſolido adſcribimus. Verè manus Domini nobiſcum fuit, quæ hoſtem tam potentem devicit. Nec ſine ſingulari* DEI *providentiâ factum videtur, quòd cum hoſte congreſſi ſimus ipſo Omnium Sanctorum octavo die, qui idem fuit cum Dominicâ vigeſimâ ſecundâ poſt Pentecoſten, quâ ritu Romano Evangelium prælegitur*; Reddite ergo Cæſari, quæ ſunt Cæſaris. *Reddidit certè Palatinus Elector Fridericus, quamvis invitus, qui, ubi cladem ſui exercitûs accepit, curſoribus equis, unà cum conjuge Reginâ clàm Pragâ ceſſit, & vel hoc ipſo Catholicum agmen viciſſe profeſſus eſt. In quâ* DEI *Victoria (ſic appellemus) quædam prorſus admiran-*

miranda. Hoſtis erat numeroſus, nec veterani militis robore carebat. Hunc locus etiam ipſe fecit audacem, nam in monte, medium milliare ab urbe Pragâ diſtante, inſtructiſſimam contra nos aciem direxit; & quamvis nos cum univerſo exercitu, totâ penè nocte iter fecerimus, eo ſolùm fine, ut hoſtem aſſequi, & cùm eo confligere liceret; conflictus tamen iſte initio nobis admodum iniquus videbatur & impar, cùm hoſtes in opportuniſſimo ſibi loco nec minùs munito facilem in nos pugnam habuerint. At demum præmiſſâ deliberatione, ante omnia Deo fidendum, & ope divinâ nitendum eſſe rati, ex iniquo etiam & inferiore loco hoſtem aggreſſi ſumus. Videbatur quidem noſter exercitus ſub initium nonnihil nutare, ſed mox reſumptis animis, eâ alacritate ivit in hoſtes, ut eos brevi è monte profligârit, tormenta ænea majora occupârit, omnibus adverſæ partis, aut cæſis, aut in fugam actis. Ita diſperſi, fugati, fuſi, cæſi hoſtes ad internecionem: nec priùs deſtiterunt noſtri, dum fugâ diſſipatos, ad ipſam uſq; Pragam inſecuti, variâ in eos cæde graſſarentur: eòque cæſorum numerus excrevit, ut quatuor millia interfectorum numerentur, cùm à parte noſtrâ vix ultra ducentos deſiderati, centeni ferè læſi ſunt. Præter tot ex hoſtium numero cæſos, quingenti capti, inter eos Principis Anhaltini filius, qui etiam graviter læſus, & duo Comites. In eâdem hac pugnâ, præter centum vexilla, decem quoque majora curulia tormenta hoſtibus ſunt erepta. Vngari, multis eorum jam proſtratis, ut fugâ ſe ſervarent, in Moldau flumen ſe præcipitârunt tranaturi: ſed mille circiter in aquis interiiſſe dicuntur. Et hæc quidem pugna, poſt longam velitationem, ad horam tenuit, die, ut dictum, Omnium Sanctorum, qui ſeſe de ſuis hoſtibus inſigniter ſunt ulti.

Die ſequenti, qui fuit nonus Novembris, & Dedicatio Baſilicæ Salvatoris, pars una Pragæ deditítias ad nos miſit litteras, ſe in Cæſaris poteſtate poſthac futuram: altero ab hoc die, tam vetus, quàm nova urbs Praga obedientiam Imperatori, ſine exceptione omni promiſerunt. Ita hoc anno Auſtria ſuperior omnis Cæſari ſubjecta, inferior tranquillata, & ab hoſte liberata, complures Bohemiæ tam urbes, quàm arces captæ, ante Pragam hoſtilis exercitus profligatus, Praga occupata. Et hæc, Beatiſſime Pater, DEI fuit Victoria, nobis nihil inde decerpſimus: DEVS vicit, & felicem hunc belli eventum dedit; quamvis nondum bellum omne finitum cenſemus. Exurget forſan (quod DEVS avertat) ſequenti anno valentior bellorum flamma, cui reſtinguendæ majoribus & ſumptibus, & viribus ſit opus. Hæc Sanctitati Veſtræ compendio narrare, ſimúlque Eccleſiæ Catholicæ gratulari par erat. Sanctitati Veſtræ quamplurimum me commendo, &, ut filius obediens, ad pedum oſculum reverenter ſubmitto. Pragæ 12. Novembris, Anno 1620. LXXVII.

Sanctitatis Veſtræ

Obſervantiſſimus

MAXIMILIANUS.

Ad has Pontifex planè piè, paternè ac religiosè, his verbis, Victoriam Deo & Principi gratulatus, reſpondit.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Maximiliano Duci Bavariæ.

Litteræ Pauli V. Pont. LXXIIX.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Feliciſſimum, & ſuprà quàm dici poteſt, Nobis & univerſæ Chriſtianæ Reipub. optatiſſimum Pragenſis Victoriæ nuntium attulerunt litteræ Nobilitatis tuæ. Quam quidem victoriam, ut de immensâ Dei potentiâ & benignitate, nec non ſingulari tuâ virtute, eximiâque prudentiâ confidentes, non dubiâ ſpe præſagiebamus; ita nunc de eâ tam copiosè, támque mirabiliter partâ, immortales ei, qui facit mirabilia magna ſolus, gratias agere non deſiſtimus, tibi verò in viſceribus Iesv *Chriſti, unicè dilecte Fili, totius Eccleſiæ Chriſti nomine, cui immeriti præſidemus, ex intimis præcordiis gratulamur, quòd nimirum res adeò præclaras tam fortiter, tam brevi tempore geſſeris, ut, quemadmodum ſcribis, veneris, videris, &* Deo *duce viceris perfidos Chriſti hoſtes, & Romano Imperio rebelles. Laudet, Fili, uſque ad mortem, anima noſtra Dominum, quoniam adjutor & protector factus eſt nobis. Equidem Nobilitatis tuæ litteris lectis, toto ſpiritu exultantes Eccleſiam S. Mariæ Majoris continuò petivimus, ibíque humiliter proſtrati cum lachrymis, de ſummo accepto beneficio debitas cùm auctori bonorum omnium* Deo, *tum ejus ſanctiſſimæ Matri gratias egimus. Sanctorum omnium, in quorum ſolennitatis octavo die victoriam divinitus tibi delatam fuiſſe ſcribis, ut minimè dubitandum ſit, quin tibi pro gloriâ* Dei *ſtrenuè dimicanti huiuſmodi cæleſtis exercitûs auxilium illâ die præſens adfuerit. Ad huius porrò beneficij magnitudinem, quàm grato poſſumus animo proſequendum, ſolennes indiximus in hâc urbe ſupplicationes, ab Eccleſiâ S. Mariæ, quam appellant ſupra Minervam, ad Eccleſiam S. Mariæ de Animâ, ad quam nos venientes ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium omnipotenti* Deo *in gratiarum actionem obtulimus. Nullũ certè erit tempus, quo collati eximij doni memoria ex animo noſtro deleatur, quin ſemper in dies magis magíſque vigebit, ſicut & Nobilitatis tuæ illuſtris virtus, tuorúmque geſtorum immenſa gloria perpetuò nobis ante oculos verſabitur; omniſq; conſequens ætas meritis illam laudibus celebrare non deſiſtet. Nec eſt, quòd aliquo pacto vereamur, ut iſta tua virtus unquam defatigetur; quin firmiter ſperare debemus, eam ex ipſis, pro Chriſti atque ipſius Eccleſiæ honore feliciter ſuſceptis laboribus, majores quotidie vires accepturam, déque Chriſtianâ Repub. majori etiàm, ſi fieri poſſet, conatu, optimè promoveri nunquam ceſſaturam. Quo ſanè fiet, ut antiquæ Bavaricæ familiæ decora tuis factis indies exornentur & cumulentur, & ipſe temporalis, atque etiam æternæ felicitatis ampliſſimum præmium ab eo, qui eſt liberaliſſimus remunerator, conſequaris. Nos certè tantum Nobilitatis tuæ meritis tribuimus, ut, quæ unquam à Nobis atque hac ſanctâ Sede in te, tuámque familiam officia proficiſci poterunt, ea ſemper vobis parata fore pro certo habeas, velimus. Interim Nobilitati tuæ à Domino ſecunda omnia optamus & precamur, & iterum paternâ noſtrâ & Apoſtolicâ benedictione toto cordis affectu benedicimus. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 3. Decemb. 1620. Pontificatûs noſtri anno decimo ſexto.*

Litteræ Gregorii XV. ad Maximilianum. LXXIX

Eandem illam Victoriam Gregorius XV. Pont. Max. qui Paulo V. ſucceſſit An. M. DC. XXI. 16. Octobris, Maximiliano eſt amantiſſimè gratulatus. Juvat addere fragmentum Pontificiæ Epiſtolæ: *Vivit* Devs, *Principibus terræ formidabilis, & populorum conſilia diſſipans, qui inimicorum noſtrorum arma confringens, Nobilitatem tuam potiſſimùm ſelegiſſe videtur, cui Chriſtianus Orbis tam præclara beneficia debeat. Nos quidem Dominum potentem in prælio adoramus, ac divinæ virtuti triumphos iſtos acceptos ferimus: tamen cùm ea ſit æterni Regis clementia,*

ut ſua

ut ſua beneficia hominum quoque promerita aliquando dici velit, fortitudinem, pietatémque Nobilitatis tuæ in omnem poſteritatis memoriam prædicari par eſt, tanquam murum æneum, qui fortiſſimè domum Dei communiat. Quare ex animo tantæ gloriæ incrementum nomini tuo gratulamur, tum verò ab exercituum Deo continenter atque obnixè petemus, ut his divinæ ſuæ beneficentiæ muneribus adjungat diuturnitatem.

Partâ victoriâ Maximilianus ſcriptis manu propriâ litteris, Ferdinandum Imperatorem de felici pugnæ exitu confeſtim reddidit certiorem. Imperator viciſſim 7. Cal. Decembris reſpondit ſuâ manu, in hæc verba:

ILluſtriſſime Princeps, Domine Frater, mihi longè dilectiſſime. Breve epiſtolium tuâ exaratum manu, victoriæ à te ope divinâ reportatæ nuntium, quo mihi eam felicitatem fuiſti gratulatus, accepi per Hermſtorfium, eò quòd nobilis cubicularius, cui id operæ à te fuerat demandatum, morbo impeditus, Linzij fuerit coactus ſubſiſtere. Quantis geſtiam gaudijs, hoc præſertim nomine, quòd generoſis tuis conatibus Devs voluerit iſtam palmam conferre, tibi, mi Frater, expendendum relinquo, & fraterno prorſus affectu tibi habeo gratias immortales, certus (quod tibi quoq; omnino perſuaſum velim) id beneficij promeritâ grati animi ſignificatione recolere. Quod ſupereſt, mi Frater, quæ præterea mihi renuntianda duxeris, à te avidè peramantérque expecto, ſúmque conſtanter

Sincerus ac benevolus tuus frater, ad ultimum uſque ſpiritum.

FERDINANDUS.

Viennæ 25. Novemb. 1620.

Alteras dedit Imperator poſtridie Cal. Decemb. in hanc ſententiam.

LItteræ, quas decimâ tertiâ Novembris, Pragâ ad nos dedit Veſtra Dilectio, à Bonaventurâ Papazone cubiculario fuêre redditæ, ex quibus Dilectionis Veſtræ mentem abunde perſpeximus. Iam verò, quemadmodum confecta dedit ea omnia, quæ nos ex ſingulari in ipſum fiduciâ eidem in Bohemiâ, noſtróq; Auſtriæ Archiducatu exequenda commiſimus, præclaro ſtudio, aſſiduitate, providentiâ, dexteritate, atq; animi magnitudine, non ſine ſuæ perſonæ periculo; & præſertim quidem in nupero prælio, quo relata eſt memorabilis de hoſte victoria: ita ſuam fidem, ſapientiam, fortitudinem reddidit conſpicuam, ut nullus Imperator Romanus à quoquam obſequente, fido, & heroicæ magnanimitatis Principe, neque Nos ipſi, noſtrâve Domus inclyta ab ullo ſincerè rerum noſtrarum ut maximè ſtudioſo, majora potuerimus expectare. Præſtitit ſanè Dilectio Veſtra rem tum juſtiſſimo Deo perjucundam, tum Nobis noſtræq; inclytæ Domui commodiſſimam, tum denique univerſis Romano Imperio fidelibus, probè affectis, pacísque amantibus Electoribus, Principibus ad futuram ſecuritatem apprimè opportunam. Atque iſta quidem tametſi Dilectioni Veſtræ per totum terrarum orbem, atque ad omnem poſterorum memoriam comparârunt præclaram laudem & famæ immortalitatem; tamen Nos quoque eidem, ob tam illuſtre ſtudium, operam, beneficentiam, conatúsq; pulcherrimos, denuo agimus, quantas expoſcunt ſanguinis, affinitatis & neceſſitudinis noſtræ vincula, gratias; daturi operam, ut non Dilectio Veſtra duntaxat, ſed ipſius

quoque

quoque Domus nunc, atque ſecuturis temporibus, rebus ipſis, Nos acceptorum beneficiorum memores experiantur.

Porrò, quòd Veſtra Dilectio à tergemina Pragæ civitate, aliìsque, qui præſtò fuerunt, Noſtri Bohemici Regni Ordinibus, jusjurandum pro præſenti rerum conditione interim, atque unà initorum fœderum, & alias rerum geſtarum tabulas acceperit; quòd præterea proſpexerit Coronæ noſtræ Bohemicæ ſecuritati, gazæque Regiæ theſauro; demum quòd alia pro iſtius Regni ſalute conſtituerit; tam Nobis gratum fecit, ut ea comprobemus omnia: ſibi verò tam honorificè ipſa conſuluit, ut ſuo nomini conciliârit totidem teſtes, titulóſque eximiæ prudentiæ, ſapientis proviſionis, & fidelis in Nos affectûs, quot relinquit in iſto Regno ſuorum conſiliorum monumenta. Id quoque conſultò ſapientérque factum judicamus, quòd non modò rebus in Bohemia compoſitis, in Boicam remigrârit, ſed etiam judicârit Principem Liechtenſtainium rerum Bohemicarum adminiſtrationi eſſe cum poteſtate ſubſtituendum: quâ ſuper re mandata, hiſce, quæ in adjuncto exemplari gemina mittimus, ipſi ſumus impertiti.

Tandem (quæ haud dubia noſtra ſpes eſt) Dilectionem Veſtram per omnia conſanguinitatis, affinitatis, cæteraq; conjunctionis Noſtræ nomina contentè flagitamus, ut, quando jam res maximi ad communem ſalutem & utilitatem momenti, per ipſius magnanimitatem atque induſtriam, DEO opitulante, felicem progreſſum ſunt aſſecutæ, velit eadem (quod planè facturam confidimus) pergere, uti adhuc fecit, & ad earum abſolutionem, ſtatúmque perfectum, ſua conſilia auxiliúmque deinceps conferre. Quid opis Nos quoque ſimus allaturi, vix dubitamus, quin ex Ioanne Iacobo Curtio Senftenavio nobili Cæſarei noſtri cubiculi Camerario, coràm jam Veſtra Dilectio verbis noſtris cognoverit. De proximo noſtro cum Dilectione Veſtrâ congreſſu, déq; ejus neceſſitate (quando ob magnam locorum intercapedinem Saxoniæ Septemviri Dilectio, ejúsve Conſiliarij nequeunt ſat tempeſtivè adeſſe) prolixè mentem noſtram aperiet epiſtola, quam præſens Curſor Dilectioni Veſtræ eſt allaturus. Eâ ſuper re maturatum reſponſum expectamus, Dil. Veſtræ Cæſareâ gratiâ ac benevolentiâ, pro ſanguinis, affinitatis, & neceſſitudinis noſtræ nexu clementer addicti. Viennæ 2. Decemb. 1620.

Benevolus Conſobrinus & Frater

FERDINANDUS.

Adjungi poſſent ſummorum Principum, Sac. Rom. Eccleſiæ Cardinalium Encomia & gratulationes: retexi poſſent Panegyrici, Maximiliano Victori dicti, vulgati, niſi hiſtoriæ brevitas prohiberet. Sufficiat dicere, ad victoriam plurimùm contuliſſe Maximiliani providentiam, diligentiam, laborem, indefeſſas vigilias, celeritatem, induſtriam, animi magnitudinem, periculorum contemptum, robur exercitûs: plus tamen contuliſſe Maximiliani in Deum fiduciam, pietatem, quæ in caſtris perinde atque domi, Deum exercitui, & juſtæ cauſæ conciliabat, exorabátque victoriam, quæ, ut nonnemo, adſtipulante omnium famâ, ſcriptum reliquit, Bohemiam ſubjugavit, Auſtriam coërcuit, Moraviam reduxit, Sileſiam repreſſit, Ungariam recuperavit.

BOICÆ

BOICÆ GENTIS
ANNALIUM PARTIS III.
LIBER VI.

An. M. DC. XXI.

Reparatum bellum : occupatus Palatinatus Superior : pacata Silesia, Hungaria.

PRagenſem victoriam ſecuta eſt magna paſſim mutatio. A domo Dei factum initium. In Bohemiâ, Eccleſiarum poſſeſſiones, quas Utraquiſtæ venditione, oppignorationibus, remunerationibus, ſtipendijs, aliisque modis, excluſis ſacris hominibus, in alienas manus derivârant, reductæ potiorem partem ad ſuos dominos : templa Acatholicorum uſibus transſcripta, Catholicis reſtituta, aræ reparatæ, Divorum lipſana, imagines, ſuo honori redditæ : revocati in patriam exules: Jeſuitæ, quos ignominioſè Novatores proſcripſerant, cum honore in Bohemiam & Moraviam reverſi. Moravi Bucquoio advenienti faciles, Sileſij de pace impetrandâ ſolliciti, univerſim magna ad Cæſarem plurimorum inclinatio. Preslavienſes à Friderico, qui Preslaviam profugerat, averſi, magno ære ejus inde diſceſſum maturaverunt, veriti, ne ejus præſentia rebus obeſſet. Catholicis in Germaniâ erecti animi, Transſylvano ſic fracti, ut de reſtituendâ Hungariæ coronâ, Hungari verò de recuperandâ Cæſaris gratiâ conſilia caperent. Auſtria utraque Cæſaris obſequio ſubjecta.

Ecclesiarum bona in Bohemia restituta. I.

Rerum cæterarum in Bohemia, alibi, mutatio.

Supererant nihilominus magnæ longorum bellorum (quod Maximilianus præſagierat) appendices. Pilſna, Topelia, Schlackenwalda nondum reſipuerant. In Auſtriâ Brennerus & Budianus adhuc erant in armis, tametſi eos Colaltus clade geminâ, cæſis bis mille nongentis, affecerat. Betlemus & Hungari pacem comperendinabant collecto novi exercitûs aliquo robore. Fridericus Elector Palatinus undique implorabat auxilia : magna addixit Rex magnæ Britanniæ, ſocer genero. Senatus Angliæ ingentem vim præſentaneæ pecuniæ, in bellum, Regi petenti addixit. Tota Domus Brandeburgica, Dux Brunsvicenſis, Luneburgicus, Pomeranus, Megapolitanus, Civitates maritimæ, quas Anſeaticas vocant, aſſiduis Friderici precibus pulſabantur. Hollandi Franciam vocabant in partes : non abs re timebat Rex Daniæ, nec poterat haberi ſecura fides Unito-Proteſtantibus, neque alijs, quos timor, malus diuturnitatis cuſtos, in officio continebat.

Bellum reparatur a Cæsaris hostibus.

II.

Catholicorum apparatus.

Cæſar è diverſo ſuis & Imperij rebus magnâ curâ invigilabat. Rex Catholicus, qui paulò pòſt è vivis conceſſit, viginti auxiliariorum armatorum millia addixerat, quoad bellum finiretur. Gregorius XV. Pont. Max. non modò in menſes ſingulos inſignem pecuniæ vim, ſed binas etiam Legiones, pedeſtrem unam, equeſtrem alteram, Petri Aldobrandini ductu, conferebat. Nec verò etiam ferias agebant fœderis Catholici in Germaniâ Principes, qui ineunte Februario, de re communi Auguſtæ Vindelicorum convenerunt, dum Unito-Proteſtantes Hailbrunæ ſua curarent. Verbo, cura ingens, & futurorum expectatio non Germaniam modò, ſed alias etiam Europæ partes trahebat in diverſa ſtudia.

III.
Proſcriptio Friderici et aliorum. Eiusdem executores.

Perculit Acatholicos Friderici Electoris, Chriſtiani Anhaltini, Ioan. Georgij Jägerndorffij, Georgij Friderici Hohenloi fulminata à Cæſare proſcriptio. Acceſſit terror ex demandata Banni (ut vocant) executione. Etenim Alberto Archiduci Belgarum Proregi ac Principi delata fuit poteſtas invadendi Palatinatûs inferioris: Maximiliano Bavariæ Duci commiſſum, ut ſuperiorem occuparet. Saxoniæ Septemviro, Bambergenſi & Herbipolenſi conceſſum, de Anhaltino, Jägerndorffio, Hohenloo pœnas ſumere.

Georgii Setschi facta pro Cæsare. Posonium recuperatur a Bucquoio. A Tillio Pilsna recipitur. Cæditur Mansfeldius. Silesia redit in Cæsaris gratiam.

Commodum quoque acciderat Georgij Setſchi, inter Hungaricæ defectionis authores facilè Principis, ad Cæſaris obſequium cum magno Hungarorum robore reditus. Is etenim bis mille Germanorum ſubſidio, quos Cæſar ipſi miſerat, firmior, inſignem fortémque operam adverſus Betlemum præſtitit. Bucquoius præterea Poſonium deditione recepit: Tillius Maximiliani Legatus Pilſnam, emptâ præſidiariorum defectione, occupavit, & Mansfeldium ſemel iterum gravi clade affectum compeſcuit, ne, ut cœperat, cædibus ac direptionibus pro arbitrio graſſaretur. Saxoniæ Elector, mulctâ trecentorum millium florenorum impoſitâ, quam Cæſari penderent, Sileſijs pacem obtinuit. Moguntiæ, Aprili ineunte, inter Spinolam & Unito-Proteſtantes reconciliata gratia, Friderico Electore excluſo. Quamobrem videbatur Spinola facili negotio Manheimium, Franckentalium, atque Heidelbergam, quæ adhucdum à Werio auxiliarium Anglorum ductore, Friderici nomine, tenebantur, pleriſque jam antè ſubactis, ſuæ poteſtatis facturus, dum Belgicæ induciæ cum Batavis, quæ ad finem properabant, ipſius operam in Belgio repoſcerent.

IV.
Pax Unito-Protestantium cum Spinola. Consultationes Acatholicorum.

V.
Eorundem copiæ. Induciæ Spinolæ.

Id verò temporis Angli, Sueci, Dani, Fridericus, Brandeburgicus, Uniti, Brunovicenſes, Holſati, Megapolitani, Pomerani, fœderati Batavi, quà per ſe, quà per Legatos, factâ cum inferioris Saxoniæ Circulo coitione, Segenbergæ de bello conſilia agitabant. Et Daniæ quidem Rex jam in armis habebat ad decem millia, totidem alij, qui erant in partibus. Mansfeldius novis auctus delectibus, Bohemiæ ducebat ſuppetias. Iâgerndorffius ſuum dolorem ulturus, quòd à Sileſiis foret deſertus, eos, quocunque valebat hoſtilitatis genere, vexabat. Betlemus Gabor, quicquid de pace præ ſe ferret, implorato Turcico Baſſæ Budenſis & Tartarorum auxilio, Hungaris nondum compoſitis junctus, dira minabatur. Sic bellum non extinctum, ſed flagrans adhuc & periculoſum imminere cenſebatur. Nec deerant qui improbarent, Spinolam, ſuſpenſâ ad uſque Junij exitum, Cæſareæ proſcriptionis executione, pepigiſſe inducias: eò quòd ſui firmandi otium hoſti, iſto pacto reliquiſſe crederetur.

VI.
Tillius Elenbogam cogit ad deditionem.

Maximilianus, ne rei bene gerendæ ulla occaſio elaberetur, Tillio Legato ſuo dedit in mandatis, ut, ubi ſe commoda veris tempeſtas aperiret, exercitum, qui hyemem in Bohemiâ exegerat, recenſitum, in hoſtem duceret. Quare, ineunte ſtatim Aprili, luſtratas copias Elenbogæ admovit. Ea civitas nondum ad officium rediverat. Illic curabat Henricus Comes Ortenburgicus cum valido præſidio. Joannes Albinus Comes Schlickius, & regionis Elenbogicæ Nobilitas, Mansfeldium vocârant in auxilium, ſi quid fortè periculi immineret. Et hic quidem tum ex prioribus delectibus, tum ex Unito-Proteſtantium milite, viginti armatorum millia habebat jam tum in promptu, promiſerátque, ſe Elenbogenſibus in tempore adfuturum. Hiſce ſubſidijs accenſi Elenbogenſes ſtatuerunt

vim

vim experiri. Ergo Tillius 7. Jd. Maij, coronâ circumducere, aditum ad mœnia, humo egeſtâ munire, tormentis curulibus ſedes ſtatuere, & tandem murum cœpit verberare. Decimo poſt inchoatam obſidionem die, juſtam ad irruptionem viam aperto muro fecerat. Oppidani, quos nitratus pulvis deficiebat, cùm nuſquam Mansfeldius, qui ſe tardiùs in viam dederat, appareret, ne ſe, ſuáſque fortunas ſupremo diſcrimini objicerent, honeſtam deditionem fecerunt. Dimiſſum more militari præſidium.

Inter hæc Saxonici, ductis foſſorum caſtrenſium operâ cuniculis, Falkenaviam ſubegêre. Hujus fortunam ſecuta eſt Schlackenwalda, aliáque loca minoris notæ. Juſſerat Maximilianus, Tillium Mansfeldij conatibus inprimis ire obviam: cùm enim copioſo exercitu inſtructus, reliquo hoſte eſſet nocentior, & foret metuendum, ne novâ indies hoſtium acceſſione audacior, non modò populationibus & agrorum devaſtatione (quod jam gnaviter præſtiterat) ſed etiam auſis majoribus novum in Bohemiâ incendium excitaret, eò præſentiore curâ erat agendum, ut ne longiùs graſſandi copiam nanciſceretur. Igitur Tillius quàm potuit celerrimè in eum duxit. At ille caſtra loco percommodo, cui ab equino capite Roſcopfij nomen eſt, opere firmo munierat, cùm Tillius 7. Id. Julij, caſtris è regione locatis, ejus progreſſus ſufflaminare conſtituit. Hîc ſtetit res intra velitationes, eáſque admodum frequentes, Marte, ut fit, vario, Mansfeldio juſtum conflictum prorſus detrectante. Cruenta nihilominus dimicatio 16. Cal. Aug. commiſſa, quæ totum propè diem conſumpſit. In eâ Joannes Jacobus Baurius fortiſſimus Herbipolitanæ Legionis Chiliarcha, cùm bis hoſtem è vallo, quod ipſe oppugnabat, disjeciſſet, glorioſè occubuit, occubuêre pariter complures: è Mansfeldicis majore numero: quâ ſuorum clade territus Mansfeldius, mox de pace colloquium cum Tillio poſtulavit. Unde mirum, aliquos ſcriptores ſuo affectu, vel inani famâ deceptos, magnam illi hinc palmam impoſuiſſe.

VII. *Saxonici varia loca ſubigunt. Tillii cum Mansfeldio certamina.*

IIX.

Dum hæc geruntur, Comes Anholtius ſupremus in exercitu Boico vigiliarum Præfectus, cum parte copiarum, in ſuperiorem Palatinatum evocatur à Maximiliano Duce, qui eodem ipſe delectas Provincialium copias, cum inſtrumento bellico, annonâ, cæteróque commeatu, adduxit. Cambum in primo Palatinatu civitas eſt Regnio & Cambo confluentibus adſita, haud procul à Boiohemâ ſylvâ. Hinc datum exequendæ adverſus Fridericum Palatinum proſcriptioni initium. Studium, amorémque veteris domini novitiæve religionis nondum exuerant oppidani, durúmque ipſis videbatur, cæteris, quos eadem fortuna manebat, nullo fidei ac fortitudinis ſuæ exemplo præire. Et ſunt auſi obſidionalem apparatum, vímque majorem expectare, ne ſponte potiùs, quàm coactu alienum dominatum adijſſe crederentur. Quare decendij labor impenſus: muro, quantum erat ſatis, ad irruptionem aperto, cùm cives ſe ſuæ fidei luculenta documenta dediſſe cenſerent, nec vellet Maximilianus ſupremam in ipſis ſeveritatem exercere, admiſſos in colloquium, non incommodæ deditionis factâ gratiâ, in ſuam fidem recepit.

Maximilianus ſuperiorem Palatinatum occupat. Cambum ſubigit.

IX.

Cambo promotum Ambergam. Eſt ea Provinciæ caput, Senatu ac jure dicundo clara, loco defenſioni peropportuno. Ea nihilominus, cùm neque præſidio, neque ſpe in tempore adfuturi auxilij ſe ſatis inſtructam ſentiret, memor ſui in Cæſarem officij, venienti Maximiliano illico portas aperuit.

Ambergam deditione accipit.

Dum Bavarica caſtra & Mansfeldica in Roſcopfio invicem oppoſita hærerent, Mansfeldius, cùm paulatim premeretur rerum inopiâ, nec tamen tutum videret receptum in tantâ hoſtis vigilantiâ atque vicinitate; quod ipſi viſum eſt commodum, ad dolum confugit. Mittit ergo ad Tillium Solmenſem Comitem, Superioris Palatinatûs pro Friderico Prætorem, poſcitq; locũ ac tempus de pacis ineundæ conditionibus, medio, ſi videretur, inter utraq; caſtra intervallo, colloquendi. Aſſenſit Tillius vir antiquæ prorſus tum ſapientiæ, tum probitatis, quique adhuc ſuo pede virum nondum ſatis compertæ vafritiei metiebatur. Ad

Mansfeldius ad dolos confugit.

X.

horam locúmque conſtitutum utrinque convenerunt deſtinati nominis inſignis viri. Et jam colloquio dabant operam, cùm ex inſperato (neque enim ipſe condixerat) Mansfeldius, quaſi conſilij pars futurus, ſupervenit. Eum conſpicatus Tillius, atque ob defectionem ad Catholicæ religionis hoſtes averſatus, indignans, quòd inexpectatus fidei publicæ ſecuritate uteretur, equo aliorſum verſo, ejus aſpectum declinavit. Eâ re nihil motus Mansfeldius, ſalutatis Bavaricis, fronte ad audacem inverecundiã compoſitã, ſtetit inter colloquentes, quæ cauſa fuit, ut citò ſine fructu tractatio abrumperetur, niſi quòd diſceſſum animis aliquantò, quàm antè pacatioribus. Mansfeldio res non erat de pace, ſed de moliendo effugio in Palatinatum inferiorem, cùm ſe Superiorem retinere poſſe deſperaret. Id quò tutiùs conſequeretur, mentiebatur, ſe de mutandâ fortunâ venalia conſilia ſuſcepiſſe. Dati utrinque defectionis tractandæ obſides: à Tillio Cratzius & Haimhuſius; à Mansfeldio Comes Ortenburgicus, & Tribunus Carpezanus mirus texendarum fraudum architectus. Jactat quidam fabulator, rem iam eò fuiſſe adductam, ut Bavariæ Dux Mansfeldio grandem pecuniam numerârit, ridétque in ſinu albam improvidæ numerationis mentem: ſed homo nugivendus vehementer fallit & fallitur: probant enim dati & accepti tabulæ, Mansfeldium ne teruntium quidem accepiſſe. Id tamen reportavit lucri, quòd fraudibus emerit viam elabendi. Cùm enim oſcitantiùs obſervaretur, 4. Non. Octobris nocte intempeſtâ, clàm profugit ex campo Roſcopfio, novas alibi turbas moturus.

Commentar. Ruepij.

XI.

Impostura cuiusdam Scriptoris.

XII.

Elabitur in Palatinatum inferiorem.

Eum tametſi Tillius properè die poſtero eſt inſecutus, aſſequi tamen non potuit, ut ſui copiam faceret. Is etenim, deductis ex toto ſuperiore Palatinatu præſidijs, id effecit, ut tantò faciliùs Provincia poſſet à Maximiliano occupari, ut dubium valdè ſit, plúsne profuerit fugiendo, quàm fuiſſet nociturus reſiſtendo.

Alia impostura ejusdem historici.

Idem iſte, quem dixi, nugator, quò materiam habeat obtrectandi, audet, pro ſuâ impudentiâ, Tillio viro integerrimo imponere, quaſi mercede ſicarium conduxerit, curârítque per Jeſuitas ad Mansfeldij clancularium cædem animandum: quod certè ſine teſte, ſine Conſule, niſi ab improbitate mendaciſſimi ſtyli non potuit exarari. Non abludit, quod homo maledicus audet vulgare de fide, Turcis potiùs, quàm Catholico Regi habendâ, quæ contumelia meritò ex legum præſcripto ſeverè deberet expiari.

XIII.

Neomarcum deditur Maximiliano.

Mansfeldio itaque è ſuperiori Palatinatu elapſo, regio univerſa auxilij inops, in Maximiliani poteſtatem conceſſit. Neoforum, vulgò Neomarcum, ultrò ſeſe ipſi permiſit. Supererat, ut res in certum ordinem redigeret, qui populum in officio, & Magiſtratus in æquitate contineret, & eâ quidem moderatione, ne tam novum jugum ſubijſſe, quàm Dominatum ſe in melius mutâſſe ſentiret. Ei proviſioni cùm Maximilianus dies aliquot tribuiſſet, Monachium 6. Cal. Novemb. eſt reverſus.

XIV.

Digbii conatus pro Friderico Comite Palatino.

Dum res in eo eſſent, Baro Digbius Regis Britanniæ apud Cæſarem Orator, Friderici cauſam graviter agebat. Petivit primùm, ut, ſolutus proſcriptionis ſententiâ, pœníſque, priſtinæ dignitati redderetur: negavit Cæſar publico exemplo & Cæſareæ Majeſtati convenire, ut poſt tot delicta, Imperij ſubjectus, adhuc armatus adverſus ſupremã auctoritatem, novis turbis intentus, ad contumaciam, quàm ad pœnitudinem, ad vindictam, quàm ad veniam paratior, regij nominis uſurpatione tumidus, quaſi re bene geſtâ, velut legum vinculo ſolutus, cùm nullum adhuc reſipiſcentis animi ſignum, nullam ſubmiſſionis ſpeciem dediſſet, ad faſtigium, unde ſe ipſe dejecerat, citra idoneam ſatisfactionem, tolleretur. Id cùm ad Imperij dignitatem, commune bonum, atque Septemviros pertineat, eorum judicium meritò in re tam gravi eſſe exquirendum, idque in proximis Imperij Comitijs, quæ propediem Ratiſbonæ haberentur. Digbius rogare aliquas ſaltem inducias, & polliceri, ſi eas impetraret, ſe mox Mansfeldium, ne quid ultrà moliretur, compoſiturum: perſuaſurum Friderico, Jagerndorffio, ut arma

pone-

ponerent: id ſi detrectarent, Angliæ Regem eos hoſtium loco habiturum. Addebat, ſe effecturum, ut Thabor ac Wittigavia Bohemiæ civitates Cæſari traderentur. Ampla hæc atque in ſpeciem utilia, ſed quæ promitti facilè, præſtari ab homine rerum impotente, ne difficulter quidem poterant. Quare Cæſar, ut ſe ab oneroſo promiſſore liberaret, eum rejecit ad Albertum Archiducem Belgij Principem, & Maximilianum Ducem Bavariæ. Etenim ipſis Cæſareas vices adverſus Fridericum eſſe demandatas, ipſos habere belli atque induciarum arbitrium, Cæſarem non gravatè conceſſurum, quod ipſis ex uſu atque ſalute publicâ fore videretur. Digbius eo reſponſo animoſior, citatis equis contendit ad Maximilianum, qui tum adhuc in ſuperiore Palatinatu verſabatur. Apud eum nihilo, quàm apud Cæſarem, ſegniùs ingentibus promiſſis urget armorum ſaltem iuſtitium & ceſſationem à Cæſareæ ſententiæ executione. Enimverò Cæſarem ad eam prorſus inclinare, eſſe in Maximiliani manu, ut pax tot votis expetita naſcatur: ſi is ad Cæſaris voluntatem accedat, nihil fore moræ in Alberto Archiduce. Maximilianus verba dari, & quæri temporis diſpendium ſtatim animadvertit. Nimis enim multa promittebantur, eáque incredibilia, quæ Digbij vires atque induſtriam ſuperarent, & quidem nullo ſponſore aut idoneâ authoritate. Hic, cùm ſuas artes fruſtra fuiſſe cognoviſſet, per litteras, apud Cæſarem de Maximiliano conqueſtus, quaſi juſto minùs ejus voluntati detuliſſet, rurſus rogavit, ut pro ſupremâ poteſtate rem confectā daret, ne fruſtra eam alieno arbitrio commiſiſſe, atque ipſe in caſſum promiſiſſe videretur. Reſpondit Cæſar, nihil ſe addixiſſe, niſi quod Alberto & Bavaro placeret: & mirum profectò non eſſe, quòd Maximilianus detrectaret inducias, quæ nihil commodi, nocumenti plurimum eſſent allaturæ. Eo enim futurum, ut miles magnis ſumptibus conductus, majoribus alendus, omiſsâ rerum bene gerendarum occaſione, flacceſceret otio, dum neq; Mansfeldius arma poneret, neque Fridericus & belli ſocij ceſſarent. Nec verò rationi eſſe conſentaneum, ut Mansfeldio & Weero Anglo Palatini Comitis Legatis, rapinis, & cæteris belli injurijs per Imperium graſſantibus, nihil ex adverſo ad defendendam hoſtilitatem ageretur. Ita de inducijs tum paciſcendis depoſita eſt cogitatio.

XV. Remittitur ad Albertum Archiducem et Maximilianum.

Fruſtra verba dat Maximiliano.

XVI.

XVII.

Mansfeldius interea, accitis Weeri, Obertrautij, aliiſque Palatinatûs inferioris copijs, magnas ſpes oſtentabat, quaſi ſecundiore auſu atq; fortunâ eam Provinciam, quàm ſuperiorem Palatinatum eſſet tutaturus. Animos addebat diſceſſus Spinolæ in Belgium, & bellum, quod Regis Catholici vires adverſus Batavos ſic diſtinebat, ut nihil, aut parum Mansfeldio deinceps eſſent formidandæ. Cordubæ abiens Spinola inferiorem Palatinatum commiſerat. Et hic Franckentalium, egregium iſtius Provinciæ præſidium cingebat obſidione. Mansfeldius, ne nihil omnino egiſſe videretur, eum ſibi ſumpſit inde dimovendum. Iſtam expeditionem emerunt Franckentalenſes octoginta millium Ferdinandicorum mercede. Et fuit operæ atque pecuniæ pretium. Corduba enim impar Mansfeldio, ſeſe tempeſtivè ab obſidione ſubduxit ad hiberna, in agrum Crucinaco & Oppenheimio vicinum. Quâ re lætus Mansfeldius, relicto Palatinatu movit in Alſatiam. A Catholicis & Judæis Hagenoenſibus centum Philippeûm millia expreſſit. Credebant illi quidem ſe eo pretio quietem ac ſecuritatem Germanâ fide eſſe mercatos; ſed hoc longè à Mansfeldij ingenio aberat: is enim nihilominus civitatem invaſit, firmavítque unius Legionis, & mille equitum præſidio, qui nihilo fuerunt ſuo Ductore abſtinentiores. Hic eo rerum ſucceſſu audacior, Tabernas civitatē Argentinenſis Epiſcopatûs in Lotharingiæ & Alſatiæ confinio obſedit, arietavit magno conatu per quatuordecim omnino dies: ſed cùm obſeſſi, Comitis Solmenſis ductu atque auſpicijs, frequentibus eruptionibus in Mansfeldij caſtris longè majorem ederent cladem, quàm acciperent, & mille bombardariorum aucti ſubſidio damna graviora minarentur, Mansfeldius expugnatione deſperatâ, bellum atrox miſerorum agreſtium fortunis, prædis

Mansfeldius ſolvit Franckendalii obſidionem.

XVIII. Movet in Alſatiam; Hagenoam occupat.

Fruſtra Tabernas obſidet.

Graſſatur in Colonos.

 agen-

agendis, armatis abigendis, agro miſeram intulit vaſtitatem. Coloni, deſertis ſedibus, réque omni domeſticâ, per devios ſaltus palantes, hyemis rigore magno numero perierunt. Alſatia & Brisgoja, Auſtriacorum ditio, id temporis nudata præſidio, patebat iſtiusmodi graſſationibus, cùm non eſſet, qui prohiberet, præter paucos, qui ex Dachſteinenſi & Benfeldenſi arce ſubinde carpebant graſſatores.

XIX.

Mansfeldius rursus proscriptus.

Cæſar tot Mansfeldij facinoribus irritatus, cùm fruſtra conſiliorum remedia in eo curando fuiſſe, eſſet expertus, atque inpoſterum cum homine doloſo, qui ſincerè nihil ageret, quicquam lenitate profici poſſe deſperaret; tametſi eum jam antè Reipub. hoſtem declaraverat, dignum tamen cenſuit, in quem proſcriptionis damnationem publico edicto decerneret. Quare eum unáque omnes, qui ipſius ſigna ſequebantur, Imperij diris & execrationi devovit.

Revertitur in Nemetes.

Quâ re ille nihilo factus melior, relictâ Alſatiâ, in Spirenſem agrum reverſus, Medenburgicam arcem conatu irrito tentavit. Propè abfuit, ut Cæſaris-Lutheram aliquot civium conſpiratione occuparet. Verùm, detectâ conjuratorum proditione, eâ ſpe dejectus, fraudis architectos, qui culpam ſuſpendio luerunt, traxit in exitium.

Corduba non erat tantis inſtructus copijs, ut Mansfeldio reprimendo, citra ingens rei communis diſcrimen, ſufficeret, & miſerum erat, ditiones Catholicis partibus & Cæſari addictas, hominis inclementis vexationibus objectas deſeri. Eam ob rem Maximilianus ad earum defenſionem Tillium juſſit auxilia feſtinare, qui motis confeſtim caſtris Neccarum verſus, Utzbergenſem arcem, aliáque circùm oppida in ſuam poteſtatem redegit, & prope eum locum, quem indigenæ Vineas nuncupant, aliquot Mansfeldij turmas cæſas, fugatas, impedimentis, & collectis ex Alſatiæ aliorúmque locorum direptione, ſarcinis exuit.

Tillius in eum movet.

Profligat aliquot turmas.

Dilsbergam frustra tentat.

Secundum hæc Dilſbergam tentavit Tillius; ſed cùm locus præſidio, operibúsque ac naturâ egregiè munitus, non niſi complurium virorum jacturâ poſſet expugnari, ejúſque expugnatio ad rei ſummam parùm emolumenti eſſet allatura, viſum eſt conſultius, tantiſper omittere obſidionem.

XX.

Bucquoii res in Hungaria gestæ.

Neuheuſel.

Res in Hungariâ id temporis ſic habebant. Bucquoius ſecundâ uſus fortunâ, Poſonium in Cæſaris poteſtatem redegerat non ſine ſuorum & propugnatorum ſanguine, quibus placuerat ſupremos oppugnantium conatus experiri. Idem, receptâ Tirnaviâ & Altenburgo, Neodomum arctâ premebat obſidione, quæ ipſi poſtrema ac fatalis fuit. Dum enim oppidum, loca expugnationi opportuniora luſtraturus, obequitans (quod fortiſſimis Ducibus ſæpe exitio fuit) partes unius è minoribus ductoribus occupat, paucis comitatus, hoſtium eruptione oppreſſus, atque deſertus à ſuis, dum generoſiſſimè reſiſtit, ſedecim confoſſus vulneribus, glorioſè occubuit, vir inter ævi ſui præſtantiſſimos bellatores jure optimo referendus.

Eiusdem exitus.

Solvitur obsidio.

Duce amiſſo cùm Wallones, quos è Belgio adduxerat, alterius imperia detrectarent, nec eſſet in promptu, qui expugnandæ munitionis conſilia expediret, Cæſareus exercitus ab obſidione receſſit.

Betlemus vastat Austriam inferiorem.

Interea Betlemus ad genium reverſus, comparato triginta millium exercitu, expugnatâ Tirnaviâ, aliquot Cæſarianorum vexillationes pabulationi intentas, palantésque profligavit, unáque cum Budeano progreſſus in Auſtriam, ſtimulantibus, qui aderant, Jägerndorffio & Turriano, ferro, flammâ, rapinis omnem latè agrum deformavit.

XXI.

Repelitur a Posonio. Pacem init cum Cæsare.

Plura molientem repreſsêre Cæſariani auxilio Eſterhaſij, à quibus à Poſonij obſidione depulſus, varijs acceptis cladibus, deſertus à Jägerndorffio, qui in Siléſiâ abierat, eò tandem redactus eſt, ut factus haud paulò quàm antè mitior, pacé à Cæſare peteret, ac demum obtineret ijs legibus, ut Hungaricorum motuum perpetua foret oblivio: Betlemus Regno atque coronæ Hungariæ nuntium remitte-

mitteret: reſtitueret occupatas in Regni finibus munitiones: nihil deinceps in Cæſarem, ejúsve Domum tentaret hoſtile: quoad ſupereſſet in vivis, Principis Imperij titulo Cuſchavio, & Principatûs Opeliani & Ratiborij per Sileſiam inſignibus potiretur.

XXII.

Loca Cæsaris hostibus erepta.

Jagerndorffij clades.

Ea pax grave vulnus rebellantium reliquijs înflixit: etenim Cæſar Hungarici belli curis ſolutus, ad eos perſequendos expeditior, magnos fecit progreſſus. Saxoniæ Septemvir è ſuis finibus Jägerndorffium exturbavit. Secuta eſt Troppaviæ, Oderbergæ recuperatio. Oſchena excuſſa Ortenburgico: quadraginta omnino Jâgerndorffij cohortes quatridui ſpatio, in ſtativis profligatæ: Glazam poſt difficilem obſidionem, cùm jam ad irruptionem mœnia eſſent patefacta, Turrianus junior dedidit. Thabor diu acritérque à Mansfeldianis defenſum, caſtrum Clingenbergenſe, quæ loca adhuc in Bohemiâ Cæſari reſtiterant, ubi ſenſerunt deeſſe ſuppetias, annonam, cæteráque bello gerendo neceſſaria, redivêre ad debitum obſequium. Anhaltinus tum pater tum filius, ipſéque Hohenlous fuêre in Cæſaris gratiam recepti, nullâ aliâ pœnâ, quàm ut culpam ſupplices deprecarentur. Tanta fuit manſuetiſſimi Principis clementia, cui fuit ſatis, perduellium Bohemicorum præcipua capita, vindictæ publicæ, ad poſterorum exemplum, permiſiſſe. Eorum omnium nomina, cùm Scriptores plerique jam retulerint in ſuos Commentarios, nón eſt operæ pretium hoc loco referri, ne triſte eorum ſanguini, nepotibúsque infamiæ monumentum ſtatuiſſe videamur, aut plus detuliſſe, quâm priſca hiſtoria detulit templi Dianæ incenſori.

Anhaltini et Hohenlous Cæsari reconciliati.

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS III.

LIBER VII.

An. M. DC. XXII.

Maximiliani armis partæ memorabiles de Marchione Durlacenſi, & Chriſtiano Duce Brunovicenſi victoriæ: Palatinatus Cis-Rhenanus ſubactus, Mansfeldius repreſſus.

Aliquot oppida in Palatinatu inferiore ſubacta. Nonnullæ Civitates Imperii addictæ Palatino Comiti.

SVB anni huius initium, Boxberga, Alerzheimium, Moſpachium, Hirſchhornium, & Weinheimium, Inferioris Palatinatûs oppida, quæ nondum in Cæſaris fidem, poteſtatémque conceſſerant, velut curſim & abſque ſanguine, hoſte depulſo, fuêre ſubacta. Nondum animos ſtudiúmque hoſtilium partium poſuerant potentes aliquæ Imperij civitates, quæ tametſi ſpecioſâ fidei in Cæſarem ſimulatione, latentes affectus tegerent, non obſcurè tamen Friderico Comiti Palatino, ejúſque Legato Mansfeldio favebant. In his Norimberga, Argentina, Ulma, Spira, in quibus liberè, per Mansfeldij conquiſitores, delectus, connivente Magiſtratu, habebantur.

I. *Mansfeldius tribus Sacerdotibus infert ignominiam.*

Eum favorem conciliabant Lutherani buccinatores ſpecie ſervandæ religionis. Mansfeldius, quò vicem aliquam amicis referret, non dubitavit, ad eos magis demerendos, ſuæ religioni inferre contumeliam. Ergo Wimpfenæ ternos ſacerdotes, ab aris ipſâque æde ſacrâ abreptos, quò meliùs paſceret ferales ſectariorum oculos animóſque, ignominiosè juſſit exhiberi ad ſpectaculum, trahíque criminoſorum more, per celebriores vias infeſtæ civitatis. Hæc Mansfeldius.

Sinzheimium Tillio deditur.

Maximilianus verò Bavariæ Dux primo ſtatim vere Tillium juſſit movere in hoſtem, antequam ſe magis novâ copiarum acceſſione firmaret. Habuit Tillius Weinheimij, ipſo expeditionis exordio, Prætorianam ſtationem: unde nihil cunctatus, Sinzheimium, per æneatorem de faciendâ deditione, poſtulavit. Viſum eſt oppidum (ita enim audaci reſponſo præ ſe tulerat) obſidium velle experiri: ſed ubi vim paratam animadvertit, pactâ præſidiariorum incolumi vitâ atque libertate, Tillio manus dedit. Mannenberga & Dilsberga, arces Neccaro flumini ex edito monte imminentes, infeſtæ admodum navigationi totique circùm,

circùm, per præſidiariorum frequentes excurſiones, regioni, ne deinceps exercitui à tergo relictæ, annonam cæterúmque commeatum morarentur, tametſi vi majore ad eas ſubigendas opus foret, à Tillio fuêre nihilominus obſeſſæ. Ex ſub medium Martium venêre in ipſius poteſtatem. *Litt. Tillij 23. Mart. ad Maximil.*

II.

Motis inde caſtris, Mansfeldium, ſuo more pugnæ fugitantem, placuit inſequi. Ejus celeritate Comes Hardeckius junior Ubſtadij oppreſſus: Bruchſalæ Straiffij hoſpitiorum metator, aliíque, qui ab oppidanis lytrum extorquebant, venêre in captivitatem. Non. April. quo ipſo die ſub veſperum, Mansfeldij refugientis impedimenta in Weingattâ, locisque proximis à Tilliano milite direpta, ingenti pecuniâ ditârunt avidas victorum manus. Eodem veſpere cæſi ex Mansfeldianis ſeptingenti equites, capti ex ijs grandi numero. *Litt. Till. 11. April. ad Maximil.* CLADES MANSFELDII. *5. April.* *6. April.*

Die inſequente Hilſpachium, cùm omnem benignioris fortunæ nutum averſaretur, vi ſuperatum, ad cæterorum exemplum, ferro ab invadente milite fuit exciſum. Eppinga & Richemium alieno malo docta ſapere, illicò herbam porrexêre. HILSPACHII EXCIDIUM.

III.

Neccaro-Gemunda peſſimo præſidiariorum inſtinctu dementata, cùm nihil æquum ad aures admitteret, ſupremam ſibi perniciem conſcivit. Tanta enim exarſit in contumaces Tillianorum ira, ut, occupatâ 15. Aprilis per vim civitate, immani cæde, tum in præſidiarios, tum etiam cives, qui in armis reperti, fuerint graſſati. *Litter. Mugenthal. 16. April.*

Interea Fridericus Com. Palat. ſimul pertæſus ſui apud Batavos Hagæ Comitenſis exilij, ſimul à ſuis adductus in ſpem, fore, ut ſi in Palatinatum reverteretur, nacturus eſſet amicos inter Germaniæ Proceres, qui reſumptâ confidentiâ bellum inſtaurarent; litteras dedit ad omnes Imperij Principes & Ordines, querimonijs adverſus Cæſarem refertas. Iiſdem Hiſpaniæ Rex, & Boiorum Dux trahebantur in invidiam, velut authores latæ contra ipſum proſcriptionis. Querebatur, ſe immeritò, causâ indictâ, exutum ſuis ditionibus & avitâ Auguſtalis Septemviratûs dignitate: Addebat incitatam ad omnes orationem, quâ Martem ad fortunæ ſuæ reparandas ruinas accenderet, futurus ſanè fortunatior, ſi ſuâ contentus ſorte, alienam coronam infinitarum feracem ſpinarum antea non appetijſſet. FRIDERICI COM. PAL. LITTERÆ ENCYCLICÆ AD IMPERII ORDINES.

IV.

Cæteris Germaniæ Principibus bellum alieno ſumptu ac diſcrimine ſpectare, quàm ſuo gerere præoptantibus, valuit apud Marchionem Durlacenſem ſeu ſpes amici erigendi, ſeu communium ſacrorum religio, ut validum exercitum rebus omnibus apprimè inſtructum compararet, educerétque in Friderici hoſtes. Retinebat aliquantùm metus Cæſaris, ne eo offenſo, non ſuam modò, ſed etiam ſuorum ſortem everteret, dum ſtabilire vellet alienam: ſed huic nodo iſtum cuneum adhibuit. Seriò an fictè, non attinet dicere, viſus tamen eſt ſuas primogenito ditiones tradere in manus, ſéque exuere dominatu, ut, quemcunque exitum ejus conſilia ſortirentur, nihil eſſet de cætero, quod jam omnibus ditionibus nudato poſſet detrahi. Cùm verò à Cæſare per Joannem Georgium Comitem Hohenzolleranum cauſas tanti apparatûs poſtularetur; quò minore periculo, minúsque obſervatus prodiret in campum, finxit, quod alijs etiam ejuſdem propoſiti hominibus conſuetum fuit ac familiare, ſe ad meram ſuarum poſſeſſionum defenſionem arma ſumpſiſſe; addixitque, ſe nullo præterea fine ea tractaturum. MARCHIO DURLACENSIS EXERCITUM COMPARAT.

V.

Dedit interea ſe in iter Comes Palatinus inſueto cultûs habitu, & quanto potuit minimo comitatu; in quo Bohemicus quidam dynaſta, & mercator Argentinas, quibus conſultoribus & viæ ductoribus utebatur. Profectus per Franciam Regis cœnantis ſpectator fuit: inde per Lotharingiam Landavium ingreſſus, larvâ poſitâ, Comiti Lövenſteinio, iſthic pro Mansfeldio curanti, ſeſe aperuit. Nec multò pòſt Germersheimij Mansfeldium convenit, denuo cum Hiſpanis defectionis præmia licitantem. Ferunt Mansfeldium de induſtriâ, quò ſui pretium faceret, Fridericum colloquio adhibuiſſe, quod cum Ravillæo Infantis Hi- *12. April.*

ſpanicæ interprete erat habiturus, & audiſſe quidem Fridericum patienter montes aureos Mansfeldio promitti, ſed cùm diutiùs ſermonem non ferret, dixiſſe Ravillæo, abſtineret ab iſto commercio: Palatini enim Comitis intereſſe, Mansfeldium non vendi, cujus operâ adhuc indigeret. Sic ludebatur cum Ravillæo

VI. emptore, vetere olim Mansfeldij amico, qui ſibi omnino perſuaſerat, fore ut eum reduceret ad frugem: ſed eſt expertus tandem ab homine fallaci ſibi ſplendidè imponi.

Mansfeldius igitur, ne, quam Ravillæo fallebat fidem, apud Fridericum eâdem operâ perderet, mox ubi nundinationem finierat, ſui daturus ſpecimen (ſolent enim transfugæ uti novis ſemper argumentis, ut conſtanter ſe improbos eſſe oſtendant) poſt occupatam arcem Meidenburgicam, Friderico comitante, Rhenum ad Germersheimium tranſmiſit cum toto exercitu. Exinde, Cnaudenheimio Spirenſis Epiſcopatûs municipio flammis corrupto, movit Wiſelochum Palatinæ ditionis, ubi Tillius in omnia Mansfeldij conſilia intentus caſtra

Litt. Starzhaus. 29. April. poſuerat. Ille, comperto per exploratores Mansfeldij itinere, confeſtim eum inſectatus, primo ſtatim incurſu disjecit è pago Mingelsheimio, in quem copiarum partem receperat. Fit ergo fuga & cædes, & propè erat, ut luculentâ cla-

VII. de Mansfeldici afficerentur; cùm Mansfeldius, in agro vicino fugientes colligens, invectus in pagum, unde pedem retulerant, ſclopetarios iſthic à Tillio diſpoſitos ſubjectis in tecta ignibus è ſuâ ſtatione pepulit. Tillius, ne ſuos deſtitueret, duas alariorum catervas auxilio miſit laborantibus. Hi ne in tempore adeſſent, prohibiti ſunt viæ, quâ tranſeundum erat, ob paludem hinc & inde adjacentem, anguſtijs: obſtitit etiam fumus, è pagi incendio à reflante vento in Tillianorum oculos delatus, eâ denſitate, ut hoſtium aſpectum adimeret. Fuſi ergo ſclopetarii, dum ſe ad ſuos recipiunt, tum à Mansfeldicis, qui inſtabant acriter, malè habiti, tum à Tilliano equitatu, in quem turbatis ordinibus per viæ impedimenta incurrebant, protriti, quadringenti circiter occubuêre, centum vulneribus debilitati, pauci venêre in hoſtium manus, cum binis vexillis, totidémque ſignis equeſtribus, & quatuor minoris modi tormentis. Atque id quidem certamen fuit, quod ſcriptores aliqui longè aliâ formâ effinxerunt.

Velitaris conflictus ad Wiſelochum.

Quantulacunque ea Tillianorum clades fuerit, fuit tamen nova, & Friderico perjucunda, vel ob inſuetam novitatem, & nonnullam, ut fit in febre intermittente, inque diuturnis malis, reſpirationem. Ipſe igitur credendi facilis à Mansfeldio in ſpem ſecundioris fortunæ erigi, exultare gaudio, prælibare trium-

IIX. phos, redituræ felicitatis gloriam, non ſecus atque ſi juſtâ pugnâ foret debellatum.

Ladenburgum qua dolo, qua vi occupatur.

Auxit, confirmavítque lætitiam expugnatio Ladenburgi, quod pro Rege Catholico inſederat Adolphus ab Einoten, vir rei militaris apprimè ſciens & manu ſtrenuus, cum ſatis valido præſidio. Is cùm deditionem negâſſet, & dejectâ per tormentorum quaſſationem fornaculáſque muri parte, incautus ad Mansfeldij colloquium (quod quidem alteri cuipiam conſultiùs demandâſſet) egreſſús, contráque datam fidem, per vim retentus fuiſſet; impreſſionis, quam mox fecêre Mansfeldici in turbatos ex Ductoris abſentiâ præſidiarios, indeſenſæ munitionis jacturæ ſpectator eſſe debuit, malo ſuo doctus, non habendam fuiſſe fidem illi, qui tot per fraudes, toties virtuti illuſiſſet.

Spes Friderici erecta.

Quicquid tamen id eſſet ſeu doli, ſeu virtutis, non Fridericum modò, ſed etiam Mansfeldium & Durlachium inceſſit ſolito major fidentia. Sed fortuna, more ſuo docta fallere, paucis pòſt diebus longè diverſam frontem explicuit, oſtendítque, modicam iſtam proſperitatem eſcam atque irritamentum fuiſſe, quo hamum texerat, trahebátque ineſcatos ad cladem longè graviſſimam.

IX. Erat Marchionis Durlacenſis apparatus militum numero, Ductorum fortitudine, rerúmque cæterarum delectu apprimè formidandus. Mansfeldij copiæ, juſtam faciebant exercitum, quæ ſi Durlacenſi jungerentur, non modò pares Tillio, ſed multò etiam ſuperiores videbantur. Verùm gloriæ æmulatio, quæ

Marchionis Durlacenſis apparatus.

quæ magnas ſæpe ſpes corrupit, atque hinc nata ſimultas, Duces traxit in diverſa. Res illis erat de gloriâ ſperatæ victoriæ, quam nec partiri inter ſe, nec totam ſinguli ſibi poterant comparare :res, inquam, erat de feræ nondum retibus concluſæ exuvijs. EIUS CUM MANSFELDIO SIMULTAS ATQUE DIVORTIUM.

Tillium contrà ſtimulabat acceptæ recens plagæ recordatio, ut in omnem conſerendæ manûs occaſionem avidè eſſet intentus. Accendebatur etiam, comperto Durlachij atque Mansfeldij divortio, quòd videret vir in paucis ſapiens, tantum ſibi virium acceſsiſſe, quantum Durlachio deceſſiſſet. Nihilo tamen minùs, ne quid tentaret temere, Cordubam Hiſpanici militis Ducem in honoris juxtà ac periculi ſocietatem lubens, rogánſque vocavit. Conſilium probavit eventus. X. TILLIUS ROGAT CORDUBÆ AUXILIUM.

Durlachius pugnæ avidus planiciem, quæ Wimpfenæ & Hailbrunnæ interjacet, Neccaro flumine caſtrorum latus muniente, occupat. Tillius è diverſo firmatus Cordubæ ſuppetijs, in oppoſito colle, quem ſylva tegebat à tergo, explicat aciem. Pugna à baliſtis æneis incœpta. Tillius loci uſus opportunitate, in Durlacenſem, qui ſe intra caſtrenſe curruum ſeptum continebat, non irritâ deſtinatione vehementer tonare, fulminare phalanges, ſtragem edere : exinde concurrere, rémque agere cominus per turmas. Certamen hoc velitare, plures horas tenuit, ſtravitque utrinque multos. In pugnam ſucceſsêre legiones pari fortitudine & alacritate, quæ tamen ſub meridiem, velut quietis aliquid indulgeretur æſtu ingenti & labore defeſſis, nonnihil remiſit. Reſpiratum ad duas propè horas. Tum, recrudeſcente ferociâ, ſigna rurſus collata longè quàm ante animoſiùs. Durlachius magnam partem ſeſe adhuc intra ſuum ſepimentum velut obvallatus continuerat, quæ res effecerat, ut juſtâ dimicatione concurri non poſſet. Quamobrem Bavarici rem aggrediuntur longè difficillimam. Durlachij caſtra nimirum ſibi ſumunt expugnanda nullo tormentorum continuò in ſubeuntes tonantium metu. Hîc cruentum certamen, cœlo fervido, longè fervidiore gloriæ vincendíque cupiditate. Diu ſtetit anceps omnino victoria, ſic tamen, ut tandem ad Durlacenſes videretur inclinare, feſſâ Tillij acie, & nonnihil fluctuante, donec Cordubæ recenti auxilio adjuta erectáque, validiùs invecta in hoſtem, cœpit aciem confundere, disjicere ordines, agere eos, qui pro caſtris manus conſerebant, intra curule ſepimentum, inſequi confertos, confuſóſque, atque demum dare in fugam. Durlacenſium cladem promovit pulvis nitratus, qui, cum circumſtantis peditatûs ſtrage, erupit in flammam, auxítque terrorem. Haud ſæpe tantis animis & pertinaciâ certatum. Certè ex Catholicis nemo fuit, qui Deum tantæ victoriæ authorem non agnoſceret. Et Hiſpani profeſſi ſunt, ſe eo prælio Germanicæ fortitudinis ſingulare feciſſe experimentum. Victoribus ceſsêre æneæ machinæ triginta octo, mortaria tria ſupra quinquaginta, ducenta viginti quinque Ferdinandicorum millia à milite direpta : præter hæc, præda opima, ingens annona, impedimenta omnia, vexilla ſeptem, decem ſigna equeſtria, ipsúmque Durlacenſis prætorianum. Potiſſima pars hoſtium occubuit, ex quorum numero Magnus Dux Wirtenbergicus, Chriſtianus Comes Palatinus Birckenfeldius. Servati quidem nonnulli per fugam, ſed permulti, tum inſignis nominis Tribuni atque Præfecti, tum gregarij venêre in victorum manus. Pugnæ idem, qui diei, fuit finis. PRÆLIUM WIMPFENENSE. *Pugnatum 6. Maij.* XI. XII.

Atrocem hanc tempeſtatem excepit alia non multò mitior. Chriſtianus Dux Brunovicenſis, Halberſtadius ab Halberſtadienſi Epiſcopatu dictus, Princeps florente juventâ, ardore juvenili & animi magnitudine memorabilis, armorum uſum, peritiámque combiberat in caſtris Batavicis. Accedebat excitata quædam gloriæ aviditas & ingenita ferocia : favebat ipſe Friderici Comitis Palatini partibus, ſeu afflictæ ſortis miſeratione, ſive benevolentiâ. Eâ gratiâ ingentem collegerat è Saxonibus & Weſtphalis exercitum, quem morum prædarúmque licentiâ potiùs, quàm ære ſtipendiiſve conduxerat, hoc ipſo militaris diſciplinæ impatientem. Neque enim miles Ductores obſervat timétve, niſi accepto in CHRISTIANUS DUX BRUNSVICENSIS EXERCITUM LEGIT. XIII.

zonulam auctoramento, & repræſentatâ laborum ac periculorũ tempeſtivâ mercede, ſegniter præſtat obſequia, quorum niſi ex rapto nullum eſt præmium. Ergo Chriſtiani Ducis miles effuſus in prædas omnémque petulantiam, omnia agere pro arbitrio, graſſari in colonos, miſeros obruere, donec Orbis Saxonici principes atque Ordines tantæ licentiæ indignitatem pertæſi, correptis armis laſcivientes oppreſſos, diſſipatóſque, ne exceptis quidem Ductoribus, qui egregiè vapulârunt, diſſipârunt. Quâ animadverſione Chriſtianus officij admonitus, militi ex eâ clade collecto, ſeverioris aliquantò diſciplinæ habenas injecit. Conſilium erat, recuperando Palatinatui, operam Friderico Comiti, ejúſque conjugi promiſſam navare. Ergo Martem ſpirans, magnáſque ſpes, movet in Haſſiam, atque inde Amœneburgum, Moguntinenſis imperij civitatem apprimè divitem, quam unà cum arce aſtu intercepit per ſpeciem annonæ coëmendæ. Dum enim de pretio cum civibus ageretur, urbem per fraudem occupatam, militi diripiendam conceſſit. Brevis verò ejsuce doli fuit uſura. Etenim Anholtius, cui ſe Hiſpanicus, & aliorum circà Principum miles, ad amoliendam à ſuis finibus petulantis exercitûs vim atque ſævitiam junxerat, in valle Buſeccanâ Chriſtianum profligavit non multò pòſt. Quapropter is, expilato rurſus Amœneburgo atque Neoſtadio, Weſtphaliam repetere eſt coactus.

Qui profligatur a Principibus Circuli Saxonici.

XIV.

Amœneburgum capit ac diripit.

Repellitur in Weſtphaliam.

Iſthic cùm occupâſſet Lipſtadium, expugnâſſet Suſatum, Padebornâ potitus, S. Liborij ſacra lipſana auſus violare, ſibi pœnam accerſivit, quam deinde luit in conflictu Floriacenſi. Nam vulnere iſthic accepto, brachium ipſi gangrænâ ſic fuit incenſum, ut, conſumptis remedijs, chirurgi ferro fuerit amputandum. Id retulerunt in facinus adverſus Divum, cujus ipſe brachium verniliter indignéque tractaverat, quódque cætera ipſius pignora loco ſuo mota avectáque, paſſim venalia circumtuliſſet. Sanè notatus eſt ex eo tempore adverſa omnia & divini numinis iram eſſe expertus, Deo non ſuas duntaxat, ſed etiam amicorum injurias ultrice manu vindicante.

Pœna violati S. Liborii.

XV.

Corraſit interim ex Weſtphalicis Eccleſijs magnam pecuniæ vim, quâ novum militem conduxit, quo rurſus Friderico Comiti Palatino iret ſuppetias.

Novum militem conſcribit.

Ea res Principes Palatinatui finitimos cùm oppidò haberet ſollicitos, junctis viribus ſtatuerunt imminenti periculo ire obviam. Ferdinandus Colonienſis Elector, Maximiliani germanus, Bambergenſis & Herbipolitanus Epiſcopi, aliquas copias habuêre ſub ſignis, quibus acceſſit Anholtius. Ejus ductu pleræque civitates arcéſque, quas Halberſtadius in Weſtphaliâ invaſerat, fuerunt recuperatæ, & Chriſtiani ſtativa multis affecta cladibus.

Principes Catholici ſe ad reſiſtendum comparant.

XVI.

Giſeccam coronâ cinxerat, premebátque eò validiùs, quòd crederet exiguum habere numerum defenſorum, ſed cives militiæ non inexperti, eâ fortitudine præſidiariorum labores ſublevârunt, ut continuatâ propugnatione Chriſtianum repreſſerint, donec Hiſpanico & Colonienſi auxilio, Ductore Henrico Comite de Monte, non ſine dedecore, conclamatis vaſis, obſidionem ſolvere eſt coactus.

Chriſtianus Dux depellitur a Giſecca. *Henricus de Berg.*

Quapropter irarum ſpirans & vindictæ, minaces admodum ad Bambergenſem atque Herbipolenſem dedit litteras, denuntians, ſe acceptam ignominiam eorum pernicie expiaturum. Ergo cum numeroſo exercitu Viſurgim, quem ipſius juſſu Kniphuſius ponte junxerat, traijcit ad Hœxariam, & quacunque illi iter, horrendum in modum ſævit rapinis, cædibus, incendijs. Hæc dum agit, Catholici Principes, quibus Dux Neoburgicus recens acceſſerat, non difficili negotio recepêre loca, quæ ille à tergo tenui præſidio communita reliquerat. Quare, ejectis è Suſato, Hammoniâ, Altenaviâ, aliiſque circùm oppidis, incubatoribus, Marchia Halberſtadiano milite liberata fuit.

Traiicit Viſurgim.

Eius miles ejicitur e Marchia.

XVII.

Chriſtianus interea Catholicis, præſertim Eccleſiaſticis Principibus, formidandum agmen trahens, terrorem latè circumferebat. Rarò viſa fuit militiæ ferocientis omniáque agentis pro libidine major ad omnem immanitatem licentia. Quæ res adegit Fuldenſem Principem, ut ſuorum vexationem vaſtitatém-

tatémque ingenti ære redimeret. Et jam ea tempeſtas in Wetteraviam penetraverat, Urſellámque Moguntinenſem civitatem, præſidiarijs fugâ dilapſis, obruerat, cùm Chriſtianus mandat Kniphuſio, ut cum expeditâ armatorum manu Mœni fluminis trajectum occupet. *Occupat Urſellam,* Nec mora, conficiendo ponti locum opportunum deligit, comportátque operi neceſſaria. Hoc agebatur, ut Mansfeldius, Mœno transmiſſo, ſe cum exercitu Halberſtadio adjungeret: ſed cùm operæ, ſeu ſtudio, ſive materiæ inopiâ, lentiùs agerent, ſeriùs abſolvêre pontem, quàm ut Mansfeldius tempori poſſet adeſſe, tam levi momento humana conſilia evertuntur. Inſtabat interea Kniphuſius Hœchſtæ ad Mœnum; ſed in caſſum, donec cives juxtà ac præſidiarij, totius Halberſtadiani exercitûs conſpectu territi, naviculis in adverſam Mœni oram profugientes, oppidum omni defenſione vacuum hoſti reliquerunt. *et Hœchſtam diripit.* XVIII. Pauci, qui fugam non ceperant, à ſuperveniente milite interempti, cujus direptioni patuêre oppidanorum reſidua: ager omnis, quacunque ſpectabat ad Moguntinum imperium, fœdum in modum ferro, igne, cæteráque crudelitate eſt vaſtatus.

Nubem iſtam ferociſſimorum hominum longè latéque Catholicarum regionum exitia tonantem, non potuit non habere exploratam Maximilianus, cui fœderatorum defenſio incumbebat. Juſſit igitur Tillium adſcito Hiſpanorum auxilio periclitantibus ſuccurrere. *Tillius ad Hœchſtam ipſum aſſequitur.* Id fecit eâ feſtinatione, ut Mansfeldio anteverteret, haberétque Chriſtianum in conſpectu ad Hœchſtam, antequam Mansfeldius advenisſet. Chriſtianus pugnæ avidus, impedimenta, quò ſecuriùs veniret ad manus, miſit trans Mœnum. Tillius veritus, ne, ſi ille ſarcinas ſequeretur, præliandi occaſio elaberetur, eum juſſit velitationibus diſtineri tantiſper, dum ipſe loco opportuno aciem inſtrueret. XIX. Tillianis in velitari conflictu nonnihil paſſis, crevêre Halberſtadianis animi. Ingens interim totis latè provincijs trepidatio & expectatio futuri. *20. Iunij pugnatum.* Moguntia tertio ab Hœchſtâ milliari, in publicas comprecationes effuſa, divinam opem implorabat. Commodùm Tillius Rudelheimium arcem ſui juris fecerat; cùm illuxit dies decretoria. Inſtructâ ergo utrinque acie 12. Cal. Jul. magnis animis concurſum eſt. Tillius murales machinas ſic diſpoſuerat, ut directi decuſſatim in hoſtem ictus, *Profligat.* haud irritâ deſtinatione ſtrage latè editâ, Chriſtiani alas vehementer verberarent affligeréntque. Pugnatum acriter juxtà ac cruentè ſex ipſas horas, cùm Halberſtadius, integrâ acie, ingens adhuc animi, ſuorum conſilio territus deceptúſque, ſpe militem ultra Mœnum tutò recipiendi ſervandíque, cœpit retro ferre pedem, &, converſis ad amnem ordinibus, ſignum dare receptui. Id legiones velut deſperatæ victoriæ & fugiendi indicium accepêre. Hinc primùm inter turbatos tumultui ſimilis vociferatio, deinde confuſio ordinum, demum effuſa fuga. XX. Equitatus certatim ad pontem Hœchſtæ adſitum convolans, dum quiſque propriæ ſaluti conatur conſulere, communem cæterorũ labefecit. Confertim enim irruentes, in pontis anguſtijs conflictati, mutuâ compreſſione, cùm tabulæ tantam multitudinem confluxúmque haud caperent, equites mille quingenti, pedites magno numero in profluentem excuſſi undíſque abrepti, plerique perierunt. Alij, metu conſultore, extremum evadendi modum amplexi, dum flumen tranare conantur, nihilo fortunatiorem ſortem adierunt Inter hos Comes Lœvenſteinius aquis hauſtus. Halberſtadius unáque Comes Stirumius cum aliquantâ equitatûs parte, ægrè in adverſum littus evasêre. Magnus alariorum numerus à Tillianis, validè terga fugientum prementibus, interemptus. Ab agreſtibus mactati multi, multi capti à Tillio. Pedites, projectis armis, re deſperatâ, effuſi in fugam, in Lorſero ſaltu palantes & diſſipati. Ex quammultis, quibus victores vitâ ſalvâ injecêre manus, fuit Fridericus Birckenfeldius Comes Palatinus, Philippus Comes Mansfeldius. Ladenburgum Tillio redditum, victoriæ auctarium fuit. Qui ex fugâ ſe Cronbergam receperant, trucidati. Qui Aſchaffenburgum, Miltenburgum, Amerbachium, ſer-

ſervati ad captivitatem. Superfuêre nihilominus Halberſtadio ex ea clade, quinquies mille equites, pedites mille octies; memorant alij, ex immani multitudine, ſex, nec plura, millia evaſiſſe ad Chriſtianum. Multos præfectorum cæteris fugaciores ſervavit metus ex acie atque periculo ſubductos tempeſtivè. Ingentes manubiæ venerunt tum in victorum, tum in piſcatorum manus. Tria duntaxat tormenta, tot enim nec plura hoſtis advexerat, accepta, cum ingenti abjectorum armorum congerie. Quinque è Societate Jeſu Patres, quos Chriſtianus Padebornâ abduxerat captivos, libertati reſtituti. Piſcatoribus, uti jam dictum, ex ſubmerſorum exuvijs ceſſit opima præda. Hi namque corpora, quibus Mœnus paſſim innatabatur, uncis protracta ad ripam, ſpoliabant rebus melioribus, inter quas reperta auri argentíque copia.

Primi commiſſæ pugnæ nuntij Moguntinis fuêre cadavera, ſecundo amne per Rhenum civitatis mœnibus adlapſa. Nuntiata ſubinde victoria mirum quanto omnes circà Catholicorum regiones metu liberârit, impleverítque gaudio. Hœchſta ilicò poſt pugnam recepta. Arce deditâ, Tillius animadvertit in milites, qui immaniter in reſides oppidanos, nullâ habitâ ſexûs aut ætatis ratione
XXI. ſævierant, & hominem religioſum, decrepitâ jam ſenectâ, crudeliter emaſculaverant.

Nova fraus Mansfeldii retecta.

Ante hæc Mansfeldius ad conſuetas artes converſus, conatus erat ſpem facere Tillio, ſe, deſerto Friderico, unà cum Chriſtiano Duce Brunovicenſi, ad Cæſaris obſequia tranſiturum, ſi præteritorum facinorum gratiam, & copijs, quas ductabant, ſtipendia obtinerent. Id cùm Tillius Maximiliano ſignificaſſet, juſſus fuit, nihil habere prorſus fidei iſtiusmodi officijs, reſpondere tamen, eâ de re ſe eos, quorum potiſſimùm intereſſet, facturum certiores. Quo ille reſponſo ſentiens ſe notari, & Tillium aliàs deceptum nolle ſæpius decipi, vulpeculâ ſepoſitâ, leonem induit, quem non multò antè exercuerat, quando

Mansfeldius solvit Hagenoæ obsidionem.

factâ à Marchione Durlacenſi ſeceſſione, nuper Hagenoam ab Archiduce Leopoldo circumſeſſam liberaverat, multis è Cæſarianis interemptis, multis captis, non paucis ad hoſtilia ſigna adactis.

Mansfeldio continuò aderat Fridericus Comes Palat. adhærebátque velut
XXII. ſupremæ ſpei naufragantis tabulæ, quæ ipſi ſupererat ex gemina Durlachij & Halberſtadij calamitate.

Invadit Darmstadium, et captivos facit Ludovicum Fidelem, eiusque filium. Landgravius.

Adhucdum trahebat Mansfeldius agmen ſedecim armatorum millium. Ea ne ferias agerent, cùm Bavarico juxtà ac Hiſpanico militi paria non eſſent, Darmſtadium, quando nil tale cuiquam vel per ſuſpicionem futurum eſſe videbatur, fuit aggreſſus. Etenim Ludovicus Haſſiæ Comes Provincialis Darmſtadij dominus, hactenus à bello prorſus abſtinuerat, partium medius, immotâ quidem in Cæſarem fide, à quâ Fidelis titulum conſtanter retinuit, ſed hoſtibus Cæſaris minimè infeſtus aut noxius. In hunc prorſus imparatum, nihílque hoſtile timentem ducens Mansfeldius, Darmſtadium nullo negotio occupat, & Ludovicum fugâ clàm unà cum filio natu ſecundo elapſum retrahit, facítque captivum, non multò pòſt reddendum libertati eâ lege, uti apud Imperatorem, pro reſtituendo Comite Palatino, & reconciliando Mansfeldio interpretem ageret.

Contumeliosum Mansfeldii dictum in Ludovicum.

Omnem ejuſce captivitatis & dilaceratæ Provinciæ injuriam non exaggeravit modò, ſed immenſum quantum ſuperavit à Mansfeldio in pacificum Principem per vernile dictum jacta contumelia, quaſi hic per ſocordem imbelliam ab armis abſtinens, neutri ſe bellantium factioni implicuiſſet.

Iſtam Mansfeldij injuriam viſus eſt Deus paucis pòſt diebus ulciſci. Co-
XXIII. mes Anholtius quatuor peditum, tria equitum millia ad Dieburgum cum nonnullo Hiſpanico equitatu juncta Tillio adduxerat. Eo comperto, Mansfeldius non Darmſtadio modò, ſed etiam Dieburgo, quod eſt Moguntini imperij, relictis; feſtinato itinere, ad Lorſenſe Monaſterium contendit. Tillius, accepto iſtius receptûs nuntio, mox cum equitatu & aliquot legionibus ejus premens veſtigia, poſtremum recedentis agmen aſſecutus, miſſis, qui extremos

car-

carperent, diſtinerentque pugnâ velitari, haud procul à Lorſenſi ſylvâ, diſpoſitis in ordinem tormentis, aciem inſtruxit, prælium, niſi per hoſtem ſtaret, commiſſurus. Sed cùm is concitatis feſtinatione copijs in ſylvam ſe reciperet, Tillius tres ex toto exercitu Legiones Smidicam, Heidelbergicam, & Fürſtenbergicam, unâque Croatarum turmas iuſſit abeuntibus inſiſtere. Nec mora: cùm Croatæ terga cæderent, immineréntque legiones, tanta orta eſt inter Mansfeldicos confuſio, ut perturbatis ordinibus diffugerent, mille quingentis ut minimùm (duplum recenſent alij in loco deſideratis, multis captis; inter quos junior Comes Palatinus Birckenfeldius, Comes Mansfeldius, qui paucis antè diebus è Sueciâ ad Erneſti caſtra venerat, & Tribunus Golſteinius. Propè abſuit, ut Fridericus ipſe Palatinus Comes in Croatarum manus veniret, qui poſt eam cladem unà cum Mansfeldio ſeſe Manheimium recepit, abducto ſecum Ludovico Fideli Haſſo, cui in Cæſaris obſequio conſtanti fruſtra ſuaſit, ut ab eo deſciſceret, Calviniſmum in ſuis ditionibus toleraret, arcem Ruſſelsheimiam dederet, quorum nullum Princeps, quâ erat animi magnitudine, admiſit.

Halberstadius iungitur Mansfeldio. Eorum expeditio in Alsatiam.

Chriſtianus Halberſtadius poſt Hœchſtanam cladem, exercitûs ſui reliquias ſociavit Mansfeldico: unde juſta ad inſtaurandum bellum vis videbatur coaluiſſe, ſi numen habuiſſet propitium, æqualémque numero animi conſtantiam. Sed ut perculſis ſerò redit in præcordia virtus, ita exanimato militi ad reſpirandum mora erat neceſſaria. Quare cùm utriſque Tillius, victórque exercitus immineret, cum Friderico ſe receperunt in Alſatiam. Dici vix poteſt, quantis felicem alioqui Provinciam damnis affecerint, agro paſſim miſerè devaſtato. Nilhelmium, in quod accolæ annonam ingentem réſque meliores, perfugij causâ, comportârant, expugnatum diripuerunt: occupavêre Coshemium, & Andlaviam, quam quidem ob jactata in Fridericum & Mansfeldium probra, trucidatis civibus, flammis exciderunt. Qui rigor documento fuit, in hoſtem manu meliùs, quàm linguâ pugnari: atque hanc quidem non tantùm totam nativitatis, ſed etiam ſoli natalis accendere.

XXIV.

Causa Friderici agitur apud Cæsarem.

Dum Fridericus tot calamitatum teſtis, cum Brunſvicenſi & Mansfeldio alteri jam Tabernarum Alſatiæ oppugnationi adſidet, Chriſtianus Daniæ Rex per Legatos, atque ejus inſtinctu, Saxoniæ Septemvir per litteras, ipſius apud Cæſarem patrocinium, & gratiæ reconciliandæ cauſam agebant: Bruxellis etjam de reddendâ Germaniæ pace tractatio ſuſcepta ſpem ejuſdem reſtituendi in priſtinæ fortunæ aliquam ſaltem partem faciebat. Idipſum Rex magnæ Britanniæ curabat magnis conatibus, erátque auctor Friderico, ne ſibi ipſe in re tanti momenti deeſſet.

13. Iulij è caſtris Tabernenſibus.

Atque hæc quidem id effecêre, ut Fridericus honeſtam miſſionem impertierit tum Chriſtiano, tum Mansfeldio, fecerítque liberum Ductoribus omnibus, militibúſque univerſis, ſuæ fortunæ quacunque poſſent velléntque ratione locóque proſpicere: eſſe etenim res Palatinas eo loco, ut ſuſtinendo exercitui pares eſſe non poſſent.

Redit in Bataviam.

XXV.

Mansfeldius abit Tabernis. Suam operam offert Cæsari.

Poſtquam ad eum modum Fridericus ſeſe exarmaverat, poſito Principis cultu atque famulitio, viatorem indutus ad Batavos redijt. Mansfeldius verò velut primùm ſuæ libertatis effectus, ſolutúſque Friderici ſacramento, Tabernarum obſidione relictâ, reverſus eſt ad conſuetum genium. Videbat enim fore, ut, niſi prædandi licentiam & ſtativorum damna aliquo colore honeſtaret, ipſe publici prædonis, miles verò latrunculorum loco haberetur; quapropter credidit ſe eam notam vitaturum, ſi ſuam & Chriſtiani Ducis operam Cæſari venalem offerret. Ergo conatus eſt Tillium in fraudem inducere, & ejuſce negotiationis adhibere interpretem. Exigebat à Cæſare proſcriptionis veniam, ſtipendia tam ſibi, quàm Chriſtiano, quæ ſi repræſentarentur, fore illico, ut ſacramentum uterque Cæſari diceret, & inpoſterum cum fide militaret. Hæc ſi Cæſari non allubeſcerent, pateretur, innoxios Imperij finibus è veſtigio excedere.

Verùm

Verùm cùm doli toties comperto prudenter tribui nihil poſſet, [& eſſet nimiæ in credendo facilitatis, arbitrari, fideliter quicquam acturum, quem conſtabat fidem exuiſſe: nihil datum fuit ejus licitationi. Quocirca junctis copijs, collectiſque ſarcinis, movit uterque ad Lotharingiæ confinia. Id cùm grave admodum viciniæ atque etiam periculoſum videretur, variâ ludificatione, quaſi Germaniam eſſent ſtatim repetituri, vel ſimulato adeundæ Franciæ conſilio, mox velut moturi eſſent in Belgium, tamdiu finitimorum Principum expectationi impoſuerunt, donec in Fœderatorum Belgij Ordinum partes ſervitiúmque admiſſi, tandem per Auſtraſiam, & Franciæ extrema, in Belgicam penetrârunt.

Recedit in Belgium. *Lotharingiam.*

Soluta tractatio Bruxellensis re infecta.

Solutâ ſubinde Bruxellenſi de Friderici causâ tractatione, quòd inter tractatores à Cæſare & Britanniæ Rege conſtitutos de rei componendæ legibus non conveniret, viſum eſt Sac. Cæſ. Majeſtati, nihil eſſe, cur dilatâ porrò proſcriptionis executione, ſubigendis munitionibus, quæ adhucdum erant in Friderici poteſtate, ſuperſederetur. Quâ de re Maximilianus factus certior, juſſit Tillium in Heidelbergam, Comitum Palatinorum ſedem, munimentis, & inter Palatinas civitates dignitate præcipuam, arma vertere. Eſt ea civitas Neccaro flumini adſita. Tillius igitur, exeunte Julio, poſteaquam Ladenburgum ſubegerat, caſtris ad Heidelbergam poſitis, exploratiſque loci tum naturâ, tum propugnaculis, ad ejus expugnandæ emolumentum multùm pertinere ratus, ſi montem Urbi imminentem, quem indigenæ Sanctum nuncupant, occuparet, unde civitas muralibus tormentis plurimùm poſſet infeſtari; locavit in aggeribus, quos recèns oppidani vacuos in monte deſeruerant, firmam militum manum, reparavítque vallum nonnihil labefactum. Quo ex loco, atque ex ruderum mole, quæ in collis declivi pone amnem extabat; haud procul ab urbis mœnibus, cœpit acriter tecta igneis miſſilibus fulminare. Biduum tenuit ea fulminatio. Intererat permultùm, occupato Neccari ponte, ſuppetias, ſi quæ ex adversâ ripâ mitterentur, intercipere. Quamobrem Tillius, deducto ex montis faſtigio per nemus, ſubjectáſque vineas milite, è regione pontis propugnaculum excitavit, è quo hoſtium ſtationem, vicinúmque munimentum arietaret, arceretque defenſores. Sed cùm Tilliani frequentibus ex arce tormentorum pilis in propugnaculo peterentur, eo deſerto, ſe recepêre in clivum, atque iſthic, terreâ fartarum corbitarum loricâ protecti, conſtiterunt. Non defuêre ſibi obſeſſi. Animadverterant, Tillianos in nemore, quod urbi imminet, per manipulos hinc inde diſtributos, haud magno labore, ſed magno operæ pretio (eò quòd pauci illi plurimum adferrent incommodi) ex iſto loco poſſe depelli. Quare eruptione factâ, velut indagine per modum hemicycli, iſtos nemoris inſeſſores circumſiſtunt primùm, deinde tantâ vi impellunt, ut loco motos egerint in vallem, preſſerintque, donec Tilliani ſociorum manu fortiores, oppidanos retro intra mœnia repulêre. Iſtiuſmodi eruptionibus, ne intermiſſis quidem noctibus, velitares conflictus, multis utrinque ſaucijs atque cadentibus, per dies omnino quatuor continuati, cum exiguâ ſpe urbis ex eo latere expugnandæ. Quamobrem Tillius, motis caſtris, prope Ladenburgum, in oram adverſam Neccari copias transmiſit. Quò verò ex eâ regione Heidelbergenſes ſtringeret, Landavium, Friſelsheimium, Wintzingam, & Neoſtadium invaſit, communivítque præſidio. Venêre interea, trajecto Rheno, recuperatiſque in tranſcurſu varijs oppidis, quæ à Mansfeldicis adhuc tenebantur, geminæ cum totidem æneis baliſtis cohortes, in caſtra Tilliana.

31. Iulij. **Tillius Heidelbergam obſidet.**

XXVI.

XXVII. **Frequentes eruptiones.**

7. Auguſti. **Tillius obſidionem mutat. Suppetiæ miſſæ Tillio.**

XXIIX. **Archidux Leopoldus amiſſa recuperat. Mittit auxilia Tillio. Expugnatur Germersheim.**

Dum res in eo ſunt, Archidux Leopoldus, cognito Mansfeldij & Chriſtiani Ducis diſceſſu, è citeriore Alſatiâ cum numeroſo milite movens in ulteriorem, recepit Hagenoam & Spiram. Hinc exarmatis civibus, pulsóque præſidio, admiſſus Wormatiam, copiarum partem trans Rhenum miſit ad Tillium, ad ſupplendas vices duodecim millium Hiſpanienſium, quos Corduba adverſus Mansfeldium & Brunovicenſem per Saræpontum abduxerat. Hoc Tillius auctus ſubſidio, expugnato Germersheimio, quod Anholtina, Herlebergica, & Morta-

gnia

Litt. Tillij ad Maxim. 18. Aug.

gnia Bavaricæ legiones, factâ irruptione, cum luculentâ oppidanorum cæde invaſerant, Heidelbergenſe obſidium inſtauravit. Subinde è varijs circà propugnaculis urbem cœpit vehementer tormentis obſidionalibus quatere, & ducto à phaſianorum viridario foſſionis initio, iter verſus mœnia tectum obliquúmque aperire. Intervenêre velitationes aliquot, nullo memorabili facinore, dum Tillius, poſtulatâ per tubicinem deditione, à Merveno gubernatore remiſſus ad

26. Auguſt.

Veerum Anglum, qui degens Manheimij, Palatinatui pro Friderico præerat, tantâ vi atque frequentiâ, vicos è colle & tormentorum ſedibus conſpicuos intra mœnia juſſit infeſtari, ut coacti fuerint obſeſſi carbaſina ſiparia oppandere, quæ nonnihil ſaltem vias per urbem redderent obambulantibus ſecuriores, obducto ultro citróque commeantium conſpectu.

XXIIX.

Stabant binæ turres in colle Heidelbergenſi, velut firmæ regionis ſpeculæ, quarum altera ad Cæſaris velut invidiam & oppoſitæ defenſionis denunciationem, ante centum quinquaginta circiter annos; altera adverſus Bavaros à Palatinis erant extructæ, atque velut per ludibrium nomenclationem acceperant.

Trutz Kayſer: Trutz Bayren.

Cæſaream Tillius acri, ſed irritâ impreſſione 4. Cal. Septemb. eſt aggreſſus. Is dies ſub veſperum non obſidentibus modò, ſed etiam obſeſſis horridâ ventorum tempeſtate procelloſus fuit, cœlò ſimul atrocem in modum fulminante, tantóſque verſante turbines, ut non modò Neccarici pontis dejecto tegmine, excubitorum oppidanam ſtationem loco pepulerit, ſed multa etiam oppugnantium tentoria diſturbata ſparſerit in auras, incerto interpretum omine, utris clades portenderetur. Sexto Id. Septembris, Tillius foſſiles mæandros jam prope urbis mœnia duxerat, cùm libratis è collis ſupercilio, aliíſque circùm ſuggeſtis, æneorum machinarum jactibus, ſuburbia & urbis loricam ad Spirenſem portam inſtitit horrendùm verberare, non magno tamen obſeſſorum incommodo, niſi quòd eo die Cæſareæ ſpeculæ vallum adſitum, cui Corniculæ nomen, per vim occupârit.

XXIX.

Generalis impreſſio.

Octavo pòſt die, cùm intermedio temporis intervallo, ad generalem aggreſſionem facti eſſent apparatus, ſole jam ad occaſum vergente, dato ad impreſſionem claſſico, ex omni parte concurſum fuit, hoſte ſuas ſtationes egregiâ fortitudine retinente, Tillianiſq; undique, præterquã à munitiunculâ, quæ trans Nicrum erat, quâ ſolâ ſunt potiti, repulſis.

Repetita.

Rurſus 15. Cal. Octobris cùm mœnia tectáque civitatis repetitâ jaculatione fuiſſent quaſſata, die ad noctem inclinante, itum eſt in obſeſſos, qui primùm ex utraque, quam dixi, ſpeculâ ejecti, deinde omnibus loricis atque munimentis extimis, poſt acerrimam dimicationem, magnâ ſuâ clade exuti, refugêre intra muros, in quos Tilliani enixi ad portam Spirenſem, ingentem urbi terrorem intulerunt. Dum ferveret iſtud certamen, eſſetque hoſtis totus in reprimendâ irruptione, Liburni iuxtáque Tilliani equites per Nicri vadum irruentes, ſuburbio expugnato, tectis ignem ſubjecerunt.

Croatæ.

XXX.

Suburbium invaditur. Mœnia tranſcenduntur.

Et jam obſeſſi cominus ab oppugnatoribus, tranſcenſis mœnibus, preſſi quaquaverſum urgebantur: & tametſi conſertis non uno pugnæ genere manibus, Tillianorum iras, rectâ & obliquè ſimul ſclopis, ſimul haſtis, gladiíſque ferientium, viciſſim glandium procellâ, teliſque alijs non inulti ſuſtinerent; attamen, cùm torrentis inſtar, qui, ruptis oppoſiti aggeris repagulis, nullâ vi aut arte ampliùs cohiberi poteſt, ſternitque quævis obvia, Tilliani mœnium victores, turmatim in urbem infunderentur; tandem obſeſſi non tam pugnando feſſi, quàm numero incurſantium atque virtute obruti, tantæ multitudini atque ferociæ, cui deinceps meritò ſe ſentiebant impares, ſeſe ſubduxêre. Dividitur Heidelberga in tres partes: unam occupat nova civitas, alteram vetus, tertiam caſtrum non vulgari opere & loci genio communitum.

Obſeſſi refugiunt in urbem veterem.

Vetus ergo civitas, poſt improſperam novæ propugnationem, oppidanis pro primo receptu fuit. Et videbantur tum Gubernator tum refugi in eam cives, impetum Tillianorum, murorum corporúmque objectu ſi non fracturi, at remoraturi ſaltem: ſed neque hîc conceſſum fuit ſpatium vel momento reſpirandi.

XXXI.

Qua etiam expugnata.

Tillius enim militis alacritate, & invitantis

O victo-

victoriæ uſus curſu ſecundo jubet ilicò veteri civitati vim admoveri: nec mora, miles primo ſucceſſu excitatus murum ſuperat, evadit in vicos domóſque. Poſcebat interim Gubernator colloquendi & paciſcendæ deditionis facultatem: ſed ſerò nimis; cùm enim irrumpentium ardor mitigari non poſſet, ſed ne audiret quidem ſpe prædæ, & cupiditate gloriæ, Ducum imperia; coacti ſunt & Gubernator, & oppidani alterum receptum quærere inter arcis munimenta. Civium ædes urbanæ direptioni, eorum corpora, quos fuga non ſervaverat (quicquid Tillius contrà niteretur) ceſsêre furori militari. Die inſequente, cùm obſidionales machinæ, cæteráque oppugnationis inſtrumenta pararentur, Mervenus præfectus, ne quid inconſulto Veero Palatinatûs Gubernatore ſtatueret, obtinuit à Tillio poteſtatem mittendi certum hominem, qui explicatâ amiſſæ civitatis, & periclitantis arcis conditione, ex Veero cognoſceret, quid factu utile eſſe cenſeret: cenſuit ille, Merveno licere, quod tum Regi Britanniæ probare ipſe poſſet, tum rei præſenti ſuæque & regiorum armorum exiſtimationi conſentaneum eſſe crederet. Re igitur in commune deliberatâ, cùm propugnationem multa deficerent, & miles ſeditionem ſpectare videretur, ſublatâ præſertim omni ſpe auxilij, Mervenus arcem Tillio, pactâ omnium, tam hominum, qui in arce erant, quàm ſarcinarum libertate atque incolumitate, more militari conceſſit. Iſthic fuêre præter alia, Proteſtanticæ Unionis acta reperta, è quibus multa conſiliorum arcana prodiêre in lucem. Maximilianus, accepto deditæ Heidelbergæ nuntio, Tillio dedit in mandatis, ut Manheimium à Veero Anglo inſeſſum, nullâ interpoſitâ morâ, aggrederetur. Quare rebus Heidelbergæ propere compoſitis, Tillius totis caſtris eò contendit. Habebatur Manheimium inter principes & propè inexpugnabiles Germaniæ munitiones. Loci ingenium firmabant munimenta loricæque à Friderico IV. Comite Palatino egregiâ artis induſtriâ excitatæ. Nicer Rhenúſque ejus lateribus adlapſi confluentéſque in angulum, propugnaculum, à Stellâ dictum muniebant. Tillij peditatus in amœnâ planicie, poſt molem, cui lingua patria à latratu nomen indidit, equitatus verò ad Rheinhuſium 12. Cal. Octob. expoſiti in Manheimij conſpectu, ingenti tormentorum fragore fuêre excepti. Legiones aggere, qui viam ſternit ad Nicrum, mox potitæ, eodem pro loricâ urbi ſubjectâ, cùm paluſtre ſolum æſtivus ſol commodùm exſiccâſſet, uſæ ſunt. Inde propugnaculum ab obſeſſis nuper erectum crebris pilarum ictibus cœpit arietari. Poſtridie obſidionalia opera promota verſus munitionem hortenſem abs re herbariâ dictam: itum deinde trans Rhenum ex adverſo propugnaculi pontani, è quo defenſores infeſtis machinarum jaculationibus pulſi, navicularij ope, ſe receperunt in urbem. Secuta mox obſeſſorum tripartita eruptio, cum nonnullâ Tillianorum cæde. Vis deinde admota caſtro veteri Eichelbergæ, quod â civitate aliquanto ſpatio erat diremptum. Ex eo dejectus hoſtis, cùm tectis flammam injeciſſet, profugit Manheimium. Ineunte Octobri, cùm Tillius Nicrum ponte ſtraviſſet, civitatem cœpit vehementer tormentis quatere. Duravit ea jaculatio per quatriduum. Quò propior vis munitioni poſſet inferri, juſſit Tillius campum, quem vocant molitorium, occupari. Campus iſte Rheno alluitur, quem navigijs Tilliani trajcientes ex molitoriâ inſulâ Manheimianos ejecêre, & biduo pòſt ſepulchralem aream eodem loci, obſeſſis nequicquam continuâ majorum bombardarum exploſione contrà tonantibus, occupatum vallo protexerunt. Hîc à milite pro excubijs agente agnitum, ex eo latere civitatis munimentum eſſe quàm uſquam depreſſius, foſſamque, aquis per ſiccitatem propè exhauſtis, ſuperatu perfacilem. Cùm igitur Bavarici, ductis ab horto herbario & cœmeterio foſſis ad pontem Neccari, 15. Cal. Novemb. toto tempore antemeridiano muralibus tormentis civitatem labefeciſſent, Veerus ſeu vecordiâ, ſive metu aggreſſionis jam comparatæ, ignem ſubdidit urbanis ædificijs, quæ pleraque, vento incendium propagante, momento abſumpta. Jam antè, quicquid erat

Marginalia: RECEDUNT IN ARCEM. — XXXVI. — QUÆ ET IPSA DEDITUR. — *Litt. Starzhauſ. 3 Oct.* — TILLIUS MANHEIMIUM OBSIDET. — *Neccarus.* — *Bellenvugerth.* — XXXVII. — *Krautgarten Brucken-ſchanz.* — PROMOVETUR OBSIDIO — *Müllavv.* — *18. Octob.*

erat rerum chariorum, comportatum fuerat in arcem. Eam flammam conſpicatus Tillius, facilè, quod res erat conijciens, Veerum urbis deſerendæ cepiſſe conſilium, ſignum dedit impreſſioni. Hîc verò acre exortum certamen: Urbs expugnatur. Tillianis in vallum incurſantibus, propugnatoribus omni telorum genere ſtationes defendentibus. Non mediocris ſanè fuit utrinque vis atque conflictus. Antequam manus confererent, oppidani ſe tuebantur malleolis, tædis, lapidum procellâ, circuliſque doliaribus pice bituminéque ac ſulphure imbutis, quibus incenſis, atque in confertos Tillianos non irritâ deſtinatione projectis, non ſingulos modò, ſed ſæpe binos pluréſve implicabant. Evaſere nihilominus in valli faſtigium Tilliani, disjectiſque propugnatoribus, in urbem effuſi, incineratarum ædium parietinis ruderibúsque uſi, ad uſque arcis marginem ductis aggeribus foſſiſque ſucceſſerunt, eo commodo, ut non difficilis fore aggreſſio videretur. XXXV. Hîc ſeriò ponere ſpiritus & trepidare Veerus, alioqui bonus ſui æſtimator, ſpectare attenuatum inediâ laboribúſque præſidium, annonæ penuriam, ſtipendij, quo miles excitaretur, pharmacorum ad ægros ſauciósque curandos, rerúmque aliarum inopiam, ſerâ videlicet inutiliſque providentiâ, tandem deploratam habere ſalutem, ſi ab armis peteretur. Quamobrem miſſo ad Tillium unà cum centurione tympaniſtâ, de arce dedendâ cœpit paciſci, convenítque in eas leges, ut cum omni præſidio, ſarcinis, binis mediocris formæ tormentis, aliquot vini dolijs & frumenti medimnis Francofurtum à mille Bavaricis equitibus ſecuritatis causâ deduceretur. Arx deditur 4. Novemb.

Certè tam in iſtâ, quàm in Heidelbergenſi obſidione militaris virtutis ſpecimen non vulgare edidère Britanni, futuri utrobique memorabiles, niſi Heidelbergæ ſævitiâ in inquilinos, rapinarum flagitiorúmque, quâ permagnâ ſunt uſi, licentiâ; Manheimij verò intempeſtivâ conflagratione & vaſtitate, fortitudinis laudem corrupiſſent. Oſtenderunt ſaltem, quid de extero milite in civilibus bellis ſit ſentiendum, cui nempe frigidum alienæ ſalutis ſtudium, fluxa in Principes exteros fides, & potiſſima ſui ac mercedis cura, quæ ubi deficit ex publico, vel obrigeſcunt manus, vel quæritur ex privatorum ſpolijs. Militis externi vitia. XXXVI. Neque enim alios affectus adferunt in exteram regionem, non aliam fidem, quàm quæ utilitate unde unde petitâ alatur. Eò fit, ut plerumque graves ſint indigenis, nullo propè hoſtis aut amici diſcrimine, utpote perinde horum atque illorum opibus non hoſtes, ſed inhiantes. Et verò arduum eſt, alienæ dominationi commodare ſanguinem, vitam; & nullo propè operæ pretio, poſtquam commodaveris, ſolis cicatricibus, membrorum mutilatione, aut debilitate inſignitum, remitti denique ad lares patrios.

Heidelbergâ & Manheimio domitis, ſupererat Francotalia, quæ unica adhucdum Friderici Comitis Palatini imperio parebat. Eam, ne Tillius aggrederetur, bruma vetuit jam tum gravis tot expeditionibus fatigato militi. Tillius Francotalium circumſidet. Quare ſat habuit arcere commeatum, & oppidanos velut circumſeſſos cogere in arctum, potiſſimâ exercitûs parte per Wetteraviam, per Hanovienſem atque Iſenburgicos Comitatus in hibernaculis diſtributa.

Aberant id temporis à Bavaricis, quas Tillius ducebat, copijs decem armatorum millia, quibus præerat Comes Anholtius, tum à Franciæ Rege, tum à Duce Lotharingiæ adverſus Mansfeldium, & Chriſtianum Ducem Brunovicenſem à Maximiliano petita. Bavarici auxiliares adversus Mansfeldium. Rem, majoris lucis causâ, paulò repetam altiùs. E Palatinatu in Belgium Spinola abierat, Cordubâ cum Germanico milite in Palatinatu relicto. XXXVII. Juliaci obſidionem traxerat in adultam hyemem Henricus Comes Montenſis: eam ut urgeret Spinola, ipſe coràm inſpicere, & omnem obſidionalem diſpoſitionem voluit arbitrari. Caſtris igitur rite luſtratis, atque univerſo tum inſtrumento, tum apparatu, oppidum juſſit è machinis æneis ſummâ vi concuti, & eo quidem ſucceſſu, ut, cùm Fridericus Pithanus Gubernator, ſub Januarij exitum, de deditione agere cœpiſſet, 3. Non. Februarij, quemadmodum

JULIACUM DEDITUM. convenerat, emigrans unà cum præſidio, more militari, oppidum, arcémque Juliacenſem permiſerit Spinolæ poteſtati. Exinde Henrico Montenſi, ad Montium atque Juliacenſis Provinciæ defenſionem adverſus Mauritium Uranium, relicto, aſſumptis ad Antuerpiam Dominici Burgheſij legionibus, & Steinbergâ deditione acceptâ præter omnem fœderatorum Belgij Ordinum expectationem, Bergizomum coronâ cinxit. Eſt ea civitas inter Belgicas è munitiſſimis, quam Scaldis interluit tot ſeptus aduſque mare munimentis, ut ægrè poſſit commeandi libertas Bergizomenſibus intercludi. Ejuſce obſidendi hæ cauſæ potiſſimæ. Batavi Coloniam Ubiorum inter & Bonnam, in mediâ Rheni inſulâ tetragonam munitionem ad pilei quatricornis, quo Clerici utuntur, formam, unde & traxit nomenclationem, extruxerant jam ab anno M. DC. XX. atque inde tum frænabant Rhenum, reddebántque vectigalem, tum vicinæ Belgicæ cæteriſque finitimis erant graves atque permoleſti, è quâ tandem à Duce Neoburgico, Hiſpanorum ope, ſub hujus anni finem fuêre ejecti. Spinolæ ergo erat deliberatum, Batavos tum ab ipſius Inſulæ curâ ad domeſtica pericula avocare, tum, ſi qua belli alea proſperè caderet, Bergizomo domito, Brabantiæ clavem fœderatis eripere, & Regias Provincias reddere longè tutiores. Et verò ad Bergizomum feſtinato opere, caſtra ſic communijt, ut Batavis videretur arduum & periculoſæ plenum aleæ, eum ſine externis ſuppetijs inde dimovere. Poſt bimeſtrem circiter obſidionem, res jam eò devenerat, ut datis ultro citróque cladibus, póſtque validam Spinolæ impreſſionem, civitas in apertum diſcrimen veniſſe videretur. Quæ ratio fuit Batavis conducendi Mansfeldica & Halberſtattenſia auxilia, pacto menſium aliquot ſtipendio. Res clàm habebatur, ne tranſitu prohibiti, à Batavicis finibus, caſtriſque arcerentur. Ergo conductitij iſti Batavorum auxiliares rogant Ducem Lotharingiæ ſecuram, citra cujusque noxam, commeandi licentiam, præ ſe ferentes, properè moturos in Franciam adverſus Regem in reprimendâ Calviniſtarum factione tunc impensè occupatum. Cùm igitur Franciæ Rex eam expeditionem velut Galliæ adverſam, Dux verò Lotharingiæ tanquam ſuſpectam atque periculoſam haberent, in eâ vicinitate, ut nihil propè ſpatij eſſet reliquum, quo ei avertendæ pares exercitus compararent, petivêre à Maximiliano ſuppetias: & obtinuêre quidem, ut Tillium juberet confeſtim in Lotharingiæ confinia expedire Anholtium cum ijs, quas dixi, decem millibus, & aliquot tormentis curulibus, cæteróque inſtrumento. Hunc exercitum ſibi jam imminentem conſpicati Mansfeldius & Dux Chriſtianus, citatis itineribus Lotharingiæ fines egreſſi, Sedanum verſus (læto Duce Bullionio, qui eos ad ſuæ ſectæ auxilium contendere in Franciam arbitrabatur) atque inde rectà in Belgium properârunt. Eò factum, ut Barlamontius Ducatûs Luxemburgici pro Rege Catholico Gubernator ratus iſtas Bavari ſuppetias, quæ jam tum erant in vicino, Iſabellæ Hiſpaniarum Infanti, & Belgij Principi, non gratas modò, ſed etiam uſui futuras, ipſius nomine per equeſtris Ordinis nobilem internuntium, Anholtium obnixè rogavit, ut maturatâ per agrum Luxemburgicum profectione, ad Spinolam auxilij egentem properaret. Volente Maximiliano, condixerat Anholtius, ſed eâ lege, ut exercitus ad trimeſtre tantùm Regi Catholico transſcriptus, in Belgio ſtipendia faceret, ne videlicet Maximilianus cum Batavis (quod vitavit ſemper ac vetuit) bellum ſuſcepiſſe, novúmve Imperio hoſtem conſciviſſe cenſeretur. Eam conditionem cùm non accepiſſet Iſabella, ne Provincias hyemis jam proximæ hoſpitationibus, & ærarium grandi pecuniæ, ad præſtanda ſtipendia, obſtringeret, quódque id auxilij ſibi in præſens neceſſarium eſſe non crederet. Anholtius, Maximiliani juſſu, divertit in Weſtphaliam, ubi Warendorpio, aliíſque circùm locis occupatis, hiberna ſtativa habuit.

XXXVIII. OBSIDIO BERGIZOMI. *Pfaffenmutz.*

XXXIX. MANSFELDIUS MIGRAT IN BELGIUM.

MAXIMILIANUS CONTRA MITTIT SUPPETIAS.

Litt. Maximil. 12. Mart. & 26. Sept. ad Tillium.

XL. MANSFELDIUS AD

Mansfeldius interea atque Dux Chriſtianus ad vicum Floriacenſem, haud procul Namurco, cum Cordubâ, ad quem Verdugonis aliæque Belgicæ legiones acceſſerant, dubio per horas aliquot Marte acerrimè conflixerunt, donec Mansfeldius, plurimis in loco amiſſis, fuſis alijs atque fugatis, & ab agreſtibus paſſim macta-

mactatis; cum lacero ſex circiter millium agmine, Brunſuicij ope, ad Batavos perrumpens, non leve momentum attulit ſolvendo Bergizomi obſidio. Chriſtianus verò brachio, mediâque copiarum parte mulctatus D. Liborio, uti ſuperiùs memoravi, pœnas dedit. Mira frons eorum ſcriptorum, qui Mansfeldium & Chriſtianum auſi ſunt victores pronuntiare, cùm non modò campo ceſſerint, ſed vel ipſorum confeſſione conſtet, è viginti quinque circiter armatorum millibus, non niſi duodecies mille prælio ſuperfuiſſe, quos Mauritio Arauſionenſi prope Bredam ad ſolvendam Bergizomi obſidionem adduxerunt.

Floriacum confligit, penetratque ad Batavos.

XLI.

Canonizatio quinque Sanctorum.

Ad hunc annum pertinent ſacri honores, quos Gregorius XV. Pont. Max. ritu ſolenni SS. Iſidoro Hiſpalenſi, Philippo Nerio Clericorum Oratorij, Ignatio Lojolæ Societatis Jesu, Fundatoribus, Franciſco Xaverio Indiæ Apoſtolo, Tereſiæ nudipedum Carmelitarum Matri, 4. Id. Mart. decrevit. Quam celebritatem pij omnes toto orbe Chriſtiano magnâ lætitiâ, & publicæ gratulationis teſtificatione ſuſceperunt. Quæ quidem eò propenſiùs memoro, quòd Maximilianus Bavariæ Dux, de ijs in Sanctorum album referendis ſedulò egerat, junxerâtque ſuas preces Cæſaris, aliorúmque Orthodoxorum Principum votis atque interceſſioni, apud S. Sedem Apoſtolicam, quæ ſolet, poſt accuratiſſimam diſquiſitionem, circa vitam & miracula ante & poſt mortem à Sanctis patrata, opinioni atque conſenſui magnorum Reipublicæ orthodoxæ Principum, ad libellam ſanctiſſimi judicij, aliquid ſaltem momenti tribuere, ſed præ omnibus Deum in re maximâ conſulere: quod ipſum Gregorius XV. ad litteras Maximiliani, ſapientiſſimè reſpondit: *Id petis* (inquit) *quod antequam concedamus, diutiùs penſitare, Spiritum ſanctum, penes quem cæleſtium honorum jus eſt, conſulere Pontifices Maximi debemus.*

An. 1621. 25. Septemb.

Hoc ipſo anno Cæſar Ratiſbonæ Auguſtalia Comitia indixit ad 7. Cal. Decembris. Illuc anteaquam proficiſceretur, agente Carolo Caraffâ Epiſcopo Averſano S. Sed. Apoſtolicæ Nuntio, concionales Sectarum oratores, ex univerſâ Bohemiâ, multis licèt contrà nitentibus, publico edicto proſcripſit, tum ut oſtenderet, ſibi in hæreditarijs ditionibus id jure, quo optimo licere, quod inferioribus Principibus in ſuis eſſet conceſſum, crederétque tutum non fore Regnum à novis turbis & bellorum incendio, quamdiu flabra iſta rebellionis, clancularij Monarcharum hoſtes, communi quieti & Regiæ auctoritati imminerent. Eo confecto, anno jam ad exitum præcipiti, unà cum Auguſtâ Eleonorâ Ratiſbonam profectus, magno gratulationum plauſu, inſignique pompâ fuit exceptus.

Cæsar exigit Sectarum Prædicantes e Bohemia.

XLII.

Proficiscitur Ratisbonam ad Comitia.

Fridericum, paulò antè memini, Mansfeldium ſacramento militari ſolutum honeſtâ miſſione exauctoráſſe: ſed cùm non vacaret ea miſſio ſuſpicione, ſublata eſt omnis cauſa ſuſpicandi, quando eundem illum de integro Fridericus ad poſitos faſces, priſtináque munia revocavit, anno nondum elapſo. Ubi enim animadvertit, Britanniæ Regis Legatos, Voſtonium quidem Bruxellis, Digbium autem ex Hiſpaniâ ea, quæ ipſe vellet de reſtituendâ ſibi priſtinâ dignitatis & Palatinarum regionum poſſeſſione, ſpem longè adhuc poſitam & modicam nuntiare, moræ impatiens, ſuorum ſuaſu, vim rurſus cœpit moliri. Mansfeldius porrò ſuas copias, in fœderato Belgio, non contemnendis ſupplementis auxerat. Ad eas acceſſerant Chriſtiani Ducis Brunovicenſis reliquiæ, quæ ſimul juſtum conficiebant exercitum. Eum Mansfeldius navigijs impoſitum, atque in continentem deportatum traxit in agrum Weſtphalo-Monaſterienſem, invaſit deinde Dorſtenam ad amnem Lippiam, horrendúmque totâ eâ regione cædibus, incendijs, miſerorúmque expilatione graſſatus eſt. Quæ res, cùm Ferdinandum Colonienſem Archiepiſcopum atque Electorem, ad imploranda Maximiliani Fratris auxilia permoviſſet; illico juſſus Comes Anholtius, qui commodùm in Weſtphaliâ hibernabat, in Mansfeldium ducere, ſub hujus anni exitum, eum inſontium ſpolijs gravem, & ſuo more prælij fugitantem retudit in Friſiam Orientalem.

Fridericus Com. Pal. Mansfeldii opera rursus utitur.

XLIII.

Mansfeldius vastat agrum Monasteriensem.

Pellitur ab Anholtio in Frisiam.

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS III. LIBER VIII.

An. M. DC. XXIII.

Maximilianus creatur S. R. I. Septemvir & Archidapifer: Ducem Chriſtianum Brunovicenſem memorabili prælio victum, per Legatum rurſus profligat.

RES in eo erant, cùm Ratiſbonæ Comitia Septemviralia, ſeptimo hujus anni die, Ferdinandus Imperator aperuit. Inter cætera ejuſce conventûs capita cauſa Palatiniani Electoratûs. Saxoniæ Septemvir, tametſi à Cæſare ſæpius peramanter vocatus, ſuam abſentiam excuſavit, veritus videlicet, ne, ſi præſens Friderici abdicationi daret operam, eámque alteri in ejus locum ſubrogando commodaret, grave apud Proteſtantes ſibi odium conſciſceret. Eandem ob cauſam Elector Brandeburgicus noluit ipſe adeſſe: utriuſque tamen vices egêre Legati. Trevirenſis, imbecillam valetudinem cauſatus, emanſit. Adfuêre Moguntinus & Colonienſis Septemviri: Saliſburgenſis item Archiepiſcopus, Herbipolenſis Antiſtes, Dux Neoburgicus, Ludovicus Fidelis Haſſiæ Landgravius; aliorum quoque Imperij Principum atque Ordinum frequentes Oratores. In Cæſaris Comitatu fuêre Henricus Julius, Franciſcus Albertus Saxoniæ Duces, Chriſtianus Junior Princeps Anhaltinus, aliique magno numero præcipuæ notæ Comites atque Barones.

Quinam Comitio adfuerint. I.

Primo conſeſſu Ferdinandus Cæſar, actis pro more gratijs de adventu Procerum atque frequentiâ, per Ulmium Imperij Procancellarium cauſas ejuſce Concilij propoſuit: & inprimis quidem monuit, ſatagerent Ordines, ne caſſo, ut aliàs contigerat, in ejusmodi Comitiis conatu, res Imperij nullo operæ pretio, aut publico emolumento, ſed potiùs more majorum, pro omnium Ordinum ſalute atque incolumitate, quâ par eſſet conſenſione & charitate, de mox explicandis capitibus utilis, & publicæ rei ſalutaris tractatio ſuſciperetur. Quapropter cauſas conſiliorum olim perturbatorum voluit ante omnia explicari. Fuiſſe videlicet, qui adverſus priſci moris inſtituta legéſque, ſuffragiorum authoritatem voluiſſent elevare, vocando in dubium eorum vim, ſi quando numero ſuperarent aliter ſentientium opinationes; fuiſſe item, qui Spirenſis tribunalis, Senatúſque Aulæ Cæſareæ jurisdictionem eludere, juris ordinem evertere, ipſaque

Causæ perturbatorum olim Comitiorum. II.

que Juſtitiæ vincula diſſolvere tentâſſent. Natas inde diſcordias, poſtea ſimultates, odia, fœdera pernicioſa, tandémque Bohemiæ rebellionem. Atque horum quidem aliqua à Friderici Palatini Comitis molitionibus prognata, adoleviſſe in graves Imperij aliarúmque Provinciarum perturbationes. Nemini clàm eſſe, quibus ille modis arma induerit, alienum regnum atque diadema invaſerit, quæ icerit fœdera cum Turcæ fiduciario, quàm ſúſque déque habuerit Collegij Auguſtalis monita, dehortationes , ipſa etiam Imperatoria conſulta , mandata , interminationes, avocationes: fruſtra conſumptis remedijs, ſola extrema fuiſſe reliqua. Adhibitam ergo proſcriptiónis ſeveritatem, quæ publicæ rei hoſtem declaratum exuit avitis poſſeſſionibus atque dignitate, igníque & aquâ interdixit: ſupereſſe jam, ut cùm Septemviratus Principatúſque Palatinus commiſſi noxâ atque ſententiâ Imperio delatus ſit & obnoxius, in eum, velut apertam vacuámque poſſeſſionem, aliquis bene meritus evehatur. Ergo Sac. Cæſ. Majeſtatem, re probè & cum curâ deliberatâ, ad hoc faſtigium deſtinâſſe Maximilianum Ducem Bavariæ, ídque tum ex plenitudine poteſtatis, tum ob ingentia ipſius in Rempubl. merita, fidémque in Cæſarem, in Principes & Ordines Imperij inſignem beneficentiam, pro quibus tot támque graves, longas periculoſáſque ſuſceperit dimicationes. Propenſam Cæſaris in Maximilianum voluntatem magnopere probabat Ludovicus XIII. Galliæ Rex, commendabátque per Baugium ſuum apud Ferdinandum Oratorem.

Pœna proſcriptionis. III.

Datum præterea Septemviris Auguſtalibus, ut, velut intimi Imperatoris Conſultores, diſpicerent referréntque ex animi ſui ſententiâ, quænam occurreret maximè idonea ratio reconciliandæ pacis , exterminandarum factionum. Eſſe quidem, Tranſſylvano utcumque compoſito, pacatam Hungariam, nihilo tamen minùs (ut neceſſaria alia publicæ ſalutis ſubſidia taceantur) ejuſce Regni fines tutos eſſe non poſſe ſine milite, militem egere ſtipendijs, ſtipendia citra Imperij opem atque collatitia tributa, præſtari nequire. Non eſſe etiam Belgij fœderatorum machinationes prorſus negligendas. Eos, finitis cum Rege Catholico inducijs, arma denuo ſumpſiſſe: feciſſe non contemnendam Orbis Weſtphalici partem ſibi vectigalem, Rheno injeciſſe frenos excitatâ prope Ubios munitione, meritò providendum, ut ne id malorum ſerpens latiùs, ipſa tandem Imperij viſcera invadat.

Cætera deliberationum capita. IV.

Inveteratas & multis jam Imperij Comitijs agitatas eſſe controverſias de Principum, Ordinúmque querimonijs : his, quoad ejus fieri poterit, ſalvâ Imperij Majeſtate, Juriſdictione & Legibus, finem tandem aliquando eſſe imponendum. Statuendum pariter modum , quo remotis omnibus prorſus obicibus, jus cuique ſuum à Camera Imperiali reddatur : tandem etiam providendum rei monetali. Irrepſerat enim jam tum ab anno hujus ſæculi vigeſimo, damnoſiſſima per Germaniam nummorum corruptela, ex valoris externi ſive vulgaris æſtimationis in ſeptuplum ferè , aut etiam ampliùs auctione, quâ moneta juſta & antiquior veterem æſtimationem ſuperabat. Numi recentiores paſſim adulterino ære corrumpebantur. Quæ res turbabat, immo propè tollebat commercia, accidebátque non opes modò privatas, ſed etiam communes, proſcriptis paſſim apud exteros Germaniæ pecunijs, cenſibus immane quantum imminutis, dominante paucorum (quos Vipperos nuncupabant) avaritiâ, qui ſubductâ retentâque juſti metalli monetâ , injuſtam protrudebant in vulgus , causáſque dabant non modò litigijs, ſed etiam ſeditionibus, quales Goſlariæ, Islebij, Halæ Saxonicæ, Brandeburgi, Spandaviæ, Fribergæ, expugnatis per concitatam plebem Vipperorum ædibus, Magdeburgi verò occiſis ſedecim viris, ducentis ſauciatis , per id tempus extiterunt. Ergo , ne hoc malum, quod aliquantum remiſerat , immodicæ cupiditatis æſtu recrudeſceret , Cæſar de caſtigandâ re nummariâ , modóque per totum Romanum Imperium adhibendo , erat ſollicitus.

Abuſus rei monetalis.

Septem-

Septemviri, auditis rerum in Comitio agendarum ſummis capitibus, Cæſari egêre gratias pro paterno in Imperium omniúmque Ordinum ſalutem affectu, rogarúntque demiſsè, ut eam curam charitatémque ſibi vellet eſſe perpetuam.

De transpatione Palatini Electoratus variæ ſententiæ.

V. De Palatiniani Septemviratûs translatione non una fuit omnium vox atque ſententia. Nonnulli enim, inter quos timidiores aliqui Orthodoxi, opinabantur Electores Principéſque adhucdum abſentes, tametſi fuiſſent geminâ jam invitatione de more vocati, tertiâ præterea eſſe vocandos, & ad tempus, quod ipſis diceretur, expectandos. Fore interim otium de propoſitis capitibus prolixè deliberandi. Quamvis etenim plerique Friderici Palatini Comitis proſcriptionem rite atque ordine factam pronuntiarent, aſſerebant tamen, non deeſſe aliquos, qui ſentirent, eam non niſi conſcijs ac volentibus Imperij Electoribus, ídque ex vi atque normâ Cæſareæ auguralis promiſſionis fieri debuiſſe, & Palatino quidem ante omnia in jus vocato atque audito. Ad pacem, ad animorum conſenſionem, mutuámque fiduciam atque charitatem in Imperio reparandam, multum emolumenti allaturum videri, ſi Imperator, clementiam ſeveritati præferendo, Palatinum in gratiam & avitas ditiones reciperet. De Septemviratu credebant habendam eſſe inſontis filij, conſanguineorum & agnatorum Friderici Comitis peculiarem rationem, qui quidem non veniſſent in partem earum

VI. rerum, quæ Friderici cauſam profligâſſent, ſed qui toties de Cæſare déque Imperio bene eſſent meriti: pœnam utique non debere percellere niſi ſuos authores. Si ſecus fiat, eſſe metuendum, ut ne Reges ac Principes, ſanguinis, affinitatum, fœderum nexu cum Friderico conjuncti, ejus atque proximorum cauſam armis ſumerent vindicandam: & Bullam quidem auream, ſanctiſſimam Imperij legem, ejuſmodi ſubrogationem propinquiori agnato, ſi is foret inſons, addicere. Et erat Legatorum Catholicorum nonnemo, qui ſive æmulatione Boicæ dignitatis, ſive ſtudio in ſuum Principem, cui Palatinas exuvias bellè commodaturas arbitrabatur; non ſine Comitij admiratione & offenſione propè omnium contra Maximilianum nitebatur. Habebat etiam non obſcuros in Aulâ Cæſareâ Patronos Dux Neoburgicus, cui cognationis titulus favere videbatur. Molliores aliqui ſuadebant Cæſari, ut tranquillâ ſuorum regnorum & provinciarum poſſeſſione contentus, cætera ignoſcendo transmitteret, ſinerétque à priſtinis dominis retineri: enimvero pro rerum humanarum inſtabilitate, ſi rurſus belli fortunæ obijcerentur, facilè poſſe contingere, ut, jactâ vel unius pugnæ infelicis aleâ, omnia in ſupremum diſcrimen relaberentur. Et erant quoque, qui Bohemicorum ſacrorum ritus nollent ad Catholicam formam revocari, & palàm Cæſaris decreto reclamarent, eâ fidentiâ, quaſi ſuâ ſentiendi ac dicendi libertate Catholicorum conſtantiam eſſent fracturi.

E diverſo potiſſimi Cæſaris ſententiæ accedebant. Graviſſimas enim proſcribendi, abdicandíque Friderici Comitis Palatini rationes interceſſiſſe, eáſque Orbi univerſo uſque eò manifeſtas, diuturnas atque continuatas, ut in cauſâ nimiùm quantùm evidenti ac perſeverante, poſt terna, quaterna Cæſaris imperia, non fuerit tempori conſentaneus aut neceſſarius, conſuetus ordo de jure atque ejus rationibus diſceptandi. Longè huic diſſimiles eſſe lites, quæ exigant ordinariam Vadationis nuntiationem, cauſæ cognitionem atque defenſionem, quales in rebus obſcuris ſoleant adhiberi. Nullo pacto convenire, ut Septemvi-

VII. rûm Collegium diutiùs uno Electore, Imperium unâ ex ſuis columnis orbetur. Palatini Comitis dignitatem & poſſeſſiones cenſeri atque eſſe inter imperij clientelas & beneficia fiduciaria, quæ quando culpâ Friderici fuêre reipsâ Imperatori aperta, ejuſdem arbitrio poſſint in alium, cujus merita cum Cæſaris voluntate conſpirent, citra aliam judicij formam liberrimè transferri, nullâ ſanguinis aut affinitatis habitâ ratione. Quò enim ſit alioquin evaſura Cæſareæ Majeſtatis contemptio, quænam tandem futura ſit conditio Cæſarum, quæ ſors legum, atque juſtitiæ, quænam unquam in Imperio quies atque ſecuritas, ſi ne Impera-

IIX. tori quidem liceat à ſuis clientibus eſſe ſecuro, ſi tanta ſit criminum in ſacram

ejus

ejus perſonam dignitatémque admiſſorum impunitas, ut ſi quis vel palam omnibus, ſceptrum ipſius & diadema invaſerit, ſi in ejus caput vitámque cum rebellibus conjurârit, ſi arma geſſerit ipſe, concitaveritque in ſupremum Orbis Principem, atque in hiſce omnibus perſeveret; tamen in ejuſmodi delinquentem, pœnas legibus debitas nec exequi liceat, nec decernere, priuſquam ea, quæ delinquens publicitus patravit, apertè ipſe profiteatur, quæque ſunt in omnium oculis atque conſpectu, ſupervacaneis quæſtionibus agitentur? Fridericum nondum arma poſuiſſe, non ab hoſtilibus ſociorum fœderibus diſceſſiſſe, regios titulos adhucdum uſurpare, rebus ipſis Cæſaris hoſtem ſeſe oſtendere: quorſum igitur quærendum ſit, an deliquerit, an læſerit Cæſaris Majeſtatem? quamobrem audiendus ſit an verbis fateatur crimen, quod ipſius facta tam diu, toties, tam clarè, fuêre faſſa & conteſtata?

XI.

Cæſaris de puniendo Comite Palatino rationes.

Cur omiſſa ordinarii judicii ſolennitas.

Cæſar nihil minùs, quàm tantam ſuffragationum diverſitatem expectaverat. Etenim cùm Saxoniæ Elector per litteras Ratiſbonâ datas rurſum eſſet recèns invitatus, & Pomeraniæ atque Brunſuiciæ Duces in horas ſperarentur adfuturi, exiſtimaverat fore majorem ſententiarum conſpirationem. Quia verò jam animum firmârat longâ deliberatione, nec facilè à concepto animi decreto erat diſceſſurus, conſtantiâ utendum ratus, & firmitate rationum, verbis explicatioribus mentem ſuam Principibus voluit aperiri. Et ſe quidem in Comitis Palatini ſanciendâ proſcriptione pactorum Auguſtalium probè fuiſſe, atque etiamnum eſſe memorem: ſed enim earum rerum formam ſtatúmque fuiſſe id temporis, ut, cùm omnis comperendinatio campum jam tum ſævienti bello latiorem eſſet apertura, & laxatura freños ferro atque publicæ calamitati, coràm agi de Friderici Palatini Comitis causâ cum Septemviris, quibus juſtum conveniendi ſpatium à lege eſſet conſtitutum, citra ingens rei communis detrimentum nequiverit. Imperij ſalutem eâ tractandi formâ debuiſſe meritò eſſe potiorem: Palatini Comitis per ſuos emiſſarios bellum accendentis actiones ultima, & illa quidem accelerata remedia popoſciſſe: tali re ac tempore nihil fuiſſe opus coràm audire ſeptemvirûm ſententias, quorum conſenſus & vota ex Mulhuſino conventu ſatis eſſent explorata. Friderico tot monita atque mandata vicem vadationis eſſe debuiſſe: cum nimiopere oſtendiſſe, ſe non jure, prò tribunali, ſed ferro in acie velle contendere, & ſubditum quidem in Cæſarem; atque in Dominum, beneficiarium clientem. Eum certè non eſſe habitum pœnam deprecantis, ſed repoſcentis à Cæſare vindictam : neque talem eſſe ſpeciem, ſuam agnoſcentis culpam, ſed obtendentis illatam injuriam. Imperatorem ſupplici ignoſcere cum lenitatis commendatione potuiſſe, armato non poſſe ſine dedecore majeſtatis, & publicâ pravi exempli in omnium temporum ætatem offenſione. Nimis ſubtiliter excuſari, quaſi Fridericus non peccârit in Cæſarem, ſed in Auſtriæ Archiducem: nam & novum id eſſe peccatum, quòd Archiduci Ferdinando detrahit Cæſaream Majeſtatem. Vice versâ, ſi quid ea ratiocinatio obtineret, dici poſſe, Cæſarem non punire Fridericum, ſed Palatinum Comitem Imperij clientem. Fridericum igitur non debere incuſare pœnam, quæ Comiti Palatino inferatur.

XII.

Comitis Palatini pertinacia.

Refutatur ſubtilis excuſatio petita a Philoſophica abſtractione.

XIII.

Pœnæ moderandæ arbitrium penes Cæſarem.

Sed verò Cæſarem non exiſtimare, eos, qui reſtituendi Palatini Comitis authores ſunt, ejus eſſe animi, ut eum credant ilicò ad omnia poſtliminio eſſe reducendum, ne exceptâ quidē Septemviri dignitate. Id enim alioqui perinde futurum, atque ſi Fridericum ab omni culpâ abſolvant; Cæſarem contrà, qui injuriam à Friderico accepit, illatæ Friderico injuriæ condemnent, quæ profectò foret gravis Cæſaris contumelia. Quòd ſi Fridericum peccâſſe concedant, relinquant Cęſaris arbitrio pœnę modum, menſurámq; clementiæ. Huic locum aliquem eſſe poſſe, ſi Comes Palatinus ad demerendam admiſſorum veniam reſipiſcentis animi vera præ ſe tulerit documenta: ſi de fortunis quæſtio ſit, Britañiæ & Daniæ Regum precibus donari poſſe, ut mitigatâ æquitate, pars aliqua avitarum poſſeſſionum ſupplici concedatur. De Septemviratu, Cæſarem uſurum, ſi videbitur, ſuâ po- XIV.

Cæsar de Septemviratu pro potestate vult statuere.

Non vult luere aliena facinora.

teſtate, nec paſſurum, ut Juſtitiæ vindicis nullæ ſint partes, ubi peccantis tot eſſent cauſæ. Quid enim, ſi omnia dentur impunitati, futurum ſit damnis omni æſtimatione majoribus, ſumptibus immenſis, graviſſimo ære alieno, quibus non Imperium modò, ſed & hæreditarias Cæſaris Provincias ærariúmque, Friderici Palatini Comitis machinationes, bella, contra jus fáſque onerârunt? Et hæc quidem ſi condonentur omnia, fore ut Fridericus, qui injuſtam dedit cauſam tantis, tótque injurijs, ſed Cæſar qui paſſus eſt eas, velut auctor luat publica privatáque detrimenta.

Bohemorum religionem non ſpectare ad Comitia.

Porrò mirum eſſe, fieri de Bohemiæ religione in iſto Comitiorum conſeſſu mentionem: ejus enim cauſæ cognitionem ad iſtum Conventum minimè pertinere, & ſi pertineret, non debere tamen Cæſaris in Bohemiæ regno juriſdictionem anguſtioribus circumſcribi cancellis, quàm qui aliorum Regum poteſtati, immo & Principum Imperij in ſuos ſubjectos arbitrio conceduntur. Cæſarem pacem religionis in Imperio ſartam tectámque velle: cum cæteroqui Bohemiæ, quæ iſtâ pace non contineatur, pro poteſtate proſpecturum.

Variant ſententiæ de Septemviratu.

Catholici Principes permoti tantis rationum momentis, Cæſari aſſenſi ſunt de transferendo Septemviratu, cætera ferè rejecerunt ad futura Imperij Comitia. Saxoniæ & Brandeburgici Electorum Legati, de omittenda translatione, & remittendis pœnis perſtitêre in ſuâ ſententiâ, cauſati, ſibi id duntaxat ex Principum ſuorum mandato licere. Ludovicus Fidelis Haſſiæ Landgravius arbitratus eſt, translationem Septemvirûm Collegio eſſe permittendam.

Speratus aſſenſus Saxonis.

Cæſar, ne decretoriam ſententiam pronuntiaret, pendebat animi, ob Saxoniæ Septemviri diſſenſionem, ſpémque, fore, ut is tandem ad Catholicorum judicium accederet: & Bavarici quidem credebant, tum demum ſuo Duci Septemviratum firmum fore, atque ſtabilem, ubi Saxonis aſſenſu niteretur. Contrà ſperabant adverſarij, Saxonem Germanici juris retinentiſſimum nunquam aſſenſurum, ut Septemviratûs translatio Cæſaris arbitrio permitteretur.

XVI.

Iter Hiſpanicum Walliæ Principis.

Spes convertendæ Angliæ.

Quibus conſilijs non mediocriter etiam interceſſit Caroli Britanniæ Regis filij, Walliæ Principis, in Hiſpaniam profectio. Nam & jam fama paſſim didita vulgaverat, ipſi Regiæ Hiſpaniarum Infantis nuptias eſſe quaſi addictas, & ſpes erat fore, ut iſto nexu Regem Catholicum in Friderici Palatini Comitis partes traheret. Multa etiam de Angliâ ad Romanam fidem reducendâ circumferebantur, quod quidem longè majoris futurum eſſet emolumenti, per Regni florentiſſimi ad Eccleſiam acceſſionem, quàm ſi Septemviratus ad Principem Orthodoxæ religionis ab Acatholico traduceretur. Atque hæc quidem eò proniùs admittebantur ad aures & animos, quò faciliùs (ut res ſunt humanæ) optatis ſolet fides haberi.

XVII.

Decretum Cæſaris de Comite Palatino

Verùm alij haud paulò ſagaciores, hæc converſionis Anglicanæ ſomnia ridebant, ſpémque ipſam connubij. Cùm ad eum modum Friderici cauſa inter alternantes deliberantium contentiones fluctuaret, Cæſar tandem re crebrò ſapientérque in utramque partem diſcuſſâ, conſtituit dare, tum pacis ſtudio atque innatæ clementiæ, tum Regum, Electorum & Principum interceſſioni, ut Comes Palatinus, ſi is priùs, eâ, quâ juſtum erat, demiſſione admiſſas culpas deprecaretur, ſi militem à ſignis exauctoratum dimitteret, Coronæ Bohemicæ, omnibúſque contra Cæſaream Majeſtatem pactis, fœderibúſque nuntium remitteret, tolleretque alios omnes veniæ impetrandæ obices; in Cæſaream benevolentiam receptus, admiſſorum veniâ donaretur, citra tamen reſtitutionem Septemviralis dignitatis, quam omnino Bullæ aureæ, cæterarúmque Imperij ſanctionum, ipſiuſque Electoratûs prærogativâ, atque auctoritate nihilominus illæsâ, alteri deſtinâſſet. Quia verò eam dignitatem plures ambirent, nec tamen extemplo poſſet ſtatui, cujusnam jus eſſet potiſſimum, eò quòd abeſſent à Comitijs, qui proximè Fridericum Comitem Palatinum ſanguine contingerent; nec eſſet tamen è Republicâ, atque incolumitate Imperij, Auguſtale Electorum Collegium diutiùs uno Septemviro manere deſtitutum; Sac. Cæſ. Majeſtatem Maximi-

Deque transferendo Electoratu in Maximilianum.

Salvo aliorum iure.

ximilianum Bavariæ Ducem, propter egregia ipſius in Rom. Imperium merita, Septemviratu honeſtare decreviſſe, ſalvo nihilominus aliorum jure, quod quidem qualecunque tandem foret, vel benevolâ transactione, vel certè ex juris, legúmque ordine atque præſcripto & Imperij Septemvirûm ſententiâ, eſſet pronuntiandum, eo pacto, ut poſt Maximiliani obitum, Electoratus ad eum rediret, cui jure deberetur, hâc conditione, ut iſta dignitas atque connexa clientela, à Cæſareâ Majeſtate rite atque ordine, beneficiariâ lege traditæ caperentur. Sed præter magna Maximiliani merita erat etiam ex Domûs Bavaricæ antiquo jure, pacto atque providentiâ nexus aliquis ejusce dignitatis; qui nullâ præſcriptione, alienatione, aliôve contractu, aut juſto judicio, fuerat unquam legitimè diſſolutus, cujus idcirco ratio meritò haberi deberet; de quo poſt paulò enucleatiùs. XVIII.

Jus antiquum Domus Bavaricæ.

Igitur Maximiliano propoſitæ fuerunt eæ admittendi Electoratûs conditiones; quas ubi admiſerat, prid. Non. Martij eâ dignitate fuit inauguratus, eodem videlicet die, causâque & modo non admodum abſimili, quo Mauritius Saxoniæ Dux à Carolo V. Imp. Electoratum erat adeptus. Inaugurationis hic ritus fuit: Imperator Ferdinandus cultu indutus Regio, præferentibus, quibus jus, fásque erat, more ſolenni, ſceptrum, ſphæram Imperatoriam, coronam, enſem, cæteráque Cæſareæ Majeſtatis inſignia; præſente Septemviro Moguntino ac Colonienſi, Legatis Trevirenſibus, Saliſburgenſi Archiepiſcopo, Epiſcopo Ratisbonenſi, duobus Haſſiæ Darmſtadianis Principibus; poſt memoratas per Vice-Cancellarium cauſas abdicationis, juriſque clientelaris per Friderici Palatini Comitis culpam ad Cæſarem devoluti, Cæſar ſolio ſublimis; Procancellario perorante, edixit, ſe Maximilianum Bavariæ Ducem, ob inſignem contra communes hoſtes atque perduelles Cæſari atque Imperio navatam operam, in Collegium Imperij Septemvirûm cooptâſſe, eóque ſtatuiſſe, eidem iſtam dignitatem, ſolenni more, unà cum jure Seſſionis, auguſtalis electionis, omnibúsque alijs ab Electoratu nexis ac pendentibus, teſte univerſo Imperio, conferre. Opperiebatur in proximo conclavi Maximilianus. Mox ubi Procancellarius Cæſaris voluntatem explicuerat, Joannes Comes Hohenzolleranus Supremus Aulæ Boicæ Præfectus, poſt repetita compendio capita habitæ per Procancellarium orationis, comitantibus Egone Fürſtenbergico Comite, caſtrorum Boicorum Præfecto, & Pappenheimio Imperij Mareſchallo hæreditario, præcipuíſque jam dictæ Aulæ miniſtris, à Cæſareo conclavi & auditorum frequentiâ digreſſus, Maximiliano Cæſaris mentem retulerunt, qui quidem cum juſſit redire ad Cæſarem, actíſque ſuo nomine gratijs quàm ampliſſimis ſignificare, ſe collatæ à Cæſare dignitatis beneficium animo gratiſſimo accipere, ſeſéque paratum juramento ſolenni, ſuam fidem Sac. Cæſ. Majeſtati obſtringere. Mox idem à Procancellario evocatus, Archiepiſcopo Saliſburgenſi, & Alberto Duce Bavariæ germano Maximiliani fratre, ejus dextram, lævámque cingentibus, acceſſit ad auguſtale ſolium, ubi in genua provolutus ſeſe ſtitit Sac. Cæſ. Majeſtati. Ad hæc Imperij Procancellarius de integro Cæſaris voluntatem vulgavit, addidítque ad eam pertinere, perinde bene meritos afficere præmijs, atque caſtigare delicta: proinde ſacram ipſius Majeſtatem, Maximilianum Bavariæ Ducem optimè de Cæſare atque publicâ Imperij ſalute meritum, Sac. Rom. Imp. Electorem & Archidapiferum renuntiare, velléque ad ſolenne ſacramentum admittere. Maximilianus actis Cæſari demiſſiſsimè gratijs, pileo pallâque, Septemviralibus inſignibus donatus, tactis manu Evangelijs, ſolenni formâ Septemvirale juramentum recitavit, & enſem Cæſareum exoſculatus, habitis rurſus gratijs, libato dein exporrectæ Cæſaris dextræ oſculo, receptóque viciſſim officio Cæſareæ gratulationis, in Auguſtali triclinio primam lancem Imperatoriæ menſæ, quod Archidapiferi munus eſt, impoſuit, aſſedítque Cæſaris conviva. XIX. XX. XXI.

Caraff. p. 136. *Inauguratio Maximiliani.*

Poſt eam celebritatem Imperator Septemviros, Principéſque Imperij, qui aderant, Albertum item Saxo-Lauenburgicum, Principem Chriſtianum Anhal-

tinum epulo adhibuit, reſtituítque Anhaltinum juniorem priſtinæ gratiæ atque libertati, ſingulari innatæ clementiæ exemplo.

Lætus eo Bavaricæ gloriæ incremento Gregorius XV. Pont. Max. Maximiliano eſt gratulatus per litteras, quarum hoc eſt fragmentum: *Triumphat tandem Catholica religio in novâ dignitate Nobilitatis tuæ, quæ ut fidelium populorum votum fuit, ita fidei propugnaculum eſt & lætitia univerſæ Eccleſiæ. In eo enitet felicitatis tuæ magnitudo, quòd eam Pontifex atque Imperator, Chriſti ipſius triumphum, cæleſtis regni gaudium arbitrantur. Excutiat tandem cinerem mœroris è capite ſuo filia Sion, & induatur veſtibus jucunditatis. Certè nos tanto ſolatio cumulârunt poſtremæ tuæ litteræ, dignæ quæ perpetuis Annaliũ monumentis conſignentur, ut cùm eas legeremus, mannâ cæli & torrente voluptatis inundari cor noſtrum videretur. Proinde tantæ lætitiæ expertes eſſe noluimus fratres noſtros S. Rom. Eccleſiæ Cardinales, qui illas, dum publicè in Conſiſtorio legerentur, dignitatis Electoralis nuntias, & Bavaricæ pietatis teſtes, animis exultantibus audiverunt. Nos autem ſcientes omnem victoriam Bellatoris omnipotentis beneficium eſſe, publicas ſupplicationes pro tanto militantis Eccleſiæ triumpho dedimus ad Baſilicam Principis Apoſtolorum. Quo autem tempore choris laudantium Deum illud divinitatis ſanctuarium perſonabat, cætus hominum conticeſcere non poterat, Bavarici Ducis victorias ac virtutes in tantâ Eccleſiæ gratulatione prædicantium. Sanè nos quæ vota miſericordiarum patri, pro iſtarum Provinciarum incolumitate nuncupare conſuevimus, & ſuſcipimus in præſentiâ pro Nobilitatis tuæ dignitate ac vitâ, quæ eò gloriæ progreſſa eſt, ut ne inimici queri quicquam audeant, niſi de magnitudine tuâ.*

LITT. GREGORII XV. PONT. MAX. GRATULATORIÆ.

XXII.

XXIII.

Inter hæc (Deo mortales lætitias admixtis, ut ferè ſolet, curis temperante) Cæſarem tenebat, & ipſum Maximilianum, alióſque Orthodoxos Germanici Imperij Principes non mediocris ſollicitudo, ob magnum apparatum, quem bello revocando Mansfeldius in Friſiâ Orientali, Chriſtianus verò Dux Brunovicenſis in Oſnabrugenſi ditione feciſſe, nuntiabantur. Quamobrem accerſitus eſt Ratiſbonam Tillius, ubi auctus Comitis dignitate, juſſus eſt menſe Martio, copias ex hibernis eductas, junctáſque legionibus Anholtinis, relicto, quantum ſatis foret ad Palatinatus defenſionem, præſidio, movere in Cattorum fines, antequam Mauritius Landgravius, quem ferebant Cæſaris hoſtibus eſſe addictum, eoſdem vel in ſuas ditiones reciperet, vel apertâ conſpiratione bellíque ſocietate juvaret. Datum præterea à Maximiliano erat negotium Herberſtorffio, id temporis in Palatinatu curanti, ut octo armatorum millia properè conſcriberet.

NOVI BELLI APPARATUS.

TILLIUS COMITIS DIGNITATE AUCTUS. MITTITUR IN HASSIAM

Ægrè accepit Mauritius Cattorum regulus exercitûs Bavarici adventum, quaſi immeritus belli onere premeretur: ſed cùm non laterent ipſius conſilia, & antè jam Halberſtadienſem exercitum in agrum Moguntini imperij moventem volens lubens recepiſſet, bellíque ratio exigeret, ut, unde imminebat periculum, propè adeſſent auxilia, urgerétque vehemens opinio, eum re ipsâ cum hoſte colludere; mos fuit gerendus Cæſaris voluntati. Quare Tillius curriculò redux ad exercitum, ſic partitus eſt legiones, ut per Haſſiam, per Hirsfeldenſem & Waldecenſem agrum diſtributæ, quicunque tandem in vicinia motus neceſſitáſve exiſterent, illico eſſent ad manum & capeſſenda Cæſaris atque Maximiliani Electoris imperia. Irato Mauritio, Provinciales ad tuendos fines, correptis armis, vim quidem aliquam oppoſuêre Tillio, ſed momento fuſi, fugati, in domos quique ſuas, ad conſuetos labores atque officia fuêre repulſi.

INVITO LANDGRAVIO.

XXIV.

HASSICI PROVINCIALES FUSI A TILLIO.

Videbatur interim Saxoniæ Septemviri animus nonnihil offenſus, ídque præ ſe ferebat, ad declinandam cæterorum Principum acatholicorum invidiam, quòd ſe diſſentiente Cæſar Palatinenſem Septemviratum in Maximilianum avertiſſet: quæ res non Cæſarem modò, ſed Maximilianum etiam alióſque Principes, qui Ratiſbonenſi Comitio operabantur, habebat ſollicitos. Et verò intererat Principem adhuc Cæſaris reíque communis apprimè ſtudioſum, in officio fidéque retineri: quare explorando penitiùs, & mitigando, ſi qua fors hæreret offenſio, peropportunus viſus eſt Ludovicus Fidelis tum ob ſacrorum cum Saxo-

OFFENSIO SAXONIS.

AD EUM MITTITUR LUDOVICUS FIDELIS.

XXV.

Saxone communem uſum, tum ob perſpectam utriusque neceſſitudinem & animorum conſenſionem, quæ cùm valeant plurimùm in rebus agendis, certè in gratiâ reconciliandâ multum præſtant auctoritatis ac facultatis ijs, qui medias partes ſuſceperunt. Accedebat alius mittendi obtentus, quòd Principi Ludovico nuper Cæſar Marpurgenſem ſucceſſionem, quâ de lis ipſi diuturna cum Mauritio Haſſo patruele interceſſerat, latâ ſententiâ addixerat, cujus judicij executionem tum Colonienſi, tum Saxoniæ Septemviris demandârat. Videbatur itaque Ludovicus Saxoni eò futurus gratior, atque magis impetrabilis, ſi per ſpeciem petendæ Cæſareæ executionis, quaſi in re privatâ, & velut aliud agendo tranſlati Septemviratûs mentionem inferens, conaretur Saxonem conciliare. Nec verò ſuis ipſe defuit partibus. Juvit etiam plurimùm Joannes Swicardus Moguntinus Elector Saxoni in paucis charus ob Germanum candorem. Cùm enim hic prolixè per litteras fuiſſet de Electoratu mutato conqueſtus, præter cætera, Swicardus uſus eſt epiſtolâ Maximiliani nuper ad ſe datâ, & eâ quidem plenâ in Saxonem benevolentiæ & propenſiſſimæ voluntatis. Sed & Cæſar ipſe confirmando ſuo beneficio gnaviter intentéque ſtudebat. Quam ad rem rurſus Saxonem & Brandeburgicum ad Comitia invitavit, delinivitque inſigni humanitate: excuſavit tamen uterque, quaſi crederent ſuam præſentiam non modò non futuram uſui, ſed forsan etiam gravem rebus agendis, ſi quâ decet libertate, animi ſui ſenſa in Conventu aperirent, præſertim de Palatini Electoratûs tranſlatione, de hæredum agnatorúmque jure, de Imperij ſanctionibus, quæ ad eam cauſam ſpectarent, de ſubjectorum expoſtulationibus, aliiſque id generis. XXVI. Saxo præterea matris nuper vitâ functæ juſta funebria, aliáque magni momenti, quæ ejus operam domi exigerent, excuſavit. XXVII. Re verò ipsâ nolebant contra torrentem niti, rati ſatiùs eſſe à deplorato Palatini patrocinio abſtinere, quàm operam perdere, foréque levius non petere, quæ non impetrarent, quàm repulſam ferre, poſtquam fruſtra petijſſent. Et verò etiam credebant prudenter, tum quidem apud Cæſarem tempori eſſe ſerviendum, ſimul ſuæ apud Acatholicos exiſtimationis habendam eſſe rationem.

Finis Comitiorum.

Ergo Cæſar nihil cunctatus, cùm rebus neceſſarijs vocaretur in Bohemiam, cenſerétque, non eſſe conſultum, Septemviros tamdiu expectatos præſtolari diutiùs, fine Comitijs impoſito, Pragam contendit.

Franckentalia ſequeſtro traditur Hiſpaniæ Infanti.

Sub idem tempus Franckentalia, omnium Palatinianarum munitionum diutiſſimè Friderici partes ſecuta, adhuedum non Tillio modò, ſed etiam Hiſpanis fortiter obſtiterat: hinc jacebant totius propè viciniæ commercia, & in agro continuis propè excurſionibus infeſto, creſcebat indies vaſtitas atque ſolitudo, quæ nec Hiſpanis proderat, nec reddebat rem Palatini Comitis meliorem. Ergo conſenſu actum de eâ penes Hiſpanicæ fidei ſequeſtrum habendâ. Quâ de re convenêre Hiſpanici juxtà ac Britannici (penes hos enim Franckentaliæ defenſio ad eum diem ſteterat) tractatores, in eas leges, ut deducto è Franckentaliâ Britannico præſidio, ad menſes octodecim in Iſabellæ Hiſpaniarum Principis & Belgij Gubernatricis manu, lege depoſiti ſervaretur, eâ tamen conditione, ut, ſi intra eos menſes Fridericus Comes Palatinus in Cæſaris gratiam non rediret, Franckentalia cum univerſo inſtrumento bellico, cum annonâ, aliiſque, quæ referrentur in indicem, eodem prorſus numero & bonitate Anglis redderetur. XXIIX. Quem in modum civitas, quam nulla vis ſubegerat, tractatorum induſtriâ venit in manus Hiſpanorum, atque in ijs perſeveravit ad uſque annum hujus ſæculi triceſimum ſecundum jam ſeneſcentem, cùm à Suecis arctè obſeſſa diutiùs retineri non potuit. XXIX.

Fœdus Saxoniæ inferioris cum Daniæ Rege et aliis.

Ad hujus anni bella nos vocat ordo narrationis. A Saxoniâ inferiore ducimus exordium. Mansfeldius & Chriſtianus Dux Brunovicenſis (uti jam retulimus) potentes exercitus collegerant. Inferioris Saxoniæ Orbis (circulum appellant) Proceres, tametſi Cæſaris novis promiſſis ſuam fidem obſtrinxerant, eóque Maximilianus imperârat Tillio, ne quâ eos laceſſeret ſtativis, vel exerci-

Litt. Maxi- tûs traductione, ſed ijs addiceret, præſtarétque, ſi poſcerent adverſus Mansfel-
mil. ad Till. dium, alióſque graſſatores, tempeſtiva auxilia, nihilo tamen minùs, cùm mole-
an. 1623. ſtè ferrent per translationem Palatiniani Septemviratûs Catholicorum partibus
XXX. aliquid emolumenti acceſſiſſe, cum Daniæ Rege, cum Electore Brandeburgico,
Ducibus Brunovicenſibus, cum Holſatenſi & Megapolitano, cúmque Bremâ, Lu-
beca, Hamburgo, Luneburgo, aliiſque ejusce tractûs liberis civitatibus, ad ſuo-
rum finium, uti quidem præ ſe ipſi ferebant, defenſionem fœdus percuſſerant,
& eiusce fœderis arma cum Archiſtrategi poteſtate Chriſtiano Duci Halberſtat-
tenſi demandârant, eo ſcilicet obtentu, fore ut Princeps alioquin bello dedi-
tus, iſto munere occupatus, ab infeſtando Imperio deinceps abſtineret; re ta-
men verâ, quod deinde erupit in apertum, ut Proteſtantium vires inſtaurarent,
Ducis Lu- quibus demum adverſus Orthodoxos uterentur. Dux Luneburgicus ejusce
neburgici Circuli Princeps, capútque, integræ in Cæſarē fidei, minimè conſcius ſecretarum,
fides in quas fœderis ſocij, eo clàm agitabant, molitionum, aliquem quidē delectum ha-
Cæsarem. buerat militis, quem tutandis Provinciæ munitionibus imponeret, ſed conſtitutū
XXXI. habebat, nihil prorſus hoſtile moliri. Dux Brunovicenſis Fridericus Ulricus
Chriſtiani Halberſtadij germanus veritus, ne Tillius in Brunſviciā belli ſedem
Brunovi- figeret, preménsque occultum animi dolorem, indignationémque, quòd à Cæ-
censis si- ſare dilatus, nondum beneficiariam ſuarum ditionum clientelam more majo-
mulatio. um fuiſſet aſſecutus, datis ad Tillium litteris, profeſſus eſt, Chriſtianum Ducem
eſſe quidem Domûs ſuæ obſequijs, ſtipendiiſque auctoratum, ſed ni provocare-
tur, nihil planè ab eo eſſe periculi ullius omnino hoſtilitatis, deinde rogare ſe,
ut Tillius Brunſviciam Saxonicúmque Orbem ne attingeret. Atque hæc qui-
dem ſpecioſè, eo conſilio, ut ſi litteræ apud Tillium fidem invenirent, eo amo-
XXXII. to, Chriſtianus præſidijs Saxoniæ finitimis in ſuam poteſtatem redactis, tantò
liberiùs ſuas copias explicaret, & graſſaretur fidentiùs, extra fines circuli: habe-
rétque receptum, quò ſe ſuóſque pro re natâ referret, & tutâ ac velut circum-
munitâ Saxoniâ, domeſticis curis ſolutior, ad exteros Cæſaris hoſtes accederet.
Et re ipsâ jam in eo erat, ut ſe ſociaret Mansfeldio, qui unà cum Friderico Co-
mite Palatino Betlemum Gaborem adverſus Imperatorem rurſus conc.tâſſe
nunciabatur, quò is in Bohemiam atque Hungariam rurſus infeſta ſigna mo-
veret. Multa prætereà inter Tillium & Brunovicenſem, alióſque Saxonica-
rum partium ultro citróque per litteras, atque internuntios acta, ne ad arma ve-
Christia- niretur: offerebatur etiam Chriſtiano Halberſtadio Cæſaris reconciliatio, quò
nus Hal- minùs ille haberet cauſæ exercendæ hoſtilitatis: ſed in caſſum hæc omnia. Chri-
berstadius ſtianus enim, perſonâ detractâ, ſpretâque Imperatoris gratiâ, in campum prodijt,
prodit in caſtráque ad Göttingam, quæ bene firma eſt Brunſuiciæ civitas, locavit. Quam-
campum. obrem Tillius, ne obrueretur, properè Unionis Catholicæ Bavaricas copias coa-
XXXIII ctas in arctum, ducit ad Reiffenhuſium, ubi tendens non procul ab hoſte, in
Tillius ca- ejus conſpectu occupat arcem Fridelandam (futuram aliquando tutam commo-
stra oppo- dámque ſtationem) poſtquam eam ducentis majorum tormentorum jactibus
nit Chri- verberârat. Sperabat videlicet futurum, ut Chriſtianus, qui loco peropportu-
stiano. no confidebat, arcis periculo ad ferendas ſuppetias extra caſtrorum munimen-
ta provocatus, pugnæ copium faceret. Sed ille nuperis cladibus factus cautior,
ſeſe intra valla continuit, útque militi animos adderet, per præconem totis ca-
ſtris edixit, Eisfeldiam univerſam, pro cujusque arbitratu, direptioni, cædibus
20. Iulij. atque incendijs fore apertam, nec ulli vetitum, quò minùs eâ libertate, ubi pri-
XXXIV. mùm ejuſce provinciæ fines attigiſſent, impune uteretur. Quâ quidem re mo-
tus Tillius Pappenheimicam Legionem ad iſtius regionis tutelam deſtinavit. Ea
Lit. Lerchen- ex itinere haud procul à Duderſtadio, incidit in quingentos equeſtres ſclopeta-
feld. 21. Iunij. rios, quos momento conjecit in fugam, póſtque paulò in parem bombardario-
1623. rum numerum invecta, ducentos occidione delevit, quadraginta fecit captivos,
Saxonico- cæteris fuſis atque fugatis.
rum cum Dum eò loci caſtra utraque nullâ re memorabili tempus conſumunt, Infe-
Tillio ne- rioris Saxoniæ Legati, Luneburgo venêre ad caſtra *Tillij*, qui perſuaderent, Du-
gociatio. cem

cem Chriſtianum, inſcijs Principibus, proceribúsque ejuſce Circuli, ſcripſiſſe militem: & eos quidem conatos hanc illi mentem injicere, ut armis poſitis rediret in gratiam à Cæſare oblatam, eâ lege, ut eam Chriſtianus intra octiduum demiſsè amplecteretur. Atque id quidem eſſe memorabile Cæſareæ benignitatis exemplum, ſed ijs clauſum temporum anguſtijs, ut uſui eſſe non poſſet. *Inſtructio Legatorum 29. Iun. 1623.* Ergo Saxonicos Ordines rogâſſe Cæſarem, quatuor ſaltem hebdomadas indulgeret Christiano, quibus rem, uſque eò optatam, daret confectam, Ordines proinde è Tillio petere, parceret tantiſper Saxoniæ, dum reſponſum à Cæſare veniret. XXXV.

Tillius non ignarus, quorſum ea ſpectarent, reſpondit, ſibi nihil perinde gratum fore, quàm ſi Ordinum benevolentiam poſſet demereri, & inire honeſtas quaſque ſervandæ pacis rationes; ſed non videre interim, quì id queat fieri, niſi Dux Chriſtianus ſeſe Cæſaris voluntati pronus accommodet, arma ponat, exercitum mox dimittat. Id ſi ille faxit, daturum eſſe operam, ut futurum nihil ſit, *Litt. Tillij ad Maximil. 22. Iuly.* cur inferior Saxonia inpoſterum de ullâ moleſtiâ, nedum de illatâ per Unionis Catholicæ copias injuriâ, expoſtulet. Sin ſecus; non poſſe ſe prætermittere, quin mandato Cæſareo obſequens, prævertat (Deo juvante) Chriſtiani conſilijs, quod quidem nemo meritò in ſequiorem partem ſit interpretaturus. Præterea XXXVI. ſperare ſe, fore, ut Ordines non minùs Cæſariano, utpote amico militi, quàm hoſti, annonam, commeatum, aliáque bello opportuna ſubſidia ſint ſuppeditaturi. Tandem cùm Principum atque Ordinum verbis Tillio Legati eſſent polliciti, fore, ut inferior Saxonia Cæſarianis ſua arma ſociaret adverſus Ducem Chriſtianum Halberſtadium, donec ipſe vel rediret ad Cæſaris obſequium, vel domitus ab incœpto deſiſteret; Tillius viciſſim litteris profeſſus eſt, ſe (ſi quidem pro- *23. Iulij.* miſſis Saxonum eſſet fides atque ſecuritas) ita moderaturum demandatæ ſibi à Cæſare expeditionis rationes, ut eâ ad compeſcendas duntaxat pernicioſas Chri- *Ruep. litt. 26. Iul. ad Maximil.* ſtiani Ducis, & aliorum factioſorum machinationes, non adverſus quietos Principes, Ordinésve, aut eorum ſubjectos, vel iura libertatémque, cujuſcunque tandem ſint illa modi, eſſet uſurus. Ne verò Saxones quicquam ipſi capiant detrimenti, daturum ſe operam, injecturúmque tales militaris diſciplinæ frenos exercitui, ut provinciæ à prædis, agri à populationibus, tecta ab incendijs, populus à concuſsionibus & lytris, ſerventur immunes: ſe nihil bellici commeatûs abſque præſentaneo pretio, nulla tormenta, exacturum: quæ porrò Orbis Saxonici commoda concernunt, ea ſe, communicato cum deſignatis Ordinum tra- XXXVII. ctatoribus conſilio, geſturum, defenſurum commerciorum libertatem, adjunctis, quoties uſus foret, ſecuritatis teſſerâ & cuſtodibus. Cùm primùm Chriſtianus Dux Saxonici circuli fines egreſſus, ſuſtulerit eorundem infeſtandorum metum atque diſcrimen, vel ad debitum Cæſari officium ſe retulerit, Tillium pariter cum univerſis copijs, ex omnibus civitatibus, locíſque quibuslibet ejuſce circuli, abſque morâ, omníque noxâ, aut quæſitâ compenſatione, migraturum. Armorum ſocietatem, quam promitterent Saxonici Ordines, non fore perpetuam, ſed ſpectaturam tantùm ad exterminandas Ducis Chriſtiani molitiones, idque ſalvis omnibus & ſingulis Imperij conſtitutionibus. Addidit Tillius: in eo ſe futurum, XXXVIII. ut omnia hæc à Cæſ. Majeſtate, ab alijs Polemarchis, præſertim verò à Gonſalvo Cordubenſi, & Comite Anholtio confirmata, ratáque habeantur, citra tamen obligationem, ejuſmodi confirmationem & ratihabitionem certò & citra omne dubium impetrandi. Atque hæc quidem ampliſsima concordiæ capita Tillius jam litteris conſignaverat, nihílque ad eorum pactionem erat reliquum, quàm ut viciſsim Legati promiſſorum fidem, ſecuritatémque præſtarent. Monuit ergo Legatos Tillius, optandum quidem eſſe, ut Chriſtianus Dux non modò ab Imperio, ſed ab armis etiam abſiſteret, ſed abludere id ab illius ingenio, quod unicè Martem ſpiraret. Viderent itaque Legati, quibus ſponſoribus, quâve ratione præſtare velint, ut is intra menſem arma ponat, ſe ſubjiciat Cæſari, militem miſſum faciat, expectet benignum Cæſaris imperium, nihil interea hoſtile ſuſcipiat. Id ſi ſpondere nequeant, prudenter fieri non poſſe, ut omni remoto XXXIX cuſtode,

cuſtode, ſuo ipſe genio liber ſolutúsque relinquatur. Non habuêre Legati, quod reponerent, niſi, quòd nihil mandatorum de iſtiuſmodi certitudine aut ſponſione ab Ordinibus accepiſſent. Quare non dextrè admodum ſuâ legatione functi revertêre ad ſuos, hoc dubio relicto (ſi tamen licuit dubitare) eos veniſſe, ut ſpecioſè (quod Legatis ſubinde familiare eſt) Tillio imponerent. Atque id quidem nocte, quæ 11. Cal. Sextil. eſt ſecuta, ſe prodidit, cùm Chriſtianus Dux Halberſtadius tenebris & Göttingæ objectu protectus, refixis ſignis caſtra movit, & ſexto inde die trans Viſurgim, quem ſupra Hæxariam extemporaneo ponte ſtraverat, prope Pambertam, duxit exercitum eâ feſtinatione, ut ſatis appareret, nihil ipſum de gratiâ Cæſaris aut pacatis conſilijs cogitare.

Halberstadius Visurgim traiicit.

Eum Tillius insequitur.

XL.

Tillius tempeſtivè de ejus diſceſſu factus certior, ne graſſandi ſpatium abeunti laxaret, feſtinatis itineribus ſecutus, primùm quidem Hæxariam, percommodam Viſurgi frenando ſtationem, deditione accepit: deinde copias in adverſam amnis oram per pontem nauticum traduxit. Halberſtadius interea feſtinabat in Weſtphaliam, unde Comes Anholtius cum ſuis Legionibus evocatus, ad Tillium prid. Non. Sextil. pervenit. Et jam Oſnabrugenſem agrum attigerat Chriſtianus Dux, cùm annonæ liberalem copiam nactus ab Oſnabrugenſibus, triduum reficiendo militi indulſit, quo elapſo, quaſi fugiendo vellet vincere, certarétque curſu, properum agmen traxit in fines Monaſterienſium, dejectis à tergo pontibus, quò viam Tillio redderet impeditiorem. At hic nihilo lentiùs progreſſus noctes atque dies, euſque preſſit Chriſtiani veſtigia, donec ipſis Nonis Sextilibus, ſub veſperum, poſtremum agmen ad Burgſteinfortum (id civitati nomen eſt) aſſecutus, Avantagnum Chiliarcham cum ſuâ legione juſſit extremos laceſſere: nec mora, progreſſus in hoſtem, comperit aliquot catervas ſtantes in acie: coortâ ergo velitatione, Avantagnia legio, quæ fervore abrepta, paulò longiùs ſe in hoſtem intulerat, repulſa eſt Burgſteinfortum, amiſſo uno centurione, unáque duodecim circiter equitibus, partim occiſis, partim deditis. Quo in conflictu Marchio de Grana pugnans, fortiter dextrum brachium glande trajectus eſt. Inſequentium impetum ſtitêre Tilliani ſclopetarij. Digeſſit interea Tillius partem copiarum in ordinem, duxitque in hoſtem, qui vitato certamine in vicinam ſylvam ſe dextrè recepit. Exortæ ſub hæc tenebræ. Cùm ergo pronum eſſet incurrere in hoſtium inſidias, & nox viarum anfractus, per anguſtiores præſertim aditus, tegeret; nihil eâ nocte ultrà tentatum. Stetit nihilominus exercitus in acie, donec primo diluculo diei inſequentis in hoſtem ductus, quater venit ad manus, ijs locis, quæ Chriſtiano erant æquiora, vel objectu ſylvarum, vel viarum clauſtris, quæ iſthic regionum ſunt frequentia.

Assequitur in agro Monasteriensi.

XLI.

Ruepij litt. data Loha in ditione Monasterienſi 9. Auguſti 1623.

XLII.

Cùm premeretur hoſtis, ſemel bina tormenta oppoſuit; ſed non niſi ſexies jaculatus pedem continuò retulit, quouſque demum, inſequentium ardore & celeritate coactus, medio inter Ahuſium & Loham campo ſubſtitit: loco nomen eſt Diffendicum haud procul à Statlona civitate. Hic acie inſtructâ, tertiâ circiter poſt meridiem horâ, fortiter cœptum dimicari, omiſſo æneårum machinarum uſu, quibus locandis nullam feſtinatio moram conceſſerat. Primi è Bavaricis pugnam inière turmæ quaternæ alariorum, Holſatica videlicet, Fürſtenbergica, Herberſtorffiana, & Schönenburgica. Subſidio fuêre binæ legiones, Mortagnia, Schmidica, & quingenti Anholtici ſclopetarij, & conflixêre quidem tantâ fortitudine, ut citra omne reliqui exercitûs adminiculum, hoſtem fuderint, ceciderint, fugârint; omnia ipſius tormenta, partémque impedimentorum occupârint. Ex hoſte in acie occubuêre circiter bis mille: longè verò maxima fugientium ſtrages eſt edita, à Croatis præſertim, donec feſſo ex tantâ lanienâ milite, inſtratóque, per longum milliare Germanicum, quaquaverſum agro cæſorum corporibus, cædendi finis fuit.

Praelio vincit profligatque.

XLIII.

E peditatu, rari Chriſtiani Ducis & Kniphuſij fugam ſecuti, & ſylvis paludibúſque abditi, evasêre, & evaſiſſent pauciores, niſi Tillius tot pertæſus funera, per dimiſſos paſſim tubicines juſſiſſet à fundendo ultrà ſanguine abſtineri. Multi paſſim cum ſuis Ductoribus

ribus manipulatim in genua provoluti, ſublatis in cœlum manibus, vitam exorârunt. Ingens fuit captivorum numerus: quinquies mille numerant Boici Commentarij. Dux Chriſtianus cum aliquanto equitatu, in quo fuit junior Comes Turrianus, graviter ſaucius, totâ nocte fugiens per Brefordiam, Arnhemium in Batavorum fines penetravit. In captivorum cenſum venêre Dux Wilhelmus Saxo-Weinmarius, Fridericus Dux Saxo-Altenburgicus: Comites Iſenburgicus ſummus rei tormentariæ Magiſter, Lebenſteinius, Stirumius, Wittingſteinius, Schlickius, Philippus Rheni Comes, equeſtris Ordinis nobilioriſque notæ Tribuni, Pro-Chiliarchæ, Centuriones, Ilarchæ, aliique Ductores, ferè trecenti. Retulêre captivi, multos è gregarijs, qui fame atque labore confecti cæterum agmen per vias feſtinando æquare non poterant, ante prælium, jubentibus præfectis, ſuſpendio fuiſſe enectos. Tormenta, quibus victores potiti ſunt, fuêre majoris modi undecim, mediocris quinque, mortaria quatuor, atque ea quidem tum Brunovicenſibus, tum Batavicis inſignibus notata. Acceptum præterea plurimum bellici inſtrumenti, quod altero poſt pugnam die, pulveris nitrati incendio correptum, nonnullis ex Anholticâ & Herlebergicâ legione, qui pro machinis excubabant aliiſque interemptis, damnum Bavaricis impedimentis non leve intulit. Capta fuêre bina carpenta onuſta pecunijs, equi curules ter mille; referunt aliqui longè plures. Ex Unito-Bavaricis deſiderati ducenti, centum circiter ſauciati, inter quos Comes Wernerus Nepos Tillij. Sanè per hanc victoriam res Catholica magno hoſte liberata, & Acatholicorum ſpes procul fuere rejectæ. XLIV.

Dux Chriſtianus cladem Cniphuſio in acceptis retulit, propéque abfuit, quin datum jam in vincula, damnatúmque ultimo ſupplicio plecteret: ſed impetratis per amicos tridui inducijs, Friderico Henrico Arauſonienſi ſimul exorante, cùm Chriſtiani ira aliquantùm poſuiſſet, vitam, libertatem, gratiam, dignationem priſtinam, imperiúmque militare recepit: ita ſæpe multa fiunt ab irato, quæ à pacato damnantur. Eodem propè tempore haud paulò ferociùs egit unus è Mansfeldicis Tribunis Carpezanus, tam celebris ingenioſiſque fallendi architectus, quàm iræ immodicus. Hic joci impatiens, quò convivæ conjugis ipſius mores vagæ libidinis per riſum inſimulabant, actus in rabiem, miſeram ab epulis in ſuum abreptam contubernium, & per ſacra omnia mariti fidem ſuámque innocentiam obteſtantem, legionarij carnificis ferro furibundus præbuit obtruncandam, eo facto oſtendens, veriſſimè dixiſſe Sapientem, *zelum & furorem viri non parcere in die vindictæ*, & ab inſaniâ propè abeſſe zelotypiam. XLV. Cniphusius periclitatur de vita. Carpezanus uxorem supplicio afficit.

Quantâ animi lætitiâ Urbanus VIII. recens ad ſummum Pontificatum evectus jam memoratæ victoriæ nuntium acceperit, teſtatus eſt litteris ad Maximilianum 5. Cal. Novemb. datis in hæc verba. *Quo enim tempore Cardinalium conſentientium ſuffragia in Vaticano conclavi, nos ad Pontificatum Maximum deducebant, eodem in Germanicis caſtris Catholicarum legionum arma exitiale impietatis caput contuderunt. Vivit Dominus terribilis terræ, quem eodem die Brunſuicenſis ultionum Deum, nos verò patrem miſericordiarum experti ſumus.* Et in aliâ epiſtolâ, quam dedit eodem die ad Maximilianum, ſic eum affatur. *Proin jure potes præter cæteros, nobis Pontificatum maximum gratulari, cujus excercitus univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ tantam lætitiæ ſegetem peperit. Orabimus Patrem miſericordiarum, ut paſtorales noſtras ſolicitudines ejuſmodi nuncijs crebrò conſoletur. Cæterùm quod ad Nobilitatem tuam attinet, te triumphalem Principem & religionis aſſertorem Apoſtolicæ charitatis brachijs complectimur, beneficijs ipſis, ubi per occaſionem licuerit, tibi id gaudium aucturi, quod ex noſtræ dignitatis nuntio cepiſti. Cum autem militaris gloriæ palmam cum Chriſtianæ pietatis laude conjungas, gratiſſimum nobis erit, ſi non ſolùm arma Nobilitatis tuæ Romanæ Religionis ſecuritati conſulant, ſed etiam pia tuarum precum ſuffragia imbecillitati noſtræ cæleſtia parent auxilia: quod à te expectantes, Apoſtolicam benedictionem Nobilitati tuæ amantiſſimè impartimur.* Atque Gratulatio Urbani VIII. Pont. Max. XLVI. XLVII.

hæc quidem de Ducis Chriſtiani Halberſtadij expeditione, nunc ad Mansfeldium Chriſtiano ſupparem veniamus. Hic per id temporis Friſiam Orientalem immenſis exactionibus, depopulatione, alijſque immanitatis exemplis propè redegerat ad incitas. Tillius, devicto Chriſtiano, magnâ belli & hujus anni periculorum parte defunctus, eam occaſionem, Maximiliano authore non negligendam ratus, adoleſcente Septembri, ad Oldenburgum, quæ civitas horæ unius itinere diſtat ab Oldenburgico Comitatu, caſtra poſuit eo conſilio, ut Friſiæ Comitatu & Oldenburgico probè per exploratores inſpectis, ex utroque, ſi quâ fieri poſſet, Mansfeldium exturbaret. Ante omnia rem putavit tentandam eſſe ingenio atque induſtriâ: & ea quidem proceſſura videbatur, ſi tum Egonem Friſiæ Orientalis Comitem, tum Embdanam Rempublicam vel traheret in partes, vel cum Mansfeldio committeret. Quare hortatur utroſque, quorum maximè intererat, continuis Mansfeldij vexationibus expediri, hoſpitem adeò gravem ſuiſque regionibus pernicioſum, vel dent in vincula, vel ſuis finibus eijciant, ſe, ſi uſus fuerit, mox adfuturum auxilio. Sed neutris tantum fuit animi, ut hoc tentarent. Friſiæ Comes ſatis habuit binis navigiis, quæ ſuis prædis Mansfeldius impleverat, apud Embdanos interceptis, relatis in publicum indicem rebus ſingulis, ſignóque & authoritate Civitatis obſeratis, manus injicere. Id dum facit, incidit in grande Mansfeldij odium. Hic enim queſtus privatim atque publicè ſe gravi læſum injuriâ, Egonem hoſtis loco habiturum deinceps profitetur. Embdani paulò animoſiores jam quidem paraverant naves, habebántque in anchoris, quibus annonam omnem commeatúmque Mansfeldio intercipere nt: ſed conſilio interceſſit Batavorum ſolertia, magni id fore periculi aſſerentium & damni, quod in omnem circà regionem redundaret: Mansfeldium longè magis quàm antè ſæviturum, & prolataturum injurias eò fidentiùs, quòd queſturus eſſet, ſe vi fuiſſe irritatum: longè forè convenientius atque tutius, ſi pretio potiùs & emptâ quiete hominem inquietum amoliantur: id ſi nequeat præſtare civitatis ærarium, fœderâtorum opes non defuturas. Placuit ea nundinatio Embdanis. Ergo Batavis interpretibus paciſcuntur cum Mansfeldio trecentis florenorum millibus, ſpondéntque, abituro ſe pontem argenteum ſtraturos. Pecuniam mox repræſentârunt Batavi, ſed eo fœnore, ut quas munitiones Mansfeldius occupârat, diſcedens Batavis cederet. Sic Batavi ab infeſtis mali hoſpitis prædationibus, ſumptu alieno, ſe réſque ſuas inſigni locorum acceſſione auctas, in tuto collocârunt, ſimul inviſum Catholicum exercitum removerunt à ſuis finibus. Tillius per ſe quidem, citra Friſiæ auxilia Mansfeldium haud dubiè fuiſſet per vim aggreſſurus, ſed ubi compertum habuit, eum Stichhuſij, Eſſenæ, Leeræ tot obſeptum munitionibus, & fluminibus objectas moles, quibus ruptis regio ſtagnans poſſet momento inundari, habere in ſuâ poteſtate, ſic ut non niſi cum ingenti diſcrimine poſſet tot vallatus præſidijs (cùm præter hæc liberum haberet per mare ad Batavos effugium) oppugnari, ſatiùs eſſe credidit à tam laborioſo conatu abſtinere, ſat gnarus, auſis temerarijs magnam ſæpe fortunam famámque ſapientiâ ſecundiſque rebus diu quæſitam momento corrumpi.

XLVIII — *Tillius in Friſia Orientali.* — *Incitat Friſios adverſus Mansfeldium.* — XLIX. — *Friſii cum Mansfeldio paciſcuntur.* — L.

Ea propter, adulto jam autumno, motis caſtris, Comitem Anholtium cum aliquot legionibus Monaſterienſi, Oſnabrugenſi, Mindenſi, Lippienſi, Pirmontinæ, & Schamburgicæ ditionibus impoſuit, ipſe verò conſentientibus Cattorum Ordinibus, Mauritio Landgravio perinvito, per Haſſiam Caſſellenſem, perque Marburgenſem, Herſfeldenſem, & Waldecenſem agrum, copiis in ſtativa tributis, Prætoria hiberna Hirsfeldiæ locavit.

Tillius in Hirsfeldia. — LI.

Mansfeldius Friſiorum pecuniâ ditatus, totámque denique depaſtus Friſiam, locuſtarum more, quæ continuâ migratione nova in dies ſingulos paſcua inquirunt, Monaſterienſem Epiſcopatum credidit ſibi fore perquàm opportunum. Eò præmiſit tribunum Limpachium cum legione, juſsitque loca hibernis idonea invadere. Prima omnium tentata eſt Friſoyta, oppidum exiguum haud pro-

Mansfeldius mittit Limpachium in agrum Monaſterienſem.

procul à Monaſterij mœnibus. Ea tenebatur Boico præſidio ducentorum circiter legionariorum. Ergo placuit, deditionem negantibus vim admovere. Et ternis quidem impreſſionibus Limbachius juſſit incurri in obſeſſos, ſed totidem paſſus repulſas rejectus eſt in Olden-Oytam (id pago vicino nomen eſt) ſuppetias iſthic præſtolaturus. Theodoricus Otmarus Erwitus tribunus Friſoytæ, laturus opem, trecentis intra Friſoytæ muros immiſſis, Limbachium fortiter aggreſſus compulit in Pagi ſepulchralem aream muro circummunitam. Ex iſto mortuorum contubernio nequibant commodè eijci ſine vi grandiore. Quare Erwitus unicam muralem machinam, quam ex oppido curârat advehendam, objectis in modum caſtrenſium corbitarum ruſticanorum carris fimo fartis, cœmeterio applicat. Limpachium terruit tam fragoſus mortis fecialis: offert itaque facítque deditionem his legibus, ut Erwito omnia impedimenta, cohortes quindecim, totidémque vexilla traderet, ipſe verò cum univerſis ductoribus libertatem captivitate mutaret. Quæ res Mansfeldio obtigit admodum importuna.

Gesta hæc sub annum exeuntem.

Limpachius profligatur.

LII.

Anholtius interea' nihil feriatus, uſus eſt brumæ beneficio, quâ conglaciârant paſsim Friſiæ latifundia. Aquæ etenim, quas ruptis fluentorum obicibus Mansfeldius immiſerat, latè planiciem inundantes glacie duratæ, præbebant ingreſſum in Mansfeldij ſtativa. In hæc ſæpius feliciter irrupit Anholtius cum Mansfeldicorum clade. Minuebantur paulatim & numero, & animis legiones, quæ Ducis ſui avaritiam pertæſæ, quòd pleraque ſpoliorum ad ſe raperet, & gregarijs paulatim abſque miſſione à Mansfeldij ſignis transfugientibus, indecorem militiam adverſabantur, fiebántque indies infrequentiores. Quamobrem aliquot, ad cæterarum ſupplementum, mutatis ſignis translatæ, cohortes etiam nonnullæ ſacramento ſolutæ, ſe domum, vel ad Gallica ſtipendia recepêre; cæteræ, quibus arridebat militaris licentia, unà cum Mansfeldio non in Weſtphaliâ, quemadmodum ipſe ſibi ſumpſerat, ſed in Batavorum ſolo, contrà ac authores nuperæ cum Friſijs pactionis animo intenderant, aſylum colonis ingratum habuêre.

Mansfeldicus miles diffluit.

LIII.

Daniæ Rex, cui præſens rerum ſtatus, Halberſtadij clades, magníque Catholicorum progreſſus haud leves curas creabant, veritus, ne Inferioris Saxoniæ, cum quâ fœdus inierat, res malè tandem verterent, malúmque in omnes fœderatos longiùs ſerperet, militem ſcribebat magno numero. Ne tamen, antequam juſtum comparâſſet exercitum, Tillius arma moveret, cum Legatione putavit eſſe tentandum. Nondum id temporis Mansfeldius è Friſiâ abierat. Miſſo igitur ad Tillium, Oldenburgi agentem, Henrico Ranzovio, Rex jubet renuntiari, ſibi exoſas eſſe Mansfeldij machinationes, & eum quidem ſe pro hoſte habiturum, ſi Tillius ex iſtis finibus exercitum eduxerit: & quò major dictis foret fides, hoc ipſum Lochhuſius & Detulfus Ranzovius repetitis Regis ſui promiſſis confirmavêre. Tillium quamvis non lateret Daniæ conſilium, haberétque ſatis exploratum, eum, ne ſi quidem etiam vellet, parem adhuc eſſe Mansfeldio; ne tamen ſpreviſſe videretur oblatam amicitiam, explorare voluit vafrum licèt Mansfeldij animum, an pacto quopiam ſine armis prolici poſſet extra Friſiam. Quare ad eum allegat Tribunum Schonbergium virum ſolertem, qui dexteritate inobſervabili, ſi poſſet, in Mansfeldij arcana penetraret. Hoc nempe erat cum annoſâ vulpe vulpinari. Atqui Mansfeldius præ ſe tulit, non gravatè ſe Friſiâ exceſſurum, ſed tot, támque enormes migrationis leges (quæ ars eſt iſtiusmodi negotiationes fruſtrantium) propoſuit, ut nimiùm quantum appareret, ipſum alia omnia quàm abitum cogitare. Inter cætera, & ante quidem omnia, poſcebat præſentanea Ferdinandicorum nummûm ter centena millia. Quamobrem, cùm nihil cum ipſo poſſet confici, Danici Legati domum irriti abiêre, Mansfeldius verò Limbachij clade perculſus, eâ, quam dixi, ratione, conceſſit in Batavorum fines.

Daniæ Rex ſe parat ad bellum.

LIV.

Legatum mittit ad Tillium.

LV.

Atque hæc quidem geſta in Imperio. Cæterùm Cæſari quieto eſſe non licuit

Res geſtæ in Pannonia.

cuit in Pannoniâ. Ipſe inſigni rei Catholicæ ſtudio Concionales Sectarum Præcones, eorúmque ritus atque conventus, exercitiáque univerſa novis edictis è Bohemiâ proſcripſerat, varijs ſedibus aliquot religioſorum hominum familijs
LVI. Pragæ attributis, juſſis inſuper Auſtrijs, Styris, Carinthijs, atque Carniolis, Romano-Catholicæ religionis Sacra ſuſcipere, cùm ecce tibi nova in Hungariâ à Betlemo Gabore tempeſtas. Principes nonnulli Germaniæ, illi renovandi belli authores fuiſſe ferebantur, quò Cæſaris progreſſus, diſtractis in diverſa viribus, ſufflaminarent. In partes ſimul veniebat Turca eo metu, ne Imperator, partâ Germiniæ quiete atque concordiâ, victrices aquilas, totámque belli molem in Ottomannicos verteret. Horum auxilijs, conductiſque magno ære è Scythiâ Tartarorum ſuppetijs, Transſylvanus potentem exercitum contraxerat iſto belli integrandi obtentu, quaſi nuperæ pacis leges minùs integrè à Cæſare ſervarentur. Movens igitur è Transſylvaniâ, Septembri menſe, Thyſam amnem ponte ſternit, & adventu improviſo aliquot Hungariæ oppida opprimit, alia, ut S. Andreæ fanum, Lœvenam præfectorum perfidiâ occupat, ſubjectos paſſim cogit, ſibi, ejurato Ferdinando, ſacramento dicere, Tieffenbachicam legionem fame; Tirnam obſidione ſubigit.

Betlem grassatur in Hungaria.

LVII. Latè mox, ut in re ſubitâ, ínque indefenſis ac nudis à militari potentiâ provincijs, terrorem, direptiones, cædes, Poſonium uſque circumfert. Inde graſſatus in ſecundam Auſtriam, flammâ, ferro, omníque diritate, interceptis aliquot in Moraviâ oppidis, ſævit. Ea rerum erat facies, ut Turrianus velut redivivâ Bohemiæ, cæterarúmque Provinciarum rebellione, jactaret, ſe ipſis Martinalibus, Pragæ, more gentis, anſerem proximè cœnaturum: tam facilè bella malè ſopita, ſpéſque nondum debellatæ reviviſcunt. Ergo Cæſar, ut in vi repentinâ, undique ſubjectos cogit ſub ſigna, militem Bohemicum juxtáque Moravicum, & ſexies mille Cozacos nuper exauctoratos, ſuo ære conductos ſub Comite de Monte Nigro educit ad confinia Hungariæ; ſimul è Germaniâ eodem vocat Colalti Legionem, Pragam firmat novis operibus, exarmat Sectarios, annonam ex agris hoſti ſubductam jubet in urbes, & munitiora loca importari. Comes de Monte Nigro primum hoſtium agmen, quod conſtabat duodecim millibus, retroëgit quidem, ſed cùm quadraginta præterea millia Betlemus junxiſſet, Comes Gœtingam ſe recipere eſt coactus. Venêre interea è Bavaricis copijs Cæſari ſuppetias quatuor equitum (ut vocant) regimina, Pappenheimianum, Furnium, Laurentiomaeſtrium, Granenſe. At Betlemus, adſpiranti

Cæsar exercitum opponit.

LVIII. tantiſper fortunæ vela faciens, Montenigrium commeatu prohibitum, cum parte ſuorum cingit coronâ, quod reliquum erat exercitûs, infundit Moraviæ, Canizium invadit, diripit, Brunæ ſuburbia flammis ſubijcit, in vincula conijcit aliquot colonorum millia, Cæſarianas turbas Olomutio, Iglavio, ſuppetias ſocijs euntes concîdit. Inter hæc Cæſariani ad Gœtingam obſeſſi, ab hoſtium curulibus tormentis, ab internecinâ fame, quæ tormentorum eſt validiſſimum, tentato fruſtra, & cum clade per Wallones effugio, miro Dei auxilio in libertatem fuerunt aſſerti, quod meritò adſcribendum ſingulari Ferdinandi in Deum fiduciæ atque pietati. Betlemus enim panico perculſus terrore, ob rumorem, neſcio quo authore, diſſitum, quaſi ex Imperio ad quadraginta armatorum millia obſeſſis proximè eſſent adfutura, pactus cum ſeminecibus bimeſtres inducias, annonæ ſubvehendæ poteſtatem fecit, & cum Montenigrio de integrandâ pace collocutus, tandem etiam de eâ Legatum miſit ad Cæſarem cum varijs ejuſdem conficiendæ poſtulatis.

Cæsariani obsessi, evadunt.

LIX. Nimirum, ut Oppelienſis & Ratiborienſis Sileſiæ Principatus, quos Cæſar Betlemo ob recens violatas nuperæ pacis leges ademptos, ſuo milite firmaverat, reſtituerentur: addiceretur Transſylvanæ ditioni, quicquid agri montani atque oppidorum Hungariæ & Transſylvaniæ interjacet. Hodierni belli ſumptus refunderentur: Betlemus Proregis, vel Palatini Hungariæ dignitate augeretur: denique horum omnium præſtaretur ſecura fidejuſſio. Cæſar Legatum remiſit, cum mandatis, ut Betlemus Chriſtianos omnes libertati

Betlemus de pace agit.

LX. reſtitueret, dederet omnes rebelles, præſertim Jägerndorffium, Turrianum, Lumpenber-

benbergium; damna Cæſari illata ſarciret, mox excederet Hungariæ finibus, cæterarumque Provinciarum ſubjectarum Cæſari. Demum conventum, ut Betlemus abiret è Moraviâ, unde ſe recepit Tirnaviam, pactis aduſque proximas Aprilis calendas inducijs. Turcæ porrò ab eo diverſi, dum Chriſtianorum captivitate, prædiſque læti, ſed incurioſi ad Nitram amnem conſident, medij inter Nitram Mezámque, à Nicolao Eſterhaſio Hungaro, viro apprimè bellicoſo oppreſſi, fuſi, fugatique fuêre: magnus id temporis Chriſtianorum numerus è vinculis fuit ereptus. Qui eam cladem evaſerant, permulti hoc ſtratagemate deleti fuêre. Credebant ſe Nitram fluvium, per pontem, infra Neodomum, expeditè tutóque transmiſſuros. Verùm Eſterhaſius, explorato eorum itinere, ſubitò pontem, quâ parte oram ulteriorem jungebat, diſſolvit. Turcæ eiusce rei ignari, properè confertímque pontem occupant: ſed cùm ſequentes præcedentibus à tergo efflictim inſtarent, ſolutis & dilapſis infra veſtigia pontis ſublicis, multi præcipites ruerunt in profluentem, cæteri ab incumbentibus Hungaris fuſi, fugati, cæſi, captíque, paucis exceptis, qui vel equorum natatu evaſerunt, vel dum flumen tranant, vorticibus hauſti perierunt; ingentibus ſpolijs, & Chriſtianis, quos ſervituti deſtinaverant, poſt ſe relictis. Supererat tertium Turcarum agmen, quod eâdem felicitate Eſterhaſius profligavit mille ducentis in veſtigio cæſis, multis captis cum opimâ prædâ, & Chriſtianis mille quadringentis, quos aſſeruit in priſtinam libertatem. Reiſſenbergius Comorræ, Breunerus Albæ Regiæ Gubernatores, Eſterhaſij gloriâ, exemplóque ſtimulati, Turcarum globum Albam Regiam contendentem pariter obtriverunt, multis Chriſtianorum à ſervitute liberatis. Serinus item Comes, ſex eorundem palantes centurias internecione delevit. Iſtis cladibus condocefactus Betlemus, cùm Turcarum, qui ſe ad lanienam ductos querebantur, indignationem, ſimul Poloniæ Regis irruptionem metueret, pacem demum cum Cæſare pactus eſt ijs, quas anno proximo recenſebo, legibus.

Turcæ cæduntur. *Neuenheuſel.* LXI. LXII.

In Weſtphaliâ Lipſtadium poſt difficilem obſidionem ab Hiſpanis & Neoburgicis, duce Riedbergico Comite occupatum.

Ad exeuntem hunc annum pertinet Korbacenſium calamitas. Korbacum oppidum eſt bene firmum Waldecenſis ditionis. Oppidani ſuo domino Waldecenſi Comiti ſe præbebant refractarios. Ut eos redigeret in ordinem, à Tillio rogavit auxilium. Ergo ipſis Chriſti naſcentis ferijs aliquot miſſæ à Tillio cohortes, ab oppidanis petivêre contubernia. Aliquanto numero intra mœnia recepto, cæteris excluſis, cives peſſimo conſilio, cùm portas oppeſſulâſſent, concurrunt ad arma. Id ipſum viciſſim Bavaricos in oppidum admiſſos egit in iras. Ergo, effractis portis, ſocios trahunt in periculi & defenſionis ſocietatem. Hinc à furentibus immanis cædes, quâ obtruncati cives, quotquot extra domos reperti in armis, cæteri armamentario, réque domeſticâ ſpoliati, redivêre ad Comitis obſequium, ſuo malo docti, raro bene vertiſſe ijs, qui legitimum dominatum improbis artibus excutere ſtuduiſſent.

Korbaci clades.

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS III.

LIBER IX.

Maximilianus variis adverſariorum conſilijs appetitus, aſſumitur in Septemvirûm Collegium.

An. M. DC. XXIV.

MElchiorem Cardinalem Cleſelium ante ſexennium, imperante Matthiâ, ab aulâ Cæſareâ ſubmotum memoravimus. Hujuſce anni principium ſuis cum facultatibus & patriæ vidit reſtitutum. Cùm enim Romam pridem evocatus, causâque cognitâ Pon-
I. tificio judicio fuiſſet abſolutus, mandata de ejus in integrum reſtitutione Viennam allata fuêre menſe Januario, quibus ſub anathematis interminatione jubebantur per detinentes reddi, quæcunque ipſius res fuerant relatæ in indicem, aliâve ratione interverſæ. Ipſe alternantis fortunæ vices expertus, de cætero ſenſit longè eſſe ſecurius, immo ſanius, intra proprios mediocritatis cancellos rem ſuam quietè curare, quàm intra alienos ſibi ſerere & metere laborioſam, & olim nocituram invidiam.

Comes de Berg movet in Velaviam.

In id temporis incidit Comitis Henrici Montenſis in Velaviam Batavorum regionem expeditio Madriti probata, Bruxellis meditata, & magnam partem adornata. Rigeſcente hieme conflatus fuit è Juliacenſi Ducatu, alijſque circùm locis millium octodecim ſelectorum militum exercitus cum egregio re-
II. rum bello idonearum apparatu. Itum eſt primùm ſecundum Embricam, quam
Duisburg. Rhenus allambit, & occupato expilatóque Bronchorſtio, per Iſalam amnem gelu duratum, haud procul à Druſianâ, copiæ transmiſſæ in Velaviam. Coloni, inobſervatâ irruptione territi, deſertis ſedibus pars ſe réſque ſuas, quà per tempus licuit, in tutiora recepêre, pars per avia deviáque palantes, ſub dio graviſſima paſſi, nonnulli, ætas præſertim tenerior vel annoſior, frigore enecti. Superfuit nihilominus in agro opulento Hiſpanienſibus opima præda. Montenſis Comes, cum potiſſimo equitatu & legionibus, collem Arnhemio vicinum inſedit, diſplosíſque in civitatem machinis, miſit, qui poſcerent ab Arnhemienſibus deditionem. Sed fœderati Belgici rem tempeſtivè odorati, locum validiori præſidio munierant, quàm ut eâ facilitate, algore cæli præſertim obſidentibus rigidiſſimo, manus darent obſeſſi. Quare Henricus, nullâ vi ultrà
III. tentatâ, mutatis caſtris receſſit in pagum, quem Edam vocant. Iſthic cùm mi-

les

les corpora curaret, nocte intempeſtâ, Henricus Arauſionenſis, Tympaniſtas atque Tubicines magno numero circumpoſitos jubet claſſicum canere, non ſecus atque ſi ingens adeſſet exercitus. Quâ re territi Hiſpani, non epulis modò, ſed etiam jumentis quàm multis, coloniſque, quos fecerant captivos, in loco relictis, fugâ ſeſe proripientes, ægrè errore inaníque metu ſoluti ad ſigna ſe colligere. Super hæc nuntiabantur Mauritius atque Henricus Arauſionenſes germani fratres cum Batavicis copijs advolare: annona Montenſem deficiebat, cui, cùm, remittente frigore, hiems glaciéſque propediem ſolvenda videretur, diſjectis tribus ad Candam Iſalæ propugnaculis, incensíſque juxtà geminis navibus, nullo præterea operæ pretio per ſtantem adhuedum glaciem exercitum deportavit. Multi gregariorum eo tentamine malè tecti, obrigeſcentes periêre, alijs naſus, auriculæ, manus, pedes, frigore corrupti. Septiduum tenuit expeditio tanto antè tempore tantiſque rumoribus cum ingenti conſciorum expectatione publicata. Ipſi obfuit fama nimia: ut enim nubes, quæ diuturnos edunt fragores, rarò fulmen emittunt, ſic magna rerum molimina malè celata, plerumque irrito conatu, plus habent rumoris quàm utilitatis. Stratagema Auriaci. Comes Montensis recedit e Velavia.

IV. Actum, atque propè in eo fuiſſe, ut Maria Philippi III. Regis Hiſpaniarum filia, Carolo Walliæ tum Principi, deinde Magno Britanniæ Regi nuptum cederet, ſuperiùs indicavimus. Id quoniam in hunc annum incidit, & nonnihil ſpectat ad cauſam Boicam, juvat hoc loco paulò enucleatiùs deſcribere. Inter cæteras optandæ hujuſce affinitatis cauſas, Angliæ Regem impellebat ſpes magna, fore ut Rex Catholicus conciliatus iſtis nuptijs, Friderici Palatini Comitis patrocinio apud Ferdinandum Cæſarem, pro eâ, quâ plurimùm pollebat, authoritate & gratiâ ſuſcepto, eidem poſtliminij in priſtinam dignitatem poſſeſſionéſque beneficium obtineret: quæ res, ut antè dixi, multis ingentem fecerat pacis Germanicæ, & priſcæ in Britanniâ reſtituendæ religionis exſpectationem: vix enim erat, qui ſibi perſuaderet, proceſſurum id connubium, niſi apud Regem Catholicum Philippum IV. abundè cautum foret ſorori, de Catholicorum Sacrorum, ſi non publicâ omnino & generali, de privatâ ſaltem & longè, quàm aliàs, laxiori apud Anglos libertate, non ſine magno Romanæ Eccleſiæ & avitæ fidei emolumento. Ergo, volente Jacobo Rege, Princeps Walliæ, diſſimulato cultu, adjunctóque Bukingamo Comite, qui tum erat in Regis & Principis Caroli flagrante gratiâ, præcipuâque inter regios miniſtros dignatione; per Galliam profectus eſt Mantuam Carpetanorum. Iſthic regiâ exceptus magnificentiâ, à Philippo, qui venienti in vico publico, fortuiti casûs ſpecie occurrerat, perquam comiter ſalutatus, poſtquam uterque à rhedâ deſilierant, dextrum Regis latus, quæ honoris ſedes eſt, accepit in curru regio. Agitur Madriti de nuptiis Infantæ Hispaniarum cum Carolo Walliæ Principe. Qua causa. V. *Gramond An. 1624 ex Typo Anglicano.*

VI. Transactis poſtmodum geniali lætitiâ diebus, dum expectatur à Romano Pontifice, in ſpem revocandi ad Orthodoxam fidem regni, ineundi matrimonij venia, tabulis conſignantur, probantúrque leges nuptiales, de loco modóque, ritu Catholico contrahendi, de Catholico Infantæ famulitio, de libertate & publico exercitio Romanæ Religionis, de regio ad eam rem Oratorio, uſu Sacramentorum, Diſpenſationum, indulgentiarum, Jubilæorum, aliarum gratiarum, & Catholicarũ concionum, de numero Sacerdotum & aſſiſtentium viginti quatuor, uno Epiſcopo ejúſque Vicario, atque utriuſque juriſdictione, de omnium immunitate à legibus Regni Angliæ ſpectantibus ad religionem, de liberis ab Infante Sereniſſimâ ad decennium usque ut minimum, ne religione quidem exceptâ, educandis, lactandis à Catholicis nutricibus, atque his quidem omnibus, tum Regis Magnæ Britanniæ, & Walliæ Principis juramento, tum omnium regiorum Conſiliariorum chirographo firmandis. Tabulæ Matrimoniales.

VII. Jam Catholicis in Angliâ ad magnas ſpes erectis, jacta erant regiæ Baſilicæ fundamenta; cùm interea Gregorio XV. Sum. Pont. vitâ functo, ab Urbano ſucceſſore gratia legis Pontificiæ fuit expectanda, unde mora negotio. Affecto ergo, ſed nondum confecto connubio, Carolus diſcedit in Angliam, honeſtiſſimâ pompâ, quam Rex ipſe Philippus, geminique ejus fratres Carolus & Ferdinan- Carolus discedit ex Hispania.

nandus abeuntis comites, ſequentibus pleriſque Hiſpanicæ Aulæ Proceribus, mirificè illuſtrârunt ad primum ab urbe lapidem.

Mutat mentem de Hiſpanicis nuptiis.

Vix Angliam attigerat, cùm ſubitò omne Hiſpanici fœderis conſilium disturbatur. Authorem mutationis apud Regem & Principem faciunt nonnulli Bukingamum, & conceptam aliquam in Hiſpaniâ indignationem, aliáſque cauſas, quas poſterorum memoriæ non tradiderunt: Alij Regem Jacobum averſum ajunt per Briſtolium Britannicum in Hiſpaniâ extra ordinem Oratorem, eo comento, quaſi, cùm tentâſſet tabulis connubialibus addere conditionem, quâ ſe Rex Philippus obſtringeret ad petendam urgendámque apud Cæſarem Friderici Comitis Palatini reſtitutionem, vel certè ſuſcipiendas rationes ejuſdem per vim adverſus Ferdinandum Imp. & Maximilianum Electorem extorquendæ; Rex Catholicus, recuſatâ belli cum Britanniæ Rege ſocietate, demonſtrâſſet animum remiſſiorem ad Angliæ comoda, & minùs affectum ad res Palatinas. Quicquid tandem cauſarum interceſſerit, miſerandus infelicis Sponſi poſt annos aliquot exitus, & Chriſtianiſſimi Regis affinitas oſtenderunt, benigna fata, Hiſpaniarum Infantem, Principem optimam, meliori longè ſorti reſervâſſe.

VIII. In Anglia conſilia de reſtituendo Comite Palatino.

Ex iſtâ rerum & animorum mutatione, Regi Britanniæ adhæſit in Hiſpanos offenſio, Regni verò Ordinibus, qui ab Hiſpanicâ affinitate erant alieni, ingens lætitia, quòd Regem tandem cernerent Cæſari & Hiſpanis ſeriò iratum, támque de cætero ſectam religionis Anglicæ, cui ab Hiſpanis nuptijs maximè timebant, laxatâ legum in Catholicos ſeveritate, magnóque, per pacta nuptialia, aperto oſtio fidei Romanæ in Angliâ propagandæ. Qui Friderici Comitis Palatini partes fovebant, eam belli integrandi occaſionem nacti, de ferendis auxilijs conferre capita, magna æris ſubſidia meditari, ſinguli ſuam operam ſymbolámque polliceri, Regem per ſe in generum proclivem ad ſumenda arma impellere.

Comitia Angliæ.

Hæc inter, Comitia per curias indicuntur ad 3. Cal. Martias: datur cum inſigni pompâ conventibus initium à rationibus irritæ Hiſpanicæ negotiationis. Excuſavit inprimis Rex addictam Aulæ Principis Hiſpanicæ ſacrorum libertatem. Ex eâ enim permultis altè inſederat opinio, quaſi Rex in Romanam fidem inclinaret. Ergo, ut eam ſuſpicionum labem abſtergat, inſtaurat, acuitque duras in Catholicos ſanctiones, placaturus mactatâ piorum incolumitate Calviniſtarum iras. Ergo proſcripti ex omni Angliâ, Scotiâ, Hibernia religioſi univerſi, quod fuit primum reconciliandæ Procerum gratiæ libamentum. Alterũ fuit, ultimis exemplis devovere Palatinam proſcriptionem, abdicationem, ſucceſſionem Bavari excitare, comiſerationem affliƈtiſſimi Regij Generi, inopis Filiæ, exulantium Nepotum, Britannici videlicet ſanguinis, cujus honor & fortuna reſpicerent ſtudia, decúſque totius nationis.

IX. Rex leges renovat contra Catholicos.

Status Regni ſubſidia ad bellum decernunt.

Nunquam majore alacritate Britanno Regi in bellum addicta validiora ſubſidia. Prævivit in liberalia promiſſa Princeps Walliæ pollicitus decem armatorum millia. Scotia vovit totidem, Anglia plura ſextuplo; ſi dictis reſponderent facta, mox in acie ſtetiſſent octoginta ſelectiſſimorum virorum millia cum exquiſito apparatu & promptis ſtipendijs. Decernitur ſuper hæc claſſis valida, exarmantur toto Regno Catholici, expeditionis Palatinæ deſignantur Archiſtrategi Mansfeldius, & Chriſtianus Dux Brunſvicius: cauſæ infelicis longè infeliciſſimi patroni. Pòſt paulò cernemus, hæc omnia uno quaſi adverſi numinis flatu diſſipata, vix quicquam ultra inania terriculamentorum ludibria, quæ Deus poſiturus erat velut ſtipulam ante faciem venti, peperiſſe; tametſi potentiſſimorum fœderum acceſſione niterentur. Nam pactis Hiſpanicæ affinitatis reſciſſis, Princeps Walliæ inijt cum Henriettâ Mariâ Henrici Magni Regis Chriſtianiſſimi filiâ nuptias, prono Ludovici XIII. Franciæ item Regis Henriettæ fratris aſſenſu, haud multò diverſis legibus, quàm fuerant illæ Hiſpanico matrimonio conceptæ. Hinc natum fœdus inter Gallum & Anglum, cui dedêre nomen Allobrogum Regulus, Veneta Reſpublica, Helvetij, tum pro Tellinæ Vallis libertate, tum Palatinatûs vindicatione, his ferè conditionibus: *Fœdus*

Fœdus Regum et Principum, pro Friderico Com. Palatino.

hoc

hoc per Legatos Cæſari Regique Catholico denuntiator, quò nôrint, fore ut, niſi ſponte
Valli Tellinæ ſua libertas, Palatinæ Domui priſtina dignitas poſſeſſionéſque reddantur, XI.
armis vindicentur. Pontifici Maximo liberum eſto intra certum tempus ad hoc fœdus
tranſire, ſi id infra bimeſtre petierit, idque pro Pontificiæ authoritatis & Eccleſiaſtica-
rum poſſeſſionum incolumitate. Eadem eſto optio Magno Duci Hetruriæ, pro ſecuritate
maritimorum portuum. Rex Franciæ peditum viginti quinque, equitum quatuor mil-
lia in Italiam expedito: habeto præterea viginti quatuor triremes & naves quadragin-
ta apud Maſſiliam in anchoris, ad arcendas, cùm uſus fuerit, Hiſpanorum excurſiones.
Dux Sabaudiæ quinque peditum millia, mille quingentos alarios conferto. Veneti decies
mille legionarios, equites bis mille adijciunto unà cum claſſe in Mari Adriatico ad in-
vadendam Apuliam. Magnæ Britanniæ Rex centenarum navium claſſe fretum Hercule-
um aggreditor: duodecim peditum, duo equitum millia habeto ſub ſignis, quoûſque erunt
uſui ad Palatinatûs recuperationem. Si Mediolanenſis Ducatus expugnabitur, juxta Hen-
rici IV. Galliarum Regis diſtributionem diſpenſator; ſi quæ naſcantur controverſiæ, Sum. XII.
Pontificis arbitrio finiuntor: Sabaudicæ & Mantuanæ lites arbitris committuntor. Gal-
liæ Rex & Veneti ad Palatini reſtitutionem ſumptum juxtà ac militem præſtanto. Qui
Principes deinceps volent, huic fœderi aſſociantor. Sic Friderici Comitis Palatini cau-
ſâ Europæos paſſim Dominatus accendebat, ſcindebátque in partes: verbo, im-
manis in ſpeciem procella parabatur Maximiliano, unáque Domui Auſtriacæ.
Videndum deinceps, quorſum eruperit. Rara fœderum fides, rarior conſtantia,
cùm privatâ ſingulorum utilitate affectúve ſanciuntur, quod glutinum minimè
firmum eſt atque diuturnum: dum enim curantur ea, quæ ſunt ſingulorum, ne-
gliguntur, quæ ſunt omnium, exiſtúntque faciles offenſiones, peſtes amicitiæ, quæ
vinculum eſt omnis veræ ſocietatis: præterquam quòd caſus ſunt innumeri, qui-
bus hujusmodi nexus diſſolvuntur, vel parùm adferunt emolumenti. Rem pla-
nam faciet ordo narrationis. Mansfeldio juxtà ac Brunovicenſi, mox in limine XIII.
delatorum munerum, fortuna ſe iratam oſtendit, niſi id malis ex vero ad divi-
nam iram referre. Mansfeldius, acceptis à Jacobo Rege litteris, extemplo per
Galliam cum numeroſâ Tribunorum, aliorúmque medij nominis Ductorum tur-
bâ, properavit ad Batavos: Fliſſingæ conſcendit vela facturus in Angliam. Vix MANSFEL-
provectus erat in altum, cùm Navarchi inertiâ navis, quâ vehebatur, impacta in DII NAUFRA-
cautes ſolvitur, ſubſiditque. Mansfeldio ſaluti fuit lembus proximus, quo ſe, pri- GIUM.
moréſque Tribunos, & cariores codicillos ſubduxit naufragio. Mari hauſti ſunt
vectores centum viginti octo: hauſta omnis Mansfeldij ſupellex cujuscunque
generis & pretij, geminæ auro ſignato fartæ arculæ: grandis jactura rerum non
optimis artibus partarum. Ipſe nihilominus in Anglicum navigium, quod ſors XIV.
dedit obvium, è lintre ſuſceptus, exſcendit in Angliam, ubí, velut magnis dein- EVADIT IN
ceps rebus ſervatus, perhonorificè fuit à Rege exceptus, deſtinatúsque ad ſpes ANGLIAM.
maximas. Exercitui præfectus, ex Anglia ſolvit, cum copijs, quas trecentis ha-
buit navibus impoſitas, unà cum annonâ, bellicóque cujusmodicumque inſtru- REDIT IN
mento: deportatur in Selandiam, vectoréſque in Fliſſingenſi portu exponit cum BATAVIAM.
ſarcinis: cætera mox videbimus.

Chriſtiano Duci futuri eventûs hoc fuit ominoſum. Scripſerat in Galliâ ferè DELECTUS
bis mille tum pedites, tum alarios, quos è portu Caletenſi transveheret in Bata- DUCIS
vos: diffugerant aliqui à ſignis, ſive expeditionem exoſi, ſive genio gentis, quæ CHRISTIA-
ægrè patrios limites egreditur. Reliqui mox ut ſublatis anchoris vela fecerant, NI.
tam fœdis ventorum procellis fuêre excepti, ut à plurimis retro annis nulla exta-
ret memoria tam fœdæ in freto Caletano tempeſtatis. Reflante enim Boreâ XV.
fluctus ſuos egreſſi terminos, vaſto continentis æquori incubuere, magno colo- EXCIPITUR
norum metu. Naves, quæ tempeſtivè periculum non evaſerant, omnes diffra- TEMPESTA-
ctæ, demerſæ: pedites, ſimul equites cum jumentis plerique aquis abſorpti, pau- TE.
ci nando maris ſævitiam effugerunt.

Suis interea partibus non deerat Fridericus Com. Palat. quà precibus ſoli- FRIDERICUS COM. PAL.
citando Laicos Imperij Electores, aliſóque Principes, quà jura legéſque obteſtan- REM SUAM AGIT APUD
do ELECTORES.

XVI. do, rogandóque, ne Maximilianum Bavarum in Auguſtale Collegium admitterent. Querebatur inſuper, Moguntinenſem Electorem Stradam montanam (ea regioni nomenclatio) invaſiſſe Palatinis olim pignoris nexu mancipatam: verbo (quod naufragis familiare eſt) prenſabat vocabátque in vota, quicquid præſentis fortunæ ratio ſuggerebat. Ejuſce argumenti dedit varias litteras, ad Saxoniæ præſertim & Brandeburgi Septemviros: dedit item ad Ducem Wirtenbergiæ, precatus, ut, quod ſe facturum receperat, pacis cum Cæſare & Maximiliano componendæ medium ageret interpretem, vel ijs conditionibus, quas à Franciſco de Rotâ Capucino, Hagæ Comitis ſe audiſſe ferebat. Aliquid ſimile actum ab aliquo religioſo viro, Cæſare & Bavaro inſcijs, ſuppreſſo agentis nomine refert Caraffa Nuncius Apoſtolicus in ſuis Commentarijs. Habuêre etiam novi fœderis Principes de re communi Hagæ Comitis frequens Comitium, cui interfuêre Betlemi Gaboris Legati. Omnium vota Domûs Auſtriacæ æmulatione & Palatinæ reſtitutionis ſtudio incenſa. Et erat plerisque Maximiliani Bavari fortuna inviſa.

Et Ducem Wirtenbergiæ.

XVII. Comitium Fœderatorum pro Friderico Com. Pal.

Cæterùm cùm futuri belli fama Cæſarem, Hiſpaniæ Regem, Bavarum, & Catholicæ Unionis fœderatos minimè lateret, laborârunt pro viribus ſinguli, ut à Mansfeldij irruptionibus Belgium, Palatinatûs loca alia tuta haberentur. Suas ergo copias auxit Rex Hiſpaniæ viginti armatorum millibus, accepto item ab hæreditarijs regnis ingenti paratæ pecuniæ ſubſidio: Cæſar veteranis legionibus juſta legit ſupplementa: Catholici Principes Germanici Imperij contulêre vim pecuniæ non contemnendam: Maximilianus, cujus cauſa agebatur, omnium maximè de exercitu augendo, cæteróque belli apparatu fuit ſollicitus. Commodùm accidit, ut, cùm induciæ cum Tranſſylvano nuper factæ ad exitum tenderent, petente Betlemo, ad Cal. Majas proferrentur, quò ſecuriùs pacatiúsque de pace poſſet tractari. Pacem quidem diſſuadebat Eſterhaſius, quâ erat animi magnitudine & odio in Betlemum, cui affirmabat fidem haberi non poſſe, quippe qui recens Baſſam Budenſem incitâſſet adverſus Cæſarem, exſpectarétque è Thraciâ delectus Turcicos; è Wallachiâ, Moldaviâ, ingentes copias, nováque à Tartaris auxilia. Sed Hungariæ contrà Proceres, ipſéque Palatinus Regni Prorex, pacem urgere, bellum deprecari, averſari imminentia à Betlemo diſcrimina, vereri, ne is firmatus octo Germanorum millibus, qui plerique in Sileſia à ſignis dimiſſi ad ipſum confluxerant, aliarúmque nationum auxilio, rurſus in Hungariam irrumperet. Quamobrem Cæſar menſe Majo Betlemi Legatos in ſuum conſpectum admiſit, qui poſt tridui tractationem has pacis leges accepêre: ut

Novi Catholicorum delectus.

Induciæ cum Tranſſylvano producuntur.

XVIII. Cum eo de Pace agitur.

XIX. Pacis conditiones.

Betlemus in poſterum titulo, ſigillo, adminiſtratione Regni Hungariæ, omni item adverſus Cæſaream Majeſtatem, ejúſque ſubditos hoſtilitate, fœderibus, conſiliisque in eam rebellantium prorſus abſtineret: ſi ex prioribus pactis quid dubij, aut controverſiæ naſceretur, id non armis decernere, ſed amicâ tractatione liceret. Ne Tartaros Turcáſve ullo prætextu aut arte ad frangendam pacem incitaret: omnes captivi, citra lytrum, utrinque libertate donarentur: omni ope atq; operâ in Turcicam captivitatem abductis ſuperiore bello conaretur gratuitam libertatem obtinere: Cæſari reſtitueret omnia nupero tumultu ablata: Præfecti ſacramenti eidem dicti obligatione forent ſoluti: redderet priſtinis dominis bona Humanaica, Doziana, Forgatſchiana: potiretur, quoad foret in vivis, titulo Principis Tranſſylvaniæ & S. Rom. Imperij, atque Ducis Oppelienſis & Ratiborienſis. Addita fuerunt aliæ minoris momenti conditiones, quas longum nimis eſſet recenſere.

XX. Cauſa Ludovici Landgravii in Mauritium.

Inter hæc gnaviter agebatur de Ludovico Fideli Darmſtadio, ex decreto latæ nuper à Cæſare ſententiæ, in Marburgenſis ditionis poſſeſſionem inducendo. Mauritius Haſſiæ Landgravius, qui causâ ceciderat, accepto à Colonienſi & Saxone Septemviris proximæ executionis diplomate, aliique unà Haſſiæ Caſſellenſis Principes, ægrè admodum ferebant eam ſententiam. Ne verò per vim aliquam, Cæſaris & executorum voluntati obſiſterent, prohibebat Boicus exerci-

exercitus, qui hibernabat in Haſſiâ. Non tenuit tamen ſe Wilhelmus, Mauritij Haſſi filius natu maximus, quin ſcriptis ad utrumque Executorem litteris, & provocatione ad Cæſ. Majeſtatem interpoſitâ, comperendinationem flagitaret, eò maximè, quòd tum ipſe, tum quinque ejus fratres ætate minores inauditi, ſuo jure non forent exuendi. Verùm eo juſſo acquieſcere, atque hoc ipſum Parenti perſuadere; vertente Martio, Executorum Legati, inter quos pro Colonienſi Electore fuère Mortagnius rei tormentariæ in exercitu Bavarico Magiſter, & Baro Joannes Chriſtophorus Rupius Commiſſarius Generalis, præſentibus Darmſtadianis conſiliarijs, Provinciæ item Darmſtadianæ proceribus, civitates, præfectósque in verba Ludovici Fidelis juratos audierunt Marburgi, móxque Ludovicus cum illuſtri comitatu ingreſſus, proſcripto Calviniſmo, Lutheraniſmum, pronis ad eam mutationem ſubditis, imperavit. Atque hinc quidem (tametſi Caſſellenſes alioqui antea in Cæſarem minùs eſſent affecti) graves in poſterum motus nati ſunt & perturbationes. DEFINITUR. XXI.

Sed neque adhuc ſatis erat compoſitus Saxoniæ Septemviri animus, ægrè ferentis, Maximilianum Bavariæ Ducem, Ratiſbonæ anno ſuperiore, Sac. Rom. Imp. Electorem, Friderico Comite Palatino abdicato, fuiſſe creatum. Ex eodem fonte in Bavaricæ Domûs æmulis gliſcebant diverſi ſenſus, alienationes, ſimultates, vel remiſſius ſaltem in Cæſarem & Bavarum ſtudium. Joannes Swicardus Moguntinus Elector, ne malum longiùs ſerperet, Septemviri Saxonis indignationem ſibi ſumpſit deliniendam. Jam ultro citróque eâ de re litteræ humanitatis atque benevolentiæ pleniſſimæ interceſſerant, eo fructu, ut Saxo juſti ac recti amans tenáxque, detersâ aliquantum offenſione minùs videretur à Maximiliani dignitate, & integrandâ amicitiâ alienus. Quamobrem dies locúſque dictus colloquio. Nunquam faciliùs res etiam maximas Principes componunt, quàm quando mutuo ſermone mitigantur. Eſt quædam in ipſis generoſitas víſque excellens rationis, quæ eos non patitur, more inferioris ſortis hominum, de minutulis inutilibusque rerum apicibus contendere, vel rigidè omnem juris alieni modum averſari. Igitur conveniendi locus conſenſu delectus Fluſſinga, quæ arx eſt in Comitatu Henneburgico. Eò profecti devexâ jam ætate Moguntinus, & Saxo Septemviri: nomine Maximiliani (quem, re nondum ſatis diſpoſitâ, non conveniebat intereſſe colloquio) Ludovicus Fidelis, & Comes Tillius. Adfuère etiam Dux Saxo-Coburgicus, gemini fratres Birckenfeldici Principes, Hiſpaniarum Regis, & Herbipolenſes atque Bambergenſes Legati. Ludovicus erat charus Saxoni ob immotam in Cæſaris obſequio conſtantiam, probatámque nuper in tractandâ Maximiliani causâ modeſtiam & probitatem. Idem ſuſpiciebat Tillij canam ſapientiam, animi magnitudinem, felicitatem, & pietatem: & quod caput erat (ut ſimilitudo geniorum & inclinationum efficax eſt benevolentiæ conciliatrix) in paucis obſervabat Joannem Swicardum Principem Germani pectoris, veracem, doli omnis expertem. Ergo ventum eſt in rem propoſitam. Utique Cæſari non eſſe vertendum vitio, quòd uſus jure ſuo, Septemviratum delicto commiſſum, Catholicorum Electorum conſenſu, qui Comitio Ratiſbonenſi aderant, Principi meritiſſimo contulerit. Id non eò factum, ut ægrè fieret abſentibus, eorúmve vota pro Palatinorum defenſione negligerentur, ſed ne Collegium Septemvirûm diutiùs uno Electore orbaretur, néve in poſterum jura Imperij, aut Cæſarea Majeſtas per impunitatis exempla, quæ pronis ſtudijs in ſequiorem partem rapiuntur, vileſceret. Friderici Comitis Palatini delicta initio gravia, ab Electoribus in Mulhuſino Conventu dignâ cenſurâ fuiſſe notata; ſed ea progreſſu temporis in majus excreviſſe. Recoleret Saxoniæ Septemvir memoriâ Saxonicæ Domûs non peregrinum neq; vetuſtum, ſed recens ac domeſticum in causâ ſimillimâ quaſi geminum exemplum: ſanè nihil eſſe, cur conveniat Palatinos Saxonibus haberi jure locóve potiore. Abdicationem Saxonicam reſignatione quidem præviâ Ducis Joannis Friderici fuiſſe ſuſceptam; ſed eam tanquam debitam, quámque reſignans jure non inter- XXIV.

OFFENSIO SAXONIÆ SEPTEMVIRI DELINITUR A MOGUNTINO. XXII. XXIII. CAUSA ABDICATI COMITIS PALATINI.

mitteret, à Cæſare fuiſſe imperatam, & parendi neceſſitate expreſſam, non autem ſpontaneam aut arbitrariam; quanquam fuerit obſequendi ſtudio longè laudabilior, quàm continua Friderici repugnantia: in cujus causâ non ſit attendendum, quid facere recuſet, ſed quid non recuſare, & lege facere debeat. Novam eſſe culpam, detrectare juſta Cæſaris imperia, quæ citra noxam negligi non poſſunt. Quòd ſi aſſenſus puniendorum ad pœnas infligendas ſit expectandus; ſi in re manifeſtâ ſit neceſſaria reorum confeſſio, quando tandem Juſtitiæ manus erunt ſolutæ? quorſum erit facinorum evidentia, & perſeverans audacia, quarum illa oculos Judicum illuſtrat, hæc provocat vindictam. Naturæ, quæ ſui quàm recti eſt appetentior, nunquam deeſſe effugia, ſed neque legibus & rectæ rationi ſua præſidia. Gratis cum expoſtulare, quòd cauſam pro tribunali non dixerit,

XXV. quem Cæſar, quem Electores, quem manifeſta permanénſque peccandi licentia damnavêre. Miſeram quidem hodie eſſe Friderici Com. Palat. fortunam, ſed parùm miſerabilem, quippe qui ipſe, ſciens, volens, adverſantibus amicorum omnium (neque enim amici cenſendi ſunt, qui exilij ipſius ſint auctores) conſilijs Anglicis, Saxonicis, Bavaricis; alijs magnorum Principum reclamantibus dehortationibus, ſibi fabricavit, quámque etiamnum nullâ melioris frugis demonſtratione, ſed continuatis rerum publicè noxiarum molitionibus non ceſſet exaggerare. Vertitur ignoſcentis clementia in ipſius contemptum & damnum

XXVI. commune, quando delinquens & palàm peccat, & perſeverat obeſſe. Hoc etiam intereſſe inter Ducem Joannem Fridericum, & Fridericum Comitem Palatinum, quòd hujus factum ſit enormius, duratione & multiplicitate patentius, damno publico nocentius. Joannem Fridericum nullas Cæſari Provincias, nullum Regnum, nullam coronam ademiſſe: breves fuiſſe ejus conatus, petiviſſe alienâ inductione, quæ in fraudem inductus credebat debere concedi, parùm publico, multùm ſibi nocuiſſe, culpam agnoviſſe, & ſeriò fuiſſe deprecatum. E diverſo Fridericum Com. Palat. Supremum Orbis caput violâſſe, Regi diadema regnúmque detraxiſſe, rebellionem in Regem foviſſe, conſilijs aluiſſe, ſubſidijs promoviſſe, armis protexiſſe, aliquot annorum, cruentis bellis deformâſſe Germaniam, æquas reconciliationi leges repudiâſſe obtruiſſe indignas pro ſuo arbitrio, & quod caput eſt, iſtorum facinorum magnitudinem augere indies, nedum culpam pœnæve modum minuere.

Comparantur cauſæ Comitis Palatini et Ioannis Friderici Saxonis.

XXVII. Verum quidem, quòd Septemviratus Saxonicus non migrârit in alienam Domum aut ſtirpem extraneam: ſed nec Palatinum Electoratum mutâſſe ſtirpem, aut primævam Domum, cùm tam Bavarici, quàm Palatini eoſdem prorſus habeant ex unâ ſtirpe progenitores. Atque in eo quidem nuperam translationem videri aliquo juris adminiculo inſigniter eminere; quòd Septemviratus à primâ ſui origine Bavaricus, poſtliminio reverterit ad priſtinos poſſeſſores, à quibus fuerat per injuriam avulſus, adverſus pacta conventa quæ inter gemina totius familiæ capita legitimâ Papienſis transactionis conſenſione coaluerant. Atque hanc quidem eſſe ſpinam, hos aculeos, qui Comitum Palatinorum animos malæ fidei conſcientiâ perpetuò fodicaverint, hanc pactorum notitiam, iſtas translationis tabulas continuò arguiſſe juris alieni uſurpationem: id malæ fidei vitium transmiſſum ad poſteros unà cum univerſali (ut vocant) hæreditate, omnis præſcriptionis modum damnâſſe, ſuſtuliſſe. Non potuiſſe Bullam auream, nullâ extante causâ, nullâ adhibitâ juris Bavarici cognitione jus alienum auferre. Rupertum Comitem Palat. ſeniorem cum Ludovico Bavaro Imperatore transegiſſe, & ſanxiſſe juramento Electivi juris alternationem & legem, quam tranſigentes mutuo conſenſu firmârunt eâ

Cur Electoratus translatus ſit in Maximilianum. *Vid. Burgund. in Electoratu Bavar.*

XXIIX. conditione, ut, quæ pars, violatâ alternativi juris pactione, à transactione deſciſceret, eadem hoc ipſo omni eligendi Cæſaris jure, citra aliam judicij formam, excideret: at verò in confeſſo eſſe, Rupertum eam pactionem violâſſe, & ex conſequenti reipsâ jus omne eligendi amiſiſſe. Rupertum ſeniorem ſucceſſorem habuiſſe Rupertum juniorem Adolphi fratris filium; & hunc quoque malam

lam fidem prodidiſſe, quando de legitimâ tutelâ cum patruo convenit. Huic ſucceſſiſſe Rupertum Imperatorem, ſed & hunc unà cum Patre patruóque ſupradictæ pactioni interveniſſe, & tametſi non interveniſſent, malam tamen fidem deſcendiſſe in ſucceſſorem univerſalem. Electoratum deinde excepiſſe Ruperti filium Ludovicum, & illum quidem eſſe, qui à Sigiſmundo Imperatore confirmationem poſtulavit, atque eo ipſo malæ fidei veſtigia impreſſiſſe. Electoratum poſtea uſurpâſſe Ludovicum filium, & ad eum paternam malam fidem cum hæreditate fuiſſe devolutam: & hos quidem omnes, vel ſuo, vel paterno vitio continenter laborâſſe uſque ad Maximiliani Cæſaris ætatem, & per conſequens nullo modo præſcripſiſſe, nec potuiſſe niti auctoritate Bullæ Aureæ, quæ, Cuſpiniano teſte, Ruperti Imperatoris tempore nondum erat rata, nec confirmata, ideóque Palatinos, cùm ei diffiderent, ad tot cautiones, & petitas ſuæ poſſeſſionis confirmationes confugiſſe, & habuiſſe conſcientiam rei alienæ, atque per conſequens malæ fidei fuiſſe poſſeſſores. XXIX.

Comitibus Palatinis non prodest Bulla aurea.

Sed neq; quietam fuiſſe eorum poſſeſſionem: Bavaros enim aſſiduè reclamâſſe, fuiſſe obteſtatos ſuas eſſe vices Electionis, ſecundum Papienſem transactionem: non fuiſſe quidem Palatinorum interruptam poſſeſſionem, ſed eam non habuiſſe vim niſi meræ uſurpationis, eò quòd Bavari, tametſi quàm maximè vellent, illam nequiverint interrumpere. Nam id tentare vi & armis, fas non erat: viam juris fuiſſe occluſam: Spirenſem Cameram id temporis nondum caput extuliſſe ſupra Principes, nec fuiſſe compoſita judicia ad hujus ſæculi tranquillitatem, illam Curiam, illud commune juris aſylum à Maximiliano Cæſare demum fuiſſe apertum, ubi legum adminiſtri & interpretes ſine metu potentiorum, ſine perſonarum reſpectu, apertis januis, unumquemque ad querelam admitterent: antea aliam fuiſſe juſtitiæ faciem. Principia controverſiarum delata fuiſſe ad Imperatores, qui cauſas cognoſcebant ipſi, qui judicabant, qui arbitrabantur. A nullo Imperatorum Bavaros jus ſuum interea ſperare potuiſſe. Carolum IV. hoſtem fuiſſe & profeſſum quidem: Wenceslaum patre fuiſſe longè deteriorem, & hæreditario Bavarorum odio imbutum: Rupertum fuiſſe Palatinum, eóque adverſarium, cujus ipſius cauſa agebatur, quique contrà nunquam tuliſſet ſententiam: Sigiſmundus patria acta erubuiſſet reſcindere, & ipſe Palatinis confirmationem indulſerat, eóque præjudicio Bavaros inauditos damnaverat. Tempus Bavaris tot modis impeditis non currebat: non procedebat ergo præſcriptio. Ubi nuper venêre Imperatores æquiores Fridericus & Maximilianus, tum Bavaros, poſitâ formidine, non ſe continuiſſe intra proteſtationum cancellos, ſed petiviſſe admitti ad Electoratûs inveſtituram, & admiſſos quidem fuiſſe ad ſimultaneam, ídque abſolutè nullâ habitâ Bullæ Aureæ ratione. Hoc ipſo redditam eſſe ipſorum conditionem omnino parem, eóque factum, ut, durante etiam lineâ Palatinâ, Bavari Electoratûs compotes cenſerentur. Maximiliano Imperatori ſucceſſiſſe Carolum V. & eum quidem, cùm publicis negotijs diſtrictus, huiusce cauſæ cognitioni, aliiſque permultis dare non poſſet operam, neque adhucdum appareret modus rei componendæ, Palatino quidem impertiviſſe inveſtituram, ſed reſcripto Cæſareo, quod extat in Archivo Bavariæ, ſic caviſſe juri Bavarico, ut vellet manere integrum atque illæſum, nec quicquam præjudicij ab inveſtiturâ Palatinâ accipere. Sic frenato curſu præſcriptionis actionem, juríſque perſequendi poteſtatem Bavaricis fuiſſe perpetuatam. Hiſce, aliiſque id generis argumentis, quæ longè diffuſiùs ab idoneis authoribus fuêre tractata, mirum non eſſe ſi Ferdinandus II. fuerit adductus, ut Maximiliani Bavari merita, atque perſonam potiùs, quàm alterius cujusvis reſpiceret. Nam præter Domûs ſuæ jura, pro eo certâſſe ingentia in Imperium, publicámque ſalutem benefacta: & cum ſanè, quonam ſit in Saxoniæ Electorem amore & obſervantiâ, tum nuperis litteris ſatis eſſe conteſtatum, tum hoc ipſo conventu velle conteſtari. Ut hæc omnia ſileantur, attamen dubitari non poſſe, quin Saxoniæ Elector Imperij & Germanicæ ſalutis amantiſſimus, boni publici habeat, & habiturus

Comitum Palatinorum inquieta poſſeſſio. XXX

Bavari impediti abs recuperanda poſſeſſione.

In ſos male affecti Imperatores. XXXI.

XXXII.

Cauſam egerunt apud Carolum V. *An. M. D. LIV.*

XXXIII.

Merita Maximiliani.

rus ſit ſemper ſingularem rationem. Id porrò hodie in eo verti, ut Electores ſacræ Rom. Imperij columnæ, cum Imperatore velut ſincera, præcipuáque membra, cum ſuo capite juncta conſpirent, uno animo curas omnes, induſtriam ac labores ad ſuſtinendam Imperij dignitatem, & eliminandas tot publicorum malorum cauſas conferant. Sapientiæ, moderationis, cæterarúmque virtutum laudem Maximiliano ſine injuriâ detrahi non poſſe, eum proinde Auguſtali Ele-

XXXIV. ctorum Collegio certè non fore indecorem. Penes ipſum eſſe opes, arma, potentiam, quibus non niſi pro communi ſalute ſit unquam uſurus. Cæſarem, ut collatæ in ipſum dignitatis ſententiam mutet, adduci non poſſe; ut eâ ſe Maximilianus ſponte exuat, magis eſſe indecorum, quàm ut à quoquam poſſit prudenter ſuaderi. Totam Imperij machinam eâ cauſâ concuti novis motibus, non eſſe enimvero conſultum; jam alioqui ſat eſſe malorum ex civilibus diſcordijs. Hactenus Saxoniæ Septemviri fidem in Cæſarem ſtetiſſe immotam, ſperare porrò, atque petere Sac. Cæſ. Majeſtatem, ne in cauſâ tam juſtâ, atque in gratiam Principis de Repub. malè meriti, antiquæ benevolentiæ quicquam velit

XXXV. detrahere. Quòd ſi Electorum vota cum Imperatoris judicio conſpirent, fieri poſſe propediem, ut Comes Palatinus ſpe recuperandi Electoratûs amiſsâ, deſcendat ad æquiora conſilia, quæ longè minùs abſint ab inſtaurandâ Germaniæ tranquillitate. Maximiliano nihil æquè in votis eſſe, quàm ut rebus ipſis benevolentiſsimum animum in omnes Electores, Saxonem præſertim poſsit conteſtari, & omnem adeptæ dignitatis fructum communi patriæ & Imperij incolumitati impendere.

SAXONIÆ SEPTEMVIR COMPONITUR.

His ferè rationibus motus Saxoniæ Septemvir, actis gratijs, perhonorificè de Cæſare, ejúſque judicio, déque Maximiliano, cum inſigni moderatione locutus, oſtendit nullam deinceps moram tam ſalutari negotio à ſe futuram: nihil ſibi eſſe aut fuiſſe unquam potius Cæſaris obſequio & auctoritate, nihil optatius ſalute Imperij. Omnino ſibi gratum fore, Maximiliani Bavariæ Ducis in Auguſtali Collegio conſortium, conſeſſum, vota, ſocietatem, rerúmque agendarum communionem. Proinde ſe Cæſari de integrando Collegio per Maximiliani acceſſionem (quod Deus bene vertat, jubeátque feliciter evenire) aſſentiri.

DAT TITULUM ELECTORIS MAXIMILIANO.

Quamobrem ex eo die, quod antè nondum fecerat, Maximilianum titulo & honore Electoris coluit, &, qui ferè nationis mos eſt, ſuper menſam, convivis magnæ dignitatis, quos epulis adhibuerat, in ſanitatem Maximiliani Bavariæ Electoris, ſui inpoſterum fratris ac Collegæ aureum craterem prælibavit, voluítque ſuo exemplo ebibi à ſingulis.

XXXVI. Ea ſinceritas ſic affecit Cæſaris animum, ut ejus accepto nuntio, illico Fridericum Altenburgicum, Guilielmum Winmarienſem, alióſque Saxoniæ Duces, condonatâ captivitate, in quam nupero prælio victi devenerant, Saxoniæ Septemviro remiſerit.

DUCES SAXONIÆ CAPTIVI A CÆSARE LIBERTATI REDDUNTUR.

Nec defuit ſuis partibus Maximilianus, quin non modò gratum in Saxoniæ Electorem, ſed in Moguntinum, & Fidelem Ludovicum teſtaretur animum, quorum ſapientiâ res tam felicem habuiſſet exitum.

MAXIMILIANUS ASSUMITUR AD VII. VIRALE COLLEGIUM

Eâ peractâ, Moguntinus, tanquam Electorum Decanus, unà cum Tillio Norimbergam profectus, Maximilianum, quantâ fieri decuit celebritate, præſtito juramento in Septemvirûm Collegium adſcivit. Elector verò Brandeburgicus, anno denique M. DC. XXVII. Cæſaris authoritatem & Saxonis exemplum ſecutus, eidem Electoris dignitati debitos honores detulit.

XXXVII. Dum hæc pacis atque concordiæ vincula inter Electores necterentur, ab alijs bello continuando diligens dabatur opera, & tela hæc quidem magnam

Litt. Tillij ad Maximil. 11. Maij.

partem adverſus Maximilianum texebatur. Nunciabatur Daniæ Rex copias trans Albim miſiſſe, quæ aliarum acceſſione creſcerent. Idem ſcribebatur Mansfeldio numeràſſe centum Ferdinandicorum millia, totidem Halberſtadio, quorum adminiculo exercitus Anglicus Palatinatui recuperando firmaretur. Et Mansfeldium quidem ex Angliâ reducem, in Franciâ, in ædibus Zenamij

BELLICI APPARATUS ADVERSUS MAXIMILIANUM.

namij mercatoris Lucenſis 11. Cal. Junij cum Legato Veneto & Sabaudico, ex condicto, per horas aliquot ſecreta de recuperando Palatinatu, & ſubigenda valle Tellinâ, conſilia agitâſſe: Guſtavum Succorum Regem dediſſe nomen fœderi, quod paulò antè inter Franciæ Regem & Britanniæ, Allobrogum item Ducem, Venetos & Helvetios eâdem de re conveniſſe memoravimus, & addixiſſe perpetuas binas legiones Germanicas, & mille equites ſuis alendos ſumptibus, quamdiu bellum pro reſtituendo Palatino gereretur, præter alium militem, quem tum Belgij fœderatis, tum Saxoniæ inferioris Ordinibus eſſet ſubminiſtraturus. Et tum temporis non modò Bremæ & Hamburgi, nomine Batavorum (quò ingenioſiùs arcana laterent) ſed etiam à Mauritio Haſſorum Landgravio, & à Saxoniâ ſecundâ, magni delectus habebantur, quæ motuum imminentium erant præparationes. *Litt. 25. Maij.*

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS III. LIBER X.

Maximilianus Saxoniam inferiorem continet, obſiſtit Regi Daniæ, cædit Fridericum Ducem Saxoniæ Altenburgicum, religionem in Superiore Palatinatu inſtaurat.

An. M. DC. XXV.

I. Bellici apparatus.

RArò aliàs tot tantique in Europâ facti bellorum apparatus. Cæſar enim ſuas novis Wallenſteinij delectibus auxit copias, & Maximilianus Catholicæ Unionis exercitum novo tum equitatu, tum peditatu inſtruxit, Tribuno Cratzio legente alarios, Pappenheimio ſcribente recentem legionem. Ad recuperandam Baiam Sanctorum omnium à Batavis in Braſiliâ recèns occupatam, Luſitanía claſſem triginta navium emiſit: Hiſpani in Alſatiâ collegêre aliquot armatorum millia. Magnæ Britanniæ Rex terrâ, maríque magnas vires comparavit: erant Doroberniæ, aliiſque locis in armis ad tredecim millia, quæ in Germaniam traijcerent: Batavi ferebantur habere in anchoris naves trecentas, & è Germaniâ decem millium ſuppetias expectare. In Regno Neapolitano ad viginti millia ex indigenis lecta, vicatímque diſtributa: Gubernator Mediolanenſis aliquot legiones habuit ſub ſignis: viginti Cozacorum millia ære Hiſpanico conducta: acceſsêre in Belgio, duce Carolo Columbo, honorariorum, qui ſuo ære militabant, aliquot vexillationes, quæ ad multa millia excurrebant. Hiſpaniæ Proceres ad belli ſumptus addixêre Regi vim ingentem pecuniæ: eſt, qui recenſet ſupra octies centena ducatorum aureorum millia, memorabile ultroneæ liberalitatis exemplum. Summus Pontifex ternas peditum legiones, & quingentos gravis armaturæ equites habuit. Henricus Arauſionenſis ſuis ſtipendijs ter mille pedites, equites bis mille conduxit. Ordines Batavici addidêre pedites mille, ter mille equites: Amſtelodamum, bis mille equites. Magni præterea à Batavis in Ultrajectinis & Friſijs delectus habiti. Diguierus Francus à Rege juſſus expedita habere viginti quatuor armatorum millia. Validi ſimul à Rege Daniæ, in ſuo Regno, in Marchionatu Brandeburgico, in Pomeraniâ, Megapolitano Principatu, in civitatibus Imperij maritimis, & Saxoniâ ſecundâ habebantur delectus, eo obtentu, quòd Rex ab iſtius Circuli Ordinibus, novo exemplo, fuiſſet orbis iſtius caput renunciatus, Duce Luneburgico, contra majorum

II. Rex Daniæ caput Circuli Saxonici electus.

rum inſtituta, eâ dignitate abdicato, quòd ad pacis conſilia, Cæſaríſque obſequium magis quàm ad turbas, quæ iſthic parabantur, videretur eſſe propenſus. Eum Circulum cùm nomino, non exiguam dico aliquam Germanici Imperij regionem, ſed præpotentem & latè patentem, florentem opibus, pollentem Principatuum magnorum, urbium inſignium, Dynaſtiarum & populorum multitudine atque potentiâ. In eo Principatus Pontificales Bremenſis, Meidenburgicus, Hildeſienſis, Halberſtattenſis, Lubecenſis, Mindenſis, Verdenſis: Ducatus Brunovicenſis, Luneburgicus, Megapolitanus, Holſaticus, Lawenburgicus, Slewicenſis. Præterea Præſules, Comites, Barones magno numero, gens fortis, bellicoſa, opulenta: ut mirum non ſit, tam grave bellum, támque diuturnum (quale recenſebimus) ex eo tractu ali, geríque potuiſſe. AMPLITUDO CIRCULI INFERIORIS SAXONIÆ.

Præ ſe ferebant, tum Daniæ Rex, tum Saxoniæ inferioris Ordines, quaſi nihil adverſus Cæſarem Imperiúmve molirentur, ſed meram duntaxat in Tillianas excurſiones, in Mansfeldium & Chriſtianum Ducem, alióſque ſi forent hoſtes, defenſionem, nomen videlicet uſitatum, colorémque factionum. Quamobrem Cæſar nihil diſſimulandum ratus, datis ad Daniæ Regem litteris, eum vehementer eſt hortatus, vellet non bellum pro Friderico Com. Palat. ſed pacis potiùs, cujus ipſe medium ageret interpretem, conſilia meditari, & ſeriò Britanniæ Regem ad eam incitare. Reſcripſit Danus, niſi mitiores, quàm hactenus conditiones ineundæ conciliationis Cæſar proponeret, Britanniæ Regem non videri poſſe ad pacem adduci. Ejuſce in Germaniâ componendæ modum eſſe, ſi Cæſar, perinde atque præteritarum turbarum auctoribus ignoverat, etiam Comitem Palatinum, quem ætas faceret veniæ magis idoneum, pœnis condonatis, illæſâque dignitate, in gratiam & avitas poſſeſſiones reponeret. Saxoniæ Septemvir, quem inferiores Saxones in partes trahere nitebantur, ſuæ memor dignitatis & conſtantiæ, eorum conſilia averſatus, Dano ſuaſit, ne, turbato Imperio, Cæſarem armis laceſſeret. Bavariæ Elector, cui tanti rerum motus, inſolentéſque apparatus non poterant non eſſe valde ſuſpecti, Tillium, qui propior aderat Saxoniæ, omnia iubet explorare, atque in id omni curâ, vigilantiâque intendere, ne ipſe tantâ armatorum multitudine velut circumſcriptus opprimeretur. Quare Tillius, Hirsfeldâ, ubi tum habebat ſtativa prætoria, ſcribit ad ſecundæ Saxoniæ Ordines, ſe non ſatis capere, quamobrem tum ipſi, tum alij adeò numeroſos exercitus adornent, dignentur proinde ejuſmodi apparatûs cauſas explicare. Illi renuntiant, velle ſe ſuos tueri limites, nihil hoſtile meditari, cæterùm ſe perpetuò fore in poteſtate Cæſaris. Tillius, adulto Martio, reſcribit in hanc ſententiam. Gratum haud dubiè fore Cæſari Orbis Saxoniæ fidem, ſed ſuſpi tione non carituros exercitus, qui ipſius injuſſu, citráque omnem ejus auctoritatem videantur ad inferendum potiùs, quàm defendendum bellum adverſus legem Imperij anno 1570. ſancitam, eſſe comparati. Nihil quidem temere de mente Daniæ Regis eſſe pronuntiandum, non deeſſe tamen cauſas ſequiorum interpretationum. Enimvero Batavorum Legatum Sigenbergico Conventui nuper adfuiſſe: in aperto eſſe Batavorum in Domum Auſtriacam incenſa odia, palàm eſſe Chriſtiani Halberſtadij & Mansfeldij in Batavorum officinâ cuſas machinationes: eos, quò bellum à ſuis finibus procul habeant, libenter ad alienos proferre. Videant igitur Saxones, ut ne ex conſiliorum ſocietate, argui poſſit mutua conſenſio voluntatum. Ad tuendos limites, non eſſe opus tanto tum domeſtico, tum etiam externo apparatu: ſi ex ipſorum re atque neceſſitudine fuerit, eſſe in propinquo atque in promptu Bavaricas copias, quæ laborantibus ſint adfuturæ, non ad inferendam, ſed arcendam quamvis injuriam. Proclive omnino eſſe, ut tum Cæſar, tum Imperij Electores atque Principes credant hoc agi, ut, poſteaquam Orbis Saxonicus uti cœperit operâ Batavorum, aliorúmque, quîcum ipſi ſint recenti fœderis nuper icti conſpiratione conjuncti, rebus neceſſarijs ad ſuſcipiendas fœderis ipſius leges ferantur, armáque jungant fœderatis; quod fieri nequeat abſque Domûs Auſtriacæ offenſione & patrocinio cauſæ

CAUSA ARMORUM SAXONICORUM

CÆSARIS LITTERÆ AD REGEM DANIÆ.

RESPONSUM DANI REGIS IV.

SAXONIÆ ELECTOR CONSTANS IN FIDE CÆSARIS.

LITTERÆ TILLII AD ORDINES SAXONIÆ.

EORUM RESPONSA. V.

CUR DANIÆ REX SUSPECTUS. VI.

TILLIUS HORTATUR SAXONES AD QUIETEM.

VII. cauſæ Palatinæ. Facturos itaque ejusce Circuli Proceres ſapienter, ſi à novis delectibus abſtineant, itáque ſtudeant ſuæ & publicæ rei tranquillitati, ut appareat, nolle eos in ſuas Provincias belli molem trahere, eáſque experiri calamitates, quas eorum poſteri meritò ſint damnaturi. Aliæ præterea ultro citróque datæ fuerunt epiſtolæ à Cæſare & Tillio ad Daniæ Regem & Saxoniæ Ordines eodem ferè argumento, ſed nullo propè operæ pretio. His ergo gradibus, uti fit, cùm paulatim, inſtar gliſcentis incendij, flammæ odiorum erumpunt, ventum ad arma. Fama erat vehemens, eáque non inanis, Daniæ Regem conſtituiſſe, ſociatis cum Mansfeldio copijs, in Comitatu Ravenſpurgico luſtrare utriuſque exercitum. Id cùm citra luculentum Orbis Weſtphalici damnum, & ingentia pericula fieri nequiret; Maximilianus Tillium juſſit ejusmodi conſilio in tempore ire obviam. Hic gnarus quantopere eſſet nociturum, ſi Danus Caſtro

VIII. Sparenbergico apprimè munito, & Bilefeldâ, quæ egregium eſt id locorum præſidium, potitus, pedem in eâ Provincia figeret, utrumque decrevit facere ſuæ poteſtatis. Id quò liberiùs faceret, minúsve vereretur, ne prior hoſtilia diceretur intuliſſe causas habuit non improbandas. Sparenbergam etenim, quæ præſidio Hiſpanico tenebatur, delectæ aliquot Provincialium legiones, Cæſaris injuſſu, Gentij Batavici Tribuni inſtinctu, ductúque, coronâ cinctam, prohibebant omni commeatu, admotis novem majoris modi tormentis æneis. Obſeſſos nihil æquè urgebat atque fames, & annonæ cæterique ad arcendam vim apparatûs inopia. Eos ſi domuiſſent obſidentes, nihil erat propius, quàm ut arx in Gentij manus veniret. Quamobrem Tillius ad depellendam obſidionem mittit vim aliquam legionum, quæ momento, ſolâ adventûs ſui famâ, arcem periculo, vicinum agrum magno incommodo, fugatis obſeſſoribus, liberârunt. Idem Gentius Bilefeldam octingentorum

Sparenbergæ obsidio.

Solvitur a Tillio. 28. Iunij.

IX. circiter quà peditum, quà equitum manu inſederat, pars erat ex Batavicis, pars ex Brandeburgicis, quos neceſſitate adacta alebat vicinia. Gentium ergo monet Tillius ſcriptis primùm litteris, deinde Erwito & Rupio internuntijs, ſe à Cæſare habere in mandatis, ut præſidia omnia, ex quibus Weſtphalicis Provincijs, & Rom. Imperio poſſit quicquam creari periculi, ſuo milite occupet, proinde Gentium miſsâ Bilefeldâ migrare oportere, in quâ retinendâ Batavi nihil habeant juris, quod obtendant. Oſtendit initio Gentius, ſe extrema potiùs experturum, quàm ut, citra fœderatorum Ordinum authoritatem, loco decedat: ſed ubi advertit Tillium obfirmatâ voluntate vim admoturum, factâ honeſtis legibus deditione, diſceſſit. Subinde Tillius, quò fines meritò ſuſpectæ regionis adverſus omnes caſus firmaret, Ulotham ad Viſurgim commodam exercitui ſtationem occupare inſtituit. Reſtitêre oppidani, donec mœnibus tormentorum jaculatione laceratis, manus tandem dedêre. Lemgoviam deinde, quæ eſt in Lippienſi Comitatu, munivit præſidio. Herfordia poſteaquam diu præſidiũ detrectaverat, non priùs admiſit, quàm vim jam paratam habuit in conſpectu. Iburgum Oſnabrugenſis Epiſcopi ſedes apprimè valida, manus pariter dedit. Interea Fridericus Ulricus Dux Brunovicenſis, quem Tillij progreſſus urebant, apud eum graviter conqueſtus eſt, quòd ne ſe quidem ſalutato, nedum conſenſu petito, non modò ſuos eſſet fines ingreſſus, ſed centuriatas etiam Provincialium vexillationes ad arma ponenda compuliſſet. Tillius contrà, non latere Ducem Regis Daniæ conſilia omnino diſſentanea promiſſæ in Cæſarem devotioni, non debere mirum videri, quòd tempeſtivè ejus molitionibus occurratur, alioqui periculoſa nimis eſſe in extremis malis ſera remedia. Brunſviciorum delectam manum nova excitâſſe propugnacula, & oſtentâſſe hoſtiles animos; nihil fieri potuiſſe mitius, quàm ut ſine ſanguine atque omni clade, bene

Tillius Gentium iubet Bilefelda migrare.

Gentius deditionem facit. 29. Iunij.

X.

Tillius Ulotham occupat. Munit Lemgoviam. Occupat Herfordiam, Iburgum: Id ægre ferente Duce Brunovicensi.

XI. leniterque ad ſua quique officia mitterentur. Id ne Dux iniquè acciperet, ſed potiùs ſalutis, tranquillitatisque communis ſtudio, vellet eſſe in eo, ut Daniæ Rex, mutatâ voluntate, pacem reſpiceret, Germaniæ longè quàm bellum optabiliorem: deinde daret Dux operam, quò exercitui amico, quique Cæſaris partes tueretur, de annonâ foret proſpectum.

Impera-

Imperavit præterea Tillio Maximilianus, ut Saxoniæ Septemviro ſui in ſecundam Saxoniam ingreſsûs rationem cum fide redderet. Reddidit in hanc ſententiam: nimirum Regem Daniæ meræ defenſionis obtentu ſuas copias eouſque exaggeraſſe, ut Principes Imperij & Ordines Cæſari fidi atque obſequentes, in horas, meritò habeant non inanes cauſas timendi, ne Rex in vim apertam erumpat. Data jam eſſe ejuſce rupturæ initia, & provocatam juſtam injuriarum vindictam, quando Dani ſæpius à Tillio petitos datóſque cum publicæ ſecuritatis teſſerâ defenſores ſæpius non violârint modò, ſed etiam fecerint captivos. Sæpenumero earum injuriarum, apertæque hoſtilitatis certiorem eſſe factum Daniæ Regem, admonitos etiam Orbis Saxonici inferioris Ordines, ſæpe actum de remedio; ſed in caſſum recidiſſe omnia. Demum id fuiſſe reliquum, ut, cùm iſta belli ſint primordia, occupatis aliquot non levis momenti in Circulo Saxonico præſidijs, quæ hoſti magno forent emolumento, toti verò Imperio, atque inprimis utrique Saxoniæ, ipſique Cæſari non mediocri incommodo, ſi ea ab adverſarijs tenerentur: eapropter imminenti periculo tempeſtivè fuiſſe eundum obviam: hoc ipſum belli & publicæ ſecuritatis rationem exegiſſe. Orare ſe proinde, ne Elector rem aliter velit interpretari, ſed Daniæ Regi authorem eſſe, ut Germaniæ tranquillitatem tectam ſartámque eſſe patiatur. Eâdem de re Hiſpaniæ Rex ad Danum, menſe Junio, Legatum miſit Carolum Schœnbergium, ſed nullo alio fructu, quàm quòd Danus litteris, conſultationibus, audiendis legationibus, tempus extraheret, donec menſe Auguſto è ſecundâ Saxoniâ movens in Weſtphaliam, demum, detractâ omni ſimulatione, bellum cœpit oſtentare. Jam haud procul ab Hœxariâ trans Viſurgim plenis caſtris conſederat, cùm Tillius mox contraxit copias, & trajecto per Hœxariam Viſurgi, venit in Regis conſpectum, certus, ſi is ſui copiam faceret, de rei ſummâ prælio decernere. Verùm, cùm id Regi nondum eſſet integrum, Hammeliam regreſſus eſt, ubi grave vitæ adijt diſcrimen. Dum enim vallum circumequitaret, equus, quo vehebatur, territus, freníque impatiens, ſeſſorem, ſéque in ſubjectâ vallem effudit. Rex lapſu graviter colliſus, biduum moribundo ſimilis, elinguiſque jacuit, non ſine ſuorum ingenti metu ac dolore. Mox, ut ſe collegit, ſeu memor mortalitatis, incertorúmque caſuum; ſeu Tillio moram injecturus, miſſis ad ipſum Peuzio & Poniſchio Commiſſarijs, jam ſæpius nunciata repetijt, cum querimonijs, atque conteſtationibus, quòd is hoſtilem in modum Inferioris Saxoniæ circulum invaſiſſet. Reſpondit Tillius: Regem iſtius expeditionis cauſam dediſſe, quòd Saxonici Circuli lineam egreſſus, Weſtphalicum iniviſſet. Actum nihilominus denuo cum Saxoniæ Proceribus, qui, licèt ægrè admodum ferebant, Comitatum Hoyenſem, Calenbergenſem Principatum, Brunovicenſis Ducatûs partem, agrum Wolfenbutenſem & Gœttingenſem, locáque munita, paſſim eſſe à Tillio occupata, pollicebantur tamen, ſe nihil commune cum exterorum fœderibus habituros, manſuros intra cancellos juſtæ defenſionis, modò nihil hoſtile tentetur in Regem Daniæ, ſi abſit periculum evertendæ religionis, ſi ſecuritas à ſtativis & hoſpitationibus militaribus: de his ſi caveatur, ſe arma poſituros. Tillius, qui Danica conſilia ſuſpectabat, nec ambigebat ampliùs, quin ſecunda Saxonia cum Rege conſpiraſſet, non eſt ſibi paſſus imponi, ſed dato ad Proceres reſponſo, oſtendit, nihil eſſe, cur ipſi ab armis Cæſaris aut Catholicæ Unionis ſibi quicquam, ſuæve libertati, aut rebus metuant; ſi pacem velint, arma deponant, & hoc ipſum Daniæ Regi perſuadeant. Tillij de Saxonicis, Danicisque molitionibus ſententiam confirmavêre interceptæ Friderici Palat. Com. litteræ. Is ſcribebat ad Turrianum Comitem, ſe quidem vehementer dolere, Mansfeldicas copias tantis collectas ſumptibus, ad tantam redactas eſſe paucitatem, ut parùm ſit in ipſis ſubſidij ad Palatinatum vindicandum, niſi Reges (puta Angliæ & Daniæ) per ſuos curent ſtipendia viritim militi repræſentari: nihil prodeſſe delectus, niſi pecuniâ, armis, commeatu, alantur: ſtipendijs militem haberi in officio, cæteroqui detrectare imperia, abire à ſignis, vel perire rerum inopiâ.

Lit. Maxim. 15. Iul. 1625.
TILLIUS SAXONIÆ ELECTORI REDDIT RATIONEM SUI IN SAXONIAM ADVENTUS.
DANIÆ REGIS CONSILIA SUSPECTA.
XII.
XIII.
REX DANIÆ BELLUM INCIPIT.
OCCURRIT TILLIUS.
REX DANIÆ PERICULOSE LAPSUS.
XIV.
ORDINUM SAXONIÆ INFERIORIS PROMISSA ET POSTULATA.
XV.
LITTERÆ FRIDERICI COM. PAL. INTERCEPTÆ.

DANIÆ REGEM REDDUNT SUSPECTUM.

inopiâ. Daniæ Regem, Dei beneficio, bellè habere, perſtare in ſententiâ, & recèns mandata, collectoréſque ad legenda decem peditum millia dediſſe: ſed præſtanda ipſi eſſe auxilia: Angliæ Regem ſuis partibus non defuturum.

XVI. Sed, quod miros ſermones & ſequiùs opinandi cauſas dabat; Saxoniæ inferioris Ordines Daniæ Regem caput Circuli dixerant, & credi non poterat, quin cum capite membra conſentirent: accedebat ad hæc ſacrorum communio, odium Romanæ fidei, & pertinax pro Com. Palatini reſtitutione tot fœderum conſociatio, quæ, ſi uno tempore promiſſa auxilia conferret, videbatur ingens diſcrimen paritura. Quare nihil ultrà cunctandum eſſe ratus Maximilianus, ſic voluit rerum componendarum rationes à Tillio audiri, ut nihilominus bene gerendarum occaſionibus ne deeſſet. Is jam antè Hœxariam præſidio noviſque operibus ad peropportunum Viſurgis trajectum, quoties res ferret, muniverat, & Holzmundâ occupatâ, Danicos Hameliam uſque removerat: dein comperto Regis, de quo dixi, lapſu, conjectans quod res erat, Danos ad cedendum alioqui jam pronos, Regis ſui periculo fore proniores, ſub Nonas Auguſti, copias Hameliam propiùs adduxit: nec fuit deceptus ſuâ opinione. Dani enim, ne debilem adhuc ex caſu Regem periculo committerent, conclamatis vaſis, Hameliâ, Mindâ, aliiſque circùm locis Tillio relictis, in Verdenſem Provinciam ſeſe receperunt. Utrique civitati Tillius impoſuit tolerabile, & Hameliæ quidem trecentorum duntaxat præſidium: quâ ex moderatione Hamelienſibus nata eſt audacia: nam facto tumultu præſidiarios vi ac numero ſuperatos exarmârunt. Eam injuriam Tillius non eſt ultus graviùs, quàm ut præſidiarijs bis mille loco impoſitis, cives viciſſim armis exueret. Ex Mindâ movit Stolzenaviam. Sita eſt ea civitas ad Viſurgim, éſtque Brunſvicenſis ditionis. In eâ curabant binæ

TILLIUS MOVET IN DANOS. XVII.

HAMELIENSES BAVARICUM PRÆSIDIUM EXARMANT.

XVIII. Danorum cohortes, ducentorum quinquaginta capitum. Illi reſtitêre aliquantùm, ſed pòſt paulò deſpondentes animos, impetrato colloquio, deditionem pacti abire permiſſi ſunt cum ſarcinis armiſque. Iſthic loci repertæ viginti quinque murales machinæ æneæ, ferreæ aliquot, cæterum inſtrumentum & annona, quæ tuendæ civitati fuiſſent ſatis, ſi tantundem animi ſuis propugnatoribus adfuiſſet.

TILLIUS OCCUPAT STOLZENOVIAM.

Stolzenaviâ, Septembri ineunte, Tillius duxit Nienburgum egregiam ad Viſurgim munitionem, in Luneburgico Ducatu commodo admodum trajectu nobilem. Eam Daniæ Rex defenſoribus rebúſque ferendæ obſidioni neceſſarijs apprimè inſtructam commendârat Tribuno Limpachio. Tillius eandem, quamdiu foret in Danorum poteſtate, credens ſibi fore perimportunam, coronâ cinxit, interrupto paulùm rerum ſecundarum curſu, Deo ſic temperante humana, ne nimia ſit fortunæ fides, quæ nulli eſt fida perpetuò. Hoſti erat percommodum, quòd excitatis trans Viſurgim è regione Urbis propugnaculis, ferè quoties lubebat, poterant ſuppetiæ obſeſſis importari. Quam rem ſibi obfuturam, Tillius ipſo ſtatim obſidionis initio, Maximiliano prædixit per litteras. Nihilo tamen minùs viſum obſeſſorum animos viréſque tantiſper experiri. Daniæ Rex loco metuens, per Legatum Schœnbergium Tillio ſignificavit, ſi à Nienburgo vim abſtineret, viciſſim ex oppido præſidium abducturum, petivítque ad rem tractandam inducias. Quærebatur videlicet ex morâ aliqua comperendinatio. Erant enim in procinctu quingenti currus omnis generis annonâ graves Nienburgum inferendi. Dum Tilliani varijs impreſſionibus in caſſum obſeſſos urgent, ipſique eruptiones non ſine mutuâ cæde reprimunt, adfuêre in vicino vecturæ. Has adorti Tilliani, Croatæ præſertim, tanto ardore à Danis excepti ſunt, ut ex eo conflictu bis mille fuerint deſiderati. Occubuêre viciſſim Dani magno numero. Caſtris Tillianis id ſimul erat incommodi, quòd Brunovicenſium colonorum turba, qui tumultuariè ad arma convolârant, vijs obſeſſis, annonæ convectionem difficilem redderent, & nonnunquam carperent ex inſidijs vecturarum defenſores, quos eam ob rem neceſſe erat, caſtris imminutis, adhibere majore numero. Cùm igitur Tillius obſidendo Nienburgo plus acciperet damni

OBSIDET NIENBURGUM. XIX.

CLADEM ACCIPIT. AGRESTES BRUNOVICENSES ARMA CORRIPIUNT. XX.

mni quàm daret, annonæ ſimul anguſtiâ & bellici commeatûs premeretur, & pro libitu Nienburgenſe præſidium augeretur ſuppetiis, exeunte Septembri, motis caſtris, lento itinere ſe recepit verſus Hameliam. Dani per eos dies magnas egêre prædas in Ducatu Luneburgico, armento præſertim abacto. Cauſati ſunt, Luneburgicum aliquas Daniæ Regis litteras intercepiſſe: eúmque cum Tillio videri communicare conſilia: veriùs hæc ipſa res erat, quòd eos ureret, Ducem à Danici belli conſilijs eſſe alienum. TILLIUS NIENBURGO DISCEDIT.

Inter hæc Christianus Dux Brunovicenſis & Comes Mansfeldius, quos ſuperiùs in Belgium appuliſſe retulimus, non fuêre omnino quidem otioſi, ſed neque admodum hoc anno fortunati. Id enim ferè contingit, ut, quos cælum & ſors adverſa premit, rarò prodeant ſine aliquo infelicium eventorum comitatu. Conatus quidem fuit uterque ſuam operam locare Mauritio Arauſionenſi, de liberandâ Bredâ, quæ à Spinolâ arctiſſimè circumſidebatur, valdè ſollicito; & ad eam rem ſuas laboranti copias adduxêre: ſed cùm neque ipſi tum fortuna ridêret, neque eorum acceſſione Spinola ab obſidione poſſet depelli, uterque, Batavorum ope, prope Embricam copias trans Rhenum deportârunt. Cœlum mutavêre quidem, ſed non ſortem. Jam antequam trajicerent, in eorum exercitu morbi non exiguam ſtragem ediderant, proſtratis præſertim tironibus, quorum nondum ad labores ſatis durata erant corpora, atque in veteranis etiam ex tironum afflatu: ſed neque in Transrhenanis ſtativis reperêre valetudinem meliorem, in quæ morborum cauſas comportârant. Quamobrem & iſthic quàm multi militari luce abſumpti. XXI. MANSFELDIUS ET HALBERSTADIUS SUAM OPERAM AURIACO OFFERUNT, RHENUM TRAIICIUNT XXII. MORBIS ETIAM MILES CONFLICTATUR.

Christianus itaque, ſtatione mutatâ, movit in Weſtphaliam: quæ res Weſtphalis magno ſtetit. Eò enim, rebus neceſſarijs, movendum etiam fuit Anholtio Comiti, ne Provinciam pateretur eſſe indefenſam. Commodùm iſthic Erwitus curabat, habebátque ſtativa Giſecæ cum ducentis circiter legionarijs, alarijs fermè totidem. Id oppidum neque firmum munimentis, nec frequens civibus, neque numeroſo inſtructum præſidio, Christianus Dux credidit ſe nullo propè negotio poſſe opprimere. Ergo cum delectâ ſuorum manu, adventûs ſui famam celeritate conatus prævertere, ſeſe dedit in viam: verùm Erwitus expeditionis præſcius, venienti ſic occurrit, ut plurimis interemptis, victum adegerit ad inducias pro ſepeliendis interfectorum corporibus exorandas. CHRISTIANUS DUX MOVET IN WESTPHALIAM. CLADE AFFICITUR AB ERWITO. XXIII.

Mauritius Haſſiæ Landgravius ſive rerum adverſarum impatientiâ, ſive ſpe ſecuritatis, ſe hoc anno in Pleſſenſem Dynaſtiam recepit, Guilielmo filio cum vicariâ poteſtate in Haſſiâ relicto. Quare Cæſar, ut, quæ nuper pro Ludovico Fideli decreverat, magis ſtabiliret, Caſſellas è Bavarico exercitu deſtinavit Mortagnium & Rupium, cum mandatis, ut in locum abſentis Patris, filium ſubſtituerent. Ergo Provinciæ Proceribus Caſſellas vocatis, nomine Cæſaris, mandârunt minimè repugnantibus, ut Guilielmo Landgravio, dum parens abeſſet, ſe præberent obſequentes, perſtarent in fide debitâ Cæſareæ Majeſtati, haberéntque fixum ac ſtabile, quod nuper de Marpurgo fuerat conſtitutum. RUP. COMMENT.

Inter hæc Albertus Wallenſteinius Fridlandiæ Dux, qui recèns ad triginta armatorum millia pro Cæſare collegerat, cum potiore copiarum parte Gœtingam obſeſſam deditione accepit, cæſis agreſtibus, qui correptis armis venienti auſi fuerunt ire obviam. Gœtingâ movit Einbecam, inde in Grubenhagenſem Principatum, pòſt in ditionem Halberſtadienſem, ut Cæſarianos Bavaricis ſociaret. Gravis ipſi in itinere interceſſit cum Duce Saxone-Weinmarienſi, qui quater mille alarios, totidémque legionarios ductabat, velitatio, in qua multi utrinque occubuêre. Cæterùm Wallenſteinius Halberſtadio in ſuam poteſtatem redacto, & agro Magdeburgenſi mille Saxo-Lauenburgicos totidémque Permannicos equites unà cum Schlickij & Altringeri legionibus impoſuit. FRIDLANDUS GŒTINGAM INVADIT. XXIV. VELITATIO CUM WEINMARIO DUCE.

Quod clàm dudum cùm Daniæ Rege Principes plerique, civitatéſque Saxoniæ pactæ erant, indies magis magiſque prodibat in apertum, ut, nimiùm quan- REGI DANIÆ ET SAXONIÆ INFERIORIS CONSILIA VENIUNT IN APERTUM.

quantùm appareret, eos non meram (ut obtenderant) defenſionem, ſed bellum in Cæſarem, & Cæſari addictos Principes Ordinéſque comparâſſe. De Ducis Brunovicenſis hoſtili animo nihil ampliùs poterat dubitari: tametſi enim annonam erat pollicitus exercitui Bavarico, non modò præter verba nihil poterat obtineri, ſed etiam Poppenbergij ducentos præſidiarios, quos Tillius loco tuendo addiderat, Brunovicenſis miles, Duce conſcio, crudeliter atque inſidiosè mactaverat. Præter hæc Dux edicto imperaverat, ut Provincia captis armis ſe adverſus Tillium & Fridlandum advenientem tueretur. Quamobrem, cùm navis oneraria annonam in Tilliani militis ſubſidium Hameliæ depoſitura, Hexariâ ſolviſſet, Brunſuicij agreſtes, ductu duorum equitum, captam diripuêre, nautis ægrè vitâ incolumi profugientibus. Et paſſim jam, Dynaſtarum juſſu, Brunſuicenſes in Cæſarem exercebant hoſtilia, jubebantúrque Cæſareo perinde ac Tilliano militi, ubicunque ſors facultáſque ſe daret, adferre manus. Eam ob rem cùm bellum ſæviùs indies accenderetur, aperto Marte non in Danos modò, ſed etiam in Brunovicenſes agi cœptum. Ergo Tillius, Novembri ineunte, arcem Calenbergicam, quæ Brunovicenſis Reguli eſt, acriter tormentis verberatam per apertam muri ruinam occupat, & ex eâ toti circùm regioni tributum imponit. Commiſit etiam cum Danicis velitarem conflictum, & bis mille equeſtres ſclopetarios cecîdit. Dux Fridericus Saxo-Altenburgicus, unáque Joannes Michael Obertrautius, qui rei militari, pro Friderico Palatino Comite in Palatinatu cum Generalis poteſtate præfuerat, cis Lehnam amnem ad Hanoveram ſedecim equitum turmas cum nonnullo peditatu, haud procul à ſtativis Tillianis adduxerant? eo comperto Tillius cum delectâ equitum peditúmque manu, 3. Non. Novembris movens, die ſequente, luce jam clarâ, in hoſtis conſpectum venit ad Pagum Rechlingam, ubi hoſtis patens atque indefenſus, remiſſis aliquantò vigilijs, genialibus epulis in Centurionis cujuſpiam nuptijs noctem conſumpſerat. Potuiſſet in eâ ſecuritate, quæ ut plurimùm hoſte quovis eſt periculoſior, incogitans opprimi, niſi dies & exploratores Altenburgicum Tillij jam jam imminentis admonuiſſent. Quare aciei inſtruendæ nactus ſpatium, ordines duxit in Tillium. Acri exinde coortâ pugnâ, fortiter utrinque dimicatum Marte quamdiu ancipiti, donec tandem victoria ſtetit penes Tillium. In eo conflictu occubuêre Dux Fridericus Saxo-Altenburgicus, idem ille, qui ante biennium in Statlono campo, devicto Duce Chriſtiano Brunſuicio, venerat captivus in manus Tillij, & ante annum à Cæſare in gratiam Saxoniæ Septemviri fuerat libertate donatus: occubuit unà Obertrautius, qui lethali ictus vulnere, delatus ad Tillium exceptúſque humaniter, ſuprema hæc verba eſt elocutus: *Ex tali horto, tales roſæ*; ſignificans, cruentos demum eſſe belli fructus, quos viri fortes ſuo ferè imbuunt ſanguine. Præter binos illos ſupremos ductores cecidere unus legionis legatus Mengerſenus, Centurio unus cum Præfectis alijs & manipularibus magno numero, in quibus ſelecti quique ex Danico exercitu fuêre. Reſcitum fuit, eam cladem doluiſſe Daniæ Regi, ob tantam tot egregiorum virorum jacturam: nam quibus ferrum pepercerat, aliqui quidem fugâ elapſi, ſed alijs, qui Lehnam trajicere ſunt conati, undæ, quæ hauſerunt quammultos, non pepercêre. E Bavaricis pauci deſiderati, ſauciati aliquammulti, è quibus Tribunus Cortenbachius tribus trajectus glandibus, quarum nulla lethalis fuit. Pugna non ultra horam tenuit. In primo Tillij agmine pugnavêre legiones Schönbergica, Linteloa, & Don Balthaſarina: in ſecundo fuêre Herberſtorffiani, Cortenbacenſes, & duæ ex Cronburgicis vexillationes.

Dux Brunovicensis hostilem animum prodit.

XXV.

XXVI. Tillius Callenbergam expugnat.

Litt. Till. ad Maximil. 5. Nov. 1625.

Cædit Altenburgicum.

XXVII.

Occumbunt Fridericus Altenburgicus et Obertrautius.

XXIIX. Cortenbachius vulneratur.

Rex Daniæ invadit Stolzenaviam.

Hujus cladis mœrorem Daniæ Regi aliquantùm mitigavit recepta ad Viſurgim ſine ſanguine Stolzenavia: quæſtione adverſus dedititios capitali cognitum, culpam amiſſæ cum tantâ ignaviâ munitionis, non fuiſſe penes Præfectos, qui propugnationem urſerant, ſed penes gregarios, qui Ductorum imperia detrectâſſe comperti, deditionem capite luerunt, ij ſcilicet, qui cæteros ad ponenda arma inſtigârant.

Da-

XXIX. *Cædit unam turmam Bavaricam, Nerſii equitatum fundit.*

Danus interim ejuſce loci uſus opportunitate, ſimul relicto Nienburgi valido præſidio, omnem circà agrum, ipſaque Tillij hiberna infeſta reddidit. Inde Dani è Blanchardicâ legione, noctis intempeſtæ beneficio, oppreſsêre turmam Eltaxiam, legionis capto vicario, & plerisque ductoribus. Fudêre ijdem Nerſianum equitatum exutum impedimentis, & tribus ſignis militaribus, paucis in loco obtruncatis.

Fridlandus Halam invadit. Colaltus legionem profligat.

Viceversâ Dux Fridlandus Halam Saxoniæ invaſit. Ea nonnihil initio viſa cunctari & meditari defenſionem; ſed ubi vim ſenſit propiorem, & auxilij ſpem longè poſitam, honeſtis legibus Cæſarianum præſidium admiſit. Colaltus Adminiſtratoris Magdeburgenſis recèns lectam legionem in ſtativis cecîdit, fudit, fugavit. Mansfeldius interea Bremam primùm, inde in Lubecenſem agrum ſuum militem deportârat. Lubecenſes hominem averſati, & prædas, militúmque nimiam licentiam, annonam negârunt petenti. Eam repulſam Mansfeldius ſuam interpretatus injuriam, Lubecenſium merces intercepit. Cives eam rapinam ulti binis eruptionibus, aliquot Mansfeldicorum centurijs internecione deletis. Ad hoc facinus fuerant accenſi Regis Daniæ reſponſo. Rogatus enim, ut tam noxium incubatorem aliorſum moveret, negavit, Mansfeldium ad ſe pertinere, cum eſſe ſui juris, nec habere ſe, quod ipſi imperaret. Cùm igitur id loci Mansfeldius tutò non poſſet conſiſtere, ne quotidianis pateret excurſionibus, coactus eſt quærere meliora contubernia apud Daniæ Regem, ad quem profectus eſt per fines Lauenburgicos & Megapolitanos. Incolæ, ut actutum talis hoſpitis moleſtiâ ſeſe eximerent, cum trans Albim per ſubitarium pontem propere deportârunt.

XXX. *Mansfeldius gravis Lubecenſibus. Accedit ad Regem Daniæ.*

Dux Chriſtianus Brunſvicius, ſuum quoque equitatum Regi Daniæ adduxit, quem firmavit Rex additis aliquot millibus. Per id tempus nulla propè erat à prælijs velitaribus quies, Marte utrinque vario. Tam enim propinqua erant partium hiberna, ut quot diebus poſſent equites concurrere.

Accedit item Dux Chriſtianus. Crebri conflictus velitares.

Creſcebant alijs ſuper alijs delectibus copiæ, tantâ acceſſione, ut res ad cruentum exitum ſpectare videretur. Cæſarianis loca habendis ſtativis fuêre peridonea. Iidem pontem Teſſavienſem, commodum valde Viſurgis trajectum, firmo opere munînere, inſignis poſtea pugnæ & Cæſareæ victoriæ materiam. Sub hujus anni finem Daniæ Rex Cellæ habuit Comitia, in quibus imperata Holſatijs magna ad bellum ſubſidia, tributis per prædia imperatis in arationes, quæ ſingulæ ſenos Ferdinandicos juſſæ conferre in fiſcum. Cæteræ equeſtris Ordinis poſſeſſiones pro earum cenſu & æſtimatione, de mille ſenos nummos pependêre. Menſtruum ſtipendium perſolutum militi, veſtes, calcei, adverſus hiemis rigorem viritim diviſi: quâ illecebrâ Regi magna apud exercitum conciliata eſt benevolentia, militi verò ſpes ac fidentia; hoſti, ni paria præſtaret, à mercenarijs periculum atque invidia. Cæſaris diplomata, quæ vulgus vocat avocatoria, 4. Calend. Jan. vulgata, quibus ſub gravium pœnarum interminatione, vetabat quemquam è Circulo Saxonico, Regis Daniæ, Chriſtiani Ducis Brunſvicenſis, ac Mansfeldij merere ſtipendia; arma, annonam, aliáque belli ſubſidia præbere, quæ ſúsque déque habita à protervis; qui, ubi arma induerunt, deinceps leges non audiunt.

XXXI. *Cæſariani Teſſavienſem pontem muniûnt. Danica Comitia.*

XXXII.

XXXIII. *Anabaptiſtæ proſcripti e Bohemia et Moravia. Prædicanti exacti Vienna.*

Multa, hoc anno, per Bohemiam, Auſtriam, Moraviam, pro Catholicâ Religione per Cæſarem conſtituta. E Moraviâ proſcripti Anabaptiſtæ hactenus tecti patrocinio Dynaſtarum, quorum rem familiarem, agros, commercia tractabant, eóq; eludebant (utilitate præpollente, captisque lucri cupiditate patronis) Cæſaris imperia. E viginti millibus, media pars ritus Catholicos verè an fictè ſunt amplexi; cæteri in Hungariâ, Transſylvaniâ, Walachiâ, Poloniâ fecêre colonias. Concionales verbi Lutherici Præcones Viennâ rurſus exacti, pœnâ non levi conſtitutâ in Dominos, qui eos in ſuis Dynaſtijs retinerent. Eliminati ex Univerſitate, qui eâdem labe inquinati: Maximiliano flagitante, ex primâ Auſtriâ (quam Provinciam pignoris nexu tenebat) ſeverâ lege ijdem denuo pro-

ſcripti.

Reformatio in ſuperiori Auſtria.

ſcripti. Datum item negotium Herberſtorfio, qui pro Maximiliano illic jus dicebat, regebátque rem publicam, ut Linzenſem Magiſtratum, Acatholicis amotis, è Catholicis conſtitueret. Acatholicis tradita fuit Orthodoxæ fidei inſtitutio, interdicta matrimonia, & hoc quidem poſtremum exiguo fructu, pleriſque clandeſtina contrahentibus, alijs vagâ incontinentiâ, vel turpi ſcortorum, quæ domi alebant, conſuetudine divinam humanámque legem violantibus. Si quæ bona addicerentur fiſco, ſolis Catholicis permiſſa, vetita Acatholicis, quæ res multos ſervavit è ditioribus. Obſcurioribus, præſertim opificibus, obfuit migrandi licentia, quammultis exilium & ſedium mutationem præoptantibus, aliquibus deſperatione lares concremantibus, ne ſpes ſupereſſet in patriam redeundi.

Acatholici Baronem de Closen unaque coniugem mactant.

Fuêre, qui virum illuſtrem Baronem de Cloſen, ejúſque uxorem, matronam nobilitate, moribúſque lectiſſimam, quòd ſubjectorum ſalutem curarent intenſiùs, ludibus, aliiſque ruſticanæ crudelitatis inſtrumentis, ſævum in modum mactârunt. Cædis authores, permultis fugâ elapſis, viginti meritas immanitatis pœnas dedêre. Gravis peſtilitas Bohemiæ inſtaurationem ſufflaminavit, ne Romana ſacra, quo cæperant pede, ad avitam integritatem & uſum adhuc reducerentur.

XXXIV.

Reformatio in ſuperiore Palatinatu.

Maximilianus Elector, poſt duorum annorum longanimem tolerantiam, & accuratam ſubjectorum in Romano-Catholicâ fide inſtitutionem, Palatinatui ſuperiori, & Rhenano citeriori, quem Heidelbergenſem nuncupant, ex Religioſæ pacificationis ſanctione atque inſtituto indixit, ut, qui adhuc ſectarijs adhærerent, vel tranſirent ad ſacra, ritúſque Catholicos, vel ſolum vertentes, emigrationis libertate uterentur.

XXXV.

Cardinalis Hohenzollerani obitus.

In hunc annum incidit obitus Cardinalis Hohenzollerani, viri præſtantiſſimi, quem Cæſar, Principes, boni quique præmaturè rebus humanis ereptum magnopere doluerunt. Epiſcopatum Oſnabrugenſem ejus morte vacuum, poſt varias lites contentioneſque, Franciſcus Wilhelmus Comes Wartenbergius adivit Bavarici exercitûs auxilio, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritate.

Ferdinandus III. creatur Rex Hungariæ.

Ferdinandus Auſtriæ Archidux Imperatoris Ferdinandi II. filius, poſt prolixam Hungariæ Ordinum diſceptationem, Deo auſpice, Rex renunciatus, 6. Idus Decembris, ſolenni ritu, D. Stephani Ungariæ Regis, cæteráque Regni inſignia cum ingenti populorum lætitiâ Sopronij ſuſcepit.

Archidux Leopoldus Cæsaris frater init matrimonium.

Leopoldus Auſtriæ item Archidux, Cæſaris frater, matrimonio cum Claudiâ Duce Hetruriæ inito, Argentinenſem, juxtáque Paſſavienſem Epiſcopatum, Leopoldo Archiduci, ex Cæſare fratre Nepoti, vacuos reliquit: Conſtantienſem verò Præpoſituram, reſignatione, ſummæ Sedis authoritate firmatâ, Maximiliano Henrico Alberti Bavariæ Ducis filio, Maximiliani Electoris nepoti, tranſmiſit.

BOICÆ

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS III. LIBER XI.

Maximilianus Guilielmo V. Patri parentat, Auſtriam Superio- AN. M. DC.
rem domat, Mindam expugnat, Daniæ Regem prælio XXVI.
ſuperat.

ANnum hujus ſæculi vigeſimum ſextum bellò variíſque caſibus
inſignem aggredimur, quem Guilielmi V. Bavariæ Ducis obi- OBITUS GUILIELMI V.
tus reddidit luƈtuoſum. Fuit Princeps verè Magnus, Sapiens, DUCIS BA-
Pius & Religioſus, omniáque encomia meritus, quæ dare virtus VARIÆ.
poteſt, cujus vivam imaginem ævò ſuo repræſentavit, tam altè I.
impreſſis veſtigijs, quæ exterere nulla ætas poſſit. *Rad. M. S.*
A trigeſimò nono ætatis anno, quod vitæ illius dimidium fuit, cum Rena- GUILIELMI
tâ leƈtiſſimâ Principe, quæ decem liberorum Patrem fecerat, per quindecim an- CONTINEN-
nos, quibus ea ſuperſtes fuit, ex compaƈto, caſtè continentérque vixit, ſine ul- TIA.
lo thori uſu; eámque legem ſibi deinceps æternam eſſe voluit. Cùm imperij PIETAS.
onus in Maximilianum filium Ann. M. D. XCVI. transmoviſſet, quicquid ævi
ſuperfuit, Deo Cœlóque impendit, unicâ & pulcherrimâ curâ. Operum illius, SACRA ÆDI-
quæ publicè ſpeƈtantur, auguſtiſſimum ſine dubio, Templum eſt D. Michaëli à FICIA.
fundamentis extruƈtũ, quod cum ampliſſimo Collegio Societ. Jeſu tradidit, exor- II.
navítq; ſumptu regio. Templum non modò Boicæ rarum decus, ſed inter orna-
tiſſimas moles viſendum & certaturum cum primis. Supellex ſacra omnis ſplen-
dida & copioſa, quæ vix credetur unius hominis opus. Divorum Lipſana in-
genti curâ & cum fide conquiſita, in auro argentóque cubant, locóque ſanƈti-
tatem conciliant. Collegium reliquum plenum majeſtate, in quâ Princeps li-
beraliſſimus non religioſæ inquilinorum modeſtiæ, ſed ſuæ magnificentiæ & amo-
ris in Deum rationem haberi voluit, ejúſque æternum hoc extare monumen-
tum, domicilium videlicet non bonarum modò artium, ſed etiam pietatis, qua-
rum cultus fruƈtúſque uberes in Boicam vicináſque provincias ex iſto velut fon-
te promanârunt. Neque laſſata tamen eſt in hoc quantocunque opere Prin-
cipis liberalitas; paſſim videas totâ Bavariâ in templis, quæ ſi uſquam ſunt fre- III.
quentiſſima, aras auro cæteróque ornatu ſplendidas, à Guilielmo ereƈtas, ma-
gno ſumptu & ſtudio tollendi vetuſtum ſqualorem, quem nullum paſſus eſt ſu-

pereſſe, ne in pagis quidem, in quibus apprimè curari voluit decorem domûs Dei, ut excitaret animos ad ipſius Numinis reverentiam, & retinendum puritatis internæ nitorem. Suam etiam Monachij peregrinis Domum ſtruxit, eámque velut palæſtram habuit admirandæ charitatis, ad quam ſe ipſe demiſit. Familiare illi fuit, donec per vires licuit, pedes adventantibus abluere & libare oſculo, menſæ accumbentibus epulas inferre, eáſque mirâ ſermonis ſuavitate condire, triduo recreatos ſtipe tam largâ juvare, ut quotannis multa Rhenenſium aureorum millia in ejuſce largitionis tabulas relata ſint. Domum alteram ſuæ continentem tribus ægris conſecravit, quorum curam unicè ad ſe pertinere voluit, nunquam eorum numerum paſſus minui. Ad hos itabat de die bis térve, adſidebat lectulis, magiſter patientiæ atque inſtitutor rationum amandi Deum, & capeſſendæ æternitatis: quæ doctrina ut potentiùs ad languentium animos accideret, animabat illam ſuâ pietate, quâ nec tabida ægrorum corpora levare de lectulo erubuit, & nauſeantibus ſuâ manu cibum ingerere. Ex mendicabulis ultimæ ſortis, legebat convivas ſibi, idque bis térve per hebdomadem, cùm ſcilicet jucundiſſimè epulari vellet; atque ut intelligeres, quem in ijs agnoſceret, ſummo loco accumbentibus ipſe ſiniſter aſſidere, ipſe carptor & pincerna eſſe, &, ſiqua opimior obſonij pars eſſet, eâ beare hoſpites, ſuúmque genium defraudare; néve ſine apophoreto abirent, ſaturis etiam aurum in penulam dare. Viros denique jam ævo fractos, ſuáque inopiâ miſerabiles, nec pauciores ſeptuaginta duobus, ſacri numeri reverentiâ, quem Chriſti diſcipulorum fuiſſe memorant, totidémque ſenio & inopiâ his ſuppares anus quotannis veſtijt, ſtatâ ſtipe quater in annos ſingulos juvit, xenia, ſtrenas, quæque alia miſſiculari amicis ſolent, hæc nempe ſuis alumnis transmittebat ſedulò, & velut fundatum debitum. Duodenis, per vices, quotidie epulum dabat, ipſe promus, condus, & miniſter: convivantibus lectorem ſacrum adhibere ſolitus, qui animos etiam piâ lectione paſceret. Ne autem nihil ipſi ſymbolæ rependerent, menſtruam illis communionem imperavit, cujus cùm dies incidiſſet, multò quàm aliàs lautiùs habuit ut Deo plenos. Xenodochium, cui à D. Eliſabetha nomen, Noſodochium S. Spiritûs itidem, quod D. Petro confine eſt, quâvis ſeptimanâ adijt, decumbentium nemine præterito, cui non ſuaviſſimè colloqueretur, ægritudinémque animi levaret hortando, inopiam corporis ſtipe; multis ad hæc magni Principis officia attonitis. Ipſa adeò urbs anguſta illius animo viſa: luſtrare ſuburbia, ægrorum cubilia explorare per pagos ſuſtinuit, quæ fuit pij Principis venatio, quæſitaque magnis ſtudijs præda, & quidem tantò gratior, quantò minùs jam conclamatus æger habebat virium, pluréſque mortis notas, grandiorem videlicet exercendæ charitatis materiam. Animadverſum persæpe eſt, cùm famulorum turba abominata graveolentiam, fomenta naribus conquireret, illum unum unicúmque velut inter ſua roſeta, nec frontem contrahere, nec offenſionis præbere argumentum. Elephantiacos adeò non ſprevit, ut illorum caſulis majeſtatem ſuam inclinârit, omnium miſerorum hoſpes, ſalutator, conſolator, &, ut verbo dicam, parens. Peregrinis ſuam ædiculam D. Rocho ſacram conſtruxit, adjecto ſpatio, quod mortuos reciperet, quò etiam illos inferebat, quos ab eo familiariter curari ſolitos, dixi. Jis cùm aliàs frequens aſſiſteret, tum animam agentibus, operam dabat eximiam, animabat ad ultimam luctam, Deum ingeminabat (utiq; huic tam pio ſpectaculo intentum) ardentem cereum fidei teſtem ingerebat manibus, aſpirabátque tendentibus ad ſuam metam, ultimo hoc veréque Chriſtiano favore. Ipſe mortuis exequias ibat, eorúmque funeri divinâ hoſtiâ præſens parentabat, rariſſimo tantæ dignitatis exemplo. Quæ pietatis officia cùm promiſcuè impenderet omnibus, minus admirationis habet, quamquam re idem eſt, & vix à Principibus uſurpatum, quòd ſacros homines, religioſos præſertim, quos penè filiorum loco habuit, lecto affixos voluit eſſe participes ejuſce humanitatis. Enimvero eos non ſuâ duntaxat præſentiâ, velut benigni ſideris aſpectu, recreabat, ſed pluribus etiam penum, cellámque ſuam & apothecam me-

Margin notes: Xenodochium. — Noſocomium. — Charitas in miſeros. — IV. — V. — VI. Ægrorum cura. — Moribundis data opera. — VII. Curatio funerum.

medicam, quod hodiéque perſeverat, patere voluit, vitámque, quoad potuit, produxit. Ad D. Eliſabethæ quatuor domicilia inſtruxit, collocandis ægris, in quos etiam ſumptum fecit: Ad templi eidem Divæ ſacrandi fabricam largam ſymbolam contulit, reliquóſque exemplo accendit: pupillis etiam in parentum locum affectúſque ſucceſſit: illius enim maximè conſilio auxilióque orphanotrophium erectum eſt, alendis inſtituendíſque pueris ac puellis, quos parentum inhumanitas recèns natos abjecerat, aut ultima inopia redegerat ad incitas.

CHARITAS IN PUPILLOS

VIII.

VITÆ VIRTUTIBUS EXCOLENDÆ SUBSIDIA.

Porrò cùm ſe tot modis in proximos effunderet, nequaquam ſui erat negligens, ſed animi excolendi præſidium nullum prorſus omittebat. Eam ad rem, ſacrum domi ſuæ, plantato nemore, quod eremi horrorem referret, ſibi excitavit aſceterium, ubi veterum patrum inſtituta æmulatus, ſeſe à rerum humanarum ſtrepitu ſubinde ſubduceret; illo præſertim tempore, quod abſtinentiæ vernæ dicatum ſeveriore lege tranſigitur, quódque recolendis Chriſti patientis cruciatibus ſolet à pijs impendi. Ibi tergum flagris ſecare, veſtem ſetis horridam, aut cinctum aſperum corpori induere, prolixiùs cum Deo in oratione congredi, penitiùs in ſe deſcendere, divino epulo, ad quod octavo quoque die ſemel; per Adventum verò & Quadrageſimam, bis accumbebat, animum præparare, aliáque agere, quæ utinam non Principes modò, ſed Magnates quique, & fortunæ inferioris homines vel ex parte imitentur.

IX.

USUS SACRAMENTORUM.

Talem ſeceſſum etiam in prædio ſuburbano ad D. Carolum, talem in Schleiſheimenſi villâ, condidit, quam diſtinctis per intervalla ſex ſacris ædiculis circumdedit, & ſolitariam vitam colentibus attribuit. Iter, quo adeuntur, metis ſeu columnis diſtinxit non ſine ſacro Emblemate, quod animum ad cœlum erigeret.

SCHLEISHEIMENSIA ASCETERIA.

D. Carolo denique Boromæo in Inſulâ ſuburbanâ, quæ frequens à paupertinâ tribu atque opificibus colitur, templum elegans, mirifici operis, penè ultimo voto poſuit exornavítque, domo etiam adjunctâ, quam Parocho ejúſque collegis (quibus ſub Maximiliano Electore ſucceſsêre S. Franciſci Paulæi alumni) contribuit, eo conſilio, ut plebis indigæ, & à paſtoribus aliquantò remotioris, lauto adjuti ſtipendio, curam agerent.

S. CAROLI BOROMÆI ÆDES.

X.

P. Gaſpare Torrentino.

VITÆ CLAUSULA.

Finem non inveniam, ſi perſequi velim ſingula. Vitæ pulcherrimè actæ, ſimilem clauſulam poſuit. Eam cùm inſtare ſibi intelligeret, quæſivit ex Sacerdote, quo conſcientiæ moderatore utebatur, quonam maximè ſtudio Societatis Jeſu Religioſi ad æternitatis iter compararentur? ex quo cùm acciperet, ſolenne ferè eſſe omnibus anteactam vitam relegere in amaritudine animæ; eandem ſibi viam inſiſtendam putavit, diémq; ultimæ exomologeſi eundem legit, qui etiam vitæ ultimus fuit, certus quaſi futuri vates.

XI.

Nam ſuggerenti, proximè inſequentem lucem fore inſtituto aptiorem, reſpondit, ſi peccandum eſſet in partem alterutram, malè ſe maturando, quàm cunctando offendere, in illo certè minus eſſe periculi, plus fiduciæ: quinetiam feſtinari divinum epulum, oleúmque ſupremam luctam inituro juſſit, neque diu pòſt, Sereniſſimis filijs præſentibus, inter Religioſorum Societatis Jeſu precationes, ſine ullo mortis tormento, placidè mortuus eſt, veriùs, vitam mortalem vivere deſijt, ut iniret immortalem. Rigidiſſimas ante mortem leges ſcripſerat, quibus omnem à ſuo funere pompam removit, ne viventis modeſtiæ, ſplendor mortualis, lucem obſtrueret. Diſertè cavit, ne qua laudatio funebris inſtitueretur, dicerentúrque virtutes, quarum ipſe nullam in ſe agnoſceret; ſi quid omnino dicendum eſſet, admonerentur homines humanæ mortalitatis, cujus ipſe exemplum eſſe poſſet. Poëtis ſilentium indixit, ne quiſquam Epitaphio ſibi blandiretur. Sic ijs triſti imperio morem gerere coactis, nihil eſt relictum, præter lugubrem de Principis modeſtiâ querelam.

XII.

IUSTA FUNEBRIA.

Mauſolæum nihilominus temporarium, in Societatis Jeſu templo ipſi extructum fuit opere ſumptúque viſendo, inter quatuor Pyramides ſeu Pharos ardentes, quorum architectura deinde ſtylo, inciſóque ære eſt publicata. Die, quæ mortem eſt ſecuta, ſilentio Fratres Societatis Jeſu adjutores (ita enim ipſe mandârat) in S. Michaëlis templum corpus deportârunt, cætero Collegio comi-

comitante, & nemine, præter Principis familiam, admiſſo ad comitatum, cui ſe Sereniſſimus Albertus filius, cum Sereniſſimâ Conjuge adjunxit. Parentatum eſt illi more apud Jeſuitas recepto, diebúſque ſequentibus juſta fûnebria jugi hoſtiâ perſoluta. Decimus dies funeri ducendo dictus, concurſu totius urbis, omniúmque Ordinum frequentatus eſt, inter quorum confuſas lachrymas, omnibus vel clementiſſimum Principem, vel optimum Parentem complorantibus, à Palatinis Proceribus ſuccollantibus delatus eſt. Tumulandi curâ, ſacris parentalibus ritè peractis, arbitris omnibus remotis, Religioſis Societatis Jeſu datâ, compoſitus fuit in templo ab ipſo ædificato, in hypogæo, quod ſub principe Altari ipſe ſibi delegerat, cum ſpe & opinione vitæ in cælo melioris, ut crederetur templi à ſe conditi apud Deum curam geſturus: neque enim de tantis virtutibus exiliùs judicari potuit, quæ eò ſinceriores fuêre, quò ipſe, præ ſingulari animi demiſſione, minùs eas probavit. Ejus feretro inſculpta eſt hæc epigraphe, quæ compendio ipſius vitam, moréſque exhibet.

XIII.

Epitaphium.

GUILIELMUS V. ALBERTI V. F. COM. PALAT. RHE. UT. BAVARIÆ DUX, HUIUS COLLEGII, ET TEMPLI FUNDATOR, NASCITUR ANN. M. D. XLVIII. SEPTEMB. XXIX. PROVINCIAM A PATRIS MORTE REGIT ANNOS XVII. QUA MAXIMILIANO F. TRADITA, IN SECESSU ET SANCTO OTIO CUM RENATA LOTHARINGA CONIUGE AGIT ANN. VII. SOLUS XXIV. MORITUR AN. M. DC. XXVI. FEBRUAR. VII. HORA POMERIDIANA FERME II. VIXIT IGITUR ANN. LXXVII. MENS. IV. DIES IX. IN AMBIGUO RELIQUIT PIETATE, AN FELICITATE MAIOR ESSET. VIDIT ENIM E FILIIS PHILIPPUM IN PURPURA ROMANA, FERDINANDUM ET MAXIMILIANUM IN OSTRO IMPERIALI: ILLUM ELECTIONE COLONIENSI, HUNC VIRTUTE MILITARI: VIDIT ALBERTUM PROLE STIPATUM: VIDIT DUOS GENEROS ALTERUM CÆSAREM, ALTERUM PRINCIPEM E LUTHERANO CATHOLICUM MAGNO CUM INCREMENTO RELIGIONIS. QUIESCAT ÆTERNUM PARS MUNDI MELIORIS.

Lib. 15. c. 1. An. 1625. pag. 417.

XIV. Refutatur error Lotichii.

Ex his corrigendus eſt error Lotichij, qui Guiliemi obitum in annum M. DC. XXV. retulit, finxítque, eum Carthuſianorum Ordinem, voti causâ, ſuſcepiſſe, & eorum ingreſſum eſſe cœnobium. Quam laudem, ſi è vero eſſet, non inviderem religioſiſſimo Principi, qui haud dubiè, ut omnes cœtus hominum Deo ſacrorum, ſic integerrimum & perpetuâ ſanctitate præſtans Carthuſianorum inſtitutum dilexit quidem, ſed nec vovit unquam, nedum induit, vel fuit profeſſus. Fortaſſe Lotichium decepit fama ædificatæ Guilielmi ſumptibus cellæ aſceticæ, in celebri prope Ratiſbonam ejuſce Ordinis Monaſterio, quâ ipſe hoſpes, per tranſennam, velut brevi diverſorio aliquando uſus eſt, cultu corporis ordinario, & vitæ profeſſione, nullâ parte mutatis. Sat aliunde habet laudum Princeps ſuo ævo laudatiſſimus, qui utinam tot habeat imitatores, quot habuit magnarum virtutum admiratores.

XV. Causæ belli continuati.

A Boicæ luctu progredior ad inſtitutam de publicis narrationem. Anno ſuperiore reducendæ paci, per conſultationes, conventus, litteras, medios partium conciliatores, multa fruſtra tentata, plura bello continuando comparata. Daniæ Regi & inferiori Saxoniæ erat conſtitutum, nec ab armis, neque à recenti cum exteris belli ſocietate, pactóque diſcedere, niſi Friderico Com. Palat. in avitas poſſeſſiones, dignitatémque reſtituto, ſatiſque foret præterea proſpectum Auguſtanæ religionis novitati. Hæc ſaltem capita pro belli obtentu habebantur: quamquam non aberant alia, quæ animos accenderent; ſpes proferendorum

rum finium, odium Romanæ Eccleſiæ, in Auſtriacos invidia, æmulatio Bavarici incrementi, privata commoda, quæ nec ſingulis eadem, neque omnium communia. Nemo Germanorum erat, quod bellis civilibus familiare eſt, quin præ ſe ferret ſtudium tranquillitatis, & debiti in Cæſarem officij. Imperator tot jam injurijs laceſſitus, è ſuâ dignitate, & rè communi non credebat eſſe, haberi leges neglectui, Majeſtatem contemptui, crimina per impunitatem diſſimulari, cedere ſubjectorum armatæ pertinaciæ. Daniæ Rex per litteras in ipſo hujus anni limine, apud Rom. Imperij Electores Catholicos de Cæſare prolixè conqueſtus eſt, quòd Regno Bohemiæ, cæteráque Provinciarum appendice recuperatis, & Friderici Com. Palat. volentis Regni nomen, jus, titulóſque abdicare, vota reſpuerentur, tametſi tum Magnæ Britanniæ Rex, ipſéque Danus, aliíque interceſſores, illius in gratiam recipiendi authores fuiſſent Cæſari: quódque Catholicæ unionis, & Hiſpanorum exercitus per Imperium, ac demum per ſecundam Saxoniam graſſati, iſtius circuli Principes ad meræ naturalis defenſionis, & Danicorum auxiliorum neceſſitatem compuliſſent. Atque eo quidem eſſe factum, ut tum Regi ſummam armorum detulerint, adſciverintque in ſocietatem Ducis Chriſtiani Brunovicenſis & Mansfeldij copias, ad arcendas Cæſaris & Bavari injurias, quæ nullâ adhuc compoſitionis, aut propoſitarum conditionum æquitate potuerint evitari. Eam ob rem, ne Germanici Imperij libertas, leges, pacta conventa, pax religionis, unà cum Orbe Saxoniæ prorſus attererentur, de fœdere fuiſſe cogitandum ad vim repellendam, non ad bellum inferendum Principibus Catholicis, aliiſve Cæſaris fidei obſequióque addictis. Miſſas quidem à Galliæ & Angliæ Regibus per Mansfeldium & Chriſtianum Ducem ſuppetias, ſed quibus eſſet ſola circuli Saxonici defenſio propoſita, non ut cuiquam forent infeſtæ. Eam ob rem adhuc arma Danica & auxilia ſtetiſſe quidem intra cancellos meræ defenſionis, ſed non ſtatura deinceps, niſi Electores, Principéſque Catholici, ſublatâ omni hoſtilitate, omiſsâque circuli iſtius vexatione, in reparandæ pacis ſtudium feriò incumberent. Eæ litteræ vicem fecialis bellum apertè denunciantis fuêre. Circulus verò Saxonicus luculentiùs hoſtilia quæque indixit, quando arreptis faſcibus adverſus Cæſaris authoritatem, edicto publico omnes Circuli ſubjectos, fiduciarios, clientes, qui pro Cæſare militabant, gravi pœnarum denunciatione, à ſignis, militiâque Cæſareâ conatus eſt abſterrere.

Regis Daniæ querimoniæ in Cæſarem. XVI. XVII.

Edictum avocatorium Circuli Saxonici adverſus Cæſarem.

Maximilianus, ratus ejuſmodi programmatis, non Cæſaris modò exiſtimationem, Majeſtatémque lædi graviter, ſed etiam geſta per Catholicæ Unionis Principes vocari in magnam invidiam, quæ incautos ſimpliciorum animos facilè inducerent in fraudem; per Tillium voluit ſcriptum vulgari, quo tum Imperatoris famam, tum Bavarico-Unitorum innocentiam, armorúmque juſtitiam tueretur. Morem geſſit Tillius edito in publicum libello hujuſce argumenti; Nimirum, ut in crimine publico cuivis fas ſit accuſatoris partes ſuſcipere, ſic à ſupremæ in Imperio Majeſtatis defenſione, ne privatũ quidẽ abſq; piaculo poſſe arceri. Ad Danicæ accuſationis capita reſpondit. Primùm quidem abſque cauſâ argui, Imperij jura eſſe violata; enimvero hactenus intactam manſiſſe Confeſſionis Auguſtanæ libertatem, in nullas prorſus Imperij Conſtitutiones, in nulla pacta à Catholicis vim, fraudémque ullam eſſe admiſſam. Exercitus ſupremâ auctoritate Cæſaris comparatos, vel debellandis rebellionum capitibus, vel defendendis Catholicorum, aliorúmque Cæſari obſequentium finibus, fortunis atque juribus, vel arcendæ hoſtilitati hactenus navâſſe operam, illæſis omnibus, qui publicæ quieti ſeſe dedidiſſent. Quibus rebus acceſſerit ſumma Cæſaris voluntas, jus omnium gentium, & ductus primæ rationis, quam Deus naturæ humanæ, populorúmque moribus impreſſit. Deinde in ſecundâ Saxoniâ, ex tot tantiſque militum delectibus, promicuiſſe belli exordia, ut Catholicis ad commune iſtud Imperij periculum & flammam reſtinguendam fuerit accurrendum, quòd non fuiſſent aggreſſuri cum ingenti rerum ſuarum, vitæ ac ſanguinis profuſione, niſi ante omnem de Saxoniâ infeſtandâ cogitationem atque conatum,

Libellus apologeticus Tillii. XVIII. XIX.

periculoſiſſimum incendium erupiſſet. Veſaniæ futurum affine fuiſſe, eouſque decuſſatis ulnis otiosè ſpectare patriæ deflagrationem, donec correptis finitimis, ad pleróſque Imperij Ordines, præſertim ad quietos, & Cæſari morigeros, ad ipſam denique Cæſareæ Majeſtatis ſedem, ſoliúmque pervaderet. Bohemica exempla, quidnam tali re ac tempore agi oportuerit, docuiſſe. Tandem demonſtrent illi, qui tantâ audaciâ Cæſarem vocant in crimen, quicquam ab ipſo Germanicæ libertati unquam fuiſſe detractum: niſi fortaſſe eam cenſeant eſſe Germaniæ libertatem, quâ velint licere ſibi, in Cæſaris Regna, patrimonium, fortunas, ipſam adeò Majeſtatem, vitámque impunè involare, proſcribere Catholicos, omni injuriarum atrocitate inſontes obruere, Eccleſias invadere, ſacras poſſeſſiones diripere, homines ſacros omnibus bonis evertere, perduellibus &
XX. diris Imperij devotis, publicisq; hoſtibus ferre auxilia, in Cæſarem atque communem patriam exteros, ipſum adeò Turcam ac Transſylvanum armare, civitates in buſta redigere, vaſtare provincias, omnia divina, humana, ſurſum deorſum vertere: conteſtari interea, eoſdem illos ſe fidos eſſe Cæſari, juris patriæque amantes, aſſertores libertatis, patronos religionis, Eccleſiarum vindices. Demum ſi tantum ſit ipſis ſacrorum ſtudium, quamobrem ad ea tuenda Calviniſtarum, quos nôrunt, Auguſtanos ritus cane pejùs & angue deteſtari, ipſiúſq; adeò Ottomanicæ crudelitatis opem implorent? Si patriam ſalvam volunt, quid eſt, cur eam externæ potentiæ faciant venalem? Si fidi ſunt Cæſari, quam ob rem tam exilem ejusce Majeſtatis habent rationem? Si obſequentes, unde tam pertinax, & armata quidem obſequij deſertio? Si Cæſarem, quâ par eſt, reverentiâ
XXI. colerent, futurum non fuiſſe, ut in Duces Luneburgicos, ob ſervatam Cæſari fidem, odiorum faces accendiſſent, non parſuri Domino, ſi eum unà cum clientibus in extremos terrarum fines potuiſſent exigere. Poſtremò, queri quidem ipſos de damnis acceptis, ſed magno ſtudio de datis damnis ſilere: cauſari illos, quaſi priores vim ſint paſſi, ſed nondum excidiſſe memoriâ, quam ipſi priores vim attulerint Oſnabrugenſi, Goslarienſi, Hildeſienſi Provincijs, Circulo Weſtphalico, ut Auſtria, Hungaria, Rhenenſis tractus, aliæque regiones taceantur. Patere jam iſtiuſce arrogantiam, qui nuper in Brunonis-Vico oblatam à Cæſare pacem ſprevit, repudiavit: palàm proinde eſſe, eos nihil prorſus habere cauſæ, cur minentur hoſtilia Cæſari, Principibus, Ordinibus Cæſari ſubjectis & obſequentibus: nihil eſſe, quamobrem ullos minacibus avocationibus à Cæſaris obſequio, & legum obſervantiâ deterreant. Certè bruta erant iſta fulmina, quæ per Imperium ab alio, quàm ab Imperij Jove torqueantur.

XXII. De Ducibus Luneburgicis, quod obiter meminit in ſuo libello Tillius, ſic eſt accipiendum. Dux Luneburgicus annis ſuperioribus fuerat quidem Saxoniæ Inferioris partes ſecutus, eâ ſpe, fore ut neque Daniæ Rex, neq; Circuli Proceres quicquam molirentur adverſus Cæſarem: ſed ubi animadvertit, agi alia omnia, eorum ſocietati nuntium remiſit & ſtipendijs, tametſi ſe ipſe antea Daniæ Regi addixerat. Quamobrem Maximilianus ſæpe ſæpius Tillium juſſit, quoad ejus fieri poſſet, ab ipſius finibus, ſubjectorúmque damnis abſtinere. Ergo Dux, ne prorſus tamen inermis eſſet, nudúſque ad ictum, legit peditatum juxtà & equitatum ſat bono numero. Daniæ Rex veritus, ne is miles, Duce volente, Cæſari aliquando foret uſui, ineunte Martio, edicto declaravit, Luneburgicum, ejúſque copias ad ſe, Circulive defenſionem nihil pertinere: attenderent proinde omnes, ne illius auſpicijs adverſus Religionis ſocios, circuli patriæque ſalutem arma gererent; qui ſecus faxit, non impunè laturum, ſi quando in Regis

Cur Dux Luneburgicus obnuntiaverit ſocietati Circuli inferioris Saxoniæ. Rex Daniæ edictum adverſus Ducem vulgat.

XXIII. manus veniret. Seriò poſt hæc armis res agi cœpta. Daniæ Rex, per ſuum Legatum Ducem Weinmarienſem, invaſit Oſnabrugenſem ditionem, qui, Widenburgo inopinatâ irruptione oppreſſo, Sanctimonialium Cœnobia, Eccleſiaſticorum, & nonnullorum civium ædes militi diripiendas permiſit, à Monaſterienſibus octoginta Ferdinandicorum millia expreſſit. Danici, caſtro Rederodo potiti, Comitem Schlickium juniorem; Fridevaldæ Baronem Kinskium captivos ſe-

Daniæ Rex invadit Oſnabrugenſem ditionem.

vos fecêre. Menſe Aprili, Springam deditione acceprêre. Iſthic curabat cohors unica ex Herlebergicâ legione: reſtitit illa quidem magnis animis, ſed cùm ignis ab hoſte injectus, oppidi lignea tecta corripuiſſet, nec modus eſſet reſtinguendi incendij, præſidiarij vi æſtûs intra mœnium anguſta graſſantis adacti, vitam, ſarcináſque pacti, exceſsêre. SPRINGAM DEDITIONE ACCIPIT.

Menſe Martio Mansfeldius Serveſtam, oſcitantiùs cuſtoditam, admotis ſcalis inobſervatus occupavit, conciſo quadringentorum Fridlandiorum præſidio: Havelbergam quoque ac vetus Brandeburgum ſuæ poteſtatis fecit, nemine obſiſtente. MANSFELDIUS SERVESTAM ET HAVELBERGAM INVADIT, ET VETUS BRANDEBURGUM.

XXIV. E diverſo Tillius, qui adhuc ſuas in Brunſviciâ copias continuerat, quò graſſandi ſpatia hoſti arctaret, cohiberétque hoſtilem libertatem, Erwitum Tribunum cum ſuâ Legione in Mindenſium finibus Viſurgis oram juſſit tueri. Linteloum verò cum duabus equitum, quatuordecim legionariorum vexillationibus, Brackeliæ, quæ eſt Padebornenſis imperij, impoſuit; ut, ſi qua vis à Danis immineret, eam reprimeret, vel ſaltem, dum ſuppetiæ venirent, ſuſtineret: ipſe verò Tillius caſtra movit ad ſylvam Herciniam. Chriſtianus Brunſvicius, menſe Aprili, cum expeditâ phalange Goslariam civitatem Auguſtalem vi aggreſſus, credidit ſe primo ſtatim impetu expugnaturum. Quare tormentis æneis tum urbem, tum mœnia verberans, tribus portis inſititias machinas affixit, nullo alio operæ pretio, quàm, quòd unâ effractâ, è ſuo milite non paucos, propugnantiũ telis objectos, internecioni & captivitati expoſuit. Collectis ergo vaſis, cùm oppidani multos, factâ eruptione, cecidiſſent, plures ſauciâſſent, Chriſtianus in Trentelburgicam dynaſtiam contendit, atque inde Northemium, Gœttingam & Mindam annonâ copioſâ, quam in Eisfeldiâ corraſerat, implevit. Ejus miles paſſim per finitimos graſſatus, Northemium in Eisfeldiâ, Steinhemenſe Cœnobium in agro Moguntino, nobile Aſceterium Hochlemienſe in Melibocis, Naumburgum, Alterſtadium, aliáque loca igne corrupit. Nihilo, quàm ipſe, mitiores fuêre per id tempus aliquot Haſſicorum agreſtium centuriæ, qui conglobati quinas Nobilium arces, præſidiarijs interfectis, accenſas, redegêre in cineres. Id erat videlicet, Cæſarem revereri, ſervare patriam, conſulere Imperio, rogare præteritorum facinorum veniam. DUX CHRISTIANUS SUORUM CLADE OBSIDET GOSLARIAM. XXV. VARIA LODA INCENDIT. AGRICOLÆ HASSICI GRASSANTUR INCENDIIS.

Mansfeldium ad exitum properantem proſequamur. Is in agro Anhaltino & Serveſtano aliquanto tempore ſubſtiterat, cùm de Teſſavienſi ponte, quem Fridlandus propugnaculo & milite munierat, expugnando conſilium cepit. Videbat, ſi id effectum daret, quanti futurum eſſet emolumenti ad Albis trajectum, latéque proferendas excurſiones receptúſque, ſi res poſceret. Quamobrem contractas copias Cal. Aprilis oppugnando ponti admovit. Prima lux data propugnaculo curulibus tormentis labefactando. Verùm, cùm tuendo ponti Altringerus tribunus tam fortem daret operam, ut diffideret Mansfeldius ſe in præſens eo potiturum, luce poſterâ ſolvit obſidium. Et jam dies menſis vigeſimus illuxerat, cùm Adminiſtratoris Magdeburgenſis copijs auctus, redijt ad pontem. Altringerus, qui eodem loci cum ſuâ Legione curabat, extemplo monet Fridlandum, non vindicandi modò pontis, ſed etiam debellandi Mansfeldij occaſionem adveniſſe, ſi modò cum exercitu, citatis itineribus, veniat ſuppetias. Fridlandus, præmiſſo cum aliquot manipulis Schlickio, ipſe ad 8. Cal. Majas propugnaculum ingreditur: exercitum jubet die poſtero in ulteriore Albis ripâ extra Mansfeldij conſpectum adeſſe. Jam invaſerant Cæſariani partem valli Mansfeldici: id quò recuperarent, eo die, ſub primum ſolis ortum, invecti in Cæſarianos, magnâ clade rejiciuntur. Fridlandus mox ſub horam ſolis nonam, quanto poteſt ſilentio, equitatum (ne expectatis quidem Legionibus, quæ ſequebantur) per pontem traductum in Mansfeldicos nihil tale opinantes immittit. In ſubeuntes horrendum fulminârunt machinæ Mansfeldij, dúmque primores Cæſarianorum ab excubitoribus tantiſper prohibentur, Mansfeldius reliquum exercitum educit in aciem. Quare pro caſtris oritur acre certamen, donec ortum, ex Pu- XXVI. MANSFELDIUS PONTEM TESSAVIENSEM AGGREDITUR. AB OBSIDIONE DISCEDIT. FRIDLANDUS VENIT SUPPETIAS. XXVII. PUGNA AD PONTEM TESSAVIENSEM.

ex Punicis miſſilibus in Mansfeldij impedimentis, incendium, unà nitratum pulverem accendit. Is caſus Mansfeldium monuit de ſubducendo peditatu, déque tormentis, & impedimentis, ſi quà poſſet, in tutum recipiendis. Dat ergo alarijs negotium, ut tantillum Cæſarianis obſiſtant, dum rurſus pro caſtris in patente campo aciem inſtrueret.

XXIIX. MANSFELDIUS VINCITUR.

Id præcipitantiæ victoriam antè dubiam egit in manus Fridlandi. Equitatus enim Mansfeldicus à Legionibus deſertus, Cæſarianis impar, pôſt paulò fractus fuſúſque, datus in fugam Legiones viciſſim deſtituit. Quare totus Mansfeldij peditatus Cæſarianorum ferro objectus, pugnâ admodum cruentâ obtritus eſt. Memorantur ter mille cæſi in veſtigio, cum tribus Chiliarchis, multíſque minoris notæ Ductoribus. Neuhuſius, Collius, Verentius, Kniphuſius Tribuni capti cum magnâ parte gregarij militis. Simul venêre in Fridlandi poteſtatem machinæ æneæ majoris modi ſeptem, mortaria duo, cæterúmque inſtrumentum & ſarcinæ. Vexilla item triginta quatuor, ſigna equeſtria ſex.

DUX FRIDLANDUS SERVESTAM RECIPIT.

Eâdem confeſtim die, Fridlandus Serveſtam, unde Mansfeldici diffugerant, multúmque annonæ, pronis ad deditionem civibus, recepit. Mansfeldius porrò malè mulctatus cum exercitûs ſui reliquijs in Brandeburgicum Marchionatum refugit, nihilo quàm antè felicior, aut à prædis abſtinentior.

XXIX. MANSFELDIUS EXERCITUM INSTAURAT.

Sed quod mireris, poſt tot infortunatos eventus tantum adhuc reperit fidei, ut ex recèns ſcriptis Magdeburgici Adminiſtratoris copijs, ex ſuæ cladis fragmentis, ter mille Scotis, bis mille Danicis ſclopetarijs, & Fuchſij Tribuni equitatu, intra menſis unius ſpatium, rurſus exercitum quindecim millium conflârit, Tangermundam munierit aggeribus, delatúſque in fines Havelſpergenſes, Ducatum Megapolitanum, & Brandeburgicum Marchionatum, reficiendo militi depopulationibusque conceſſerit. Id cùm Electori Brandeburgico accideret perincommodè, Garlebium, Stendelam, & Brandeburgum, ne pariter Mansfeldicorum rapinis paterent, firmavit præſidio. Cæterùm, colonis injuriâ exacerbatis, manus pruriebant ad vindictam, jámque erant in procinctu, ut mille Mansfeldicos, quos ductabat Putlicius, involarent; ſed fuêre per Crachtenum Brandeburgicum Præfectum à cœpto prohibiti.

XXX. ELECTOR BRANDEBURGICUS SUSPECTUS COLLUSIONIS CUM MANSFELDIO.

Quæ res nonnihil reddidêre Electorem ſuſpectum, humanæ mentis genio, facilè res ſequiorem in partem accipientis, quaſi cum hoſte colluderet: eò præſertim, quòd recèns Daniæ Regis Legatum Betlemi Gaboris conſanguineum amicè excepiſſet, quòd ex Marchionatus indigenis multi ad Mansfeldij ſigna confluxiſſent, tandem etiam Mansfeldio in Sileſiam moventi tuta omnia & annonam præbuiſſet. Ex ijs, quos dixi, colonis, ducenti juvenes, neglecto Præfecti imperio, aliquot Mansfeldicorum centurias in ſtativis oppreſſas egêre in fugam; ſed miſeris agreſtibus caro ſtetit iſthæc audacia, multis circùm villis pagiſque concrematis à Mansfeldio: qui exinde Joanni Erneſto Duci Weinmario junctus, iter intendit in Moraviam, ubi miſerè vaſtavit Principis Lichtenſteinij dynaſtias, & ſuas auxit copias aliquot millium acceſſione; tantum ijs locis erat Cæſarianarum partium & rei Catholicæ odium.

MANSFELDIUS GRASSATUR IN MORAVIA ET SILESIA.

Movit ſub hæc in Sileſiam, invaſit Polono-Oſtrium, quod erat Cardinalis Ditrichſteinij, aliáque ejuſce regionis præſidia.

XXXI.

Cæſar, ut tot malis graſſantem frenaret, juſſit Ducem Saxo-Lauenburgicum & Tribunum Pallandum cum expeditis copijs occùrrere, &, ſi quæ ſors ferret, pugnæ copiam facere.

CASTRA FIRMAT, DETRECTAT PUGNAM.

Verùm Mansfeldius ad Gabeluncam, quæ ab Olomucio duarum horarum diſtat itinere, caſtris opere valido munitis, ſe non eſt paſſus ad prælium adigi. Ad eum cùm multi interea, prædas ſimul & ſtipendia facturi, concurriſſent, adveniſſentetiam auxiliares Hungari duodecim millia, cœpit latè terrorem circumferre.

XXXII. LIPNICAM SUO DAMNO OBSIDET.

Et ſanè metus erat, ne, occupatis munitionibus, pedem in ijs regionibus figeret; ſed ſive eum fortuna deſtitueret, ſive aliò urgerent fata, cùm Lipnicam eſſet adortus, tantum abfuit, ut eam ſubigeret, ut rejectus fuerit cum ducentorum è ſuis ſtrage. Inde motis caſtris, Popini quaternas ex æneis baliſtis grandioribus, ob nimia viarum incommoda, coactus eſt miſſas facere.

PROFICISCITUR IN HUNGARIAM.

Pôſt tentato fruſtra trajectu ad Cremeſſicam, ponte à defenſoribus

ſolúto,

ſoluto, rectà ad Betlemum profectus eſt in Hungariam. Tranſchinum progreſſus, pontem, Vagæ flumini impoſitum, occupavit ad 6. Id. Septembris, munivítq; præſidio, quod pòſt paulò, ponte à Cæſarianis recuperato, vel interemptum, vel captum. Inter hæc rurſus accepit ter mille levis armaturæ equites à Gabore, qui ipſe ad Cal. Octob. cum univerſo ſuo exercitu Caſcoviam profectus, de juvando Mansfeldio egit ex Ordinum ejuſce Provinciæ ſententiâ. Sic præter cælum omnia in Mansfeldij auxilium videbantur conſpirare. Verùm cùm ipſe tandem relicto apud Betlemum exercitu, novarum turbarum ſtudio, egiſſet cum Rege Britanniæ, & ad Turcam mandatis inſtructus adverſus Cæſarem cogitaret, in itinere, loco obſcuro, inter Zaram & Spalatam, teſtamento militari condito, ſub ineuntem Decembrem efflavit animam. Retulêre aliqui in commentarios, Mufticam Budenſem ſectæ Mahometanæ Antiſtitem moribundo, liberi ad Mahometem commeatûs teſſeram, cum ſyngraphâ, obtuliſſe. Fuit Erneſtus Mansfeldius Petri Erneſti Mansfeldij nobiliſſimi togâ bellóque Comitis, qui rebus pro Domo Auſtriacâ geſtis clariſſimus, Belgio, tandémque Ducatui Luxenburgico cum laude præfuit, filius naturalis. In Hungariâ militiæ tirocinium fecit auſpicijs Caroli Comitis Mansfeldij, Petri Erneſti F. Archiduci Leopoldo in Alſatiâ Legionem duxit, ſeduxitque factâ ſeceſſione. Sabaudo adverſus Hiſpanos, in Inſubriâ; in Germaniâ, adverſus Cæſarem, Bohemis; ac demum Friderico Com. Palatino infeliciter meruit, optimi parentis degener filius.

Suppetias accipit a Betlemo.

XXXIII

Eum menſe Majo præceſſerat Chriſtianus Dux Brunovicenſis Halberſtadius, quem Daniæ Rex, depoſito Ulrico Friderico natu majore, in hujus dominatum & Wolfenbutam intruſerat. Is alterum menſem, fratri juxtà ac Ordinibus inviſus, cùm Provinciæ gravis incubaret, lethali morbo correptus, vitam finijt, cùm vix annum ætatis vigeſimum attigiſſet. Creditus eſt à lumbrico, quem Medici Græco vocabulo Tainiam nuncupant (eò quòd vermis iſte, faſciæ, quâ mulieres capillum vinciunt, formam exprimit, & per inteſtina ad multas aliquando ulnas protenditur) qualis in exenterato Chriſtiani corpore repertus eſt, ſive naturæ vitio, ſeu Numinis irâ, fuiſſe extinctus.

Dum res in eo eſſent, periculoſus in primâ Auſtriâ ad Anaſſum exortus eſt tumultus agreſtium. Ferox ea gens Acatholicorum rituum, qui Cæſareo edicto tum ex eâ Provinciâ eliminabantur, contumaciter retinens, conjuravit in Cæſarem juxtà ac Maximilianum Electorem, certa non quieſcere, niſi debellata, aut compos prioris in Acatholiciſmo libertatis. Conſpiratio è popinis ſenſim in vicos ac municipia per clancularias coitiones propagata. Accuſabant ſacerdotum & æadituorum avaritiam, quaſi funerum ſumptus iniquè exigerent: querebantur, ab ijs, qui religionis causâ è patrijs ſedibus migrarent, plus juſto referri in fiſcum de venditis poſſeſſionibus, tametſi debita duntaxat pórtio caperetur. Addebant commenta, eáque vaniſſima, de nonnullis, ſacrorum causâ, capitali ſupplicio affectis, jactabántque, ſe talibus exemplis ad arma incitari. Averſabantur præterea militum contubernia, hiberna, prædas, collectarum onera: repoſcebant priſtinos Lutherani verbi Præcones, Ludimagiſtros, immunitatem à militaribus ſtativis, transportationibus, aliiſque militiæ ſubſidijs. Factâ conjuratione, mox ipſo ſtatim initio, multa colonorum millia, adſcitis rei militaris peritis, qui ordines ducerent, confluxêre. Crediti ſunt in eam colluviem veniſſe etiam aliquot ejuſce gentis equeſtris ordinis nobiles. Occupavêre primùm municipia & oppida indefenſa. Inter hæc Dachsberga, Grieskirchium, Bartium, alia. Peurbachium, Watzenkirchium incinerârunt. Sævitum in ſacros homines, eóſque, qui à conſpiratione erant alieni: permultis, eâ causâ, villæ concrematæ. Viri inſignes non pauci dati in vincula: rapta ex oppidis tela, murales baliſtæ, belli inſtrumentum. Plurimis telorum loco, clavæ ferreis mucronibus radiatæ, quas à radijs & ſpecie, phoſphoros, ſive ſtellas matutinas vocabant: multi magicis carminibus adverſùm vulnera durati.

Tumultus Superioris Austriæ.

XXXIV

XXXV.

Obtensæ causæ tumultus.

Sæviunt in res,

Et personas.

Comes Herberſtorffius Provinciæ, Maximilano Septemviro oppignoratæ,

cum poteſtate præerat. Credidit, ſe naſcentem tumultum imbellémque turbam, aliquot Croatarum & peditum, quos ad manum habebat, centurijs, & unicâ ca-

XXXVI taphractorum turmâ oppreſſurum.

Primo conflictu victores evadunt.

Ut venit in agreſtium conſpectum, præter opinionem reperit, digeſtis in aciem ordinibus, pugnæ avidos. Poſt principia aliquot millia, averſo colle tectos, locaverant in inſidijs. Venitur ad manus, pugnatúrque acriter Marte ancipiti. Victoriam inclinaverunt coloni ſubſidiarij, magnâ vi in Herberſtorffianos è latere clivi erumpentes. Cataphracti, multitudine circumventi, plerique ceciderunt: Herberſtorfius cum Croatis aliquot, & quadringentis peditibus ægrè Linzium evaſit.

Invadunt aliquot oppida.

Eâ victoriâ ruſtici redditi efferatiores, Welſium, Styram, Lampachum, Gemindam ilicò invaſerunt; diripuêre nobile & opulentum Cremifanenſe Cœnobium. Re delatâ ad Cæſarem, optimum factu viſum, agreſtes delinire clementiâ, addictâ rebellionis impunitate.

XXXVII.

Respuunt oblatam criminis admiſſi veniam.

A Cæſare cum litteris adlegati Commiſſarij. Juſſi ruſtici arma ponere, & ad ſuas ſinguli villas ſecurè reverti, negant, ſe imperata facturos, & Commiſſariis obſidum loco retentis, è ſuo numero ſenos mittunt ad Cæſarem, qui motûs excitati reddant rationem. Auditis à Regiminis Cancellario, cùm nihil, præter Religionis Acatholicæ libertatem, & immunitatem à Bavarico milite poſcerent, promiſſa eſt admiſſi criminis venia, ſi tumultûs authores Magiſtratui dederent. Hoc verò detrectavêre ruſtici, & longè quàm antè ferociores Emſium, ſuperatis mœnibus, dum deditionis leges cum præſidio paciſcuntur, occupant, audéntque à Bohemis Crumlovienſibus annonam, à Linzenſibus Herberſtorfij traditionem, ab Equeſtri Ordine cæteráque Provinciâ Anaſſinâ belli ſocietatem minaciter poſtulare. Tam nihil in rudi hominum barbarie, rebus ſecundis moderatum.

XXXVIII.

Obſident Linzium.

Iſta cùm non ſucceſſiſſent, Linzenſia mœnia cœpêre quatere tormentis majoribus, mox facere impreſſionem, à quâ fuêre rejecti cum ducentorum è ſuis internecione.

Clades accipiunt.

Eâ clade vecordes, civitatis ſuburbana corrupêre incendijs. Auſi rurſus 12. Cal. Sextil. ſubire mœnia, audaciam luerunt quingentis occiſorum capitibus. Eâ clade aliquantum perculſi, velut fortunâ jam adverſante, ad breve tempus iras poſuêre, non pervicaciam. Acceſſit altera à Lebelio Tribuno calamitas. Is enim, Anaſſo amne transmiſſo, ruſticorum ſtationem, quæ pro ponte Anaſſino excubabat, oppreſſit, profligavítque, plurimis obtruncatis, abductiſque cum armenti aliquâ copiâ, æneis balliſtis aliquot. Hinc laxatæ anguſtiæ Linzenſis obſidionis.

Repetunt intermiſſam obſidionem.

Ruſtici nihilo ſecius, reſumptis animis, Freiſtadio in Bohemiæ finibus potiti, 4. Cal. Auguſti ad Linzij obſidionem longè, quàm antè majore ferociâ rediêre. Murus à tormentis labem cùm accepiſſet, millenos per turmas ſingulas diſpoſuêre, qui incurrerent, quibus alij mille recentes ſuccederent in orbem abſque omni intermiſſione.

XXXIX.

Infeliciter Linzium oppugnant.

Juſſi ſinguli lignorum faſcem, ſaxis fartum, ex adverſo dejectorum mœnium, foſſæ urbis æquandæ injicere. Propè aberat civitas ab ultimo diſcrimine, niſi generoſus propugnatorum ardor virtúſque adfuiſſet. Agreſtes, confertim ac temere irruentes, cadebant perfrequentes proſtrati ignivomis machinatum miſſilibus. Pereuntium caſus nihil deijciebat ſuperſtitum animos, tantus erat amor vincendi. Cùm ſarmentis, lapidúmque & terræ congerie foſſam propè æquâſſent, nec præſidiarijs ſatis eſſet in ferro præſidij, picatis doliorum circulis, malleolis, aliíſque id genus pyreis miſſilibus, è mœnibus agi cœptum.

XL.

His ſarmenta correpta, accenſæ lineæ agreſtium veſtes pertinacem flammam proferebant in corpora. Quos ea peſtis attigit, ferme omnes uſtulati periêre. Malum augebat jugis pyrearum glandium ex omnis modi tormentis procella. In eâ dimicatione ruſtici plures mille occubuêre, longè plures debilitati vulneribus. Inde horror, & urbis per iſtam impreſſionem invadendæ deſperatio.

Caſtra removent.

Caſtris ergo, ad mille circiter paſſuum intervallum, remotis, occupant omnes aditus, prohibent annonam, omnem commeatum, famem accerſunt in auxilium, Eam ad rem immani ductâ per Danubium, & ex utroque littore nexâ, protenſâque catenâ, additis utrinque propugna-

gna-

gnaculis, & bis mille excubitorum præſidio, ſic frenavêre alveum, ut omnem ſecundo flumine advehendæ annonæ, auxiliique facultatem obſeſſis viderentur ademiſſe. Cinxêre deinde caſtra tam validis foſſarum & aggerum operibus, ut eorum expugnandorum tenuis ſpes ſupereſſet. Quò minùs rurſus in mœnia incurrerent, prohibebat nitrati pulveris & plumbearum glandium inopia. Hæc petiêre à ſocijs, qui adverſam Danubij ripam pro excubijs tuebantur. Ergo adornantur quinque navigia, quæ id inſtrumenti & auxiliares ruſticos deportent ad caſtra. Notata hæc ab urbis vigilijs, ipsóque Gubernatore, qui per tubum opticum ruſticorum diſcurſiones, cæterúmque apparatum arbitrabatur. Quare in ſuburbanâ domo, quà tranſeundum foret ruſticis, abdit in inſidijs trecentos ſclopetarios. Ruſtici ſe noctis beneficio tectos tutóſque fore rati, nocte concubiâ, cælóque tenebricoſo, ſolvunt ex adverſo Danubij littore, appellúntque pone diſpoſitas inſidias. Sclopetarij ſilentio è domo progreſſi offendunt, navibus omnibus littori admotis, vectores aliquammultos, excenſione factâ, ex unâ navium efferre onera. In hos invecti triginta mox ſternunt, ſenos vinciunt, multos propellunt in Danubium: cæteri cum binis tormentis & pyrio pulvere in proximam navem recepti, cùm crebris ſcloporum ictibus peterentur, pulvere per globum miſſilem accenſo, diffractâque nave, projecti in profluentem. Tria, quæ reliqua erant navigia, plumbeis globis onuſta à Bavaricis cremata, cum demerſis vectoribus periêre. Ea res in caſtris varios fecit motus agreſtium animorum. Nihilo tamen ſeciùs paucis pòſt diebus, *Styræ* arcem Cæſaream, Parœciale templum, Dominicanorum & Capucinorum Cœnobia, rebus omnibus ſpoliata, immaniter deformârunt. Subinde cum ijs de tumultu componendo Molecæ tractatum, pactis interim, dum tractaretur, inducijs: ſed cùm petita fidei libertas negaretur, re infectâ, ſoluta eſt tractatio. Ergo domandis agreſtibus, ſubmiſſis tum à Cæſare, tum à Maximiliano auxilijs, viciſsim illi ad arma recurrentes, novam in Linzianos ſub naſcentem Septembrem fecêre impreſsionem, cum ter mille, qui occubuerunt, multorúmque captivorum jacturâ, quam ulti ſunt, oppreſsis auxiliarijs Holſteinianæ legionis. Eam nocte intempeſtâ, 13. Cal. Octob. ad Liechtrucum aggreſſi ex improviſo, luculentâ cæde profligârunt. Nec fortunatior paulò pòſt fuit ſors Bavaricorum, quos Lintelous & Hubnerus adduxerant, tametſi principio viſa eſt fortuna cœptis arridere; quando aliquot colonorũ centurias in Monte ſaccaraceo obtrivêre. Sed die poſtero alios vultus ſors mutata induit, cùm acies concurrêre. E ſylvâ enim prodeuntes agricolæ, tormentorum jaculis à Bavaricis excepti paulatim ceſsêre, donec delati ad montis proximi radicem, ubi decem ſociorum millia collocârunt in inſidijs, fronte obversâ tantâ vi excepêre Linteloum, ut magnâ ſtrage editâ, captiſque manubijs, Bavaricos in effuſam fugam egerint. Inde Iſchalaviam in Bohemiâ, cùm ſolennis iſthic mercatus haberetur, diripuerunt. Pòſt Schlegelienſe Cœnobium exuſſerunt, ubi ducentos Catholicos trucidârunt. Penè par fuit Monaſterij Willingenſis infelicitas, ubi ſævitum promiſcuè in populares, qui domi quieſcere, quàm belli aleam ſubire maluerant. Ex ſecundo rerum ſucceſſu, cùm creviſſet furor & audentia ruſticorum, vis major debuit adhiberi. Maximilianus id negotij dedit Comiti Pappenheimio, qui cum ſex armatorum millibus, junctus Cæſarianis, turbas iſtas comprimeret. Fines primæ Auſtriæ, vixque ſic erant ab agreſtibus inſeſſæ atque impeditæ, ut (quod ſæpius cum damno tentatum) niſi cum magnâ difficultate non poſſent perrumpi, aut Cæſariani cum Bavaricis ſociari. Pappenheimius agreſtes hâc arte deluſit. Schardingam, quæ Oeno alluitur, ubi pervenit, centum equites, & peditum octo cohortes navibus imponit, ſimul præ ſe fert, copias univerſas ſecundo Danubio, in quem Oenus Patavij influit, Linzium navigaturas. Hujus rei famâ ſtudio latè paſſim vulgatâ, terreſtri itinere reliquum exercitum deduxit Patavium, quaſi iſthic eſſet pernoctaturus. Verùm nocte concubiâ profectus, Grisbachij alios navigantes aſſecutus, totum exercitum uno agmine poſtrid. Cal. Novemb. juſſit properare. Diem igi-

Marginalia: XLI. — Cædvntur ex insidiis. — XLII. Templa suburbana spoliant. Profligant Holsteinianam legionem. — Zuckerberg. — XLIII. Bavaricos prælio vincunt. Diripiunt mercatum in Bohemia. Sæviunt in Monasteria et populares. — XLIV. Comes Pappenheimius ducit in superiorem Austriam. Eius strategema.

igitur, noctémque continenter progreſſus, ruſticis ſic prævertit, ut primo diluculo jam eo loco conſiſteret, in quo, veſpere inſequente, primùm futurus eſſe credebatur. Cùm igitur tantam itineris celeritatem agreſtes non caperent, putaréntque copias omnes navigare, convolant ad Danubium, quem tum catenis, tum rudentibus transversum magnâ vi extenſis, octonis locis, ne navigijs eſſet pervius, junxerant, quaſi in navigantes facturi inde eſſent impetum. Sic Pappenheimio diverſo itinere facta copia penetrandi Linzium ad Cæſarianos. Iſthic reficiendo militi tridui quiete conceſsâ, 6. Id. Novemb. ſociatis cum Lœbelio Cæſariano copijs, rectâ contendit in agreſtes. Prima caſtra habuit haud procul Eferdingâ, quam rebelles inſederant. Illic poſtridie aciem inſtruit, munitque à fronte ſex majoris modi æneis machinis. Cæſarianis ala ſiniſtra ceſſit, dextra Bavaricis, Holſteinianis mille ſclopetarijs agmen poſtremum atque ſubſidia, Turrio centurioni machinarum cuſtodia. Agreſtes contrà ſylvam, transverſis arboribus ſepimentiſque intricatam, medio inter Eferdingam & Pappenheimium intervallo, in catervas diſpoſiti occupant. Subinde ſe conglobati extra ſylvam oſtentant, móxque ſeſe abdunt in ſuas latebras. Die ad eum modum bonam partem conſumptâ, cùm copioſus imber receptui ſignum dare videretur, jubet Pappenheimius tormenta in ſylvam ruſticóſque fulminare. Sic editâ in ipſis ſtrage irritati, aciem educunt ad dextrum Bavaricorum cornu, in quo binæ alariorum turmæ; ſimul progreſſi ad lævam, incredibili audaciâ invehuntur in Lœbelianos equites, à quibus poſt acre certamen agreſtes conjecti fuêre in fugam.

Jungitur Cæſarianis. XLV.

Ruſticos vincit. XLVI.

XLVII. Qui in ſylva reſtiterant, fuſi à Cæſarianis baliſtarijs: aliquammulti in arbores enixi, inter ramos glandibus in imum fuêre decuſſi. Res inter hæc adverſus Pappenheimium acerrimè agebatur, jámque in eo erat, ut agreſtes curulibus machinis potirentur. Hos Buttbergius Pappenheimianæ Legionis Legatus, cum duabus cohortibus, & recenti equitum peditúmque robore tantiſper ſuſtinuit, donec Pappenheimius inclinatam aciem quà prece, quà minis reſtituit, & demum poſt cruentam duarum horarum pugnam agreſtes fudit. Horum nonnullis Eferdingam, alijs ad Danubium fugâ dilapſis, ad ter mille in loco ceciderunt. Achatius Willingerus ſupremus rebellium ductor, qui adactum è grandiore baliſtâ globum ſecundum pectus arte magicâ innoxius exceperat, Curtenbachij manu fuit interemptus. E Bavaricis pauci deſiderati: Curtenbachius Chiliarcha gemino vulnere ſauciatus.

Fluctuat acies Bavarica.

Funduntur ruſtici.

XLIIX. Sub noctis medium, Eferdingenſes cum oppidi clavibus Pappenheimio ſupplices adfuêre, referentes, perduelles colonos, relictis in oppido quinque tormentis majoribus, diffugiſſe. Gemundam illi nihilo minùs pergebant obſidere: verùm Pappenheimius, luſtratâ Eferdingâ, poſt velitarem conflictum, libratóſque aliquot tormentorum ictus, 12. Cal. Decemb. eos ab obſidione diſpulit.

Repelluntur a Gemunda.

Qui cladi ſuperfuerant ad octo recentium auxiliariorum millia, noctis ſilentio ſylvulam priori non abſimilem occupant delectúmque juvenem è ludo litterario & Lutheranâ diſciplinâ recentem, audaciâ, temeritate, & Dæmonis tutelâ priori geminum, Ductorem ſibi præficiunt. Eos è veſtigio inſectatus Pappenheimius, rurſus in ipſorum conſpectu aciem explicat, Cæſarianis in dextro cornu, Bavaricis in ſiniſtro locatis. A concionali rabulâ agreſtes ad prælium magnâ fidentiâ capeſſendum incitati, pſalmo pro more decantato, velut œſtro perciti ceritíque, è dumetis tantâ vi in Cæſarianos irruunt, ut, quamlibet fortiter reſiſtentes, poſt pertinacem dimicationem dederint in fugam. Totâ exinde prælij moles Pappenheimio incubuit, incredibili agreſtium ardore. Jam eorum novus è ſchola Ductor, gemini capuli prævalidâ inſtructus macherâ, aliquoties ſtrage hinc & hinc editâ, per laxatos ordines perruperat, fluctuabátque Boica acies, ad ducentos paſſus retro dimota. Quo in diſcrimine Pappenheimius ducentos ſclopetarios, quos poſt agri ſepimentum in ſubſidijs ſtatuerat, emittit in ruſticos. Datum hinc initium reparandis ordinibus. Succeſsêre geminæ

XLIX. *Bellum inſtaurant.* *Fugant alam Cæſarianorum.* *Bavaricam inclinant.* L.

minæ equitum turmæ, & Torrius cum aliquot manipulis, quos ex fugâ collegerat. Pugna recrudeſcens quatuor omnino horas tenuit, donec fracti agreſtes, confuſi victíque retulêre pedem. Supererat adhuc certamen adverſus illos, qui, Cæſarianorum onuſti manubijs, prælium integrârant. In hos Pappenheimius cohortes aliquot, quas adhuc in ſubſidijs recentes ſervaverat, ire jubet, avertitque in fugam. Machinæ Cæſarianis ereptæ Pappenheimio, ſpolia militi, venêre in manus. Saluti fuit Boicis, objectu ſylvulæ Cæſarianorum fugam non notâſſe: quam ſi notâſſent, in tanto diſcrimine pronum fuiſſet terrefactis, fugientium exemplum ſectari. Eâ pugnâ occubuêre coloni quater mille, cæteri per ſylvarum, montium, vallium avia, devia, diffuſi.

Pugna re- crudeſcit. Superantur ruſtici.

LI. Poſt tot clades & devictorum funera potuiſſet videri jam eſſe debellatum: ſed gemina adhucdum prælia ſupererant. Priore ad Veclabrugum 3. Cal. Dec. poſteriore prid. Cal. Dec. rebelles denuo cæſi, amiſſis ſeptem æneis machinis, duobus inſuper tumultuum capitibus, & ſociorum aliquot millibus, devicti ſunt. Reliqui ſeditionis authores in Moraviam, Bohemiã, aliò profugi, miſeram traxêre vitam; gregarij ad ſuas quiq; ſedes reverterunt. Ne verò in cœtus rurſum & bella coirent, Pappenheimius exercitum per municipia vicóſq; miſit hibernatũ, Danubij propugnacula ſolo æquavit, ſuſtulit catenas, ac rudentes, & demum paucos intra dies quietem Provinciæ reddidit. Aliquot rebellionis ſuaſores, ferro, reſti, rotâ, dedêre pœnas. Oppidis adempta privilegia. Atque hic quidem fuit exitus funeſti tumultûs, non veſaniæ, rurſus in turbas erupturæ.

Rurſus bis cæduntur. Pacatur ſuperior Auſtria.

LII. Erneſtus Dux Weinmarius, quem paulò antè junxiſſe cum Mansfeldio copias, ejúſque profectionem ad Betlemum, donec pericula confligendi evaderet, proſecutum eſſe, memoravimus; deinceps, ubi ſubſidiariam operam ſupervaceneam eſſe, arbitratus eſt, converſo agmine relegit iter in Moraviam, atque inde in Sileſiam, ubi Jägerndorfium & Oppeliam invaſit, firmavitq; præſidio. Huic coërcendo miſſus Comes Schlickius cum aliquot armatorum millibus, unáque Serinus Comes cum equitibus Liburnis. Verùm cùm Weinmario, qui duodecim millia ſub ſignis habebat, creſcebátque indies magno multorum confluxu, pares non eſſent; Sileſij, delectu habito, quo quintus quiſque militiæ idoneus legebatur, duplici Principis Lignicenſis Sileſiæ Præfecti edicto, juſſi ſunt eſſe in armis, & Weinmarium habere pro hoſte.

Erneſtus Dux Weinmarius invadit Opeliam et Iagerndorfium, *Croatis.* Contra armantur Sileſii.

LIII. Inter hæc Betlemus, tametſi Cæſari quieta omnia, paciſque initæ obſervantiam, repudiatâ Cæſarianorum hoſtium ſocietate, polliceretur, non carebat tamen vehementi ſuſpicione copioſus miles, quem habebat ad manum, quódque Mansfeldio nuper miſiſſet ſuppetias. Ita Cæſariano exercitu in tot hoſtes, inque ipſos adeò Turcas diſtracto, laborandum erat undique, ne aliqua rerum converſio oriretur. In Fridlandicum exercitum annonæ anguſtia famem, morbos, & crebra funera invexerat. Cui malo ut occurreretur, collectâ per Bohemiam omnibus promiſcuè ſubjectis indictâ, ſumptus ad ſupplementa legionum, novóſque delectus parabantur. Evocati ſimul è Belgio Burgundi auxiliares ſexies mille, Ductore Merodio, qui menſe Majo per Haſſiam progreſſi in Turingiam, ab Erfurtenſibus, centum quinquaginta Ferdinandicorum millibus acceptis, Franckhuſij recenſiti, inſtructíque armis, Cæſari ſacramento dixerunt.

De Betlemo ſuſpicio non vana. Fames in Fridlandi exercitu. Subſidia ex Bohemia. e Burgundionibus Suppetiæ.

LIV. Daniæ Rex è diverſo, ſingulis cohortibus ad centena capita redactis, repræſentatóque ſtipendio, ingentem militum numerum ad ſua caſtra pellexit iſtâ pecuniæ illecebrâ, quâ tam capiuntur mercenarij, cùm ſtipendium affluit, quàm avertuntur, cùm deeſt. His Rex inſtructus copijs, Peinum, quæ in Hildeſienſibus arx eſt egregiè munita, Vechtam præterea, Quakenburgum, Iburgum, Stendeliam, Tangermundam, locáque alia ſuæ ditionis fecit. Clero Oſnabrugenſi, civibus colludentibus, ſeptingentorum præſidium impoſuit, expreſsítq; inſuper lytrum quadraginta Ferdinandicorum millium. Principis Ædis Præpoſitum, Decanum, Syndicum, grandi pòſt ære redimendos, abduxit. Adulto jam Majo, luſtravit exercitum ad Wolfenbutam, reddiditque, perſoluto ſuperiorum menſium debito ſtipen-

Daniæ Rex magnum colligit exercitum. Clerum Oſnabrugenſem vexat. Luſtrat exercitum.

LV. ſtipendio, animoſiorem. Ut Albim ſibi faceret obnoxium, octo bellicas naves
inſtruxit, quæ commeatu, annonâ, aliiſque, Cæſarianos juxtà ac Unito-Bavaricos
ALBIM FRENAT. prohiberent: clauſis item Suntæ & Beltæ emporijs, intercluſit Hiſpanorum commercium.

Bavaricus exercitus, quicquid terrarum Rotenburgo & Hirsfeldæ interjacet, ſtativis occupavit, civitatéſque Fuldæ Verræque amnibus adſitas, habuit in
BAVARICI PRODEUNT IN CASTRA. ſuâ poteſtate. Tillius, cælo ſolóque ad caſtra & pabulationem aperto, Mindam (eſt civitas ad Verram flumen) quam conſilijs, ſtudiiſque hoſtium imbutam adhuc ſenſerat, poſtquam pacis & veniæ æquas conditiones civibus fruſtra obtulerat, Junio ineunte, coronâ cinctam cœpit oppugnare.
TILLIUS MINDAM OBSIDET. Suburbia flammis corrupêre ipſi oppidani. Legionibus igitur tres in partes tributis, tormentis utrinque certatum. Obſeſſis addebat animos præſidium Ductore Lawico, qui
LVI. ſpe Danici auxilij, ad extrema cives excitabat, reſpuebátque honeſtas dedendæ urbis conditiones. Ergo Tillius machinis omnibus mœnia jubet arietari, apertóque per ruinam juſto ad impreſſionem aditu, maturat oppugnationem. Mille ut minimum pilis à primo mane ad ſeram veſperam petita mœnia, quâ parte Verræ obtenduntur, ſic dilacerata, proſtratáque apparuêre, ut irrupturis, præ-
EXPUGNAT MINDAM. ter flumen, rudera, & propugnatorum pectora nihil eſſet, quod obſiſteret. Cùm igitur nulla ab obſeſſis pactorum vel induciarum fieret mentio, Fürſtenbergius, qui eò loci curabat, ad horam nonam veſpertinam poſt ſolis occaſum, duas legiones amnem, quà erat brevior, jubet pervadere, & per muri ruinam incurrere in civitatem. Nec mora: ventum eſt ad manus tantis oppugnantium animis, ut, ſuperatis intra quartam horæ partem mœnibus, miles Boicus victor in civitatis viſcera perrumperet. Reſtabat nihilominus duplex certamen, cum præſidio, civibúſque alterum, alterum cum arce. Illi mox futuri morti victima, ſeſe in urbis ſepulchreto munierant: arx valido præſidio tenebatur: ſed utrobique victi propugnatores, civibus magnam partem unà cum gubernatore occiſis, fortunas ſuas direptioni; arcem, quæ non ſine Bavarorum ſanguine ſupe-
LVII. rata eſt, victoriæ reliquerunt. E bis mille quingentis civibus, colonis, nautis, qui arma induerant, cædem vix evasêre viginti. Et nox ex caligine crudelior, cæcum furore militem etiam in debiliorem ſexum, imbellémque ætatem efferavit. E locis vicinis vocati, qui occiſorum corporibus ſupremum officium im-
LVIII. penderent. E Bavaricis occubuêre non multi, ſauciati plures, omnes numero ducenti ſexaginta novem. Inter occiſos fuit Centurio Pierſonius, vir acer & fortis. Contigêre hæc circa Non. Junij. Quartâ pòſt luce nitratus pulvis, quâ causâ, incertum, igne concepto, turrim, in quâ arſit, & viginti omnino ædes diſcerpſit, cum grandi rerum jacturâ. Baroni Wolkenſteinio fractus humerus ex parietis fragmento, periêre non pauci bonæ notæ viri & milites gregarij.

MAURITIUS IN HASSIA RURSUM TURBAS EXCITAT. Tillius porrò pedem ex Haſſiâ vix extulerat, cùm Mauritius Landgravius, receptis rerum adminiſtrandarum habenis, Caſſellas reverſus, pro ſuo ingenio, collecto milite, exactóque à Provincialibus tributo, quo bellum aleret, turbas rurſus cœpit moliri, & ultro citróque commeantibus itinera reddere infeſta.
Litt. Maximil. 5. Ian. 1626. Quæ res Tillium movit, ut, cùm à Maximiliano mandata accepiſſet, ne novum iſthic incendium ſineret erumpere, aut ſe ab hoſte circumveniri, cum parte exercitûs, interceptis aditibus, Mauritium intra mœnia cohiberet. Simul
TILLIUS AGIT CUM HASSIÆ ORDINIBUS. Haſſicis Ordinibus Gunderbergam Cæſaris nomine convocatis, per deputatos renuntiavit, ſpem quidem fuiſſe, ut ipſorum Princeps Cæſaris paciſque ſe multò quàm antè ſtudioſiorem præſtaret, ſed eum ſe præſtitiſſe longè alium. Hoſtilem ejus animum ſic veniſſe in apertum, ut ampliùs nequeat diſſimulari. Ergo Tillium quantumcunque invitum coactum iri, regionem univerſam complere milite, nec priùs à Caſſellenſi agro diſcedere, quàm Princeps rebus ipſis demonſtraret, ſe in poſterum futurum in officio & obſequio Cæſaris. Aliter fidem haberi non poſſe illi, qui toties ſe ſit Cæſaris hoſtem profeſſus. Ordines itaque diſpicerent rationes conſulendi ſuis fortunis, expediendíque talia conſilia, quibus induca-

inducatur Princeps ad capeſſenda Cæſaris imperia. Ordines, poſt longam deliberationem, in eam iuêre ſententiam, eſſe Mauritio, ſi quà poſſit, perſuadendum, ut tum verbo tum ſcripto promittat, ſe deinceps, pro eâ, ac decet Imperij Rom. Principem, fore in Cæſaris poteſtate: ſe Caſſellas, Zingenhaimium & Rhinfeldam primarias Cattorum munitiones Cæſari ſemper, hoſtibus Cæſaris nunquam permiſſurum, ídque præſtiturum viribus omnibus: deinde, quò certior dictis ſcriptíſque fides haberi queat, & ne ingenium cæteroqui inquietum ab iſtis legibus aliquando deficiat, Principatum omnem dominatúmq; Guilielmo filio genij (ut quidem videbatur) pacatioris, in manus traderet. Apud Mauritium uſque eò valuêre Ordinum vota & conſpirans ſuaſio, ut, tametſi perinvitus aſſentiretur, atque reipsâ anno inſequenti propoſitas rationes ſuſciperet, depoſitâ in filij humeros Principatûs gubernatione atque dominatu. Rebus in Melibocis ad eum modum compoſitis, cùm Anholtius Comes Widenbrugum poſt difficilem obſidionem deditione cepiſſet; Oſnabrugenſes tandem, veriti ne belli molem ad ſe traherent, ſi Cæſaris mandato pergerent obluctari, ſuo Epiſcopo adverſari deſierunt: Tillius verò ad 14. Calend. Sext. Gœttingam, quæ eſt firma in Brunſuiciâ munitio, cœpit obſidere. Oppugnatio protracta eſt ad ſex omnino hebdomadas, obſeſſis per crebras eruptiones acrémque propugnationem, velut pro aris fociſque certantibus. Res tentata primùm à Tillio actis per foſſores trecentos ſub terra furnulis, ſed caſſo labore, fornicibus ſuperfuſo imbre collapſis. Ergo ventum ad fulmineos arietes. Jam continuâ concuſſatione mœnia diverſis locis labefacta patebant ad irruptionem; ſcalæ, ponticuli, cæteráque impreſſionis inſtrumenta obſeſſis verſabantur ob oculos, & diſpoſitæ in ordinem legiones jam jámque facturæ erant impetum, cùm obſeſſi ſupremam neceſſitatem honeſtæ deditionis pactione prævenêre. Egreſſum eſt præſidium more militari; civibus res ſuæ manſêre intactæ: receptus intra urbem miles Boicus. Sub hæc Tillius Northemium obſidionalibus ſtationibus circumdedit.

LIX.

Mauritius perſuadetur, ut filio tradat dominatum.

LX.

Haſſis. Comment. Ruepij.

Tillius deditione Gœttingam occupat.

Dum Fridlandus Mansfeldij in Hungariam properantis veſtigia premeret; ditionibus ad Albim nudatis, Daniæ Rex duas Dynaſtias Magdeburgenſis imperij Hœtenslebiam & Sommersburgum invaſit, Schlaenſem munitionem ſubegit, Steuerwaldam Hildeſienſis ditionis cum grandi annona intercepit, obſeditque Calenbergam. Quamobrem Tillius Comitem Fürſtenbergium confeſtim miſit cum parte equitatûs ad auxilium ferendũ obſeſſis. Is, Julio exeunte, digreſſus Alfeldâ, per exploratores comperit, Danos, ductore Nellio, cum tribus legionibus & potiſſimâ parte equitatûs, intermiſsâ obſidione, pugnæ avidos Boijs obviam properare. Quâ re cum Chiliarchis communicatâ, communi conſilio viſum eſt, rectâ tendere in hoſtem. Primum agmen ſibi delegit Fürſtenbergius: conſtabat hoc viginti, tam gravis, quàm levis armaturæ centurijs, quas ducebant Erwitus & Furnius. Medium conſtituebant mille quingenti pedites, poſtremò aderat Beckius. Iſto ordine ſecundùm Popenburgum progreſſi ad pagum Roſſingum, haud procul à Calenbergâ, offendunt Danos ſtantes in acie. Ergo ſuos etiam diſponit Fürſtenbergius, tametſi longè inferiore numero, jubétque cani claſſicum. Conferuntur ſigna manúſque magnis utrinque animis: dum Erwitus & Furnius dubio adhuc Marte hoſtem premunt, quatuordecim Danorum vexillationes, in quinque Croneburgicas magnâ vi inferuntur. Hic nutabat victoria, niſi Billæus cum ſex cataphractorum Schönenburgicorum manipulis in tempore adfuiſſet. Croneburgici igitur, hoc firmati auxilio, tantâ fortitudine hoſti incubuêre, ut confuſos ordines præcipitârint in fugam. Urgebant interea primores hoſtium Erwitus & Furnius, nec urgendi prius fecêre finem, donec, ijs fugatis, inſignem victoriam reportârunt. E Danicis Freitagius Chiliarcha, ſex centuriones, multa præterea Ordinum ductores, & ſupra ſexcentos equites in acie occubuêre. Signa equeſtria ſex, haſtilia, revulſis per fugitivos ſignis, quatuordecim hoſti erepta, Captus Comes Stolbergius. E Boicis unicus Centurio venit in Danorum manus.

LXI.

Pugna in Danos.

LXII.

Victoria penes Bavaricos.

Ver-

LXIII. Verſa hinc arma Maximiliani in Northemium. Dum in eo obſidendo deſudant, Daniæ Rex 15. Cal. Septemb. copias univerſas in eos eduxit. Venêre in mutuum conſpectum ſolo Rhuno, qui exiguus amnis eſt, dirempti. Quò minùs prælio decerneretur, obſtitit Tillij, qui Gœtingæ afflictam valetudinem curabat, & aliquot legionum, quæ nondum in caſtra venerant, Fridlandicique auxilij, quod expectabatur in horas, abſentia. Bavarici itaque ſolutâ Northemij obſidione, ſeſe Gœtingam compoſito ordine recipiunt. Danus Northemio importat annonam bellicúmque commeatum: motis deinde caſtris contendit Duderſtadium civitatem Moguntiacæ ditionis, eo conſilio, ut illo occupato, magnâ, quæ illuc convecta fuerat, annonâ potiretur, haberétque à tergo, ſi ultrà caſtra moveret, ex iſto loco præſidium. Id quanti eſſet momenti Tillius apprimè gnarus, copias, quantâ poſſent celeritate, jubet iter feſtinare, ut Dano Duderſtadij obſidendi tempus ſpémque præripiant Quare Daniæ Rex, converſo in Brunſuiciam agmine, ſe retrò referens, ne rei ſummam unius pugnæ diſcrimini permitteret, citatis itineribus per dies aliquot, quos habuit, perpetuis propè velitationibus cum Boicis inſequentibus infeſtos, continenter recedens,

DANIÆ REX ANNONAM INFERT NORTHEMIO

LXIV. tandem cùm absq; ultimo periculo ultrà cedere non poſſet, 6. Cal. Sept. acie inſtructâ, ad Lutheram (id caſtro in Brunſvicia nomen eſt) pedem fixit. Hîc Tillius ſuos in ordinem digeſtos jubet ire in hoſtem. Concurſum ingentibus utrinque auſis. Viſa eſt, poſt acerrimam dimicationem, victoria in Danos inclinare. Ceciderant enim è Bavaricis permulti, & jam Dani ad Tilliana tormenta, disjectis Boijs, penetrârant: Daniæ Rex, ipſe ducens cuneos, animabat ſuos, & acuebat audaciam. Ter Ducis juxtà ac militis officio egregiè functus, impreſſionem fecit in Tillianorum veteranas quatuor legiones, tanto robore, ut ex eâ parte acies vehementer inclinaret. Sed ſic nutantem reſtituêre ipſi fugaces, cùm, collectis animis, ſimul acceptæ ignominiæ dolore reverſi in prælium, ſic erexêre cæteros, ut, cùm Dani ultrà eorum impetum alacritatémque non ferrent, fuſo equitatu, peditatus omnis in fugam verteretur. Ex fugâ retracti, vel in acie capti Lohuſius Commiſſarius Generalis, Frenckingus, Lindavus, Geeſtus, Corvillæus, Ranzovius, aliíque Chiliarchæ. In demortuorum cenſum venêre Philippus Haſſiæ Landgravius, Fuchſius Campiductor Generalis, Nejabus, Peuzius Tribuni, Parizius è primis Daniæ Conſiliarijs. Triginta cohortes, è pugnâ Lutheram fugitivæ, vitam, ſi Cæſar donaret, traditis militaribus ſignis viginti novem, impetrarûnt.

PUGNATUR AD LUTHERAM. VINCUNTUR DANI.

LXV. Vexilla univerſim octoginta, ſigna equeſtria ſex (longè plura ſubduxêre Victores) tormenta viginti duo hoſti detracta. In hoc, & Calenbergico conflictu eminuit virtus Croneburgici Tribuni, ejúſque turmæ, quam ductabat. Erwitus, cùm de mille, quos habebat ejus Legio, non adeſſent niſi quingenti, hoc dicto præſentibus addidit animos: *Commilitones, vobis hodie pro mille pugnandum*, & ſanè pugnavere fortiter.

Pontifex Maximus victoriam gratulatus eſt Tillio hoc Brevi Apoſtolico.

URBANUS PP. VIII.

Dilecte fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Benedictus Dominus, qui docet manus tuas ad prælium, & digitos tuos ad bellum. His verbis alloqui decet Nobilitatem tuam, quæ veræ militiæ leges eſſe teſtatur divina mandata, in timore Domini conſtituens laudem fortitudinis. Qui has bellandi artes callet, eas victorias conſequitur, quas tibi ſolenne eſt de Hæreticorum perfidiâ reportare. Quare, Cæſarea caſtra non ſolùm Fortitudinis arcem, ſed etiam Pietatis templum fieri dicuntur tam religioſi Ducis exemplo. Harum laudum commemoratione

tione, Nobilitatis tuæ triumphis plaudit Eccleſia Romana, trucidatas nuper Danicas Legiones, erepta vexilla, minitantis Regis fugam, nationes omnes in Vrbe loquuntur tanquam Comitis Tillij beneficia. Tantæ Victoriæ decus Nos tibi gratulamur, atque hoc Pontificiæ lætitiæ monumentum inter Virtutis tuæ trophæa extare voluimus. Sanè Apoſtolicæ Charitatis teſtimonijs frui par eſt Nobilitatem tuam, quæ, metus in gaudium, & pericula in victorias convertens, periclitanti Religioni atque Imperio ſecuritatem reſtituit. Noſtra autem ſolatia non mediocriter auget fortitudinis tuæ conſtantia, quæ non ſolùm conſcium ſuæ infelicitatis hoſtem invitum pugnare coëgit, ſed etiam diſſipatum inſequitur. Adhuc oppreſſæ Legiones invitant victores gladios ad hauriendum reliquum impietatis ſanguinem. Eja igitur dilecte Fili, in hæreſis excidium Deum Ducem & tuam Virtutem ſequere. Sciat tantis cladibus ſuperſtes Rex Danus, ſe poſt turpem fugam, nobilioribus Cæſaris triumphis, & digniori propriarum miſeriarum ſpectaculo ſervari, & iniquitatis comitem fore ſemper infelicitatem. Nos tantum decus triumphatori exercitui, tantúmque beneficium Religioni Catholicæ aſſiduis precibus comparare ſtudemus, ac Nobilitati tuæ Apoſtolicam benedictionem peramanter impartimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die XXVI. Septembris. Ann. M.DC.XXVI. Pontificatûs noſtri Anno tertio.

Joannes Ciampolus.

Inſcriptio.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Comiti de Tilly.

Poſt eam cladem Daniæ Rex Wolfenbutam primùm, deinde trans Albim ſe recepit, ut, collectis exercitûs profligati reliquijs, novos faceret delectus.

Tillius nihil cunctatus, ex Leniâ prid. Cal. Septemb. Rupium ablegavit Brunovicum, acturum cum equeſtri Ordine Calenbergenſium & Wolfenbutenſium, quò ſuæ ſaluti tempeſtivè conſulerent. Enimvero devicto iſtius Circuli Archiſtratego, fractiſque Provinciæ viribus, Tillium toto latè agro dominari; patriæ ab interitu vindicandæ unam eſſe reliquam rationem, ſi Cæſaris clementiam, ſuúmque tandem ipſi officium reſpicerent, conarentúrque hoc ipſum ſuo Principi perſuadere. Penes ipſos ſtare communis ſalutis arbitrium, cui longè facilius tutiúſque mitioribus conſilijs, quàm pertinaci conatu eſſent proſpecturi. Tantum apud ipſos valuit iſta Tillij benignitas, ut ipſe Dux Brunſuiciæ, ejúſque patruelis Chriſtianus Luneburgicus, qui Cæſari jam antè erat addictus, teſtes conſultoréſque tractationi intervenerint, & Dux ſeorſim, Equeſter etiam Ordo, diverſis ſinguli tabulis, obnuntiârint Danico fœderi, & cuicunq; adverſus Cæſarem Catholicóſque ſocietati. Promiſsâ deinceps Imperatori obſequentiâ, auxilio, & conſtanti fide; polliciti ſunt inſuper, univerſas civitates, præſidia, munitiones, totam Provinciam, quoties Cæſari ex uſu atque voluntate foret, fore in Sac. Cæſ. Majeſtatis poteſtate. Præterea ſe non modò Cæſaris hoſtes è ſuis munitionibus, oppidis, omni regione, pro virili, juvante Cæſare, exterminaturos, & pro hoſte habituros, ſed etiam pernicioſos belli adverſus Cæſarem architectos, melioribus ſubrogatis, loco, dignitatéque moturos. Gubernator Wolfenbutenſis Dano auctoratus, loci firmitate confiſus, negavit ſe inde diſceſſurum: Hanovera Calenbergæ exemplum ſecuta, expulſo Danico milite, Bavaricum admiſit: Steurwalda, Logowedela, Neoſtadium, Steinbrucum fecêre deditionem. Rotenburgum vi expugnatum, cùm obſeſſi, ad ultimam neceſſitatem adacti, ſeram nimis deditionem offerrent. Miles enim non exſpectato Ducum imperio, ſub ipſo colloquio tranſcenſu muros ſuperavit. Eringsburgum dehinc, intercluſo commeatu, fame domitum.

LXVI.

Dux Brunovicenſis et Ordines obnuntiant Danico fœderi.

LXVII.

Tillius multa invadit.

Daniæ Rex inſtaurato interim exercitu Hojam (arx eſt Nienburgum inter & Bremam) obſidione cinxit, ratus, ſe majore, quàm ab Anholtino occupatum fuerat, facilitate recuperaturum: bidui enim laborem Anholtius duntaxat impenderat. Sed res Danis fuit haud paulò difficilior, cùm per ſeptiduum cum- LXVIII

X for-

fortiſſimis propugnatoribus fuit certandum. Suſtinuêre mille tormentorum ictus, repreſsêre quatuor incurſiones, Regem ſecundùm humerum ſiniſtrum ſauciârunt: Regis filium natu maximum gemino vulnere debilitârunt, quem idcirco curationis ergo in Holſatiam vehi oportuit: Speum Campiductorem cum ſexcentis aliis fortibus viris interemerunt, tandémque, lacerato circùm muro, pacti ſunt honeſtam deditionem. Rex Alleræ ponte concremato, corruptáque magnam partem arce, ſuo dolori & cæſorum manibus parentavit, ne ſervatis quidem deditionis legibus: egreſſum enim Anholtinum præſidium, ſarcinis, armis, vexillis; Centuriones, captivorum more, veſtibus paſſus eſt exui, gregarios verò partim trucidari, partim cogi ad defectionem.

Rex vulneratur. *Hoia deditur.* *Danus sævit in Alleram.*

Sed breve fuit hoc atque exile, ut capi ex iniquo ſolet, ſolatium. Tillius enim ſub exeuntem Novembrem, pulſis è viciniâ Danis, qui ſex adhuc peditum, tria equitum millia numerabant, Hojam recepit; eorum aliquot Anholtini fecêre captivos, unà cum equeſtris turmæ magiſtro Canonico Verdenſi. Rethaimium cùm aliquantum Tillij detrectâſſet imperium, ſe ipſi permiſit, pactâ ducentorum & viginti Danicorum libertate ac ſarcinis.

Tillius Hoiam recipit.

LXIX. Inter hæc Erneſtus Dux Weinmarius in Sileſiâ Troppaviam, Grezbergam, Teſchium ſubegit: binas Legiones, & totidem Cæſarianorum turmas, quatuor Polonorum millia, à quibus orta fuga, profligavit. Plura molientem Saxoniæ Elector, miſſis ad Coloredum quater mille equitum ſuppetijs, diſtinuit, mors verò non multò pòſt Erneſtum intercepit, cùm Cæſar de eo proſcribendo cogitaret.

Ernestus Weinmarius in Silesia Cæsarianos clade afficit. *Idem moritur.*

LXX. Fridlando, in Hungariâ, res fuêre minimè ſecundæ, Turcis & Tranſſylvano, aperto Marte; Hungaris verò innato in externum militem odio, adverſantibus, cum non annonam modò negarent, ſed ipſam etiam pabulationem. Unde gravis morborum contagio, imbrium intemperies, pòſt frigoris immanitas, denique defectio militum, agminatim à ſignis ſine miſſione abeuntium, exercitum redegêre ad periculoſam paucitatem: quamvis Fridlandus in tot malis, & mille periculis, diu conſtans imperterritúſque, ſæpius Turcas, à ſuo Duce diſſentientes, gravi clade caſtigatos abegiſſet. Quamobrem demum, milite in Scuttanam Inſulam deducto, ceſſit novercali fortunæ: Tranſſylvanus verò, præſentem rerum conditionem ſuóſque fœderatos pertæſus, domum remigrans, pacem, quam ſuo ingenio non erat ſervaturus, accepit à Cæſare.

Fridlando res improspere eveniunt in Hungaria. *Betlemus pacem init cum Cæsare.*

LXXI. Durlacenſis Marchio ſenior, tum nuperæ cladis recordatione, tum inſtinctu Regis Magnæ Britanniæ, novos motus pro Friderico Palatino Comite inſtaurabat. Jam in Alſatiâ militē ex Francis, Helvetijs, Gallicâ & Anglicâ pecuniâ conduxerat: ejus conatibus Baſilea, ubi tum degebat, apertè opitulabatur, jámque in eo erat, ut nova hinc pericula naſcerentur, niſi, Cæſare volente, Leopoldus Archidux, aliquot armatus legionibus turmíſque, Durlacenſes delectus disjeciſſet.

Durlacensis Senior rursus res novas molitur. *Leopoldus Archidux eius conatum intercipit.*

Triſtis hic annus fuit funere Joannis Swicardi Archiepiſcopi & Electoris Moguntini, viri inter ævi ſui præſtantiſſimos, in quo certabat eximia in Deum Pietas & Religio cum publicæ ſalutis indefeſſo ſtudio. Mortuus eſt 15. Cal. Octob. vixit annos LXXV. rexit Ann. XXIII. Catholico fœderi utilem dedit operam; Imperij Comitijs ſemel, Septemviralibus quater cum laude interfuit. Duos Cæſares Matthiam & Ferdinandum legit, unxit, coronavit. Maximilianum Bavariæ Electorem adſcivit in Auguſtale Collegium, conciliavit Saxoniæ Septemviro. Fuit perpetuo in orthodoxam fidem & Germanici Imperij ſalutem affectu, nulli ſecundus.

Obitus Joannis Swicardi Electoris Moguntini

BOICÆ

BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS III.
LIBER XII.

Maximilianus Nienburgum, Northemium, Wolfenbutam occupat; Mulhuſino Comitio dat operam; Danum reprimit. An. M.DC. XXVII.

Jam ſuprà quàm ſatis litatum eſſe videbatur humani ſanguinis, ſi ſatis moderationis fuiſſet humanis affectibus, in quibus bellorum cauſæ potiſſimæ. Dura inter armatos contentio, cùm hinc ſtat ex bello ſpes, illinc ex pace damna atque dedecus. Et tunc parùm intereſt, veræne an fucatæ bellandi cauſæ adhibeantur in conſilium, ſi pro magnis commodis, aut contrà certetur. Non eſt omnium iſta virtus, quæ mavult pacem privatim minùs commodam, quàm bellum cruentum, quod geritur publicis populorum incommodis. Difficillimus belli civilis exitus, cùm naſcitur ex privatis ſimultatibus, nutritur implacabili odio, ſeneſcit adverſis caſibus, extinguitur non lubentiâ partium, ſed impotentiâ, neceſſitate, & tenuitate virium. I. Bellum ex malis animi affectibus.

Oſtendêre ſuperiorum annorum eventa, Germaniæ bellum, ut fit in incendijs, dum unâ in regione compeſceretur, in aliâ novas in flammas erupiſſe, quibus reſtinguendis nullæ propè operæ, nullæ opes, viréſque pares eſſent. Creſcebant in immenſum ſumptus, quos oportebat petere ex publico, quia adverſus tot hoſtes neceſſe erat augere exercitus. Hibernis premebatur Haſſia, Franconia, ſecunda Saxonia, Sileſia, tota propè Germania. Exoſa erant ſtativa, quæ nunquam grata, & tum præſertim, cùm fiunt inamabilia ob militarem licentiam. Si quæ regiones à ſtativis erant immunes, æquum non erat, ut eſſent à pendendis ſtipendijs. Et hæ quidem terrebantur etiam finitimarum exemplis, ne bellum, quod apprimè vagum eſt, ubi vicina corrupiſſet, ſedem transferret ad recentes intactáſque. Hinc belli non tædium modò & ſatias, ſed odium quoque pleroſque inceſſerat. Tametſi nondum omni ex parte deficiebant ſtipendia, nec jejuni ſemper erant exercitus, tamen quaſi deeſſent omnia, plurima à diſſoluto milite, multa à Ductoribus præſumebantur, lege videlicet armatorum. Rariores erant de Unionis Catholicæ Boico exercitu querimoniæ, frenante Tillio tum ſui reverentiâ, tum ſeveritate, ubi uſus erat, militum audaciam. II. Belli incommoda. Militum licentia.

III. ciam. Sed ducebat tamen milites, haud paulò diſſimiles illis, quos duxit Alexander Severus, quaſi Senatores in Legionibus, vel Tribuni accincti, Centurionésve verendi inter Ductores verſarentur. Tulerat Tillius hoſpitationum leges, tulerant & alij, ſed pronum erat, temporis vitio, & militum avaritiâ, eas violari. Legionum indiculi à Tribunis ac Centurionibus fictis complebantur nominibus, quæ veris nihilominus exactionibus Provincias exhauriebant. Magnæ paſſim de Fridlandi copijs querelæ, & remiſſione Ducis, cui facilè tribuitur culpa, quaſi probet faciátve, ſi quæ diſſimulat, aut non caſtigat. Certè cùm deeſt accuratus legum bellicarum cuſtos, emergunt rapinæ ex amicis, ignavia in hoſtes, in caſtris ſocordia, ferocia in exarmatos, timiditas in accinctos, linguæ audacia, manuum imbellia. Reſpondebat Fridlandi genius aſper, obſequentibus imperioſus, monitoribus formidandus, vindictæ immodicus, inſolens in Principes, eóque gravis Electoribus, permultis rerum novandarum ſuſpectus.

Querelæ de Fridlando.

IV. Quos largitiones infecerant, Fridlandum totâ vi tuebantur, & Septemvirûm, aliorúmque Principum queſtus referebant ad invidiam, quaſi Cæſaris potentiam nollent creſcere, ſed mallent augere propriam libertatem, auctoritatem, prærogativas: verbo, tam non erat concors omnium ſententia, quàm vota erant multorum diſſimilia.

Comitium Herbipolense.

Quas ob res Septemviri, aliíque Catholici fœderis Principes, Herbipoli Comitium, de amovendis belli incommodis, habuêre. Sed neque hîc conſpirabant in eandem remedij rationem. Fuêre, quibus placeret totius Imperij Conventus: diſplicebat alijs, quòd crederent, in tantâ rerum perturbatione cum fructu Comitia haberi non poſſe. Quid enim ab exaſperatis, & in mutuum exitium armatis Ordinibus æquitatis poſſet expectari? Et verò, quicquid demum à Cæſare conſtitueretur, niſi accederet conſenſus Ordinum, id formam quidem legis habiturum, ſed inter arma vix quicquam virium adepturæ. Comitia fore campum diſceptationum, ſeminarium diſſenſionis, belli non remedium, ſed incentivum.

V. Aliis placebat, bellum condónando, qui modus eſſet glorioſior, finiri. Ex hac conſiliorum diverſitate, ut ex elementorum temperatione, natum decretum mittendi viros ſelectos ad Cæſarem, qui Comitij nomine, legatione fungerentur. Miſſus pro ſacro Ordine Rheinhardus Metternichius, pro ſæcularibus Maximilianus Curtius. Legationis caput fuit, rogare Cæſarem, in officio Fridlandum contineret. Obtinuêre, ut, Cæſare annuente, Mulhuſij, poſt menſes aliquot, Septemviri de publicâ re convenirent.

Legatio ad Cæsarem.

Litteræ Tillii ad Ducem Holsatiæ. Ineunte Februario.

Cùm inter hæc magni Daniæ Regis ad bellum apparatus nova diſcrimina viderentur portendere, Maximilianus Elector mandavit Tillio, ad Fridericum Holſatorum Ducem ſcriberet in hanc ſententiam. Vulgari paſſim famam & libellos, quibus ferretur Daniæ Rex Comitijs Rensburgi, ſuperioris anni menſe Novembri, habitis, Ordinibus Holſatiæ perſuaſiſſe, Cæſaris voluntate iſtum Holſatiæ cœtum eſſe indictum, atque hoc ipſum confirmâſſe ſuo commento Ranzovium, tametſi res longè aliter haberet. Eo facto male fuiſſe uſurpatum nomen Cæſareæ auctoritatis, & læſam dignitatem. Dici præterea, in eo Comitio præteritum fuiſſe Ducem ipſum Holſatiæ contra jus & exempla majorum, ipſiúsque Ducatûs prærogativam.

VI. Ducem exiſtimari ejus eſſe animi, ut acturus ſit, ne per Regis, & Holſaticorum Ordinum conſilia & machinationes, Ducatus iſte, réſque communis detrimenti quicquam accipiat; id officij à Duce poſcere ipſius in ſubjectos ſtudium & amorem, exigere verò fidem in Cæſarem & communem Imperij ſalutem.

Ad Holsatos.

Idem alteras poſtrid. Cal. Febr. dedit ad Equeſtrem Holſatiæ Ordinem, cæteróſque Ducatûs optimates, oſtendens verbis graviſſimis, quantâ ipſi indignitate, quantâ Cæſaris injuriâ, legum quanto contemptu, & violatæ fidei crimine, publicæ rei perturbatione, neglectu Ducis Holſatiæ, cui, nullius alterius interpoſitu, ipſi ſubeſſent, nullâque naſciturarum inde calamitatum habitâ ratione, ſeſe Daniæ Regi, ad propugnandas civiles contentiones, nullâ, ne probabili quidem causâ, obſtrinxiſſent: meminiſſent, quàm

protervè aliàs Mansfeldio, Erneſto Weinmario, Anglis, Hungaris, Turcis, alijs exteris, ſe addixiſſent: ſi quieſcerent, nihil prorſus eſſe, cur ſuis privilegijs, conceſſæ religionis libertati timerent: ſarta hæc, tectáque ex pacis religioſæ præſcripto fore. Simul eos, Cæſaris nomine, Tillius eſt hortatus, ut illum cum Dano nexum abſque morâ abrumperent. Eodem propè argumento ſcripſit ad Megapolitanos: quo fructu, pòſt paulò docebit eventus. Id ſaltem eſt conſecutus, ut, ne videri poſſent dura belli remedia, conſilijs lenioribus egiſſe diceretur, noſsétque poſteritas, in Holſatarum fuiſſe manu atque optione fortunæ ſuæ in alterutram partem inclinationem, & Cæſari, Principibúſque Catholicis nihil fuiſſe potius tranquillitate populorum, & legum pactorúmque obſervatione, quouſque ſubjecti leges & pacta ferro atque rebellione non reſcinderent, & neminem fuiſſe ullam ſeveritatem expertum, niſi qui ſe Cæſaris hoſtem fuiſſet antè profeſſus. VII. Ad Megapolitanos.

Ad quod argumentum ſpectat Colmarienſis tractatio, quæ fuit inſtar prævij cujuſdam ad Mulhuſinum Conventum apparatûs & tentamenti, quo, Palatinis rebus compoſitis, faciliore negotio pax, tot Principum populorúmque votis optata, poſſet Germaniæ reſtitui, vel, ſi concordia Colmariæ non coaleſceret, ſaltem Fridericus Com. Palat. de mente Cæſaris factus aliquantò certior, ſuos tractatores clarioribus mandatis inſtructos ad Comitium Mulhuſinum adlegaret. Tractatio Colmarienſis.

Ergo habendo concilio dictus menſis Julius, locus Colmaria, Alſatiæ Imperialis Civitas. Conciliationis ſequeſtres probati ab Imperatore, à Comite Palatino rogati, Lotharingiæ & Wirtenbergiæ Duces. Rem ad menſes aliquot comperendinavit Comitis Palatini, in tradendis cum legitimâ poteſtate Legatorum mandatis, cunctatio, quæ multis ſuſpicionem movit, cum temporis potiùs inducias, quàm ſeriam reconciliationem ſpectâſſe. Summa rerum tractandarum, Cæſaris juſſu, hæc fuit: Sac. Cæſ. Majeſtatem tot, támque gravibus injurijs, nullâ datâ cauſâ, eſſe læſam à Friderico Comite Palatino, ut ejus reconciliatio iniri non poſſit, niſi priùs à Cæſare ſupplex admiſſorum veniam precetur: de formâ verbiſque deprecationis poſſe conveniri. Friderico Com. Palat. item incumbere, ut Regno Bohemiæ, & electioni tamquam irritæ omnino renuntiet. Deinde cùm Maximilianus Bavariæ Dux, rite atque ordine renunciatus Elector ad Septemviratum, loco Palatini Comitis, ſit evectus, ipſius inaugurationem antiquari non poſſe. Præterea, cùm Catholicæ Religionis exercitium, & aliqui Religioſi Ordines in Palatinatum ſint introducti, diſpiciendum eſſe, quibuſnam rationibus, ſalvâ religionis & Pacis Politicæ ſanctione, poſſint in eâ Provincia retineri. Tandem Regna ditionéſque hæreditarias Sac. Cæſ. Majeſtatis prorſus iniquè, proventibus imminutis, vaſtatiſq; regionibus, fuiſſe ex bellis, Palatini cauſâ ſuſceptis, inſigniter oppreſſas; in bellum ſumptus ſupra modum grandes eſſe factos, eâ cauſâ Provinciam Auſtriæ ad Anaſſum, utriuſque Luſatiæ Marchionatum pignori debuiſſe mancipari: omnino ergo convenire, ut Sac. Cæſ. Majeſtati damnum præſtetur, útque iſtæ Provinciæ, pignoris nexu ſolutæ, reſtituantur. Sequeſtres tractationis. Capita tractationis. VIII. IX.

Ad hæc Legati Palatini. Suum Principem præſtò futurum ad petitam ſubmiſſionem non per ſe quidem, ſed per medium ſuæ deprecationis interpretem idoneum, eâ tamen lege, ne inde quicquam dedecoris, aut infamiæ Comiti Palatino, ejúſve Domui inuratur. Formulam in hæc ferè verba poſſe concipi. Dolere ex animo Comitem Palatinum, tales turbas & calamitates ſuâ cauſâ eſſe exortas: ideóq; ſuppliciter rogare Sacram Cæſ. Majeſtatem, ut, oblitteratâ indignationis memoriâ, Comitem Palatinum, ſocióſque omnes velit in priſtinam gratiam recipere, atque ipſi avitam hæreditatem, bona videlicet quæcunque, beneficia, clientelas, Septemviratum, jura regalia, pleniſſimo jure ac titulo reddere: eam gratiam Comitem Palatinum in omnem vitam grato animo, omnibuſque, quibus par eſſet, obſequijs recogniturum, hortaturum etiam filios, ut patri in Sac. Cæſ. Majeſtatem reverentiâ, ſervitijs, & grati animi teſtificatione, recolant perpetuam accepti beneficij memoriam: atque hæc quidem officia Cæſ. Reſponſa Legatorum Friderici Com. Palat. Formula deprecationis. X.

Majeſtati ſic ſe præſtiturum, quemadmodum ipſa decentia, atque Imperij Sanctiones, Conſtitutionéſve à fideli Electore exigunt. Ipſum præterea atque filium natu primum deinceps nihil quicquam ſibi juris in Regno Bohemiæ arrogaturos, eo tamen pacto, ut ipſe in priſtinam ſuarum ditionum, Provinciarum, Electoratûs, omniúmque connexorum poſſeſſionem ex integro reſtituatur.

Abdicatio Regni Bohemiæ.

Id verò Comitem Palat. à Sac. Cæſ. Majeſtate infimis orare precibus, atque à ſingulari ipſius clementiâ exſpectare. Ad Bavariæ Ducem quod attineret, Cæſ. Majeſtatis mentem à Principe Palatino ſic accipi, ut nolit ipſa Duci vim ullam inferri: nihilo tamen minùs cum bonâ ſpe niti, fore ut idem Dux, depoſito

Restitutio Frid. Com. Pal. in integrum.

Electoratu, vacuam ejus poſſeſſionem, utpote Comiti Palat. ejus filijs & hæredibus debitam, tanquam priſtino poſſeſſori relinquat: et magnum certè nomen & gloriam Duci acceſſuram, ſi hoc ipſum maturandæ paci donârit. Confidere equidem Com. Palatinum, hanc animi ſui declarationem fore acceptam, vel ſaltem, ſi quid reſtet controverſum, uberiori diſquiſitioni reſervatum iri.

XI. Alternativus Electoratus.

Quod ſi tamen præter ſpem, ne hoc quidem impetrato, aliquid ultrà à Sac. Cæſ. Majeſtate poſtularetur, tanti apud ſe fore communem ſalutem, patriæque commoda, ut, quoad ejus fieri poſſet, lubens, ſepoſito rei privatæ affectu, admiſſurus ſit, ut Bavariæ Dux unà ſecum Electoris titulo cohon eſtatus, per alternas vices Septemviratûs functione, & annexis juribus utatur, eâ tamen lege, ut poſt Ducis è vitâ exceſſum, Electoris dignitas, & quicquid ad eam pertinet, Comiti Palatino, ejus filijs ac hæredibus plenè, citráque alterius conſortium, remaneat.

Negotium Religionis.

Sacr. Cæſ. Majeſtatem ab ipſo belli exordio ſæpius oſtendiſſe, in eo non verti cauſam religionis, neque id ſibi fuiſſe propoſitum, ut cujusquam de Principibus, aut Ordinibus conſcientiam oneraret. Nec verò Imperij Legibus aut Conſtitutionibus eſſe decretum, ut, ſi in Electoris, aut Principis, aut Civitatis cujuspiam ditiones, ex promeritâ Cæſaris indignatione peregrina religio inducatur, eadem perſeveret, invito illo, qui per reconciliationem in Cæſaris gratiam ſit

XII.

receptus. Eam ob rem Comitem Palatinum confidere, Sac. Cæſ. Majeſtatem non eſſe ejus animi, ut velit ſubjectis Palatinarum regionum Romano-Catholicæ Religionis profitendæ, vel retinendorum Religioſorum neceſſitatem imponere, ſed malle omnia priori conditioni reſtitui, eò vel maximè, quòd Sac. Cæſ. Majeſtas præ ſe tulerit, ſe id omne, quod uſu moréque ſit receptum, examusſim ſervaturam. Rogare proinde, nomine ſui Principis, Deputatos, ne ejuſce mutationis mentio ampliùs habeatur, ſed hæc ipſa declaratio, ad retinendam Religionis libertatem ſpectans, per Sequeſtres, accedente eorundem interceſ-

XIII.

ſione, Cæſari proponatur. Summum, quod Comitis Palatini lubentiâ tolerandum ſit, id demum eſſe, ut bina ternáve domicilia in Palatinatu Religioſis hominibus, & Sacrorum Catholicorum uſibus concedantur, ſummâ Juris dicun-

Refusio sumptuum belli.

di, déque ijs decernendi poteſtate penes Principem ſtatutâ. Cæteroqui, ſi plura exigantur, Deo atque fortunæ rem debere committi cum fundendi humani ſanguinis & multarum animarum periculo. De refundendis belli ſumptibus, velut de re, quæ à Comite Palatino præſtari nequeat, nec verò debeat, Provincijs redactis ad incitas, cùm jam quinquennium Princeps abſtinuerit ab armis, quæ ſui tantùm defendendi causâ tractârit, ſperari, nihil ultra damna, & collecta ex Palatinatu tributa Cæſarem eſſe repetiturum. Quòd ſi tamen aliquid ſit, quod Palatinus ampliùs præſtare poſſit, cum ſuis partibus non defuturum.

Intra hos cancellos ſeſe continuêre Palatini tractatores, tametſi monerentur, niſi æquitati propiora addicerent, fore ut Cæſari non fieret ſatis, itáque nullo fructu, aut operæ pretio Conventus ſolveretur. Addidêre querelas, quòd eo

Querelæ Legatorum.

ipſo tempore, cùm de componendâ pace ageretur, Palatini ſubditi, non in fortunis tantùm, ſed conſcientiâ quoque graviter premerentur; Manhemium, aliæque Palatinæ munitiones æquarentur ſolo, Vidua Palatina, Comitis Palatini

XIV.

fratres patriâ extorres, contrà ac Cæſar antea conceſſiſſet, neceſſariâ ſuſtentatione privarentur.

Hæc

Hæc per Sequeſtres relata Cæſari, fruſtratoria, & ab ineundæ pacis conditionibus nimiùm remota viſa ſunt, proinde, niſi propiora adferrentur, de alijs Imperij pacandi rationibus eſſe cogitandum. Id cùm à Duce Wirtenbergico renuntiatum eſſet Comiti Palatino, nihil effecit aliud, quàm ut, nullâ declarationis factâ mutatione, Ducem rogaret, interceſſoris partes apud Cæſarem ageret. Quapropter Tractatores Colmariâ, nullâ præterea re memorabili, abiêre. Certè iſta Comitis Palatini reſponſa multis viſa ſunt non ab ipſo, aut à ſupplici modeſtiâ, ſed à tumidis ipſius conſultoribus, Cæſarem accuſantibus, eique rei conficiendæ leges formámque dictantibus, quaſi Cæſar contra jus fáſque adverſus inſontem arma cepiſſet, eóque ad belli ſumptus præſtandos obligaretur, eſſe profecta. De Mulhuſino Comitio dicetur in loco: jam nos ad caſtra vocat ordo narrationis. CÆSAR FRIDERICI COM. PALAT. RESPONSA NON PROBAT. SOLVITUR COLMARIENSIS CONVENTUS. XV.

Daniæ Regi acceſſerant, menſe Martio, Ductore Morgano, ſex Anglorum millia: Galliæ Rex poteſtatem fecerat, ad Dani ſubſidium, conſcribendi quatuor Gallorum millia, addictâ ad eorum ſuſtentationem pecuniâ: addiderat Magnæ Britanniæ Rex aliquot centena aureorum millia. Georgius Dux Luneburgicus Plagam, quæ firma eſt ad Havelam amnem munitio, uno à Brandeburgo milliari, ducentorum peditum, centum equitum præſidio partim cæſo, partim capto, & direpto oppido, in ſuam poteſtatem redegerat. Menſe Majo, Dani Blekedam obſedêre, Brandenſteinio arcem defendente. Jam in eo erat, ut, metu Cæſarianorum adventantium, obſidionem ſolverent, cùm Georgius Brunſuiciæ ac Luneburgiæ Dux ejuſce conſilij neſcius, motus Blekedæ diſcrimine, Thomæ Cerbonio imperat, ut, ſi qua poſſit, obſeſſis opem adferat. Hic cum aliquâ copiarum parte progreſſus, medio itinere, ab exploratoribus, quos fama deceperat, accipit, Danos, motis à Blekeda caſtris, abijſſe. Ipſe nihilo minùs ratus eſſe ſatius, ſuis oculis, quàm aliorum dictis habere fidem, cum quingentis duntaxat alarijs Blekedam properat. In arcis conſpectum delatus, animadvertit, non modicam hoſtium partem adhuc tum, cæteris jam abeuntibus, hærere in ſuis ſtationibus. Gloriæ cupiditas virum magnanimum accendit, ut cum paucis in multos incurreret. Res ex voto cecidit. Dani, inobſervato ejus adventu turbati, caſtra deſerere, fugâ tumultuariâ ſeſe proripere, non audire Regis, qui aderat, imperia, ipſius ſalutem reverentiámque negligere. Et is quidem propè fuit ab interitu. Nam, cùm à ſuis deſertus amnem tranaret, eouſque undarum impetu fuit abreptus, ut, niſi tandem ſuorum commiſeratione atque labore fuiſſet ereptus periculo, dies iſta ipſi fuiſſet ultima. E gregarijs trecenti propè hauſti gurgitibus: permulti in fugâ obtruncati, geminæ naves armis onuſtæ captæ à Cerbonio. REGIS DANIÆ APPARATUS. DUX LUNEBURGICUS PLAGAM OCCUPAT. Lit. Cerbon. XVI. DANORUM AD BLEKEDAM CLADES. REX PERICLITATUR. XVII.

Exinde Dani, moventes Beizenburgum, ingentia damna intulêre Chriſtiano Duci Brunſvicio, duabus arcibus pagiſque permultis direptis, incenſis, ne fanorum quidem habitâ ratione. DANI SÆVIUNT IN DUCATU BRUNSVICENSI.

Cæterùm Tillio, copijs varias in expeditiones diſtractis, vix ſatis erat reliquum, quod Daniæ Regi opponeret. Ille nihilominus Deo & cauſæ bonitate fretus, cùm Helmenſtadij, in ædibus Academicis, & Peinæ in Hildeſienſi ditione, hiberna prætoria habuiſſet, contracto luſtratóque exercitu, movet in hoſtem. Primis caſtris Steinbrucum, arcem bene munitam, & Heſſendamum deditione accepit. Adulto Julio, per agrum Luneburgicum cum Legionibus aliquot & machinis muralibus, cæteróque inſtrumento ad Albim progreſſus, apud Luthershuſium, ubi ſe hoſtis munierat, aliquam moram traxit, donec ex eâ ſtatione Dani migravêre, totíſque caſtris, quæ cis Albim erant, in ulteriorem regionem prope Beizenburgum, quod eſt oppidum Megalopolitani Ducatûs, per pontem lintribus impoſitum, pugnæ aleam evitârunt. TILLIUS CASTRA MOVET. XVIII. DANI PUGNÆ NECESSITATEM VITANT.

Hos confeſtim inſectatus Tillius, Albim ſtravit exercitui transportando haud procul à Blekedâ, & 5. Id. Sext. cum univerſis copijs in adverſâ ripâ conſedit, eâ ſpe, fore ut hoſtis, territo licèt, quàm præliabundo ſimilior, ad pugnandum pedem TILLIUS VADIT TRANS ALBIM.

pedem figeret. Verùm is, comperto Tillij adventu, disjecto, quem antea ſtruxerat, ponte, Trittaviam (locus eſt Hamburgo & Lubecæ intermedius) abiens, caſtra firmo opere communijt. Dani non pauci à Tillianis in eo receptu cæſi, capti quammulti: aliquot minoris modi tormenta, quæ feſtinatio non erat paſſa avehi, intercepta.

Danos insequitur.

XIX.

In Marchionatu Brandeburgico, Brandeburgum, Rattenaviam, Perleburgum, Havelbergam cum adſito propugnaculo, Ducis Luneburgici auſpicijs, Bavarici invaſerunt. Simul Dani, Principem eiuſce civitatis ædem, ex adversâ fluminis orâ in edito colle, præſidio & munimentis firmârunt. Ex eâ, Tillianos in urbe crebris jaculationibus fulminabant: quæ res erat hoc ipſo permoleſta, quòd tormentis ab extruendo ponte prohiberentur. Daniæ Rex ipſe, ſuis ut faceret animos, cum aliquot armatorum millibus illuc ſuppetias advenerat. Tilliani frequenti velitationum conflictu hoſtem inceſſebant; donec tandem Idib. Auguſti, cùm trans Havelam ponte naviculario, quantumlibet Dani obſtitiſſent, in adverſum littus provecti, ſub diei crepuſculum in acie ſteterunt Danos invaſuri. Et jam in eos movebant, cùm intellectum, eos cum Durlachio, qui tum aderat, aliiſque inſignis notæ Ductoribus, ſub mediam noctem, dimiſſis, quæ inſederant, propugnaculis, abijſſe.

Castra habet ad Havelbergam Danis opposita.

XX.

Præerat id temporis Danico exercitui cum legati poteſtate Comes Turrianus ſenior, nihilò peregrè, quàm domi fortunatior. Exercitus acceptæ nuper plagæ cicatricem nondum induxerat: & formabilis plerumq; manus eſt, quæ ſemel iterúmque vicit. Sed & conſilium erat, cunctando remorari Tillium, & rei cum Cæſare componendæ tempus extrahere, eóque ſatis habebant, ſi ſe intra caſtrorum munimenta tutarentur, certi, Tillium cum impari numero, nihil loco adeò iniquo auſurum. Quare, cùm ille æquo Marte nihil poſſet, arma vertit in arces finitimas. Invaſit Neohuſium, quod Lavenburgicæ regionis eſt, & Tholſpiccam certis legibus ab Hamburgenſibus & Lubecenſibus eſt conſecutus. Comes Ludovicus Fürſtenbergius Stolzenaviam, egregiam munitionem, ſex maioribus æneis machinis cœptam concuti, deditione accepit.

Danorum cunctatio.

Tillius loca varia occupat.

XXI.

Dani, qui Northemium præſidio tenebant, quotidianis propè eruptionibus prædiſque omnem circà regionem vexabant: flammis abſumpſerant Schinenſe ac Vellinenſe Monaſterium, & multa præterea municipia.

Nienburgenſe præſidium perinde erat agro vicino & copijs Bavaricis infeſtum. Fruſtra cum Northeimenſibus de urbe dedendâ tractatum ſæpius, cùm demum Blanchardo Tribuno id datum negotij, ut illam cum copiarum parte obſideret. Eo factum, ut acceſſione Fürſtenbergij Comitis, non ſine ſanguine ſubigeretur. Propugnatores enim, duobus Tillianorum aggreſſibus fortiter rejectis, cùm poſtrid. Cal. Quintil. ex generalis oppugnationis apparatu ultimum diſcrimen notâſſent, de deditione colloquium poſtulârunt. Negaverunt Bavarici animoſiùs, quàm prudentiùs, nihil penſi habentes naſci ex deſperatione audaciam. Ergo fecialis, depromptis obſeſſorum litteris, conteſtatus eſt, Duces, quando præter morem militiæ ne colloquendi quidem copia fieret, propugnatores ad ſupremum omnes ſpiritum pugnaturos, ulturos ſuum ſanguinem, & famâ poſthumâ heroum inſtar fruituros. Tertius ex ante Nonas Quintileis datus certamini cum luculentâ Boicorum clade, è quibus Centuriones ſex, octo vexilliferi, fortiſſimè pugnantes, quingenti gregarij occubuerunt: cúmque petijſſent ad ſepelienda cæſorum corpora ab obſeſsis inducias, tulêre repulſam, coacti ſpectare ſpoliari corpora, & ſemineces, ſpirantéſque pro mœnibus confici. Quæ res Fürſtenbergio perſuaſit molliora. Obtulit ultro per æneatorem honeſtas propugnatoribus conditiones; quibus tam generoſi milites digni viderentur. Ita præſidiarij, quos jam annona & ſpes auxilij defecerat, cum ſarcinis, ſignis militaribus, accenſis funiculis, aliiſque, quæ viris fortibus conceduntur, Wolfenbutam uſque cum defenſoribus, teſſerâque ſecuritatis fuère deducti.

XXII.

Bavarici cladem accipiunt ad Northemium.

Northemium deditione accipiunt.

XXIII.

Dani interea, Albi navigijs trajecto, delati in Luneburgenſem agrum, graſſati igne

Dani grassantur in

igne & direptionibus, decem omnino pagis & Bardevicenſi oppido concrematis, ex ipſo propè Luneburgi conſpectu armentum abegêre. *Ducatu Luneburgico.*

Nienburgum Comes Anholtius caſtrorum Præfectus obſeſſum cohibuit, quod denique poſt ejus diſceſſum, menſe Novembri, fame & morbis domitum, Erwito Tribuno manus dedit, poſteaquam peſtilitas Lampachium Tribunum, qui pro Danis iſtic curabat, quíque Bavaricos multis certaminibus exercuerat, è medio ſuſtuliſſet. *Nienburgum Bavaris deditum.*

XXIV. Wolfenbutenſem in Brunſvicia Ducis Friderici Ulrici munitionem conveniebat in arcto haberi, cùm vi nondum poſſet occupari. Ex eâ enim, quoties licebat, fiebant excurſiones, quibus præſidiarij latè prædas terrorémque circumagebant. Goslarienſes armento, agreſtes rebus propè omnibus ſpoliavêre. Comes Solmenſis, vir in paucis magnanimus, peritúsque rei militaris (uti jam memini) pro Daniæ Rege loco præerat, nec poterat ſperari, ut Regis injuſſu cederet, tametſi à Duce Ulrico munitio repeteretur. Ergo ejus obſidendæ munus impoſuit Tribuno Cottenbachio, quo egregiè functus fuit, donec Pappenheimius, agreſtibus in Auſtriâ ſuperiore domitis, victrices copias obſidioni admovit. Gravis fuit & perquam diuturna iſta obſidio, quæ neque ferro, nec igni, ſed novo expugnationis genere demum, Decembri menſe, finem accepit. Pappenheimius etenim fluvioli, cui Okero vel Onaciæ nomen, qui Wolfenbutam perfluit, beneficio uſus, valido infra munitionem aggere, affluentem coërcuit, fecítque, ut intra mœnia aquæ per vim exaggeratæ ſic intumeſcerent, ut obſeſſi ſibi atque ædificijs interitum pertimeſcentes, cùm omnia reſtagnans rivus inundaret, creſcerétque in horas, honeſtam Pappenheimio fecerint deditionem. *Obſidio Wolfenbutæ.* XXV. *Occupatur Wolfenbuta.*

Tillius, cùm menſe Septembri Bavaricum exercitum Cæſariano, quem ducebat Fridlandus, ad Lauenburgum junxiſſet, in Holſatiam, Trittaviam verſus iter intendit. Iſthic Dani, ſuo inſtituto, caſtra muniverant, quaſi vim, ſi quæ ingrueret, experturi. Atque eo quidem Tillius ſperabat fore, ut collatis ſignis, diuturno bello finis aliquis, vel certè propior ad pacem via fieret. Sed hoſtis, eo adventu cognito, relictis caſtris, properè Crempam abiens, Tillij ſpem eſt fruſtratus. Proximum erat, ut Pinneberga, locus naturâ & arte prope Hamburgum validus, peteretur, quo occupato, foret ad hoſtem acceſſus facilior. Ergo directis in propugnacula tormentis, cœpêre obſeſſi acriter verberari. Sed Tillius, ut erat pervigil & oppugnationi aſſiduus, dum machinarum ſuggeſtum, apertus omninóque intectus luſtrat, è vicino notatus, vulnus ſecundùm tibiam immiſsâ glande accipit, ad quod curandum Lauenburgum æger debuit deportari. Ex eo ingens militum orta indignatio, iniquiſsimè ſui Imperatoris vicem ferentium. Viſum tum, quæ in eum eſſet charitas, quis ſenſus caſtrorum; ſed emicuit vel maximè omnium ſtudium, æſtimatióque, cùm muro continuâ horarum aliquot verberatione interrupto, inſultum, vindictæ avidi depoſcentes, oſtenderent, ſe in hoſtem non ſecus atque ad epulas ituros; & iviſſent ſanè, niſi Gubernator deditione eorum iras prævertiſſet. Tillium Lauenburgi inviſêre Archiepiſcopatûs Bremenſis Adminiſtrator & Dux Holſatiæ, multa de ſuâ in Cæſarem fide & ſinceritate pollicentes. *Tillius movet in Holsatiam.* *Vulneratur ad Pinnebergam.* *Pacto poſt deditam.* XXVI.

Pinnebergâ domitâ, Cæſariani, adſcitis tribus Bavaricis Legionibus, Fürſtenbergicâ videlicet, Reinachianâ & Herberſtorffiâ, quibus Comes Fürſtenbergius præerat, penitiùs movêre in Holſatiam. Ex itinere occupavêre Haſſeldorpum & Haſelonam caſtella nobilia, tametſi tenerentur à numeroſo milite, qui magna exercitui damna, interceptâ annonæ ſubvectione, intulerat. Izehoa arx munitiſſima tranſcenſis mœnibus expugnata, conciſi quotquot in eâ reperti, tam confertim, ut, quacunque erat eundum, cadavera ferè ab incedentibus calcari oporteret. Hilgenſteda defenſionem tentavit quidem, ſed trecenti Galli, qui primo impetu grandia loquebantur & videbantur facturi, fervore remiſſo, herbam porrexêre. Multa minùs firma oppida, nullâ vi expectatâ, patuêre venientibus. Bredenbergæ ceſsit infeliciter audax propugnatio: Eſt ea Ranzovianæ *Izehohæ excidium.* XXVII. *Bredenberga expugnata.*

vianæ dynaſtiæ egregia munitio. Cùm enim propugnatores, patefacto jam muro, obſidentium inſultum magnis animis reprimerent, Cal. Octob. ſuperati, quotquot in armis fuêre, fuêre verò propè ſexcenti, à furente milite ferro deleti ſunt.

Alta loca occupata. Exercitûs pars inde Rendeſburgum, pars Kiliam movens, utroque potitus eſt poſt ſex dierum obſidium: Wilſtera, Flensburgum, Schleſwicum, eandem fortunam ſunt ſecutæ. Glückſtadio & Crempenæ intercepti aditus. Caſſeldorpum Fridlando manus dedit, cùm præſidiarij, à præfecto diffidentes, induci

XXVIII non poſſent, ut obſiſterent Cæſarianis. Croatæ per Ditmarſiam paſſim vagati, prædas egêre. Et fuêre à Danicis, qui rebus præſentibus diffiſi, bono numero transfugerunt ad Cæſarianos. Morganus Anglorum ductor, deſerto, quod ad Bremam excitârat, propugnaculo, Stadam ſe recepit. Dani pariter, relictis ſtativis, quæ prope Acham egregio opere muniverant, Fegeſacum verſus abiêre. Subinde Comes Anholtius, binis, quæ ad Bremam Danis adhuc ſupererant, munitionibus, unà cum octo machinis æneis majoribus potitus, Otterbergam, Bremerfortum, Buxtenhudam in ſuam poteſtatem redegit. Buxtenhudenſes Danicum præſidium armis ſpoliatum exegerunt ante deditionem, expulſis tamen per ludibrium remiſerunt arma: ſerviebant videlicet tempori, eóque fortunam victorum ſecuti, Cæſaris gratiam aucupabantur. Miles, qui alioqui nunquam plebi eſt gratus, quando adverſis premitur, fit etiam exoſus.

Durlacenſis cæſus. Inter hæc Marchio Durlacenſis grandem à Schlickio Comite Cæſaris partibus addicto cladem accepit, ſignis enim juſtâ pugnâ collatis, Marchioni profligato quadraginta tria vexilla militaria ademit: quæ victoria totam Holſatiam Cæſari ſubegit. Durlachius cum paucis, ope navigiorum, ſupremum diſcrimen evaſit. Peditatus prælio ſuperſtes ad ſigna Cæſariana tranſivit: equitatus, qui in Jutiam fugerat, à Schlickio, captis triginta ſignis, deletus. Calenbergius & Nellius tribuni venêre in ejuſdem manus: regio univerſa malè habita: excur-

XXIX. ſionibus in Sleſwicenſem uſque Ducatum promotis. Reinachius in ditione Bremenſi, haud procul à Rutzenbutela, octodecim adhuc reſiduas Danicorum equitum vexillationes, ſignis ademptis, compulit ad deditionem. In his fuit Comitis Ortenburgici Legio. Igitur Daniæ Rex, rebus ad eum modum inclinatis, poſt tot acceptas clades, cùm ſe Glückſtadij aliquanto tempore continuiſſet, ſeceſſit in Daniam, rebus ſuis, vel reparato bello, vel pace conſulturus. Eum ſecuti ſunt Joannes Fridericus Durlachius, & Comes Turrianus ſenior.

XVII. Cal. Decemb. Ludovicus Jacobus Comes Fürſtenbergius, ſupremus in exercitu Bavarico rei tormentariæ Præfectus, Lauenburgi fatis conceſſit, vir in paucis magnanimus, multarúmque palmarum.

XXX. Tillius, curato interea vulnere, cùm legiones, quas Cæſarianis adjunxerat, ad ſe revocâſſet, transmiſſo ſuper Albim exercitu, 15. Cal. Decemb. prope Buxtenhudam ſibi ſociavit Anholtium. Inde motis trans Schwingam fluvium caſtris, ad Stadam eminus circumſidendam, quaternas legiones, Fürſtenbergicam, Gronsfeldicam, Reinachenſem, & Herberſtorfiam, cum totidem equitum ſignis reliquit. Cæteras copias, medijs per paludem aggeribus, in Kettingenſem & veterem regionem deduxit, ac denique partem Danici equitatûs, quem eatenus Hebronus ductaverat, fudit, fugavit.

Stadenſis obſidio.

Clades Danici equitatus.

Rutzenbutela, poſt toleratam obſidionem, manus dedit, ſimilis fuit Friburgi ad Albim conditio. Itum demum, adultâ jam hieme, ad hiberna. Fridlandus cum Cæſarianis hibernavit in Jutia, Holſatiâ, Ditmarſiâ, Megapolitano Ducatu. Tillius, qui prætorium habuit Buxtenhudæ, copias diviſit per Inferiorem Saxoniam ad Viſurgim, per Haſſiam, Franconiam, Sueviam. Anholtio ceſſit Comitatus Oldenburgicus & Friſia Orientalis, ut, ſi qui, ſive ab indigenis, ſeu à Batavis motus fierent, ipſe ad eos cohibendos foret in promptu. Hæc de bello. De pacis conſilijs pauca, quæ, mutato paulùm temporis ordine, rejeci in hunc locum, ne interruptâ belli narratione lectoris animum diſtraherem.

Fride-

Fridericus Ulricus Dux Brunſviciæ ægrè ferebat, ſuas Provincias continuò vexari, eo obtentu, quòd à Daniæ Rege Wolfenbuta, nondum à Pappenheimio eo, quo antè dixi, modo expugnata, detineretur. Ergo Equeſtri Ordini, cæteriſque Primoribus Brunovici indixit Comitium, quo eorum conſilia de publicâ ſalute tótque amovendis incommodis acciperet. Viſum univerſis, multum ad eam rem emolumenti habiturum, ſi Wolfenbuta, primarium iſtius Principatûs præſidium, è Danorum poteſtate reciperetur. Quapropter ſevera ad Philippum Rheinhartum Solmenſem Comitem, & ad Lutheranos concionatores mandata dedêre, quæ populo pro concione recitarentur, invalidum adverſus id mali genus, apud plebem inermem, remedium: Solmenſis enim, interceptis, quæ ad Prædicantes datæ erant, litteris, tabellarium durè habitum remiſit ad Ducem cum minacibus litteris, monuítque vicinos Embeckenſes, ut in Dani fide immoti perſiſterent. Dux prætereà & Ordines dedêre prolixas ad Daniæ Regem litteras, quibus demonſtrabant, quantis ex cauſis, rebus prorſus neceſſarijs, in ſupremo rerum diſcrimine, in Cæſaris poteſtatem tutelámque conceſſiſſent: precabantur ad extremum, ut Rex afflictiſſimæ Provinciæ calamitoſiſſimam ſortem miſeratus, pacis conſilia ſuſcipere, & Wolfenbutam calamitatis anſam Danico præſidio vellet liberare. Daniæ Regis id temporis res erant, (uti jam dictum) admodum creperæ: incumbebant infeſti duo exercitus, ejus militiam fidentia adverſus tam potentes hoſtes, ſimúlque fides in Regem defecerat, deſerebatur à fœderatis: nî à neſcio quo benigniore ſidere meliora affulgerent, omnia peſſum itura videbantur. Nec erat alienus Rex à pace tolerabili, qualis raro inter bello, viribus, victorijſque longè diſpares initur. Cæſariani Dano has leges proponebant: arma poneret, Orbis Saxonici Præfecturæ, Eccleſiarum titulis ac fortunis, quibuſvis etiam in Brunſuiciam ac Luneburgiam prætenſis actionibus, denique Holſatiæ, aliiſque Imperij beneficijs atque clientelis, per capitalem noxam commiſſis, nuntium remitteret: ad extremum Glückſtadio excederet, belli ſumptus reponeret, deinceps ex normâ priſcarum pactionum, nullo prorſus novato vectigali, Sundam commerciúmque libera haberet, hæc omnia fidejuſſoriâ cautione regiiſque litteris certa aſſerta redderet. Quæ Regi viſa graviora, quàm ut ipſis ſubſcriberet.

XXXI. Comitium Brunovicense.

XXXII. Litteræ Ducis Brunovicensis ad Daniæ Regem.

Conditiones a Cæsare Regi Daniæ propositæ. XXXIII.

Regis conſultores dedêre ad Fridlandum litteras, quibus belli damna, nomine Danicarum ditionum, quæ cauſam bello non dederant, deprecabantur. Enimvero neque Danicæ Coronæ Provincias, neque Sleswicenſem Ducatum, neque alias Coronæ appendices in partes bellantium veniſſe: ad ſolum Saxoniæ Circulum motuum cauſas pertinere; æquum non eſſe, ut, qui pacis foviſſent conſilia, alieni belli malis involverentur. Ad hæc Laconicè Fridlandus: Se hoſtem, quem Danicæ regiones receperant, rebus neceſſarijs eſſe inſectatum: porrò ſe miſiſſe Danicorum conſultorum litteras ad Cæſarem: à Cæſare reſponſum eſſe expectandum.

Danici Consiliarii scribunt ad Fridlandum.

Nihilo plus effecêre, quas ijdem Conſiliarij eodem argumento ſcripſerunt ad Saxoniæ ſeptemvirum. Majore vi opus erat ad reſtinguendum tanti belli incendium.

XXXIV.

Ad pacandam Germaniam plus ſperabatur à Septemvirûm Mulhuſino Conventu fore ſubſidij. Is in Octobrem dilatus Principum Electorum, Legatorúmque frequentiâ celebris, à XIV. Cal. Novemb. duxit initium. Adfuit nomine Cæſaris Petrus Henricus Stralendorfius Imperij Procancellarius, & Hermannus Queſtenbergius, quibus nonnemo addit Walmerodium. Moguntinus & Saxo Septemviri ipſi interfuêre: Colonienſis, Trevirenſis, Bavarus, & Brandeburgicus adfuêre per Legatos. Legatione Bavaricâ functi Comes Wolckenſteinius, & Maximilianus Comes Curtius. Eodem Galliæ Rex adlegavit Marchevillæum. Magdeburgenſis item, Bremenſis, Halberſtattenſis, Brunovicenſis, Luneburgenſis, Haſſus, Imperij Principes, aliquammultæ etiam civitates ſuos iſthic Legatos habuêre.

Mulhusinus Conventus.

XXXV. Primo conſeſſu, qui in curiâ eſt habitus, à Moguntino Electore hæc pro-
Propositio poſita. 1. Quæ ratio medendi ingraveſcentibus Imperij malis, quæ à bello Bo-
hemico traxêre primam originem, in diéſque propagarentur & augeſcerent
per continuas militum, diſciplinæ militaris expertium, deductiones, ſtativa, vio-
lentas concuſſiones, contra Sac. Cæſ. Majeſtatis voluntatem, cum luculentâ Sac.
Rom. Imp. pernicie. 2. Quibus modis pax, cum Sac. Cæſ. Majeſtatis & fide-
lium Ordinum, atque cum Imperij dignitate & commodo reparari valeret. 3.
Quî poſſet pax, ſi eam contingat divinâ ope reddi, conſtanter retineri, & ſalva
transmitti ad poſteros, turbis omnibus & factionibus eliminatis. 4. Si præter
ſpem, ea nequeat etiamnum iniri, vel contingat rite initam aliquando violari,
quâ ratione ejuſdem violatoribus, ordinatè, conſtanter, ſalvis Imperij conſtitu-
tionibus, ſit occurrendum. 5. Quoniam variæ res, ad Septemvirûm Collegium
XXXVI. propriè ſpectantes, ad proximum Conventum dilatæ fuerant; eas, quantum gra-
viores obligationes negotiáque patientur, poſſe venire in deliberationem. Et
verò multa iſtiusmodi ad Conventum fuêre relata: nempe de pace cum Rege
Daniæ: de Eccleſiaſticis poſſeſſionibus poſt pacem Religionis uſurpatis: de in-
ductis novis portorijs & vectigalibus, de reſtituenda Wolfenbuttâ, de Calvini-
ſtarum in Imperio tolerantiâ: de causâ Virdunenſis Epiſcopi, Comitum Solmen-
ſium, Hoheloënſium, Franconicorum, Wetteraviorum, Hanovienſis civitatis,
Magdeburgenſis, Halberſtadij, Argentinenſis Capituli adverſus Civitatem; déque
alijs, quæ nihil attinet hoc loco referre. Juvat tamen cognoſcere, quid Col-
legium Marchevillæo Regis Franciæ Legato ad quaſdam Regis propoſitiones
Responsum Comitii ad propositiones Franciæ Legati reſponderit. Reſponſi verba ſunt hæc: *Quæ nomine Chriſtianiſſimi Galliarum Regis*
Dominus de Marcheville ſcripto retulit ad Electorale Collegium in diatâ hac Mulhuſa-
nâ, ea Principes & Legati perceperunt, & maturo conſilio expenderunt, atque inprimis
requirunt benevolè Dominum Oratorem, ut Regiæ Suæ Dignitati declaret, Electoribus
Imperij gratiſſimam accidere tam eximiam ſollicitudinem, quâ Sua Dignitas Germani-
XXXVII. *ci Imperij tranquillitatem complectitur, ſimúlque eoſdem rogare ſuam Dignitatem, ut*
hanc regiam voluntatem porrò continuare dignetur. Ex parte ſimiliter Principum
Electorum aſſecurabit Suam Dignitatem, ipſis rem nullam unquam pacis ſtudio futuram
potiorem, id adeò Suæ Reg. Dignitati conſtare poſſe ex eo, quòd toto periculoſi hujus bel-
li tempore, etiam ſummis injuriis laceſſita Sac. Cæſ. Majeſtas, & hoſtilibus armis non
offenſi modò, ſed etiam ad extremam calamitatem deducti Sac. Cæſ. Majeſtatis fideles
XXXVIII. *Status, omnia tamen pacandæ Germaniæ media tentârint, ejus rei causâ tum aliàs ſæ-*
pius inducti, novis tamen ſemper adverſariorum motibus impediti. Principum Ele-
ctorum & Deputatorum Conventum, tum etiam tandem hac præſens Mulhuſij ſuſce-
pta deliberatio.

Et quidem, quæ Dei benignitas eſt, ſi conculcandæ Cæſareæ authoritatis ſtudium,
& res in Imperio porrò turbandi deſiderium eos deſerat, qui hactenus tam pertinacibus
armis hoc bellum foverunt, in animum inducant, ſalutaribus ſe accommodare conſilijs,
Cæſ. Majeſtatis revereri authoritatem, & pacis amplecti ſtudium, reipsâ experientur, in
hoc Mulhuſano Conventu, ea veræ pacis media in deliberationem veniſſe, & Sacræ
Cæſ. Majeſtati, ut par eſt, repræſentanda eſſe, ut, ſi pacis bono noſtra Germania Impe-
riúmque ſit diutiùs cariturum, id ſolâ eorum noxâ futurum ſit, quibus in extremâ de-
ſperatione, & Imperij evertendi ſtudio omnis eſt conſiliorum ſumma.

Hoc etſi minimè futurum credunt Electores Principes, metuendum tamen eſt, ut
porrò ſint, quibus curæ ſit, tot jam divinorum judiciorum teſtimonio damnata Palati-
XXXIX. *næ cauſæ patrocinia, & toties victis auxiliares manus præbere. Facilè ſtatuet Chriſtia-*
niſſimus Rex, quanti in utramque partem ſit res futura periculi, vel Sac. Cæſ. Maje-
ſtatis authoritati conniventibus, vel etiam adjuvantibus illis, quibus Juſtitiæ tutela
incumbit, derogari, vel in extremum diſcrimen Chriſtianum orbem novis bellis devolvi.
Hâc de causâ ſimiliter Dominum Oratorem requirunt Principes Electores, ut ipſorum
nomine Chriſtianiſſimum Regem unicè roget, ut, cùm tam liberaliter ſuum nobis ſtu-
dium offerat pacis & tranquillitatis promovendæ, taliſque pax, niſi Imperiali authorita-

te & Electoralis Collegij dignitate, ſalva ſperari minimè poſſit, id Rex Chriſtianiſſimus pro ſuâ maximâ authoritate efficiat, ut ij, quos Bohemorum rebellio & Imperatoris contemptus ad arma traxit, ijs ſuperſedeant. Cæſarea Majeſtati, Electorali Collegio, legibus Imperij & honeſtati congruum reſpectum deferant, & Sac. Cæſ. Majeſtatis arbitrio & decretis, haud dubiè etiam Principum Electorum interventu, omni æquitate & clementiâ temperandis ſe accommodent. Atque hæc ſunt, quæ pro tempore viſa ſunt reſpondenda Domino Oratori, cujus & officium gratiſſimum habent Principes Electores eorúmque Legati, & ipſum omni favore proſequuntur. Dat. Mulhuſij in Electorali Collegio ſub Electorum præſentium & Legatorum Sigillis 11. *Novembris,* 1627.

Atque ex his quidem apparet, quæ mens Galliarum Regis id temporis fuerit de pacandâ Germâniâ, quive ſenſus Electorum de publicæ tranquillitatis perturbationibus. XL.

Cæterùm, nomine Cæſaris, Legatus hæc ad Collegium retulit: gratum accidiſſe Sac. Cæſ. Majeſtati, quòd Septemviri, pro ſingulari ſuo in patriam communem amore, Mulhuſij conveniſſent eo conſilio, ut ſalutariter modos in commune diſquirerent, quibus proſcribi bellum, pax poſtliminio poſſet reduci. Quando verò Sac. Cæſ. Majeſtatis mens jam à multis retro annis cum iſtâ Septemvirûm deſtinatione conſpirat, eandem Comitium hoc, miſſo Legato, cohoneſtare voluiſſe, cum bene ominatâ apprecatione, ut præſentibus Electoribus & abſentium Oratoribus Deus ſpiritum ſapientiæ & conſilij impertiat, quo diſpiciant ac procurent ea omnia, quæ ad imminentium diſcriminum proviſionem, & præſentium malorum depulſionem, ad Sac. Cæſ. Majeſtatis honorem, totius Imperij incolumitatem, Electorum omnium ſalutem, quàm maximè valeant, & ſuggeri poſſint Suæ Majeſtati. Ipſam verò exiſtimare, nihil eſſe, quamobrem multùm laborent in veſtigandâ causâ rebellionis, in Bohemiæ regno ipſius hæreditario excitatæ, & poſtmodum auctæ, firmatæque Turcarum, Tartarorum, aliorúmque conſpirantium auxilio, uſque dum totum Romanum Imperium accendit, diſtraxitque in diſcordias & factiones, ad Suæ Majeſtatis & univerſæ Domûs Auſtriacæ ultimam oppreſſionem. Hoc tamen in tantis malis Cæſ. Majeſtati ſupereſſe ſolatij, quòd neque ipſa, neque ipſius Præceſſor glorioſæ memoriæ Matthias Imperator quicquam cauſæ pernicioſis iſtis molitionibus dederint, ſed inviti, ac refragante innatâ utriuſque benignitate, ad Cæſaream authoritatem ſuſtinendam, tuendámque fidelium Electorum, Principum atque Ordinum ſalutem, deſcenderint ad ea remedia, quæ ipſa neceſſitas non tam permiſit, quàm impoſuit: nihil ſe unquam recuſâſſe tractationis, quæ ad ſecuram, & tolerabilem ſaltem pacem faceret, nedum omiſiſſe paternas monitiones, dehortationes, aliáve ejuſmodi, unde paternæ benevolentiæ ſincera indicia caperentur. Id verò toti Imperio ex publica Cæſarianarum litterarum & negotiationum teſtificatione eſſe compertum.

Proposita a Legato Cæsaris.

XLI.

XLII.

Quòd autem ejuſmodi Suæ Majeſtatis monitiones, clementérque oblatæ conditiones, Principum verò Electorum, aliorúmque ſumptuoſi labores curæque, tótque cælitus conceſſæ ad Cæſaris defenſionem victoriæ, exiguum apud hoſtes fructum fecerint, qui contrà ſua omnia conſilia verterint ad bella ex bellis nectenda, quibus res ab ipſis malè cœptæ, cum totius Imperij periculo pejùs finirentur; id verò tribuendum eſſe authoribus, & divinæ in Germaniam animadverſioni.

Quoniam verò bellandi prurigo in Martijs pectoribus, per caſus adverſos aliquantò facta eſt remiſſior, & ſiniſtræ perſuaſiones, vani obtentus, fraudéſque venêre in apertum, ſperare Sac. Cæſ. Majeſtatem, fore, ut Septemvirûm Collegium, in iſto cœtu atque concilio, ad quod omnium oculi votáque ſint converſa, rebus melioribus viam aliquam reperiat. Cupere verò Sac. Cæſ. Majeſtatem his de rebus Electorum, quà præſentium per ſe, quà abſentium per Legatos, animi ſenſa cognoſcere. Non repetam ea, quæ à Moguntino Electo- XLIII.

re jam dixi fuiſſe propoſita, quorum nonnulla à Cæſareo Oratore, Cæſaris mandato, Auguſtalis Collegij conſultationibus examinanda fuêre.

Et primùm quidem: quâ ratione à Palatini Comitis defenſione Rex Daniæ poſſet removeri. 2. Quandoquidem Cæſ. Majeſtas multos milliones in belli ſumptus expoſuerit pro Imperij defenſione, fáſque ipſi ſit, velut læſo atq; inſonti, juxta ſalutares Imperij leges atque conſtitutiones, ex fortunis ejus, qui bello cauſam dedit, & noxam intulit, ſumptus, damnáque repetere, eo præſertim, quòd Cæſ. Majeſtas ob hujuſmodi ſumptus, hæreditarias provincias pignoris nexu obligaverit, nec poſſit eam damni accepti reparationem condonare; quo pacto ipſa ſervari poſſit indemnis, ſumptúſque in neceſſariam defenſionem

XLIV. factos recuperare. 3. Si bellum ultrà proferri debeat, quibus ex rebus nervus & ſtipendia colligenda, quámve opem Cæſari adferre velint Imperij Septemviri. Cæteroqui Cæſari omnino certum eſſe, ſic expendere pacis componendæ, quas Septemviri idoneas judicaverint, rationes, ut, quæcunque conſentaneæ fuerint Rom. Imperij dignitati, eas ipſe ſit libenter admiſſurus.

Electorum responsum.

Auguſtale Collegium ad hæc reſpondit. Inſtitutum eſſe conventum, ut Septemviri, velut intimi Sac. Cæſ. Majeſtatis conſiliarij, & præcipuæ Imperij columnæ, pro debitâ in communem patriam charitate, próque officij ſui ratione, curas ſummi Imperij Rom. capitis conſilijs ſublevare, ejúſque paternæ ſolicitudini de conciliandâ pace, poſt tot partas victorias, adjumento eſſe poſſint.

XLV. Et primùm quidem Sac. Cæſaream Majeſtatem haud dubiè meminiſſe, & facilè pro ſuâ ſapientiâ æſtimare, quanto ſit oneri devotis Suæ Majeſtati Statibus, poſt ingentia in belli jam octennis, pro cujuſque facultate ac viribus tum militaria, tum pecuniaria ſubſidia, & tam promptam frequentémque adverſus ſæpe renaſcentis belli pericula adhibitam proviſionem; quòd militares abuſus in Cæſareo exercitu eò proceſſerint, ut ex ijs amici Status inſtar hoſtium habeantur, ipséque exercitus neceſſarias ſui ſuſtentandi rationes omnes ſibimet ſtirpitus exſcindat, cùm illæ (experientiâ teſte) ubi deeſt ordo diſciplinæ militaris

XLVI. accuratus, nullo modo poſſint durare. Huic ordini adverſari è diametro, ſi illi,

Querimoniæ de eversa militari disciplina.

penes quem generalis armorum poteſtas atque procuratio, arbitrarium ſit quantaslibet copias conſcribere, ſi militi non repræſentet ſtipendia, ſi delectus nullis ſint temporis limitibus circumſcripti, ſi auctoramenta, exactiones, hoſpitationes, ſervitia, annona, in liberâ atque effreni Chiliarcharũ, Centurionum, Inſtructorum, Decanorum voluntate ſint conſtituta: ſi prædis, concuſſionibus, aliiſq; inſolentijs omnia liceant. Sic enim tandem fieri, ut, Provincijs ſubitò exhauſtis, deſint vitæ neceſſaria, & publico peſſimo; miles vel abſque miſſione ſigna deſerat, vel, cùm magno poſſet eſſe uſui, tumultuetur, vel tandem etiam ad hoſtem confugiat. Hæc incommoda nimium quantum in exercitu Cæſareo reperiri. Militem legi pro Archiſtrategi arbitrio: unicum hominem, aliquando rei militaris inexpertum, imò & abſentem, quíque cùm Legioni adeſſe ipſe nunquam velit, ſed per Legatum duntaxat, alióſve ſecundarios ductores præeſſe; binis, ternis, quaternis Legionibus præfici: & tálem nihilominus ſtipendia, ad uſ-

XLVII. que unum teruntium, per collectas arbitrarias, de miſerorum ſudoribus, atque ex ipſis rapinarum atque incendiorum favillis corradere, cum tantâ immoderatione, ut exactiones aliquando in quadruplum debita ſtipendia excedant. Etſi legiones non ſuum numerum, ſed nomina magnam partem habeant, exigi tamen examuſſim, quantum ſatis ſit pro omnino completis. Hiſce aliiſque modis, populos miſerandum in modum vexatos redigi ad incitas. Imperium, quod exteris olim, ipſi adeò Ottomanicæ potentiæ terrori fuit, omnibus propè viribus deſtitutum, enervari atque conſumi. Sacram quidem Cæſ. Majeſtatem pro paternâ ſuâ clementiâ, & magnâ in ſuos ſubditos charitate, ſeveris edictis iſthæc

XLVIII prohibuiſſe ſæpius, ſed vel eorum nullam fuiſſe habitam rationem, vel delinquentium contemptu & obſtinatione adeò obſoleviſſe, ut ipſimet Electores, quos, velut Imperij columnas & adminiſtros Cæſareæ Majeſtatis, ab omni offenſio-

fenſione tutos eſſe decebat ex legum præſcripto, apud iſtiuſmodi inſolentiam nullo propè ſint numero. Quamobrem mirum non debere videri, ſi Commiſſarij, cum luculentâ ſuorum dominorum injuriâ, contemptim habeantur, ſi à minutulis quibusdam hominibus Principes ſuis fortunis ſpoliati ad eam venerint inopiam, ut vix tantum ipſis ſuperſit, quantum ſatis ſit ad vitam tolerandam. Ita conculcatis imperij legibus, nemine conſulto, pro libidine imponi militares contributiones, ſusque déque haberi Domorum illuſtriſſimarum prærogativas, ipſoſmet Principes fieri Tribunorum tributarios, & velut dedititios; etiámque à Centurionibus, aliisque abjectis manipularibus, hoſtilem in modum exagitari. XLIX.
Plura ejuſce argumenti Sac. Cæſ. Majeſtati ſcripsêre Septemviri: cúmque iſtæ querimoniæ etiam ad Hiſpanicum militem, in Imperio agentem, pertinerent, petivêre, ut hâc quoque ex parte vellet adhibere remedia, datis, præſertim ad Hiſpaniarum Infantam Belgij Principem, litteris. *3. Novemb.*

Actis præterea Sac. Cæſ. Majeſtati gratijs, quòd non modò Conventum probâſſet, ſed perhonorificâ etiam legatione illuſtrâſſet, reſpondit Collegium, omnino ſe ejus eſſe ſententiæ, belli cauſas, neque abs Ferdinando, neque à Matthiâ Imperatoribus eſſe profectas, ſed vim adverſariorum extorſiſſe neceſſariam defenſionem: Cæſarem non defuiſſe ſuis partibus, quò minùs belli incendium tempeſtivè reſtingueret, & clementer quidem; ſed ne id aſſequeretur, obſtitiſſe continuas hoſtium molitiones, qui devicti licèt ſæpiúsque profligati, tamen bella ex bellis, novâ ſemper audaciâ, texuerint. Quòd verò Sac. Cæſ. Majeſtati curæ ſit pax reddenda Imperio, id enimvero eſſe Septemviris gratiſſimum. Proinde, quando viſum Cæſari, Collegij judicium de modis pacandæ Germaniæ expoſcere; hoſce modos in commune viſos eſſe idoneos. 1. Septemviros probè expendiſſe, quòd cùm Fridericus Comes Palatinus proſcriptus verus ſit author ſtatûs calamitoſi, in quo verſaretur tum Rom. Imperium facto ab ipſius causâ initio, Auguſtale Collegium juſtum prorſus eſſe cenſuiſſe, ut Cæſareæ Majeſtati ante omnia ſe humiliter ſubmittat, & culpam deprecetur eâ ratione & modo, qui Sac. Cæſ. Majeſtati videbitur conveniens, quique in Rom. Imperio in ejuſmodi caſibus ſit uſu receptus. 2. Deinde ut idem ille pro ſe & ſuis, Bohemiæ Regno annexíſque ditionibus, & obtentæ deſuper Electioni, utpote invalidæ, in perpetuum renunciet. 3. Ut pariter Septemviratui per ejus delictum aperto nuntium remittat: 4. Ut ab omnibus & ſingulis, tam externis in ejus favorem initis fœderibus, atque in poſterum à pernicioſis damnoſiſve conſilijs, molitionibus, ſocietatibus, commercijs, prohibitíſque adverſus Cæſarem & Electores, Principéſque & Status Imperij conſpirationibus diſcedat: atque hoc ipſum non promiſſione tantùm, ſed idoneâ cautione confirmet. 5. Et quamvis juſtè Cæſar poſſet belli ſumptus à Friderico Com. Palat. repetere, quia tamen id ſupra vires facultatéſque ſuas eſſe, aliáſque cauſas excuſavit, & ſe Sac. Cæſ. Majeſtas ad gratiam eidem faciendam propenſam ſemper oſtendit, ſpem eſſe, fore ut conſequenter, pro ſuâ clementiâ, Cæſaream moderationem adhibeat. 6. Ut præmiſſis iſtis conditionibus, ex gratiâ Cæſareâ, non ex obligatione, Fridericus Com. Palat. à banni proſcriptione, ejúſque aggravatione abſolvatur, ipsíque atque ejus liberis aliqua portio de proprijs ditionibus, pro Cæſaris arbitrio, reſtituatur. 7. Quandoquidē Imperij Ordines lapſi ſunt in pernicioſam alienatorum animorum diffidentiam, quæ hactenus fuerit malorum ſeminarium, poſſitque eſſe inpoſterum; demiſſiſſimè rogari Sac. Cæſ. Majeſtatem, jubeat clementiſſimè, jam propoſitas ſæpius ab Ordinibus expoſtulationes, ad integrandam ſtabiliendámque conſenſionem, ex formâ ac jure Conſtitutionum Imperij, & religioſæ, tot pœnis ſancitæ Pacificationis, quatenus illis debitè ſubmiſſum, citra ullius Statûs injuriam aut offenſionem, decidi. 8. Quòd ſi præter ſpem Comes Palatinus ejúſque ſocij, rejectis jam dictis conditionibus, adverſus Sac. Cæſ. Majeſtatem, eíque fidos & obſequentes Ordines, bellum in Imperio protraherent, Cæſareæ Majeſtati offerre Septemviros tantum auxilij, quantum eorum vires

4. Novemb.

L.

LI.

LII.

patien-

patientur, modò eorum ditiones & Electoratus deinceps à militaribus profectionibus, quas Imperij leges damnant, à ſtativis item, & damnoſis, quales antè fuerunt uſurpatæ, contributionibus eximantur. 9. Id ſi fiat, ſe adverſus Comitem Palatinum ejúſque ſocios, cujuscunque ſint demum conditionis, unà cum alijs
LIII. Imperij Ordinibus, opem laturos. 10. Deniq; ut hoc ipſum communi omnium Imperij Ordinum placito comprobetur, rogari demiſsè Sac. Cæſ. Majeſtatem, ut hancce comprobationem per generalia Comitia & Circulorum conventus, more majorum, poſcat & obtineat. Atque iſta quidem de causâ Comitis Palatini.

Porrò cùm Imperij perturbatio armis Daniæ Regis & noñullorum ſecundæ Saxoniæ Ordinum, aliorúmque tam Imperij indigenarum, quàm exterorum adhuc ſubſiſtat; hæc occurriſſe, quæ Cæſareæ Majeſtati, prout ipſa petijt, conſilia ſuggerantur. Et jam quidem ex tot támque præclaris, quas ipſa reportârit,
LIV. victorijs, hoc natum eſſe præſidij, ut, Daniæ Rege ex Imperij & Saxoniæ finibus ſubmoto, arma Cæſarea magnos fecerint in ipſius Regis ditionibus progreſſus, eóque non videatur ipſe in Imperio magnopere formidandus, ſed fieri poſſit, ut deinceps fortuna Cæſaris armis atque conatibus magis magiſque adſpiret: quia tamen longè foret Sac. Cæſ. Majeſtati ad nominis exiſtimationem, ad laudem clementiæ, & Imperij ſalutem, non ſuavius modò, ſed etiam præſtabilius, ſi in eo rerum ſtatu & facilitate, benignitate ſeveritati antehabitâ, locum amicæ pacis tractationi permitteret, quàm ſi eâ rejectâ, rem conſilijs extremis, & mutabilis fortunæ inconſtantiæ, per incertam belli aleam committat: Septemviris, & Septemvirûm Conſiliarijs, ſalvâ tamen Cæſarei judicij auctoritate, videri, quòd ſi Daniæ Rex eâ, quâ par eſt, formâ & reſpectu pacis tractationem expetierit,
LV. fore Cæſareæ Majeſtati conſultum, non Regi tantùm ejúſque fœderatis, amore pacis, eam indulgere, ſed certum etiam locum & tempus, ad tractandum cum duobus vel pluribus Imperij Electoribus, prout Cæſ. Majeſtati videbitur, nominare, & curare, ut idoneis juſtiſque rationibus, turbis jam excitatis, alijſque, quæ in poſterum timeri poſſent, ſanguinis item humani profuſioni, & populorum Provinciarúmque damnis, modus finiſque imponatur. Et Septemviros quidem atque Legatos, rationes ineundæ pacis libenter Sac. Cæſ. Majeſtati fuiſſe ſuppeditaturos: ſed cùm nuper in tractatu Brunovicenſi tam à Saxoniæ & Brandeburgiæ Septemviris, quàm à Rege Daniæ & utroque Cæſaris Archiſtratego, peculiares quædam conditiones componendæ pacis fuerint allatæ in medium, Sac. Cæſ. Majeſtatem rogari humillimè, ut eaſdem illas conditiones velit ad rationis
LVI. libellam examinare, & ex ijs ſeligere, quæ ipſi gratiores, & legibus Imperij Pacíque Religionis conſentaneæ eſſe videbuntur.

In eâ verò tractatione, ſi illa quidem Cæſ. Majeſtati placuerit, poſſe communi tum Septemvirûm, ſive omnium, ſeu aliquorum, qui interfuerint, tum partis adverſæ diſceptatione & conſenſu decerni, quemadmodum Sac. Cæſ. Majeſtati & Statibus, eidem ope atque fide devinctis, ob graves ſumptus, damnáque bello illata, debita congruáve ſatisfactio præſtari poſſit: cùm præſertim in ijs, quæ aliàs propoſitæ fuerunt, rationibus quædam ſint, quæ in pacis iſtâ conventione duntaxat poſſunt decidi: quæ proinde, ſi in Septemvirûm Collegio diſcutientur, plus incommodi, quàm emolumenti ſint habituræ.

LVII. Cæterùm, Collegium arbitrari, commodè ſimul, cùm de pace agetur, poſſe certi quid ſtatui de modo mediiſque exauctorandi militis, déque vitandâ, quæ oriri poſſet ex eo capite, perturbatione. Facilis enim eſſe conjecturæ, eam miſſionem non fore magnarum difficultatum expertem, & eò quidem majorum, quò major fuerit exauctorandorum multitudo. Sperari eapropter, Sac. Cæſ. Majeſtatem juxta recèns oblatum libellum, fore eò proniorem ad vetandum, ne novi delectus habeantur, & jubendum novas exterorum Legiones nondum luſtratas, quæ in Rheni confinio, atque in alijs Imperij regionibus, jamdiu ſubjectis Ordinum graves & per exactiones, contributiones, aliáſque immoderatæ licentiæ preſſuras vehementer (tametſi Sac. Cæſ. Majeſtati nullum præſtiterint obſe-

obſequium) detrimentoſas, dimitti. Reſervandas porrò videri oppreſſorum Statuum & ſubjectorum, adverſus legionum Præfectos, poſtulationes & actiones. Eas legiones, quæ longè abſunt à ſuo numero, quales ſunt multæ, poſſe, mutatis ſignis, cæteris permiſceri. Id verò, ne læſis Statibus fraudi ſit, faciliúſque exauctoratio poſſit expediri, non inconſultum fore, ſi Sac. Cæſ. Majeſtas ab ijs exigat claros, benéque explicatos acceptorum damnorum indices. Quòd ſi Daniæ Rex, rejectis pacis conditionibus, fœderatorum, ipſiúſque Turcæ auxilijs bellum præoptaret, æquum eſſe, Sac. Cæſ. Majeſtatem ab Electoribus, à Principibus & Ordinibus Imperij omnibus, omni ope juvari, donec per vim ipſius hoſtes ad æquitatem adigantur.

Octauo, poſtquam hæc reſponſa fuerant, die, Catholici Electores, Moguntinus, Colonienſis, Trevirenſis, & Bavarus, addidêre aliqua, quêis diſertiùs ſuam mentem circa quædam conſilij iſtius capita explanarent; neque enim eadem prorſus fuerat cum ipſis Acatholicorum, de causâ Filiorum, & Agnatorum Comitis Palatini ſucceſſione, neque de religione, & bonorum Eccleſiaſticorum reſtitutione, ſententiæ. Senſerunt enim Catholici: addendum conceſſionis beneficiariæ Diplomati, quòd Sac. Cæſ. Majeſtas Bavariæ Electori datura eſſet, ut Comitis Palatini Filij atque Agnati, tum demum in Septemviratum ſuccederent, LVIII. ſi quando contingeret Domûs Bavaricæ lineam Wilhelmianam extingui; ſic enim fore, ut illis ſervaretur jus ſuccedendi, ſi ordinis & præceſſionis diſerta mentio fieret. Cenſuerant, Bavaricam inveſtituram, ex merâ gratiâ, Filiorum Comitis Palatini meminiſſe, quò magis fieret ſatis externorum Principum affectibus. Adjecêre etiam ad ſextum articulum, particulam illam [de proprijs ditionibus] non comprehendere bona Eccleſiaſtica, vel quæ pignoris nomine tantùm poſſediſſet, quæque eo nexu jam eſſent ſoluta, vel ſolvenda ac reluenda adhuc ſupereſſent. Volebant inſuper, ut, ſi quibus in locis Catholica religio poſtliminio jam eſſet reſtituta, Palatina portio locum haberet; religionis peculiaris LIX. ratio nihilominus haberetur, quemadmodum & Monaſteriorum, aliarúmque Eccleſiarum, quæ adverſus Auguſtanæ pacificationis leges fuiſſent occupatæ. Ad caput ſeptimum, in quo agitur de petitâ gravaminum deciſione, ſentiebant Catholici Septemviri, pertinere reſtitutionem omnium bonorum Eccleſiaſticorum; quæ poſt Paſſavienſem transactionem & pacem Religionis Catholicis erant ablata: pertinere item promotionem viſitationum, reviſionum, & eorum, quæ à LX. Catholicis erant propoſita: hæc autem verba [quatenus illis debitè ſubmiſſum] inſerta fuiſſe ad inſtantiam Saxoniæ & Brandeburgi Septemvirûm, qui obtendant, non omnes ſuper his ſufficienter eſſe auditos, ideóque eâ ſuper re ſeorſim Sac. Cæſ. Majeſtatem fore monendam. Jam ſæpius gravaminum deciſionem, non à Catholicis tantùm, ſed etiam à Confeſſioniſtis fuiſſe petitam. Et Confeſſioniſtas quidem eam urſiſſe vehementer anno M. DC. XIII. cum diſertâ hac appendice, ſe nullam tractationem de Eccleſijs, aut monaſterijs ampliùs poſſe, aut velle admittere, eò quòd crederent, hac ſuper re ſatis fuiſſe auditos Catholicos Ordines; proinde hac in parte nullam eſſe reliquam dubitationem. Quare Catholici, quos dixi, Septemviri ex Mulhuſino conventu Cæſ. Majeſtati ſupplicârunt, ut Monaſteriorum, Eccleſiarum, bonorúmque Eccleſiaſticorum reſtitutionem edicto vellet imperare, quò divino cultui, animarum ſaluti, & integrandæ inter Status Imperij confidentiæ conſuleretur: vellet etiam earum Ec- LXI. cleſiarum, Electorum ac Principum, qui ob immotam in Sac. Cæſ. Majeſtatem fidem, varias vexationes & damna toleraverant, præcipuam aliquam habere rationem.

Religionis negotium iſto anno ſic habuit. Ferdinandus Cæſar, pro eximiâ ſuâ in Deum pietate, ad illam in Bohemiâ inſtaurandam edicto ſanxit, ut omnes, præſertim Barones, virique illuſtres, per quos hactenus præcipua remora, intra ſemeſtre Romano-Catholicam fidem profiterentur, vel Regno excederent, bonis, quæ in Bohemiâ haberent, Catholicis, ſeu propinqui forent, ſeu alij, Religionis in Bohemia instauratio.

divenditis, cenſu, alioqui Regi de pretio venditionis debito, regiâ liberalitate remiſſo, ne potiùs migrantium opes, quàm ſalutem, pientiſſimus Imperator quærere videretur. Res ex ejus voto ceſſit feliciter. Barones enim ad Regni Comitia pro Eleonoræ Imperatricis, & Ferdinandi Ungariæ Regis coronatione vocati, ſe certatim Catholicis Sacris addixerunt. Marchio Badenſis Majorum hæreditati reſtitutus, eandem Sectariorum gente liberavit. Idem præſtitit Joannes Comes Naſſovius in ſuâ ditione. Multæ Eccleſiarum poſſeſſiones à Civitatibus Imperialibus poſtliminio ad priſtinos dominos reverſæ. Ab Argentinenſibus ædes & clauſtra Canonicis reſtituta. Duci Wirtenbergiæ imperata aliquot monaſteriorum reſtitutio. Norimbergenſes Epiſcopo Eiſtattenſi Bilbenreutenſe Cœnobium reddidêre.

MARCHIO BADENSIS IN INTEGRUM RESTITUITUR.

LXII.

REFORMATUR PALATINATUS.

Hactenus patienter (quò accuratiùs Acatholici Catholicæ doctrinæ inſtitutis imbuerentur) religionis inſtauratio in Palatinatu ſuperiore ſucceſſerat, nullo adhuc pœnæ, niſi æternæ, metu propoſito. Non multi adhuc reſipuerant ab erroribus. Obſtabant continui bellorum metus, ſpes mutationis & reditûs prioris Domini, inolita credendi ratio, libertas, laxitáſque vivendi. Hæc præcipuè in grandiore ætate, cui altiùs Calvinus inſederat. Ætatis innocentis cerea ad omne bonum indoles, tam erat avida ſanæ fidei, ut Magiſtris prodeuntibus, ſive plateas obirent, ſeu diverterent in pagos, pueri, puellæque cum clariſſimo cantu prodirent obviam, factóque agmine, eoſdem domum reducerent. Tandem ergo

LXIII.

viſum eſt, natu grandiores ad impenſiorem ſalutis æternæ curam urgere. Id quò majore auctoritate fieret, adhibitum eſt Cæſaris edictum tam ſancto operi, in quo Maximiliano Electori ejus executio committebatur. Epiſcopi Ratiſbonenſis, Bambergenſis, alij, quibus in illam Provinciam eſt ſacra poteſtas, dedêre Parœcos; Societas Jeſu Concionatores, Catechiſtas, alióſque, qui cætera procurandæ religionis munia obirent: Maximilianus autem Elector, ex ſacris proventibus, quos Summi Pontificis indulto fruendos acceperat, ſtipendia præſtitit &

LXIV.

ſuſtentationem operarijs. Ita unius anni ſpatio tota ferè Provincia veritati manus dedit magnâ facilitate. Alicubi tamen, pulſis Quinto-Evangeliſtis, templa vi aperire oportuit. Inductus paſſim mos carniſprivij, ac publicarum ſupplicationum per vias publicas. Novofori, in feſto Euchariſtico ſanctiſſimi Sacramenti, viri Senatorij nondum Romana Sacra profeſſi, cùm ſacratiſſimum Chriſti corpus propalam Sacerdos in urbe circumgeſtaret, oppanſam divino ferculo umbellam lubentes mirâ cum reverentiâ deportârunt. Tredecim ex agro Parœciæ pium agmen ſuo comitatu honeſtârunt. Templa regionis plurima fœdè nimis à Calviniſtis pro more habita, repurgata, & ſuo nitori reddita. Malè ſibi conſuluit Toparcha adhuc Calvinianus, qui, quòd pervetuſtam Deiparæ Imaginem de Monte miraculis olim claro, & etiam tum convenarum pijs precationibus & anathematis celebri, imperâſſet auferri, cælo vindice, utriuſque tibiæ uſu

Neumarck.

LXV.

mulctatus miſerè perijt, unà cum auxiliari ſuæ impietatis famulo, qui eam Iconem fœdis antè ictibus auſus fuerat dehoneſtare.

Ambergæ præcipuum operæ pretium extitit, Magiſtratu juxtà ac civibus ad pietatem pronis, juventute mirum in modum Sacris Romanis, virtutibúſque addictâ. Et jam tum erant ex adoleſcentibus, qui carnem domarent aſpero cinctu, veſte cilicinâ, verberibus, humicubationibus, prolixâ precatione; qui ſacram Euchariſtiam, cùm ad ægros deportabatur, per quævis etiam viæ ac tempeſtatis incommoda, honoris causâ, proſequebantur. Quin & fuêre è nobili ſanguine, qui frequenter excurrerent in pagos, agreſtes eâ, quam combiberant, Catholicæ fidei inſtitutione exculturi.

Varijs Boicæ locis finitimorum peſtilitas contagionem invexit.

BOICÆ GENTIS

ANNALIUM

PARTIS III.

LIBER XIII.

Maximilianus ſuperiorem Palatinatum accipit: Electoratum ad lineam Guilielmi V. Bav. Ducis curat transfundi: Stadam ſubigit: adverſatur licentiæ militari. Res à Cæſarianis contra Danos geſtæ. Status Religionis in ſuperiore Palatinatu. An. M.DC. XXVIII.

I. Pactum de Superiore Palatinatu.

Annum hunc à pactis, quæ inter Ferdinandum Imperatorem, & Maximilianum Bavariæ Septemvirum, de ſuperiore Palatinatu convenêre, auſpicabimur. Superiorem Auſtriam ad Anaſſum, vicinámque Anaſſo regionem Ferdinandus Cæſar Maximiliano, pignoris nexu, ob præſtitos in bellum pro Cæſare multorum millionum ſumptus, obligaverat, ipſo belli primordio. Eos ſumptus ære præſentaneo refundere, Cæſari in tot bellorum difficultatibus non erat promptum. Nomen iſtud placuit aliunde diluere, ídque citra damnum Cæſaris. Non enim videbatur conſentaneum rationi, ut ipſe, injuſto bello à ſuo cliente petitus, alienæ culpæ pœnam lueret. Cauſæ evidentia & Mulhuſinus Conventus Palatino Comiti onus reddendi iſtos ſumptus imponebant, eorum verò repoſcendorum jus addicebant Cæſari, niſi ex merâ liberalitate & gratiâ eos remitteret. Flagrabant Auſtrij Anaſſini deſiderio remigrandi in ſtatum priſtini Dominatûs, atque eam ad rem non contemnendam pecuniæ vim, velut pro ſuâ redemptione, ultrò offerebant Cæſari, potens certè tali tempore incitamentum.

II. Viceverſâ pro Maximiliano Electore faciebat jus ex contractu cum Cæſare; quo prima Auſtria erat ipſi devincta. Si ejus loco ſuperiorem Palatinatum admitteret, futura videbatur ipſius conditio deterior, tum quòd eſſet minùs quàm Auſtria opportunus: tum quòd non eſſet liber adhuc ab omni periculo, quamdiu Comes Palatinus, quique ipſius cauſam tuebantur, jus in armis ponerent, neque Cæſaris judicio aſſentirentur. Valuit nihilominus Maximiliani erga Cæſarem amor & reverentia, ut eâ de re deliberari pateretur. Monachij colloquium inſtitutum, cui pro Cæſare adfuit Comes Trautmanſtorfius, Friderici Comitis

Palatini Electoratus, ditionéſque cenſebantur ex delicto ad Cæſaris diſpoſitio-
III. nem recidiſſe: Ergo Monachij, poſt longam deliberationem, auditáſque ultro citróque rationes, conventum, ut Maximiliano ejúſque hæredibus atque ſucceſſoribus, pro ſuperiore Auſtriâ, ac diluendâ tredecim millionum florenorum factâ pro Cæſare in bellum impenſâ, daretur Palatinatus Superior atque unà quatuor Toparchiæ ſive Præfecturæ Palatinatûs Inferioris, quæ ſunt cis Rhenum in regione littoris Germanici. In ijs Heidelberga princeps, vetúſque Comitum Palatinorum ſedes, & Manheimium. Addixit Cæſar quatuordecim annorum evictionem, ne periculis, quæ conijciebantur poſſe aliquando occurrere, iſta venditio foret cum Maximiliani detrimento, obnoxia. Eâ Maximiliani in paciſcendo hu-
IV. manitate & facilitate motus Cæſar hoc adjecit, ut Septemviri dignitas atque Archidapiferatûs, quam antè in ſolam Maximiliani perſonam contulerat, ad omnes ejus poſteros, & ad eos etiam Agnatos, qui Guilielmo ipſius parente per juſtos natales deſcenderent, ſerie perpetuâ extenderetur. Hæc ineunte Majo conſtituta pactáque contractu legitimo, eâ tamen lege, ut certo adhuc annorum inſequentium numero Superiores Auſtrij Maximiliano præſtiti aliàs juramenti obligatione manerent obſtricti, paterétq; ad eos regreſſus, ſi contingeret Palatinatum à Cæſare promiſſæ vindicationis cautione & authoritate, Maximiliano non evinci.

Gradum hinc facio ad publica. Ferdinandus Imperator, ſub anni ſuperioris exitum, cœperat civitates maritimas, quas à ſitu, quòd mari Germanico adjaceant, Anſeaticas, Vendicas aliqui, alij meliùs Vandalicas nuncupant, cauſæ bonóque Imperij communi arctiùs velle ſociare. Eæ numero ſex, Lubeca, Hamburgum, Roſtochium, Wiſmaria, Stralſunda, Luneburgum, præcipua Germaniæ emporia, navigatione opibúſque celebria, & quando paribus animis conſpirant, potentiæ non vulgaris. Illæ proinde, ſi pro Cæſaris voto, ad belli paciſque

Invitantur Anſeaticæ Civitates ad partes Cæſareas.

V. ſocietatem veniſſent, quocunque tandem inclinâſſent, non leve pondus credebantur habituræ. Et licèt ad eum diem neutri parti bellantium ſe addixerant, grande tamen erat operæ pretium, ſi ſociæ haberi non poſſent, cavere ſaltem, ne tranſirent ad hoſtem, eáſque vinculo ſocietatis in fide arctiùs retinere. Atque is inter cæteros, videbatur modus, Daniæ Regem ad æquas pacis conditiones inclinandi, eò quòd civitatum auxilio Cæſar futurus eſſet potentior, & Danicæ res, imminuto Daniæ commercio anguſtiores. Ad civitates ergo conciliandas Cæſar initium fecit à Lubecâ, miſſo eam ob rem Comite Schwarzenbergio Aulæ Cæſareæ Præfecto, qui Senatui juſſus fuit hæc proponere. Nimirum Sac. Cæſ. Majeſtatem egiſſe cum Rege Hiſpaniæ, jámque conſtituiſſe inire commerciorum omnium ſocietatem, eo pacto, ut quicquid mercimonij ex Regnis Hiſpaniæ prodiret, Germaniæ duntaxat & Hiſpaniæ foret apertum, liberum, atque commune, ita ut ad ſolos Auſtriacæ Domûs ſubjectos, ejus ſocietatis uſus commodúmque perveniret. Id enimvero magno fore utrique nationi publicæque rei emolumento. Cæſarem igitur, pro paternâ ſuâ in ſubditos charitate, id conſilium Anſeaticis civitatibus voluiſſe aperire, illarúmque eâ de re ſententiam exquirere, ut velut apprimè gnaræ id generis negotiationum, rationem explicarent, quî iſtud
VI. conſilium cum Germaniæ utilitate videretur in uſum poſſe deduci. Quòd ſi ipſæmet maritimæ civitates animum inducerent, ſua quoque ſtudia operámque conferre ad inſtitutum uſque eò ſalutare, fore ut Cæſ. Majeſtas omni, quâ polleret ope, earum curam peculiarémque tutelam ſuſciperet, adderétque ſingulares prærogativas atque auxilia adverſus quoſvis vicinos. Præterea ſi quid hâc in re partium conſenſione ſtatueretur, fore ut Sac. Cæſ. Majeſtas juxtà ac Hiſpaniarum Rex, hoc ipſum comprobent, confirment, ratúmque perpetuò habeant.

Daniæ Rex obnititur.

Daniæ Regem ea res non latuit. Facilè animadvertebat, quorſum ea conſilia tenderent: verebatur videlicet, ne, quicquid Domui Auſtriacæ per eam ſocietatem accederet, id ſibi, ſuiſque fœderatis decederet. Videbat quanti futurum eſſet periculi, ſi tot, támq; potentes civitates Cæſari, cui jam Marchia Bran-

de-

deburgica, Pomerania, Ducatus Megapolitanus,& portus aliquot maritimi erant ſubjecti, jungerentur. Quare omnibus viribus contrà ſibi nitendum ratus, primùm quidem Glückſtadium & Crempam magnis munijt præſidijs, quò tutaretur faciliùs Sundanum fretum, & opulentum ex navigatione vectigal. Indixit deinde totius Regni Comitia, in quibus de iſto periculo, déque rationibus publicæ ſalutis ageretur. Ad eum Conventum Batavi misêre Oratorem Laurentium Realem, Indicarum navigationum incremento & dexteritate celebrem, qui non multò pòſt, vi tempeſtatis actus in Jutiam, captivus venit in manus Cæſarianorum. Is Ordinum fœderatorum nomine, Danos implevit promiſſis ingentibus, promptúmque addixit è Batavis, ad protegenda contra quoſcunque Sundæ oſtia, & tuendam navigationis libertatem, auxilium. VII.

Danici Ordines potiora pacis, quàm belli conſilia ducebant, & Rex ipſe ſuſpectabat tam liberalem Batavorum manum, veritus, ne eſſet piceata, & porrigendo auxilia, dominatum affectarent. Quare tametſi à cæteris ſubſidijs non eſſet alienus, detrectabat tamen extera præſidia. VIII. *Batavi itidem obſiſtunt.*

Cæterùm Lubecenſes ſe de Cæſaris poſtulatis deliberaturos profeſſi, ne rebus ſuis interim deeſſent, mox ad ſui defenſionem arma collegêre, ſocias civitates vocavêre in partem conſiliorum, in quibus, quò minùs Cæſari annuerent, hæc præcipuè obſtitêre. Tametſi enim nihil æquè capit animos hominum, qui negotiationibus, reíque per mercaturam faciendæ ſunt addicti, atque ſpes lucri quæſtúsque facilitas, credidêre tamen Maritimæ civitates, ubi communibus votis propoſitas à Cæſareo Legato rationes expenderant, non poſſe ſe eas amplecti, quin vicinorum Regum, Batavorum, aliorúmque, qui à Domo Auſtriacâ ſunt alieni, odia ſibi certò conſciſcerent, eóque fieret, ut mari hoſtilibus infeſto claſſibus, non augeretur commercium, ſed periret potiùs omnis fructus tum novæ Societatis, tum Hiſpanicæ negotiationis. IX. Credibile eſt, alias ſimul cauſas interveniſſe apud homines ſuæ libertatis amantes, retinentéſque moris inoliti, quorum utrumque ex potentiorum conſortio facilè poſſet imminui. Reſponſum, cùm aliquot menſium comperendinatione, ſtudio diſtuliſſent, tandem excuſavêre ſe Cæſari, rogantes, ſibi cum bonâ Sac. Cæſ. Majeſtatis pace liceret, uti adhuc fecerant, hærere intra antiquos limites priſtinæ negotiationis, & vitatâ invidiâ, illam cum omnibus tranquillè, & citra contentionem exercere: cæteroqui ſe de obſequio Cæſari debito nihil prorſus detracturos. Atque is fuit exitus iſtius deliberationis.

Sub ineuntem hunc annum, Cæſar Albertum Wallenſteinium, quem jam antè Fridlandiæ Ducem dixerat, auxit Megapolitano Ducatu, cui addidit Sagani Principatum, voluitque eum deinceps cenſeri inter Romani Imperij Principes. Spectavit videlicet Imperator ſumptus ingentes, quos de ſuo ære Wallenſteinius in bellum fecerat: ut verò Joannem Albertum, & Adolphum Fridericum Duces Megapolitanos iſtis clientelis exueret, adductus fuit his de cauſis. X. *Dux Fridlandus augetur Ducatus Megapolitani donatione.* Illi dehortationibus Cæſareis, fidéque Cæſ. Majeſtati debitâ, inſuper habitis, Daniæ Regi Cæſaris hoſti opem tulerant, militem Cæſareum modis varijs vexârant, bellum adverſus Cæſarem aluerant, atque hoc ipſo clientelares iſtas ditiones damnatâ per leges noxâ Cæſaris arbitrio commiſerant. *Cur Duces Megapolitani ditionibus exuti.* Juſſi ergo per Cæſaris Commiſſarios Megapolitani Ordines in Fridlandi verba ſacramentum dicere, militem in Provinciâ alere, qui Danico arcendo par eſſet, Eccleſiarum poſſeſſiones reſtituere, dedere eos, qui conſiliorum ac rerum adverſus Cæſarem ſuſceptarum eſſent auctores, loco movere Præfectos à Cæſare alienos, probè addictos retinere, de rebus cæteris expectare Cæſaris imperia. XI. Quæ res magnos concivit motus in Megapolitanis, eam mutationem deprecantibus, quippe qui crederent, Ducum culpam, ſi audirentur, poſſe apud Sac. Cæſ. Majeſtatem extenuari, & ſiquam tamẽ admiſiſſent, moderatâ aliquâ impenſarum reſtitutione dilui. *Turbæ in Megapolitanis.* Sed cùm hæc fuiſſent fruſtra, expirante Aprili, ſeſe clientelari jurejurando Fridlando obſtrinxerunt.

Stadam, ſuperiùs diximus, à medio Decembri, anno ſuperiore, à Bavaricis legionibus fuiſſe circumſeſſam. *Stada arctatur.* Eſt ea civitas Hamburgo confinis, firma egregijs

gijs operibus, munitáque contra vim omnem, niſi ſi quam intercluſus commeatus famésque, quæ durum telum eſt, adferat. Carolus Morganus Anglus cum
XII. quatuor ſupra quadraginta vexillationibus civitatem tuebatur gnaviter: frequentibus eruptionibus fuerat obſidentibus perquam infeſtus, nec minùs quicquam meditabatur, quàm deditionem. Tillius, ſtatu civitatis, ex interceptis litteris comperto, ubi ſe Ver aperuit, juſſit arctari obſidium, & coronam mœnibus propiùs admoveri. Obſidentibus addidit ex ſtativis hibernis cohortes aliquot. Swingam amnem, qui mœnibus adlabitur, ponte nautico, ne quid ſuppetiarum inveheret, intercepit: caſtra aggere circummunijt. Cœpit deinde è tribus ſuggeſtis majorum machinarum, & pilarum punicarum procellis obſeſſos acriter urgere. Daniæ Rex, cujus plurimùm intererat, Stadam ſervari, manipulatim (quo minùs obſervaretur) contraxit auxilia, quæ clàm navibus impoſita obſeſſis inferret. Sed cùm, inſpectâ coronæ Bavaricæ firmitate, deſperâſſent ſe penetraturos, nullo operæ precio, reverterunt ad Regem. Et jam Tillius vineas ad exteriorem foſſæ marginem duxerat, ita ut muro proximè immineret; cùm Morganus periculi conſcius, cœpit de mitioribus expediendæ ſalutis rationibus ſeriò cogitare. Uſus eſt operâ Bremenſium, quos adhibuit habendi colloquij interpretes. Egêre obſeſſorum cauſam, tandémque convenêre in has leges: ut Morganus, cum univerſo præſidio 14. Cal. Iun. excedens, Stadam Tillio traderet: abiret cum ſuis in Bataviam: abeunti darentur defenſores: à Rege Hiſpaniæ & Iſabellâ Hiſpaniarum Infante ipſis præſtarentur teſſeræ ſecuritatis, annona, libera diverſoria: ſi quibus è Germanis aliíſve liberet à Morgani ſignis abire, omnibus id foret integrum, modò ne tranſirent ad hoſtes Cæſaris: fas tamen eſſet duobus generalibus Germanorum Commiſſarijs ſe recipere ad Regem Daniæ. Morgano, Ductoribus, & gregarijs Anglis, ſi id Rex Britanniæ juberet, fas eſſet militare Batavis, ſed nefas intra proximum ſemeſtre militare adverſus Cæſarem: ſi remigrarent in Britanniam, quæ vellent, ſigna partéſque ſequerentur: ſignis explicatis, armati more militari, ad tympani ſonitum, honeſtè excederent. Excedentium numerus fuit mille quingentorum. Triduo pòſt, emundatis obſidionis ſordibus, Tillius in civitate prætoriam habuit ſtationem.

XIII. *Deditur Tillio.*

XIV.

Præter communem ex occupatâ Stadâ Catholicarum partium lætitiam, ſuam teſtatus eſt Urbanus VIII. datis ad Maximilianum Electorem litteris in hæc verba.

Litteræ Gratulatoriæ Urbani Pont. Max.

XV.

Dilecte fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Iam ferè poterunt ſcriptores ætatem hanc veſtris victorijs meliùs, quàm annis diſtinguere. Nos certè Germanica caſtra appellare jam poſſumus gloriæ campum, ex quo uberem conſolationis meſſem ſæpe colligimus: ijs animi noſtri gaudijs proſequi ſolemus crebros Bavarici Ducis triumphos. Nunc plaudimus Nobilitatis tuæ Virtuti, in Stadenſi oppido triumphanti, Deumque intimo affectu rogamus, ut frequenti cæleſtis gratiæ rore fœcundet tot militaris gloriæ tuæ Palmas: tibique benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die XXVI Iunij, M. DC. XXVIII. anno Pontificatus noſtri quinto.

Cæterùm Bavarico-Fœderatæ quatuor legiones, quæ in Friſiâ Orientali hibernârunt, vix quicquam cepêre quietis. Ita enim res in vicino habebant, ut continuò illas in armis eſſe oporteret, quòd ſe aliter tutas non arbitrarentur, tametſi Friſiæ Orientalis Comes lubens Galaſſum, adhuc tum Tribunum, cum duabus legionibus admiſiſſet. Illi malam vicem rependit. Galaſſi Legatus, quando, non multò pòſt, eum in rixâ confoſſum miſerè interemit. Credebantur autem Belgij Fœderati cum Danis colludere, nec quicquam ab ipſis præter adverſa debere expectari: eò quòd, ipſis volentibus, Erneſtus Caſimirus Comes Naſſovius ad Daniæ Regis ſtipendia tranſiiſſet, & tum Grœningæ, tum alibi paſſim in Fri-

Litt. Till. 31. Ian.

Litt. Com. Anholt. 19. Ian.

Till. 21. Ian.

XVI.

Friſiâ Occidentali pro Rege militem legeret: nec dubitabat Comes Anholtius, quin, ſi quæ ſe daret occaſio, Batavico adjutus ſubſidio, in Orientalem Friſiam undique apertam eſſet irrupturus. Accedebat ex Daniæ Regis filio metus, qui Enchuſium appulſus, delectus habere nunciabatur.

De Comitis Oldenburgici fide tum primùm deſijt dubitari, cùm in munitionem Delmenhorſtiam præſidiũ Bavaricum admiſit: quo factum, ut Bremenſes paulò arctiùs haberentur; cùm præſertim Otterberga, quæ in eorum eſt finibus, poſt nonnullam defenſionis ſpeciem, in Tillij poteſtatem conceſſiſſet. Id quidem maritimis civitatibus ægrè faciebat, ſed cùm belli ratio poſceret, ut Daniæ Regis conatibus præverteretur, dabat Tillius operam, ut, quibus ex locis creari poſſet periculum, ea præſidio tempeſtivè muniret. COMES OLDENBURGICUS FIDUS CÆSARI.

XVII. Quam ad rem incitabatur eò maximè, quòd, tametſi iſtæ civitates adhuc à bello abſtinuerant, & ſe utrique partium amicas profitebantur, erat tamen vehemens ſuſpicio ipſas nutare nonnihil, & magnâ curâ à Rege Daniæ ad belli ſocietatem invitari. CIVITATES MARITIMÆ SUSPECTÆ.

Neque enim latebat, eum continuò habere, qui obtentu religionis & aſſerendæ libertatis, quarum ſe patronum vindicémque ferebat, indies non pulſarent tantùm, ſed percellerent etiam populares animos ad prohibendum Catholico exercitui commeatum, ad claudendam navigationem, negandam annonam: quod tametſi nondum impetrâſſet, periculum tamen erat, ne tandem, tot capitum Reſpublicas, totas pelliceret in ſuas partes, aut ſaltem, quod in Democratiâ proclive eſt, magnam partẽ à Cæſare alienaret. Certè hoc impetrâſſe ferebatur, ut addicerent, ſe Danicum militem in ſuis regionibus amicè habituras. REG. DANIÆ LITT. COPPENHAG. DAT. 6. FEBR.

XVIII. Et Bremenſes quidem ſcribebantur Senatus-conſultum feciſſe de ſuſcipiendo Hollandico præſidio, quod perinde atque Danicum fuiſſet importunum. Has curas acuebat, quòd Hamburgi non Dani duntaxat, ſed Angli etiam conquiſitores, conſcio magiſtratu, palàm militem conducerent etiam ex Cæſarianis profugis. Quam ad rem Holckius conſcribendis decem cohortibus pecunias & regia mandata Hamburgi dederat, & ijs cogendis luſtrandiſque Femeram Inſulam deſignârat: Schnellus verò Anglus ducentos equites lectos Hamburgi, Embdam abduxerat. *Litt. dat. Lubec. 4. Mart.* *Litt. data Hamburg. 20. April.*

Iiſdem ex cauſis Fridlandus, non minùs quàm Tillius, iſtarum civitatum motibus conſilijſque intentus, quicquid tandem de ſuo in Cæſarem ſtudio oſtentarent, dabat operam, ne quid ex clandeſtinis cum Dano coitionibus incommodi naſceretur. Nec jam ambigebat, quin inſidiarentur Cæſarianorum juxtà ac Bavarorum progreſſibus, cùm & annonam, & alia belli ſubſidia, quæ ne ab ijs quidẽ, qui diſſidentibus inter arma ex æquo amici ſunt, ne dum à ſubditis ſolent negari, civitates Cæſarei exercitûs rerúmque communium diſpendio, apertè negarent. In eâdem cum ipſis erat navi Stralſunda frequens Pomeraniæ emporium, portu Balthici maris opibúſque potens, quæ proinde viſa Fridlando ſat habere cauſæ, cur freno indigeret. Ergo per Arnhemium caſtrorum Præfectũ à Stralſundanis poſtulat, ut, admiſſo intra mœnia Cæſariano præſidio, deprædicatam in Cæſarem fidem & obſequendi alacritatem teſtarentur. Id detrectavêre privilegiorum obtentu. Petivit deinde per Gœzium Tribunum, liceret ſaltem, per civitatem, Cæſarianum militem in Rugiam Inſulam ducere. Et hoc negavêre pariter, oblatis tamen ad trajectum navigijs, & aliquot Zythi (cereviſiam vocant) dolijs. Submiſſus poſthæc Spatrius Chiliarcha rem egit tam dextrè, ut ſupra centies mille Ferdinandicos, millia octoginta, in militum ſtipendium addicerent, & ſe proximo tempore ex eâ ſummâ triginta omnino millia repræſentaturos pollicerentur. Videbant illi, cauſam offenſionis clàm à ſe datam, tacitè vindicari: ne verò belli aleam ſubirent tam alieno tempore, Daniæ Rege nondum ſatis ad illud inſtructo, verba dando ſibi comparabant inducias. Id tum patuit, quando ad rem ventum propiùs. Popoſcerunt ab Arnhemio ſatisdationem, quâ abunde caveretur, eos, datâ pecuniâ, à ſtativis, aliíſque id generis oneribus fore prorſus immunes. Id cùm pro illorum arbitrio non præſtaretur XIX. FRIDLANDUS STRALSUNDAM OBSIDET. STRALSUNDANORUM PROMISSA. XX.

tur ab Arnhemio, cauſati ſunt, inidoneam eſſe, quam offerret, cautionem: quia videlicet nulla ipſis, quamlibet ſufficiens, placebat. Negavêre igitur addictam pecuniam, atque inſuper tormenta aliqua, quæ Fridlandus in civitate ære Cæſaris coëmerat, detinuêre. Tandem erupêre apertiùs in bellum, quando Denholmum Inſulam, à Cæſariano milite inſeſſam (ſita eſt illa è regione civitatis) expugnatam, pulſo præſidio, invasêre, conqueſti, ſe ſuúmque portum ex eo loco obſideri: cùm tamen, ſi Cæſarianos amicos cenſerent, debuiſſent lætari, quòd ex eâ parte civitas portúſque à Cæſariano milite defenderentur. Sed malè affectis bona etiam per ſiniſtras interpretationes accipiuntur ad odium. Ex iſtis principijs nata eſt obſidio. Fridlandus enim irritatus, juſſit, naſcente Majo, claudi omnes civitatis aditus, & propiùs caſtra moveri. A Duce Pomeraniæ petijt Arnhemius annonam, cæteráque obſidioni neceſſaria, reclamantibus Stralſundanis, & disertè minitantibus, ſe abs Duce, ſi Cæſarianis eſſet auxilio, civitatis protectionem, ipſi alioqui delatam, ad Daniæ Regem translaturos. Nec verò ſe ad obſidionem ſegniter comparârunt: tecta altiorum ædium complanârunt, ſuperfusóque ceſpite verterunt in curulium machinarum ſuggeſta planiformia: oſtio maris hoſti claudendo, rebúsque ſuis apertum tenendo, geminas naves, ſingulas duodeviginti majoribus bombardis inſtructas impoſuêre: exusſêre aliquot Cæſarianorum onerarias: ætatem, ſexúmque imbellem cum meliore gazâ Lubecam, Hamburgum, aliò, misêre, pauculis vetulis, quæ cibos pararent, in urbe retentis: legêre novum militem, petivêre, & accepêre à ſocijs Anſeaticis auxilia: à Rege Sueciæ accepêre pulverem tormentarium cum litteris, quibus eos ad conſtantem libertatis & religionis defenſionem (perpetuos videlicet hujus belli prætextus) hortatus, ſuppetias obtulit, ſi rogarent. Egêre quidem ſubinde de pace, ſed in caſſum, cùm oppidanis propoſitæ conditiones non allubeſcerent. Ergo Cæſarianis non ſine ſuo damno ſæpius ab impreſſione rejectis, tentatâ etiam fruſtraneo conatu Denholmo, venêre à Cæſare litteræ per Stralſundanos exoratæ, quibus jubebatur Arnhemius ab obſidione diſcedere. Cauſam etiam civitatis egit Dux Pomeraniæ, ſed interceſſione irritâ. Nova interim ab Hamburgenſibus, Daniæ & Sueciæ Regibus mittebantur ad obſeſſos ſubſidia, quibus adjuti, aliquas multarum horarum impreſſiones, multis utrinque deſideratis, repreſſerunt. Cùm nihilo minùs ſenſim attererentur obſeſſi, jámque laborarent nitrati pulveris penuriâ, Duce Pomeraniæ ſequeſtro, deditionem pacti ſunt certis legibus. Et jam in eo erat, ut Stralſundani pactionem ratam haberent, cùm eam novem Sueciæ naves, in portum civitatis invectæ cum aliquot cohortibus, reſcidere. Recrudeſcente igitur odio, & pugnandi pertinaciâ, cùm Stralſundani modò potirentur ijs, de quibus maximè agebatur, propugnaculis, modò ex ijs eijcerentur, & ad inſtar Euripi fortunæ, ſecundâ adverſâque agitatione, per vices alternas huc illúcque reflueret, ſimul propugnatoribus recentes indies animi, viréſque à Danis accederent, conſpectâ præſertim centum quinquaginta, & quod ſuperabat, navium claſſe, Cæſariani incenſis caſtris abiêre.

BELLUM APERTUM. XXI. XXII. CÆSAR JUBET SOLVI OBSIDIONEM. XXIII. XXIV. SOLVITUR OBSIDIO.

REPETITUR A FRIDLANDO, SED FRUSTRA.

Eam ignominiam cùm Fridlandus non ſatis moderatè accepiſſet, ad ineuntem Septembrem, obſidionem integravit. Eo factum, ut, cùm Stralſundani tum metu, tum tædio tot certaminum, Regis Sueciæ, magnas prærogativas pollicentis, protectionem ſuſcepiſſent, Fridlandus voti irritus, deſperatâ expugnatione, rurſus ab urbe diſcederet. Is fuit expeditionis tantis auſis ſumptibúſque inchoatæ, continuatæ contra mentem Cæſaris, geſtæ infeliciter, exitus, non plenus modò dedecoris, ſed etiam vel hoc in immenſum noxius, quòd Regi extero januam aperuerit, quâ, paucis pòſt annis, uſus eſt ad inducendas Germaniæ innumeras calamitates, quæ non Catholicos duntaxat, ſed ipſos etiam Acatholicos propè oppreſſerunt. Vitio datum eſt Fridlando, quòd impulſus præcoci deſiderio adeundæ Megapolitani Ducatûs poſſeſſionis, ne expectatâ quidem anteà memoratæ deditionis abſolutione, cùm Stralſunda extremè laboraret, Guſteronem,

XXV.

nem, quæ eſt Ducatûs iſtius prima ſedes, conceſſerit, tanti momenti negotio Ducis Pomeraniæ curæ fideíque relicto, cùm tamen dictaret ratio, per neminem tutiùs, fideliúsque quemquam res ſuas, (ſi quidem ſapiat poſsítque) quàm per ſemetipſum adminiſtrare.

Poſt eam expeditionem, in Crempam & Glückſtadium, munitiſſima univerſæ Holſatiæ præſidia, arma converſa. In utrumque ablegatus Aldringerus Tribunus cum aliquot legionibus; caſtra circummunijt validis aggeribus, oppidanis fortiter utrobique obſiſtentibus, cùm vix laberetur dies, quò Cæſariani eruptione hoſtium non laceſſerentur. E Danicis navibus, quæ in Albi ad Glückſtadium hærebant in anchoris, atq; ex tribus propugnaculis ad Steram amnem, ex crebrâ tormentorum jaculatione, obſidentibus damna non levia inferebantur. Illata eſt etiam in Crempam tanta omnis generis commeatûs abundantia, ut perinde affluerent intra mœnia, atque ſi nullus hoſtis adſideret, jactaréntque obſeſſi per ludibrium, eam obſidionem Oſtendanæ, quæ in Belgio triennium tenuit, fore non abſimilem. E Cæſarianorum caſtris contrà, multos, ſive Ducum improvidentia, ſive nata annonæ difficultas depellebat: aliquando uno agmine quadringenti ad hoſtem transfugêre. Erant è diverſo aliqui tam Germani, quàm Galli, qui Crempâ dilaberentur; ſed ne unus quidem è profugis, qui ſe Cæſarianis adjungeret: recipiebant ſe plerique Glückſtadium Crempâ deſertâ, quam minore præſidio credebant diutiùs poſſe defendi, eóque faciebant annonæ compendium.

Crempa et Glückstadium obsidentur. XXVI. *Cæsariani a signis diffluunt.* XXVII.

Apud Glückſtadienſes interim fervebat opus ducendis extra mœnia aggeribus, cibarijs in civitatē importandis. Iidem ceperunt aliquot naves Friſias, quæ caſeo & butyro onuſtæ Hamburgum vela faciebant, uſi prætextu, quòd vectores à Comite Anholtio haberent teſſeram, litteráſque publicæ ſecuritatis. Interceperunt etiam duas Cæſarianorum onerarias, quæ ſecundo Albi multas æneas machinas, pyreum pulverem, globos ferreos, farinam, alia id generis vehebant in caſtra. Factâ eruptione, ſub medium Julium Cæſareos excubitores, gregarijs aliquot occiſis, propulêre è ſuâ ſtatione: paucis pòſt diebus, ſub horam octavam ante meridiem, bis mille legionarij, bina Aldringerij propugnacula, centum quadraginta in loco cæſis, captis octodecim, occupata ſolo æquârunt. Velitaris iſta dimicatio ad ſex ipſas horas producta. Et Glückſtadiani non paucos ipſi deſiderârunt. Quòd ſi Crempenſes, ſigno eruptionis accepto, ſimul in Cæſarianos iviſſent, poterat eo die aditus in Crempam aperiri.

Glückstadienses acriter resistunt. XXVIII.

Per id tempus, Comes Philippus Manſfeldius, qui pro Cæſare Wiſmariæ curabat, & mare aliquot actuarijs habebat infeſtum, tres Danicas onerarias, quæ Lubecâ cum inſignibus mercibus ſolverant, redactas in ſuam poteſtatem, Wiſmariam adduxit.

Glückſtadij, cùm Cæſarianis ex voto fortuna non reſponderet, eſsétque juſto operoſius Crempam eodem tempore oppugnare, Glückſtadio intermiſſo, totis caſtris cœpit Crempa urgeri. Et jam ad irrumpendum omnia erant comparata, cùm obſeſſi fame preſſi intra mœnia, & promiſſis à Dano auxilijs extrà nuſquam apparentibus, poſtulato colloquio cum Fridlando de dedendâ civitate, ſeneſcente jam Autumno, convenêre his pactis: ut Gubernator Alefeldius, totúmque unà præſidium, cum omnibus ſarcinis, jumentis, curribus, ſignis explicatis, armati Glückſtadium abirent, atque inde mox in Cimbricam Cherſoneſū. Niſi pro Cæſarianis pugnâſſet inedia, eâ quidem obſidione Crempa non fuiſſet domita. Nam ſi vel triduum obſeſſi jejunium perſeveraſſent, ingens aquarum eluvies, quæ, ruptis obicibus, agrum univerſum obtexit, Cæſarianorum caſtra obruiſſet, impoſuiſsétque abeundi neceſſitatem. In arce Crempenſi reperta majoris modi quatuor ſupra ſexaginta tormenta ænea, nitrati pulveris ingens copia, cæterique inſtrumenti inſignis apparatus.

Crempæ deditio. *Dänemarck.* XXIX.

Reſtabat, amiſsâ Crempâ, in Daniæ Regis poteſtate apud Holſatas unum Glückſtadium. Quamobrem juſſa fuit Nobilitas Rensburgi adeſſe, ut Cæſaris

in verba juraret. Adfuit illa tam infrequens, ut, raritatem Cæſarei Commiſſarij pervicaciam interpretantes, per ſingulas civitates Holſatiæ omnia equeſtris Ordinis juxtà ac civium, qui ſolum mutaverant, bona referrent in publicum indicem, & Cæſareis ductoribus, ſtipendij loco, ædes offerrent. Fridlandus, paulò antea quàm Crempam juberet obſideri, cum magnâ parte exercitûs ex improviſo Roſtochio adfuit. Tam ſubito ejus adventu perculſa civitas, ad defenſionem imparata, mox admiſit intra mœnia mille pedites Cæſarianos, ſumptu Cæſaris, quietè, & citra civium moleſtiam, acturos eâ lege, ut unà cum civibus excubarent pro mœnibus, portarum clave alterâ penes Cæſarianos, alterâ penes Magiſtratum, cui ſoli eſſet in bellicum inſtrumentum poteſtas, remanente.

XXX. Roſtochium occupatur a Fridlando.

Ergo ex Anſeaticis urbibus jam binæ in manus Cæſaris venerant, Wiſmaria nimirum & Roſtochium, quod ſocias perquam malè habebat, metuentes, ne gradu ad ſingulas facto, in omnes tandem ex ordine arma verterentur. Eapropter illæ majorem indies militem legere, novis ſe munire operibus, claſſes augere, totæ in eo eſſe, ut præſtò eſſet ad manum, quicquid vis, caſúsque quicunque poſtularet. Eadem propè erat aliarum civitatum potentiorum proviſio, quippe quæ privilegijs olim à Cæſaribus protectæ, aſſuetæ antiquæ libertati, erant ad negandum, ſi quid operoſum pro Cæſare peteretur, quàm ad præſtandum (tametſi rei communis ratio ſuaderet) longè proniores. Sed nihil perinde oberat, atque religionis diverſitas, quæ diſtractum in partes Imperiũ ſic collidebat, ut ſuâ ſe contentione & diſſidijs obruere velle videretur. Non erat difficile obtinere ab impotentioribus debitam obſequelam, ſi vis oſtenderetur, cui eſſent impares. Cæteroqui apud cæteras exiguum erat obſequium, & velut precarium imperium.

XXXI. Potentiores civitates Cæſari parum addictæ.

Per id tempus ejuſce rei experimentum fecère Boici in civitate Brunovicenſi. Petivit Cæſaris nomine à Magiſtratu Tillius, juberet cives quatuor equitum turmis commodare in urbe contubernia. Senatus negavit id ſibi per leges, morémque civitatis eſſe integrum. Tillius repulſam paſſus, ab Ordinibus Ducatûs univerſi contendit, ſi Brunoniſvico conſultum vellent, communibus ſumptibus eum alariorum numerum alerent, alioqui ſe pro poteſtate, à Brunovicenſibus vi expreſſurum, quod ſponte præſtare debuiſſent. Et reipsâ jam mercium, aliarúmque rerum commeatum intercluſerat, cùm civicus Magiſtratus miſit internuntios, qui coràm civitatis cauſam agentes, perſuaderent Tillio, ut mutatâ ſententiâ, commercij ſecuram licentiam faceret. Plebs interea, non expectato delegatorum reditu, ſeditionem parare, arma poſcere adverſus Tillium, extrema ſpectare, immò & minari, reſpuere omnem rei componendæ mentionem, &, velut excuſſo freno, quicquid reclamaret Senatus, armis velle pro ſuâ (ita nominabant) libertate experiri. Nec procul à bello res aberat, niſi pacis ſequeſtres à Tillio moderatam ſtativorum redemptionem impetrâſſent.

Brunovicenſium ferocia.

XXXII.

Habuit Cæſar hoc anno validum in Vindelicis, locíſque confinibus exercitum, ductore Wolfgango Comite Mansfeldio. Erant octodecim propè tum legionariorum, tum alariorum millia, qui in Ulmenſi agro, locíſque vicinis hibernabant. Varij hinc in finitimorum animis motus & curæ, ſuſpicantium, ſuæ libertati jugum, poſſeſſionem verò, quas Eccleſiæ iniquè ademerant, reſtitutionem imminere. Jam tum enim Cæſar edictum habebat præ manibus, quo jubebantur Proteſtantes, qui poſt transactionem Paſſavienſem Eccleſiaſtica bona invaſerant, ſacra ſpolia priſtinis Dominis reddere. Suſpicionem augebat fama, quaſi authore Marchione Durlachio, adverſus Cæſarem, fœdus pro retinendis ſpolijs inter uſurpatores coaluiſſet. Et ea quidem ſuſpicio Danos in ſpem erigebat, nuper amiſſa recuperandi, dum novo bello Cæſar in Imperio diſtineretur. Verùm, cùm nec fœdus iniretur, nec Durlacenſis, aliíve, ob propinquum Cæſaris exercitum, tutum eſſe crederent, quicquam rerum novarum moliri, deſitum eſt ſperari, poſſe adhuc Cæſarei Edicti vim infringi, eóque factum, ut daretur in Imperio initium ſacræ reſtitutioni.

XXXIII *Suevià.* Cæſarianorum hiberna in Suevia.

XXXIV.

Conje-

Conjectores alij credebant Cæſareum militem deſtinari ad Mantuanam ex-
peditionem, ob exortum nuper diſſidium ex obitu Vincentij Ducis Mantuæ.
Augurabantur alij eò ſpectare, ut, ſi quis in Hungariâ motus exiſteret, vel in Bel-
gio ſuppetiarum neceſſitas, ſtatim eſſent in promptu, qui eò convolarent. Hoc
extra dubium eſt, Acatholicos, qui paulatim ſe ad novas ſpes erexerant, iſto ap-
paratu multùm fuiſſe depreſſos, & ipſos Helvetios Zwinglianæ ſectæ, qui cùm
Cæſaris edictum unà cum Proteſtantibus magnopere improbarent, quaſi etiam
ſpolia, quibus ipſi nudârant Eccleſiam, damnaret, ferebantur laturi Germanis
auxilium, fuiſſe deterritos, quò minùs venirent in belli ſocietatem. Sed illud XXXV.
quoque natum eſt ab iſtis copijs commodi, ut civitates Catholicæ in Imperio, Lindavium
eæ præſertim, quæ lacui Acroniano adjacent, redderentur tutiores, occupato occupatur
Lindavio, hac occaſione. Eſt Lindavium in lacûs longè latéque patentis capi- a Cæsaria-
te, arte & ipſo ſitu apprimè firmum, Lutheri ſacris addictum. Iſthic gravis ex- nis.
arſerat inter Magiſtratum & plebem diſſenſio. Hanc Cæſariani vertêre in ſuum
commodum. Oppidanis enim in rem communem minùs quàm in privata
odia intentis, petiêre, ut quingentis ſaltem liceret hiberna iſthic habere, rati, ſi
negaret Magiſtratus, plebem admiſſuram, ut haberet contubernales cauſæ ſuæ
patronos: contrà, ſi plebs obſiſteret, Magiſtratum plebi invitæ id ingrati oneris
impoſiturum. Cùm verò ſeſe mutuò ſuſpectarent, inviderént que gratiam, quam XXX
alterutri à Cæſarianis erant inituri; utrique illam prensârunt, non quòd amarent VI.
Cæſarianos, ſed quòd ſe mutuò odiſſent. Ergo lubentes volentes quingentos
ſuſcipiunt, arbitrati, ſe nihilominus rerum in oppido potituros. Sed vix erant
ingreſſi hoſpites, cùm, portarum clavibus Magiſtratui ademptis, populóque ar-
mis exuto, velut domeſtici & domini, herili poteſtate, oppidi tutelam occupâ-
runt, retinuerúntque cum inſigni Catholicæ rei commodo, donec, pace demum
compoſitâ, à Cæſare fuerunt avocati. Ea res Rhetis & Helvetijs nonnihil qui-
dem ſollicitudinis attulit, ne iſtud exemplum ad ſe quoque ſerperet; ſed cùm
nihil ſimile tentaretur, nec ipſi quicquam eâ causâ rerum novarum moverent,
creditum fuit, ſat ſupérque eſſe effectum, quòd non ipſi modò, ſed etiam finiti-
mi Lutheri ſectatores iſto freno non parùm coërcerentur.

In Bohemiâ res non fuerunt per eos dies omnino quietæ. Jam gliſcebat
ex colonorum conſpiratione ruſtici belli initium. Illi cæco, qualis eſſe ſolet in XXX
improvidâ turbâ, impetu, vanâque fiduciâ, nonnullis, qui errores priſtinos non- VII.
dum poſuerant, authoribus ſtatuerant adverſus Magiſtratus arma corripere. Res Agrestium
illis erat de ſuâ religione, déque lege Cæſaris, quâ jubebantur ad Romano-Catho- motus in
lica ſacra accedere. Magno jam numero confluxerant, eâ temeritate, ut Aulæ Bohemia.
Cæſaris, quæ tum Pragæ degebat, Senatuíque vim ſupremam auderent minitari.
Involaverant etiam aliquas Bohemicorū Procerum toparchias, Præfectis, qui ob-
ſtiterant, malè mulctatis. Et eo ſucceſſu ſic creverat ferocia, ut de ſtruendis
Cæſari inſidijs, eóque in venatione opprimendo conjurarent. Cùm periculum
eſſet, ne iſta peſtis longiùs contagione ſerperet, miles fuit in Bohemiam vocan-
dus. Adduxit Wallenſteinius quatuor millia, quorum adventu conjurationis au- XXX
ctor territus, profugit in Hungariam, atque inde ad Turcas. Cæteris, qui in tu- VIII.
multu fuerant, coërcitis, conjecti in carceres anteſignani, & acri quæſtione, tor- Puniuntur
mentíſque adacti, conjurationis ſummam, conſiliáque confeſſi, meritas perfi- authores.
diæ pœnas dederunt.

Credebatur Daniæ Rex hactenus adverſam belli fortunam abunde exper-
tus, ſeria de pace conſilia ſuſcepiſſe: nec abhorrebat quidem à quiete, ſed quam
ſibi melioribus, quàm nuper à Cæſare dictæ fuerant, conditionibus compararet. Dani Feme-
Ergo reparatis terrâ, marique viribus, Vere ineunte, Femeram Inſulam, Holſatiæ ram inva-
ad Orientem obverſam, expulſis Cæſarianis, qui iſthic hibernabant quingenti dunt.
numero, recuperavit. Cæſariani pars cæſi, pars aquis ſubmerſi. Pari felicita- XXXIX
te mox claſſem appulit Elckenfurtum, adegítque cohortem unam è Luneburgi- Diripiunt

 cis, Elkenfur-
tum.

cis, ad arbitrariam deditiónem. Oppidum datum direptioni, præſidiarij per ludibrium nudati, epibatarum more in naves compacti.

XL. Cæsarianæ naves pereunt.

Collegerant quidem Cæſariani Appenrodæ aliquam octodecim naviumclaſſem, quam Danicæ expeditioni opponerent, ſed poſteaquam pars navium fuerat fœdâ tempeſtate depreſſa, cæteræ in Danorum manus venêre.

Cæsariani a rusticis male habiti.

Et nihilo fuit Cæſarianorum ſors ſecundior adverſus agreſtes, qui frequentes per Holſatiam, Ditmarſiam, in Eiderſtatenſi & Anglenſi agro, ad arma concurrerant: illi enim ab Anglenſibus fuêre fuſi, prætereáque alibi tredecim navibus, & tormentis triginta exuti.

Dani a Chiela cum clade repelluntur.

Dani viciſſim, claſſe quadraginta ſeptem navium inſtructi, & centum æneis machinis, improſperè Chielam, oppidum maritimum haud procul ab Elckenfurto, tentârunt, multis enim ſuorum, & aliquot amiſſis navigijs, cùm nihil adverſus oppidanorum egregiam virtutem proficerent, irriti vela fecerunt Oldenburgum verſus, atque in ejus confinio, ſubitario opere propugnaculum conſtruxêre, quod paulò pòſt ceſſit Cæſarianis, cùm binas inde Danorum cohortes ejeciſſent.

Naves Cæsarianas incendunt. Cædunt equites.

Sed & tres Danicæ naves in Gripswaldenſem portum ex improviſo invectæ, Cæſarianas, quę erant iſthic in anchoris, concremavêre: oppreſſerunt etiam ad Bremſtadium gemina ſigna Cæſarianorum equitum, qui partim in loco obtruncati, partim capti. Cecidêre item turmam unam ad Pinnebergam, vitâ Germanis donatâ, ereptâ verò Croatis.

XLI. Agitur de pace Danica.

Hac rerum mutatione admoniti Regis Conſiliarij, qui Coppenhagæ agebant, credidêre pacis tractandæ opportunum tempus adeſſe, fortunâ jam aliquantò Danis benigniore. Dedêre igitur ad Sac. Cæſ. Majeſtatem, ſeneſcente jam Majo, litteras, quibus rogârunt, vellet pacis tractationem admittere, locum dicere concilio, & ſecuritatis publicæ teſſeram Daniæ legatis, eò profecturis impertiri: ſperari nullam fore moram, quin honeſtis & æquis legibus pax conficiatur, & antiqua, quæ Daniæ Regibus cum Domo Auſtriacâ olim fuit, amicitia reſtitueretur. Verùm cùm Daniæ Rex novis in dies conſcriptis copijs & continuis in Cæſarianos incurſionibus præ ſe ferret animum adhuc à pace

XLII. alienum, tametſi Lubeca ad agendum de pacis rationibus fuerit nominata, tamen ad annum uſque proximum dilata eſt tractatio.

Dani mari dominantur.

Interea totâ Jutiâ aditus omnes, anguſtias, clauſtra, ſtationéſque univerſas muniebant validis operibus Cæſariani: Dani contrà mare ſic habebant infeſtum, ut omnis hoſti prohiberetur navigatio, qui etiam navem recèns à Tribuno Cæſariano in Megapolitanis ædificatam demersêre. Rex ipſe in Uſedomenſi regione Purglum, Uſedomum, Wolgaſtum deinde, pòſt Peinemundenſe propugnaculum, fretúmque Anclamenſe, Cæſarianis, qui præſidio erant, quà captis, quà internecione deletis, occupavit. Cæſariani è diverſo ad Wolgaſtum tres Danorum cohortes, ex munimentis, quæ moliebantur, jam affectis, fuſas fuga-

XLIII. Pugna ad Wolgastum Danis pulsis.

táſque depulerunt. Vollinenſis verò arx juxtáque oppidum, ſedes Viduæ Franciſci Pomeraniæ Ducis, per imprudentiam unius è Cæſarianis Ductoribus, igne fortuito conflagravit. Ad Wolgaſtum collatis ſignis dimicatum per horas ſeptem, donec pulſi è ſuis propugnaculis Dani, ſexcentis unà cum vexillis aliquot amiſſis, recepêre ſe in Urbem, quam & ipſam, ſuburbijs igne corruptis, deſeruêre, unà cum arce, adulto Auguſto, dedendam Cæſarianis, è quibus etiam non pauci in eo conflictu ceciderunt.

Dani castra Cæsarianorum incendunt.

Eam cladem viciſſim ulti ſunt Glückſtadienſes Danici præſidiarij, qui noctis intempeſtæ ſilentio inobſervati erumpentes, Cæſarianorum caſtra, multis interemptis, captis permultis, incenderunt. Inter captivos fuit Annibal Schamburgicus ſupremus caſtrorum Præfectus, & Centuriones complures, atque Signiferi. Diruêre ſimul aliquam valli caſtrenſis partem, & gnaviter ſudabant, ut ſolo æquarent majorem, dum Cæſarianorum multitudine victi, Glückſtadium refugêre. Mille quingenti, qui à Batavis exauctorati ad ſigna Danica tranſierant, in Reiderlandiâ à Cæſarianis profligati.

Gemi-

Geminatæ hoc anno, ſuperiores adverſus militarem licentiam querimoniæ. Pomerania alebat tredecim Fridlandicas Legiones, cum tantâ cacularum & muliercularum fæce, ut numero ipſas legiones æquarent. Saxoniæ ſuperioris Circulus premebatur à quadraginta armatorum millibus, qui conſueto contuberniorum miniſterio non contenti, immanem inſuper pecuniæ vim extorquebant. Id Joannem Georgium Saxoniæ Septemvirum urebat acriter, nec id probabat Cæſar, aut cæteri Rom. Imperij Electores, Principes, & Ordines. Atque hæc fuêre ingentium in Imperio malorum incentiva. XLIV. QUERIMONIÆ DE LICENTIA MILITARI.

Eâ de re Maximilianus Elector ad Cæſarem, cujus injuſſu iſta gerebantur, dedit litteras in hanc ſententiam: muneris videlicet eſſe ſui, & immotæ in Sac. Cæſ. Majeſtatem fidei atque ſtudij, ea non premere ſilentio, ex quibus commune Imperij bonum ſalúſque publica periclitaretur. Saxoniæ Septemvirum gravibus admodum ſtativis, & militum profectionibus per ſuas ditiones premi aliquanto jam tempore: non eſſe dubium, quin inſciâ atque invitâ Sac. Cæſ. Majeſtate iſta immoderatio à militiæ Ductoribus ſuam capiat originem. Id tamen non prohibere, quò minùs calamitas Saxoniæ Septemviro gravis ſit & permoleſta, eò præſertim, quòd, cùm ex hoſtico ſubſidia ad alendam militiam confici abunde potuiſſent, talis Princeps, tantâ in Cæſarem fide, tam inſigni in publicam ſalutem affectu, cujus eximia merita, ſingularis dignitas, longè meliora poſcerent, licentiæ militaris arbitrio ſubijciatur, alijs interim qui publicorum malorum ſeu authores, ſive fautores ſint, altâ quiete gaudentibus, onere in fidos obſequentéſque Principes, & Provincias publicæ rei ſtudioſas, rejecto. Petitum eſſe quidem tum privatim, tum in commune per omnes Electores, huic malo à Sac. Cæſ. Majeſtate remedium, ſed nondum eſſe impetratum. Tot interim tantáque audiri de militaribus concuſſionibus lamenta, ut magnopere ſit metuendum, ne læſa demum patientia maximo reipublicæ malo erumpat in deſperationem. Quamquam enim ea ſit Saxoniæ Septemviri fides atque conſtantia, ut ceſſura ijs calamitatibus minimè videatur, uſque eò tamen exaſperatos eſſe populorum animos, ut, ſi invito ipſo, alijſque Principibus repugnantibus, obſequentiam exuerent, futurum eſſet arduum, longéque operoſiſſimum non Principibus modo, ſed Cæſari etiam, eos revocare ad æquitatem. Quare cùm adhuc ſit in manu Cæſareæ Majeſtatis iſtis malis imperare, & verò etiam adhibere modum, & tam præclarè de Imperio meritum Electorem in priſtinâ benevolentiâ retinere; eam etiam atque etiam rogari, ut, quâ polleret benignitate atque potentiâ, ad demerendum & magis publicæ ſaluti conciliandum, uteretur. QUA DE RE MAXIMILIANUS SCRIBIT CÆSARI. XLV. XLVI.

Eodem argumento Saxoniæ Septemvir, tanquam Orbis Saxonici ſuperioris Princeps capútque, in gratiam Joannis Friderici Saxoniæ Ducis, Colalto Cæſarianarum copiarum Ductori graves ſcripſit litteras: hic conatus longiorem exercitûs in Luſatiâ & Turingiâ moram excuſare, ſimul miſit undequinquaginta cohortium indicem, quas, ad levandas Provinciarum moleſtias, militari ſacramento ſolutas à ſignis ipſe dimiſerat. Sic videlicet publico peſſimo exarmabatur Cæſar, & hoſtes, ad quos exauctoratæ copiæ confluebant, armabantur, ponebantúrque fundamenta Suecicæ in Cæſarem expeditionis: cui malo potuiſſet occurri, ſi belli onera æquabiliter & moderatè in Provincias, citra militares exactiones, tempeſtivè fuiſſent diſtributa. Ergo, tametſi militum numerus aliquantum minueretur, non minuebantur tamen, ſed creſcebant indies non populorum modò, ſed etiam Principum expoſtulationes, quaſi Chiliarchæ, exteri præſertim, ingentem à miſeris in Imperio vim pecuniæ corraſam, in ſuam quique patriam avertiſſent, &, nondum expletâ avaritiâ, novam indies congererent, expreſſam è calamitoſorum hominum ſanguine atque ſudoribus. Eam ob rem multiplices tum Eccleſiaſticorum, tum Sæcularium Conventus, querelas depoſuêre apud Cæſarem, qui mox quæſitores ablegavit accuratam dati & accepti rationem à ſingulis Tribunis exacturos. Di- XLVII. EXAUCTORATUR PARS MILITIS CÆSAREI. XLVIII

ĉta eſt dies ſingulis, ſed plerique calculum tribunálque detrectârunt, ſubrogatis, qui quæſtionem ſubirent, centurionibus. Eapropter multi, velut contumaces pro confeſſis habiti, cùm alioqui repetundarum & ſpoliorum eſſent comperti, damnati quidem, ſed exemplo, quod in longum non erat profuturũ: avaritia etenim inſtar inexplebilis vulturis, ad objectam prædam erat brevi reditura. De Bavarico exercitu, tametſi credibile ſit, non abfuiſſe omnem prorſus rapinam, tamen minus fuit querimoniæ, eò quòd Maximilianus maturè adhibuerat frenos militari licentiæ & rapacitati. Atque hæc ferè rerum in Germaniâ bello geſtarum ſumma: quæ ſequuntur, vel privata, vel externa.

XLIX. Causa Archiepiscopatus Magdeburgici.

De Magdeburgenſi Archiepiſcopatu nonnulla fuit contentio. Cæſar Joachimum Fridericum Brandeburgicum ejuſce Eccleſiæ Adminiſtratorem, eò quòd arma rebellibus ſociâſſet, proſcriptum, iſtò Principatu exuerat. Canonici Sectarij proinde veriti, ne in vacuam ditionem Catholicus quiſpiam ſimul cum Romanâ religione veniret, Saxoniæ Electoris primogenitum poſtulârunt, futurum videlicet Lutheraniſmi Mecænatem. Verùm Cæſar, poſtulatione rejectâ, Canonicos graviſſimis verbis monuit, ne quid in eam rem inpoſterum tentarent. Significavit deinde Saxoniæ Electori, ſe tametſi ipſius causâ vellet quàm optimè, ejus filio hac in re gratificari non poſſe, eâ potiſſimùm ratione, quòd Magdeburgenſis Archiepiſcopatus poſt transactionem Paſſavienſem, ab Acatholicis per injuriam fuiſſet uſurpatus. Quâ ex re id natum eſſet incommodi, quòd in Spirenſi Camerâ, in quâ cauſarum referendarum munus ad Archiepiſcopum Magdeburgenſem pertinet, ob ſuſpectas Acatholici referentis narrationes & nativum rerum Catholicarum odium, multæ Eccleſiarum, ab Acatholicis perperam occupatarum, cauſæ tutò agi non poſſent, quod ipſum cùm magno eſſet juſtitiæ reddendæ incommodo, cederet etiam in grande Eccleſiarum detrimentum. Et verò multas ex Cæſareo fiſco auri myriades in ipſius Archiepiſcopatûs vindicationem fuiſſe impenſas: & eas quidem ſe Deo & religionis bono donare velle. Verùm Canonici excusârunt, ſe de Cæſaris voluntate poſt factam poſtulationem, ideóque ſeriùs factos eſſe certiores, quàm ut ſine notâ ab eâ poſſent reſilire. Saxoniæ Elector in eandem propè ſententiam reſpondit. Quibus nihil motus Cæſar, Archiducem Leopoldum, accedente Summi Pontificis voluntate, minorem natu filium, Archiepiſcopum nominavit, dilato tamen capeſſendæ poſſeſſionis jure, donec cum Saxoniæ Septemviro rem compoſuiſſet. Dedit deinde quæſitores, qui de Canonicis Acatholicis, qui crimine læſæ Majeſtatis arceſſebantur, judicia exercerent, & ab Archiepiſcopatûs ſubjectis atque clientibus ſacramenti fidem exigerent.

L.

LI.

Miraculoſa curatio precibus S. Ignatii.

Quod ſubijcimus, Monachij luce palam à Deo patratum eſt, quod non modò hodiéque teſtes habet oculatos, ſed etiam poſt exactam, ex recepto Eccleſiæ uſu, atque Sac. Conc. Tridentini legibus, totius rei examinationem, publicis tabulis à Vito Adamo Friſingenſi Epiſcopo, Illuſtriſſimo juxtà ac integerrimo Principe fuit approbatum 8. Id. Maij. Petrus Gräff, puer annos ferè tredecim natus apud Rotenbuchum nobile in Boicâ cœnobium, nervos circa poplitum flexuras ſic habuit conſtrictos, ut manibus, genibúſque duntaxat nixus, quocunque viam intenderet, perreptare cogeretur. Semeſtri eâ calamitate jam perfunctus, trahâ Monachium pervectus eſt, ubi piorum hominum alloquio, viſóque nocturno confirmatus, omni, ſecundùm Deum, ſpe in S. Ignatio, Societatis Jeſu Conditore collocatâ, promiſit quotidianâ roſarij Mariani in ternas hebdomadas precatione, reſtitutæ valetudinis beneficium, ſi erigeretur in pedes, ad aram Ignatianam ſe grato animo agniturum. Eodem, quo ſe iſto promiſſo obligaverat, die, qui fuit 17. ante Cal. April. ad D. Michaëlis Ædem vectus, conſcientiâ per ſacram exomologeſin apud ſacerdotem expiatâ, accumbit cæleſti ſanctiſſimæ Euchariſtiæ epulo, dehinc pronus ad D. Ignatij altare, multis, qui tum ſacræ Miſſæ ſacrificio aderant, conſpicuus, Deiparæ ex ſalutationibus angelicis coro-

coronam nectit: cùm ecce, mirabile dictù, divinâ benignitate, vigorem afflictis genibus redditum, laxatos nervos perſenſit. Finito ſacro, cùm prioris debilitatis reliquum eſſet nonnihil, & ſupereſſet dolor, qui priſtini mali aliquod veſtigium referebat, conatus eſt eniti in pedes, quod cùm ægrè facere cerneretur, proximæ fœminæ adminiculo ſemet erexit. Hinc ſumma præſentium, qui antea contractum nôrant, admiratio, quæ haud parùm crevit, cùm eum vidêre ambulantem. Reſiduum dolorem, paucis diebus, olei ex lampade ad S. Ignatij aram pendente, linimento omnino depulit. Hâc ſuper re teſtes omni exceptione majores, interpoſitâ jurisjurandi religione, auditi; qui puerum ægrum, nervis in ligni modum duratis, rigidiſque primùm, deinde conſuetâ mollitie lenibus, extensiſque, ſanum valentémque viderant. Inter eos medicus, in paucis peritus atque experiens, aſſeruit, iſtam curationem non niſi divinitus fieri potuiſſe. Atque iſtud quidem Ignatianæ lampadis oleum non Bavaris tantùm eſt in pretio, verùm etiam in Sueviam, Auſtriam, Tirolim delatum, plurimis eſt ſalutare. Nec verò ex olei contactu tantùm Deus, in gratiam amici ſui Ignatij, ſe oſtendit admirabilem, ſed etiam clementem exhibet in ipſius Iconibus, cùm habentur piè, & accedit precantis in Deum fiducia, poténsque Sancti interceſſio. Exemplo ſit, quod hoc ipſo anno agreſtem quendam, nobili matronæ famulantem, corripuerat repentinus furor, nec apparebat ratio curandi veſanam ferociam. Igitur matrona, caſum miſerandi hominis dolens, numiſma S. Ignatij ſignatum effigie, de collo furibundi ſuſpendit: & conſtitit invocati Ignatij, fiduciæque in Deum præſentanea remuneratio: nam vix effigiem appenderat proba mulier, cùm è veſtigio redijt inſano conſueta animi tranquillitas, integráque uſura rationis. Recenſeo aliud à Divo impetratum à Deo beneficium. Fœmina quædam ruſticana gravi tibiæ malo urgebatur, omnis expers humani remedij: ſollicitæ de periculo, Ignatius internoctu ſe viſendum præbens, mirâ (ut ipſa referebat) verborum ſuavitate monuit, niſi ferrum omnino mallet mutilationémque experiri, adiret Monachium, &, deterſis per ſacramentalem Confeſſionem noxis, ad ſacrum tribunal mederetur animo, corpori verò precibus, ad Ignatij aram, certam medelam exoraret. Viſo & promiſſo Sancti reſpondit fides, cùm ægra ſic expiata, altari S. Ignatij advoluta, è veſtigio cruris ſanitatem uſúmque accepit. Sexcenta ſunt id generis, quæ hiſce annalibus ex vero, & cum dignitate inſpergi paſſim potuiſſent, niſi prodigiorum, quæ frequenter magni iſtius Sancti orationibus à Deo impetrantur, multitudo, peculiare monimentum, longæque ſcriptionis modum exigeret.

Alia miracula.

LII.

LIII.

Superioris Palatinatus in religione profectus.

Quæ hoc anno, ad inſtaurandam avitæ fidei in Bavarico Palatinatu religionem, geſta ſunt, tribuimus curis & pietati Maximiliani Electoris. Pauca hæc è multis juvat poſterorum memoriæ transmittere, quò clariùs intelligant, quibus modis credendi atque vivendi pura ſanctitas in iſtâ Provinciâ refloruerit. Hoc anno ad ſacrum unicúmque Chriſti ovile reductæ animæ quaterdecies mille ducentæ quinquaginta octo; quod teſtantur illorum indices, qui hoc anno eam Provinciam ſacris inſtitutis imbuerunt per decem loca diſtributi Sacerdotes è Societate Jeſu viginti quinque. Ambergæ tam læta fuit fœcundáque ſacræ doctrinæ ſeges, ut non modò in Æde civitatis principe, verùm etiam in xenodochio, atque decem præterea pagis aut viculis, Catechetica inſtitutio fuerit habenda, ad quam non pueritia modò, ſed grandior quoque ætas, per verni præſertim jejunij tempus, confluebat, útque multitudini & aviditati diſcentium fieret ſatis, quò locus eſſet patentior, ad oppidanos & convenas ſolebat in foro explicari. Reperti inter grandævos, qui de redditâ avorum religione geſtientes, profitebantur, ſe, quicquid tandem adverſarij contrà declamarent, ejus amorem ex animo nunquam poſuiſſe. Fervens in ſacra Catholica ſtudium, agmina publicè ſupplicantium ritu Romano prodidêre, ſpectaculo, ab octoginta annis, ijs locis prorſus inviſo.

Tragi-

TRAGICA HISTORIA. LIV. Tragicum eſt, quod ſequitur, & ab omni forſan hominum memoriâ vix auditum. Degebat Ambergæ ſenex grandi natu, qui olim in Styriâ monachum profeſſus, ſacróque Sacerdotio initiatus, ab inferno veteratore in fraudem his artibus eſt inductus. Juvenis animum primò ſubière in ſpeciem ſanctæ cogitationes, conſanguineos ab Eccleſiâ Catholicâ fidéque aberrantes reducendi in viam, ſimul patrimonium, quod ipſi ſupererat, ad monaſterium transferendi. Verùm cùm Præſides ætati nondum ſatis ad pericula, inſidiáſque eruditæ non fiderent, negaréntque ſe facturos ipſi iſtius procurationis poteſtatem, eousque exarſit in juvene maleſuada cupiditas, ut inſalutato Præſule, Fratribúsque, in patriam refugeret, rediturus (ut ipſe quidem putabat) patrimonij hæreditate, & conſanguineorum converſione ditior. LV. Sed miſer, qui Monaſterij opes augere, ſuóſque reducere ad ſaniorem mentem, contra ſuperiorum ſententiam, legéſque Cœnobij, cogitaverat; ut pedem patrio ſolo intulit, paſſus eſt ſe ſpurciſſimis ſacrilegarum nuptiarum laqueis irretiri. In eo cœno conſenuerat, cùm Sacerdotes, religionis inſtaurandæ curatores, de miſerando ipſius ſtatu edocti, toties hominis aures ſalutaribus monitis pulſaverunt, donec ipſe ritu publico ſe reciperet ad Eccleſiæ gremium, rediturus poſtea, ſi quâ liceret, ad deſertum olim aſceterium. Quia tamen cauſæ aliquæ reditum comperendinabant, obtinuit, ut tantiſper extra religioſam domum, in cultu tamen ſacris hominibus familiari, poſſet commorari. Eâ gratiâ ſic eſt uſus, ut quicquid ſupereſſet temporis à morbis vacuum, id ferè in templo ſacríſque obeundis, agendíſque cauſis pauperum conſumeret. Sic divinum Numen, quo ſe ab alterius vitæ cruciatibus vindicaret, placare nitebatur. Erratorum veniam, & pœnæ æternæ remiſsionem, fas eſt credere, ipſum fuiſſe aſſecutum: Sed ſuperfuiſſe videtur, ut exemplo temporanei ſupplicij Deus, in homine, alioqui pœnitente oſtenderet, quantæ pœnæ ſint religionis, votorum, & ſacerdotij deſertoribus in hac vel alterâ vitâ conſtitutæ. Ergo dies erat S. Matthæo Apoſtolo ſacer, cùm circa ſolis ortum, in lectulo ſeniculus morbo pariter & ſomno teneretur: ſic quieſcenti filia, quam apoſtata genuerat, furijs agitata, obrepit armata ſecuri parricidiali. Ea cùm decumbenti ictus tot tantóſque intuliſſet, ut ſenex non eſſet par reſiſtendo, eas genitori partes, ſit verbo venia, exſcidit, quas nominare pudor vetat: deinde tam furioſis vulneribus parentis corpus, caput præſertim, dilaniavit, ut uno ſupra quinquaginta inflictis vulneribus, unum quaſi vulnus inflixiſſe videretur. Contudit itaque caput, quod olim ad divinum ſervitium attonſum & dedicatum: reſecuit pollicem, indicémque manûs dexteræ, ſacro chriſmate, ut fit ſacerdotibus, ad divina myſteria delibutos: brachium ſiniſtrum, quo ſacer ſacrificaturi manipulus geſtatur, duobus altiſsimè impreſsis vulneribus, proſcidit: abſolutâ deinde laniena ſeipſam lymphata filia, jactato palàm per plateas facinore, prodidit. In eam lege agi non eſt viſum, propter manifeſta emotæ mentis indicia. Ea verò oſtendunt, bene monuiſſe ſapientem, cùm peccatorem noluit de propitiato peccato eſſe ſine metu.

Neumarc. LVI. PIETAS NEOFORENSIUM. In Neoforenſi oppido populus propè omnis ſalutarem Chriſti doctrinam, rejectâ ſequiore, eſt amplexus. In agro confini, ternæ parœciæ Eccleſiæ Chriſti auctoratæ. Die corpori Chriſti ſacro, tanto numero ac pietate ſupplicationis ordo proceſſit, ut ultimo agmine adhuc in ædis ſacræ limine hærente, primi mediam extra mœnia civitatem jam ambirent, omnibus ſuam ſeriem, ſtationémque decorè, cum magnâ modeſtiâ, retinentibus: quæ religio toto Palatinatu Boico egregiè fuit reſtituta. Inductus quoque mos eſt, auguſtiſsimi Sacrificij quotidie ſtatâ horâ audiendi: proſcripta vetuſta blaſphemandi conſuetudo. Polygamia, per Calvini aſſeclas, ex detortâ Evangelij interpretatione per injuſta divortia paſſim introducta, edicto totâ Provinciâ eſt eliminata.

LVII. SURDUS MIRE CURATUS. Civis, opificio victor, ætate ſeptuagenarius, Winckelij fuit, audiendi facultate eouſque hebetatâ, ut nec cominus loquentes auditu poſſet aſſequi. Magno inte-

interim tenebatur Eccleſiaſten audiendi deſiderio: ſed priùs tam felici eſſe non licuit, quàm quibus potuit modis, ſignisque operosè edoctus, Calvinum, eíque ſimiles cum erroribus ejuravit. Eo enim ipſo momento, quo Angelici ferculi Sacramentum ore percepit, aurem pandi ſenſit, ejúsque beneficio poſt hæc ſub remotis templi foribus ſubſiſtens, Eccleſiaſten, vel ſubmiſsâ voce dicentem auſcultans, rite intellexit. Pueri catecheſin edocti, paſsim apud domeſticos æmulati ſuos doctores, multum in parentibus, aliísque inſtituendis ſalutaris operæ pretium fecerunt. Fuit præ cæteris in Caſtellenſi Toparchiâ excellens trimuli puſionis exemplum, qui nullius juſſu ad Angelicæ ſalutationis ſignum Catholico more provolutus, Deiparam Virginem ſalutando adultioribus præivit. Alius non multo major lignarium, die vetito carnes eſitantem, eâ verborum vi objurgavit, ut homini alioqui duro ruborem & pœnitudinem extorſerit. Ita ex ore parvulorum Deus ſuam laudem perficiebat.

PUERÓRUM ZELUS.

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS III. LIBER XIV.

An. M.DC. XXIX.

Pax cum Rege Daniæ: Edictum Cæſaris de bonorum Eccleſiaſticorum reſtitutione; Comitium Heidelbergenſe: Semina belli Suecici.

I. Pax cum Rege Daniæ.

QUod Sac. Cæſ. Maieſtati anno M. DC. XXVII. Comitium
Auguſtale Septemvirûm Mulhuſio ſapienter ſuaſerat, de pace
cum Chriſtiano IV. Daniæ Rege, ſi is quidem peteret, com-
ponendâ, quódque anno ſuperiore cœptum erat, Lubecâ ad
eam compoſitionem nominatâ, hoc anno confectum, Deo au-
thore pacis adſpirante. Viſum id primâ fronte factu difficile,
quòd Cæſariani toties victores, validíſque inſtructi copijs Pomeraniam adverſus
omnem exterorum vim munijſſent: Dani verò varijs affecti cladibus, & exuti
ditionibus, quas habebant in Germaniæ continenti, ad duras conditiones videren-
tur adigendi. Verùm cùm Chriſtianus Rex Ducem Ulricum Filium, bello inſtaura-
to, factóque terrâ maríque ingenti apparatu, cum exercitu miſiſſet in Stran-
diam, ipſe verò Rex claſſem validam ad Anglenam, quæ eſt Sleswicenſis Duca-
tûs peninſula, applicuiſſet, réſque in eo eſſent, ut viribus aliquantum æquatis,
belli exitus crederetur eſſe in ancipiti, & verò permagni intereſſet ad Germa-
nicarum rerum momenta, ſi potens magnanimúſque hoſtis à domeſticis exte-
riſque Imperij turbatoribus abſtraheretur, minore negotio itum eſt in honeſtas
ac tolerabiles pacis conditiones: Etenim Fridlandus ac Tillius ad pacis tracta-
tionem à Cæſare & Maximiliano Electore deputati, adſcitis in conſilium Anni-
bale Schaumburgico, Joanne Aldringero, Friderico Weſtphalo, Joanne Chri-
ſtophoro Rupio & Reinhardo Walmerodo, litteris Guſtrovij, in Megapolitano

II. 6. May.

Ducatu datis, Cæſari juxtà & Maximiliano poſuêre ob oculos, quòd, tametſi Da-
niæ Rex pacem non eſſet initurus, niſi receptis Provincijs, quas iſto bello ami-
ſerat, nihilominus ipſis conſultum non videretur, bellum periculoſum æquabili

Pacis ineundæ rationes.

tranquillitati, & Regis potentis amicitiæ antehabere. Non deeſſe enim, qui
oblatis auxilijs eum à pacis tractatione revocent, quíque, ſi conjunctis cum eo
viribus irrumpant in Germaniam, plena diſcriminis atque difficultatum negotia
ſint creaturi. Eam in rem eſſe apud Regem Coppenhagæ, Galliæ, Magnæ Bri-
tan-

tanniæ, Sueciæ Regum, & Batavorum Legatos, qui omnem lapidem moveant, adhibitis etiam vaniſſimis commentis typo in vulgus editis, belli conſilia ſuggerant. Quapropter videndum etiam atque etiam, quantopere eſſet obfuturum, ſi tot tantorúmque hoſtium vires, factâ conſpiratione, Germaniæ incumberent: in quantã inſuper belli molem turbæ excreſcerent, ſi, quod proclive omnino foret, inteſtini motus, ſopiti quidem, ſed nondum extincti, à Regnis provinciiſque Cæſaris hæreditarijs, à Principibus Imperij atque Ordinibus, populiſque tam longâ belli calamitate exaſperatis, quique antiqua odia non poſuiſſent, integrarentur. Ad quod quidem illi futuri eſſent proniores, quòd Imperium de bonis Eccleſiæ reſtituendis, Cæſaris Edictum mirabiles in eorum animis offenſiones excitârit. Magnam quoque habendam eſſe belli Polonici, quod gerebatur id temporis adverſus Suecos, rationem, ne ſi fortuna ad hos inclinaret, Turcæ, Tartari, Moſchi, Tranſylvani, omnes alij Cæſ. Majeſtatis adverſarij, captâ inde occaſione, & aperto velut oſtio denique in regna ditionéſque Auſtriacas, inque ipſum Romanum Imperium infuſi, omnia in prædam, ultimámque vaſtitatem verterent. Quòd ſi oræ maritimæ ab ipsâ longè Pruſſiâ ad Albim uſque ad ducentas quinquaginta leucas extenſæ, ipſáque Albis littora utrinque debeant neceſſarijs firmari præſidijs, nullum, niſi propè immenſum exercitum parem tot portubus, civitatibus, munitionibus, ſtationibúsque eſſe futurum, quæ tamen omnia tuta contra hoſtium irruptiones eſſe oporteat. Nimis quàm eſſe evidens, iſtis locis nullam eſſe claſſem, deeſſe navigia, quibus bellum mari poſſit ſuſtineri, nedum ultrà proferri, eóque futurum, ut quantuſcunque miles in præſidijs habeatur, tandem tamen nullâ in hoſtem re memorabili tentatâ, nedum geſtâ, paulatim totus conſumatur. Contrà verò Danis in promptu eſſe claſſem, quam indies Sueci, Angli, Batavi novis augeant ſubſidijs, proinde prohiberi non poſſe, quin quævis loca maritima pro arbitrio aggrediantur ex improviſo, atque reipsâ occupent, priusquam Cæſareæ ſuppetiæ poſſint auxilio venire: eò quòd, aſpirante aurâ, paucas intra horas naves longiora ſpatia, quàm Cæſarianus miles terreſtri itinere per aliquot dies poſſint conficere: unde ſatis appareat, quantus exercitus ad iſtorum littorum defenſionem perpetuò debeat excubare: & hic quidem, tametſi ſub ſignis, atque in præſidijs haberetur, ali tamen non poſſet, ob inſignem iſtorum littorum egeſtatem, rerúmque ad vitam neceſſariarum, pro tantâ præſertim multitudine, inopiam: fore igitur conſequens, ut miles vel fame interiret, vel oppreſſus neceſſitate emaciatúsque ad deſerendas ſtationes cogeretur. Regem Daniæ interea nihil habere, quod ſuo Regno ditionibúsve metuat, nihil ſupereſſe, quod à Cæſare poſſit occupari, quantumlibet fortuna hoſti adverſetur; quæ tamen ſi Dani cœptis fiat benignior, ſpem ipſis eſſe reliquam, non modò recuperandi amiſſa, ſed etiam aliena invadendi. Quamvis verò videri poſſent civitates Imperij atque Ordines ab extremis belli conſilijs & Danis ipſis fore alieni, tamen alia omnia rebus ipſis demonſtrari, quandoquidem eorum aliqui Suecis ac Batavis velut ex aſſe ſint addicti, aliqui, quorum non omnino mala mens eſſet, tamen metu hoſtilis exercitûs trepidi de rei ſummâ vix quicquam ſperent. Videri igitur pacem tam periculoſo bello, Germaniæ ſecuritatem ſubactarum regionum retentioni eſſe præferendam. Atque hæc quidem omnia ſapienter: ſed, ut ſunt hominum timidæ incertæque providentiæ, nondum erat compertum, ex eâ pace fore bello finem, & mutandum quidem belli caput, ſed manſura belli coſilia, & Danicas copias à ſignis Danicis ad Suecica tranſituras: regéſque ac populos exteros, immo Germanos quoq; Principes ac Ordines Cæſari adverſos, nihilominus in Cæſaris Domum & Catholicorum perniciem conſpiraturos.

III.

IV. Mare indefenſum.

V.

VI. Metus futuri.

Hoc igitur anno naſcente, datâ ultro citróque commeandi publicæ ſecuritatis teſſerâ ac defenſoribus, tractatores Lubecam conceſsêre. Pro Cæſare dictus eſt Fridlandus Princeps Legationis: additi fuêre Balthaſar Comes Dietrichſteinius, Joannes Comes Aldringerus Caſtrorum ſupremus in Vigilias Præfectus,

VII. & Reinardus Walmerodus Fiſci Commiſſarius. A Rege Daniæ adlegati cum plenâ poteſtate Ulefeldus & Friſius, alter Regni, alter Aulæ Cancellarius, Albertus Schelius Architalaſſus emeritus: à Maximiliano Bavariæ Septemviro Joannes Comes Tillius, cui ſubrogati Juſtus Maximilianus Comes Gronsfeldius Chiliarcha, & Joannes Chriſtophorus Rupius, caſtrenſis annonæ & militaris ſumptûs Generalis curator. Ex Holſatis adfuêre duo Ranzovij Dethevus & Henricus.

REMORA IN LIMINE.

In ipſo tractandi limine mora ſtatim extitit, quòd Cæſareorum Legatorum mandata non à Cæſare, ſed à Fridlando duntaxat eſſent data, & quidem non ad Regem, ſed ad ejus Conſiliarios: quamobrem Danici Conſultores negârunt, ſe facturos antè tractandi initium, quàm ea Cæſar ipſe manu ſuâ ſubſcripta Regi deſtinâſſet. Ergo petenda fuêre ex Cæſaris Aula mandata alia, quæ cùm Lubecam eſſent allata, Bavarici, anteaquam exhiberentur, credidêre, cum Maximiliano eſſe communicanda: ſed Cæſariani nihil cunctandum rati, & Cæſaris potiùs voluntati eſſe deferendum, demandatâ poteſtate ſunt uſi.

VIII. CÆSARIS MANDATIS TOLLITUR.

REGIS SUECIÆ LEGATUS NON ADMITTITUR AD CONVENTUM. *Lit. Fridlandi Guſtrovij 26. Febr.*

Ad eum conſeſſum Joannes Salvius, Guſtavi Sueciæ Regis nomine, petitâ tutò veniendi libertate, per litteras popoſcit admitti, eâ maximè causâ, quòd Guſtavo foret propoſitum de Stralſundæ clientelâ, quam nuper occupârat, agere, déque rebus conſanguineorum & affinium, quos ad littora maris Balthici haberet frequentes, adhibitâque ſimul operâ pacis negotium promovere. Verùm Cæſariani, juſſi à Fridlando, id recusârunt, quòd metuerent, ne Sueci novis machinationibus tractationem, quæ inter Cæſarem duntaxat, & Daniæ Regem eſſet inſtituta, diſturbarent.

IX. PACIS CONDITIONES.

Conditiones à Cæſare propoſitæ primò quidem Regi Daniæ viſæ graviores, quàm ut ijs vellet aſſentiri; ſed poſt longas tamen & aſſiduas Tractatorum curas in has pacis leges eſt conventum; *Sincera atq; perpetua deinceps inter Cæſarem & Daniæ ac Norwegiæ Regem, intérque eorum hæredes ac ſucceſſores, eſto terrâ mariq; pax & amicitia, præteritarúmque offenſionum amneſtia. Daniæ Rex inpoſterum ne ſe Imperij atque Eccleſiarum rebus ullo obtentu ingerito, niſi quantum ſpectabit ad Ducatum Holſatiæ. Cæſar viciſſim Regni Danici ſuprema jura non attingito, ſique aliquando naſcatur communis controverſia Cæſarem inter & Regem, citra vim, per arbitros utriuſque conſenſu lectos finiuntor. 2. Belli ſumptus damnáq; remittuntor, ijs exceptis, quæ Regi Daniæ ab Inferioris Saxoniæ Circulo juſtè ac legitimè deberi cenſebuntur.*
X. *Regi Daniæ Vandaloſuſſeta, Iutia, Sleswicia, Holſatia, Stormaria, Ditmarſia, cum annexis juribus, clientelis, munitionibus, præfecturis, cæteriſque eò ſpectantibus reſtituuntor, atque ex ijs Cæſarianus miles citra noxam, bono ordine atque diſciplinâ abducitor: inſtituta Fiſci & contributionum in Holſatiâ actiones prorſus abolentor, & contra pacta ſeu ſacra ſeu profana pacis nemo iſthic turbator. 3. Captivi abſque morâ aut onere utrinque dimittuntor. 4. In hac pace comprehenduntor ex parte Sac. Cæſ. Majeſtatis Hiſpaniarum & Poloniæ Reges, Infanta Hiſpaniarum Belgij Princeps, cum universâ Domo Auſtriacâ, cum Electore item Bavariæ, omnibúsque auxiliarijs & obſequentibus Electoribus, Principibus & Ordinibus Romani Imperij, ejúſque ſubjectis & incolis: ex*
XI. *parte verò Regis Daniæ, Reges Galliæ, magnæ Britanniæ, Sueciæ, & Ordines Belgij fœderati, ſi quidem voluerint comprehendi.* His legibus tum primùm ſubſcripſit Rex Daniæ, quando fuerant à Deputatis tridui colloquio revocatæ ad limam. Rebus tandem iſto pacto ad quietem compoſitis, cùm Cæſar Réxque conventas conditiones approbâſſent, concordia, quæ 6. Id. Jun. coaluit, poſtridie cum magnâ Lubecenſium lætitiâ in publicum fuit evulgata.

EDICTUM DE BONORUM ECCLESIASTICORUM RESTITUTIONE. ECCLESIÆ QUÆ ABLATÆ.

Hæc dum Lubecæ pro pace gererentur, antiqua belli, in Imperio novis turbis exarſuri, materia tractabatur. Res erat de juſtis Catholicorum in Germaniâ poſtulatis. Querebantur videlicet, poſt Paſſavienſem transactionem, contráque ejus pacta conventa atque ſanctionem, Eccleſiæ & Romano-Catholicæ religioni abreptos à Proteſtantibus Archiepiſcopatus Magdeburgenſem, & Bremenſem: Epiſcopatus Mindenſem, Halberſtattenſem, Verdenſem, Lubecenſem, Razeburgenſem, Miſnenſem, Merſeburgenſem, Naumburgenſem, Brandeburgenſem, Ha-

Havelbergenſem, Libuſenſem, & Caminenſem, multas præterea dignitate atq; opibus inſignes Eccleſias & Monaſteria. Ante transactionem verò ſolo Lutheraniſmi obtentu, avulſa ſuprema Pruſſicæ & Livonicæ ſacræ militiæ Magiſteria, Rigenſem Archiepiſcopatum, Epiſcopatus Rivellenſem, Curlandicum, Dellellenſem, Terzinium, Swerinenſem, Sleſingenſem, Kilenſem, Pumerzanum, Heilſpergenſem, & Wermelandium, ingentémque numerum Eccleſiaſticorum præterea bonorum, Cœnobiorum & Collegiorum. XII.

Lamentabantur etiam, contra pacificationis edictum ſibi vim inferri paſſim in civitatibus Imperij, Argentinæ præſertim, Norimbergæ, Ulmæ, Nördlingæ, Memmingæ, Ratiſbonæ, alibi; Catholicæ religionis libertate exercitióque vel eliminato, vel magnam partem imminutis: repelli item à civitatum juribus, officiiſque civilibus, qui Acatholiciſmo nomen dare nollent: extitiſſe præter hæc, qui tentâſſent ritus moréſque Acatholicos invehere in aliquas civitates, in quibus antè ſedem uſúmque non habuiſſent: hac de causâ turbas fuiſſe ab Acatholicis excitatas Coloniæ Agrippinæ, Aquiſgrani. *Iniusta læsio Catholicæ libertatis.* XIII.

Atque hæc quidem non in Germaniâ duntaxat, ſed Romæ etiam à Congregatione, per ſummum Pontificem ad ſimiles cauſas conſtitutâ, cui videlicet ſingularis fidei propagandæ provincia eſt demandata, agitabantur. Multorum vota accendebat præſens conditio, præteritæ proſperitatis recordatio, grande ad magnas ſpes incitamentum, ſed mutabilis fortunæ incogitantia, futurorum ignoratio. Videbantur oppreſſæ ſecundæ Saxoniæ vires, Rex Daniæ pacatus, fœdus Acatholicorum diſſolutum, Principum opes acciſæ, exhauſtæ Provinciæ, arma Suecorum procul, nullus ab Ottomannicis timor, Angliæ vigor hebetatus, Galli hactenus quieti, Batavi domeſtico bello irretiti, potentes Catholicorum exercitus, longè latéque extenſus iſto bello dominatus, dandum proinde jam non improſperum Edicti exequendi initium. *Spes Catholicorum.* XIV.

Cæſari, rei Catholicæ, ſuprà quàm dici poſſit, ſtudioſo, difficile non erat, immo ne opus quidem, cùm per ſe maximè vellet, perſuadere ſpoliorum Eccleſiæ repetitionem, ſi Principum Catholicorum ſententiæ conſpirarent. Tametſi permulti cum ipſo ſentirent, attamen nonnullis videbatur res ardua atque intempeſtiva, periculoſæque plena aleæ. Videbant enim intercîdi poſſe vel unico ictu curſum victoriarum, mutari ſortem, reviviſcere Acatholicorum ſocietates, reflorere opes, viréſque. Sat conſtabat, quàm odioſum eſſet aſperúmque apud detentores reſtituendi nomen, quippe, qui magnam fortunarum partem ex alieno haberent, immo inquietam alieni conſcientiam fucatis nominibus, & uſurpationis diuturnitate oppreſſerant, quique tandem ſupremis conatibus, tamquam pro ſuis aris, eſſent pugnaturi. Neque id obſcurè prodebant libellis etiam editis, eo conſilio, ut ſeſe rejectis reſtitutionis titulis, ad retinendum mutuò excitarent. *Eorum diversæ sententiæ.* XV.

Vicere nihilominus apud Catholicos vota & numero, & æquitate potiora. Quare Cæſar de reſtituendis Eccleſiarum poſſeſſionibus, poſt Paſſavienſem transactionem occupatis, Edictum publicavit in hanc ſententiam. Non ambigere Sac. Cæſ. Majeſtatem, quin pleriſque notum ſit, in quàm pernicioſas diſſenſiones & perturbationes Germania devenerit, tum ex religionis novatione ſectiſque, tum ex ſpolijs & invaſione ſacrarum poſſeſſionum, quæ coloratis titulis, & Pacis religioſæ interpretatione adhucdum defendantur. Atque hinc quidem ſecutum, ut, cùm turbatores aliqui judicum ſententiâ damnati, vererentur, ne ob plures alias uſurpationes pariter causâ caderent, eò rem deduxerint, ut nulli deinceps Judici deferretur, ſed pars victrix, ad nova pacta transactionémque adacta, ſuo ſemet jure ſpoliare cogeretur. Eam ob rem principio initas eſſe ſecretas conſpirationes, arcana fœdera, tandémque publicam unionem, & demum in Bohemicâ rebellione pactas fuiſſe alias ſocietates cum indigenis, externiſque Potentatibus, adſcitis etiam Turcarum auxilijs; donec tandem tota patria in ea mala protracta ſit, ſub quibus adhucdum gemat. Quamquam hæc incommoda tempeſtivè fuerint prævisa, tentatáque remedia, præſertim anno M. D. LIX. *Vulgatur Edictum.* XVI.

 quando

quando Cæſaris Avus Ferdinandus Cæſar accuſationem violatæ ſacræ pacificationis ad Cameræ tribunal remiſit, Proteſtantibus ab ipſo Cæſare litis deciſionẽ poſtulantibus eo obtentu, quòd aliqua accuſationis capita uſq; eò eſſent mani-
XVII. feſta, ut ex ſolis puriſque pacificationis verbis poſſent judicari. Eapropter generalem deciſionem in ſecutis Comitijs, anno præſertim M. D. XCIV. fuiſſe petitam, ſed dilatam tamen ob pericula belli Turcici, aliáſque longioris temporis expeditiones. Nihilo tamen minùs Sac. Cæſ. Majeſtatis præceſſores, tam in Aulâ Cæſareâ, quàm in Spirenſi Senatu, juxta tenorem Pacis religionis & legum, jus dixiſſe paſſis injuriam, quouſque demum anno M. DC. XIII. Correſpondentes non modò de judicio conqueſti, nova poſtulata ediderunt, ſed etiam eandem illam, quam ipſi à Cæſare popoſcerant, deciſionem ultrà admittere recuſantes, novum tranſigendi modum poſtulàrunt. Cùm verò, ne ſic quidem voti fierent compotes, videréntque, ſe tranſigendo non obtinere, quod vellent, attamen eos à Mathiâ Cæſare compoſitionis Comitium petijſſe, & fuiſſe impetraturos, niſi, expensâ Catholicorum æquitate, qui à pace religionis, ejúsque legibus nollent tranſigendo diſcedere, Cæſar animadvertiſſet, fruſtra fore omnem tractationem, immo fore cauſam majoris diſſidij, tandémque id medium, velut inane, deſperatúmque omiſiſſet. Et nonnullos etiam ex Proteſtantibus agno-
XVIII. viſſe, hoc ipſum difficulter proceſſurum abſque Catholicorum conſenſu. Eam ob rem unà cum Catholicis non multò pòſt Saxoniæ Septemvirum, & Haſſiæ Landgravium Darmſtattenſem Mathiæ Imp. ſuaſiſſe, ut jam memorata gravamina ex Cæſareo officio, exemplo priorum Imperatorum, ex normâ Conſtitutionum Imperij decideret. Quando igitur Sac. Cæſ. Majeſtas ſui muneris eſſe ducat, providere modos pacandi Imperij, ſimul dare operam, ne ſequiore Pacis religionis interpretatione Ordines Imperij majoribus diſcordijs implicentur, cúmque à Mulhuſino Conventu Septemvirali fuerit petitum, ut gravamina, quatenus ſubmiſſum eſſet, ad reparandam confidentiam animorum, juxta Conſtitutiones Imperij, & pacis tam religionis, quàm civilis, citrà Ordinum injuriam dijudicarentur, noluiſſe Sac. Majeſtatem ejuſmodi declarationem Imperij Conſtitutionibus, & Pacis legibus conformem differre diutiùs, quandoquidem ipſi Proteſtantes agnoverint, non eſſe nova gravamina, ſed ſæpius jam olim accuſata, & credant illi, quorum cauſa vertitur, ſe ſatis ſupérque jam fuiſſe auditos: cùm etiam jam anno M. D. LXXVI. Maximilianus Imp. diſertè oſtenderit, nihil opus eſſe huius vel illius partis conſenſum reſpicere, aut expectare, ſed Cæſari ex plenitudine poteſtatis jus ſit, ſuum officium interponendo ea decernere juxta priores Imperij ſanctiones, quæ pertineant ad boni communis augmentum, & ad pro-
XIX. hibendum, quicquid publicæ Romani Imperij ſaluti adverſatur. Atque his quidem Proteſtantes Ann. M. D. LIX. eſſe offenſos, quando diſertis verbis apud Ferdinandum Cæſarem profeſſi ſunt, gravamina eſſe ejuſmodi, ut decîdi poſſint ex claris verbis Conſtitutionum Imperij & ſacræ Pacificationis. Quare tametſi Sac. Cæſ. Majeſtati nihil fuiſſet gratius, quàm omnibus iſtis gravaminibus per Cæſaream deciſionem finem imponere, voluiſſe tamen ipſam, quemadmodum Electores Mulhuſio admonuiſſent, ea potiſſimùm terminare, de quibus ob legitimam ſubmiſſionem minimè poſſet dubitari, qualia ſunt illa, quæ etiam citra ſubmiſſionem omnem in apertis Pacificationis religioſæ verbis verterentur, quæq; ad reſtituendam generalem tranquillitatem, vel maximè pertinerent: de cæteris Suam Majeſtatem proximâ opportunitate mentem ſuam eſſe explicaturam. His ergo ſic poſitis, primùm contra pacificationis ſacræ, & priorum Imperij Conſtitutionum leges revocari in dubium, utrùm Collegia, Monaſteria, & Prælaturæ, quæ ſunt ſub Principum & Ordinum ditionibus & juriſdictione, ſub pace
XX. religionis comprehendantur; & an ij Principes, ad quos ſpectat propria, aliáve territorio connexa Magiſtratûs poteſtas, jus habuerint, aut adhuc habeant, talia uſurpandi & reformandi, vel alijs modis ad pios uſus pro arbitrio convertendi: Id verò minimè fas eſſe, & hujuſmodi uſurpationes Eccleſiaſticorum bonorum,

quæ

quæ Romano Imperio immediatè non ſubſint, juri eſſe adverſas, conſtare ex §. Viciſſim &c. Ubi ſtatuitur; *Vt Auguſtanæ Confeſſionis adhærentes aliòs Imperij Ordines veteri religioni addictos Eccleſiaſticos & Sæculares, unà cum Capitulis, alióſque, qui Eccleſiaſtici ſtatûs ſunt, non conſiderato, an & ad quem locum reſidentiam tranſtulerint, in ſuâ religione, fide, & cæremonijs, poſſeſſionibus, item eorum, &c.* Quòd verò hæc verba, *alióſque, qui Eccleſiaſtici ſtatûs ſunt,* non ad ea Collegia & Monaſteria, quæ Imperio immediatè ſubjecta ſtatus ſunt Imperij, pertineant, ſed de ijs, quæ in Confeſſioniſtarum ditionibus ſita ſunt, intelligi debeant; demonſtrari non modò ex actis Imperij & primoribus libellionum tabulis, ſed ex ipſo etiam contextu, nimirum ijs Eccleſiaſticis, qui ſedem domiciliúmve mutâſſent, perinde deberi ſuos reditus, ex aliorum territorio, atque ſi in eo reipsâ degerent. XXI.

Id verò maximè colligi ex §. *Atque ut utrique, &c.* in quo Eccleſiaſtica juriſdictio adverſus Confeſſioniſtas Auguſtanos, cum eâ reſervatione ſuſpenditur, ut talis ſuſpenſio Eccleſiaſticorum Electorum, Principum, Statuum, Collegiorum, & Monaſteriorum reditibus, proventibus, cenſibus, ac juriſdictionibus nihil præjudicij adferat, quandoquidem iſtis verbis, *Eccleſiaſtici, qui Status Imperij ſunt,* ut Collegia, Monaſteria, & Religioſi homines, æquè atque alij Imperij Status continentur, eò quòd nominatim atque in ſpecie eorum fiat mentio ſingularis: & eam quidem legem cum Receſſu Imperij anni M. D. XLIV. §. *Et cùm,* &c. examuſſim convenire. Deinde in §. *Quia verò* &c. idipſum clariùs deprehendi: cùm enim iſthic Collegia & Monaſteria, quæ immediatè Imperio ſubjecta ſunt, ab ijs, quæ in aliorum territorio ſunt ſita, ideóque immediata non ſunt, diſtinguantur, habeántque peculiarem diſpoſitionem, ut remaneant in eâ conditione, quam quivis ſtatus induxiſſet ante Paſſavienſem transactionem, útque ij ſtatus ſuper illis non conveniantur aut interpellentur: exinde ſequi, quòd mediata Collegia & Monaſteria, quæ poſt transactionē Paſſavienſem & Pacem Religionis fuêre occupata, ſic excipiantur, ut Confeſſionis Auguſtanæ Statibus nihil juris conceſſum ſit ad ea reformanda vel occupanda: hoc ipſum etiam elucere ex eo, quòd Auguſtanæ Confeſſionis hominibus ex lege Pacificationis nulla prorſus facta ſit poteſtas, ullum Collegiū aut Monaſterium deinceps ultrà occupandi: atque eapropter debere eam quæſtionem ex Canonici & Civilis Juris, & pacis publicæ præſcripto reſolvi, quæ tamen nulli permittunt rei alienæ contrectationem, nedum Eccleſiaſticorum bonorum uſurpationem, quæ vi ac lege fundationum ad ſolum Deum & Eccleſiam pertineant: ex eâ enim ratione in §. *Quia verò &c.* diſertè iſta bona, tametſi infra Statuum territoria aut juriſdictionem eſſent conſtituta, tamen reſervantur velut ad ipſos minimè pertinentia. XXII. XXIII.

Porrò nihil obſtare, quòd in Pace Religionis §. *Atque ut &c.* ſtatuatur, ut Auguſtanæ Confeſſionis conſortes Status in eâ religione, fide, ritibus, ordinationibus ac cæremonijs, quas in ſuis dominijs inſtituiſſent, vel inpoſterum eſſent inſtituturi, quietè ac pacificè relinquantur: malè enim à quibusdam inde concludi, eos Monaſteriorum reformandorum habere poteſtatem: licèt enim ejuſmodi Monaſteria in licitis ac debitis convenientem habere oporteat ſæcularium rationem, ea tamen nihil habere à ditione ſæculari de cætero dependentiæ. Perperam item inferri, quòd cùm Pax tantùm ſit inita inter Status Imperij, ejuſmodi Religioſis nulli debeant proceſſus decerni: manifeſtum enim eſſe, quòd Collegia & Monaſteria, in Principatibus & regionibus alienis conſtituta, unà cum Eccleſiaſticis Statibus Imperij, in Pace Religionis contineantur, & conſequenter in ſuis juribus debeant æquè retineri. Pari modo toto Imperio palàm haberi aliquos Status inter Proteſtantes facere contra diſerta verba Pacis Religionis, §. *Cúmque &c.* in quibus clarè habetur, quòd *ſi Archiepiſcopus, Epiſcopus, Prælatus, aliúſve quiſpiam Ordinis Eccleſiaſtici à veteri* (Catholicâ) *religione receſſerit, ut ſuum Archiepiſcopatum, Epiſcopatum, Prælaturam, & alia beneficia, & ſimul omnes fructus & proventus, quos inde habuit, mox abſque ullâ contradictione ac morâ (attamen ſine detrimento ſui honoris) relinquere, atque Capitulis, iiſque, quibus ſecundum jura commu-* XXIV.

nia,

nia, aut Eccleſiarum vel Collegiorum conſuetudinem competit, alium veteri Religioni addictum eligere atque ordinare integrum ſit &c. Nihilo tamen minùs aliquos ſibi ſumpſiſſe, ut non modò, poſtquam defecerant à fide Catholicâ, ſuos Epiſcopatus, Prælaturas, & Præbendas retinerent, ſed ut qui talibus ſacerdotijs carerent, ijs inhiarent eo prætextu, quaſi iſte paragraphus ad Pacem religionis nihil attineret, & Proteſtantes eum nunquam admiſiſſent. Verùm ita rem habere, quantum quidem ſpectat ad paragraphum iſtum, quòd Eccleſiaſticum reſervatum nuncupatur. Pacem Religionis unanimi Electorum & Ordinum utriuſque religionis conſenſu fuiſſe concluſam, ab omnibus Ordinibus jurejurando ſic eſſe
XXV. firmatum, ut in omnibus ac ſingulis capitibus conſtanter firmitérque ſervaretur; Sacræ etiam ſuæ Cæſareæ Majeſtatis præceſſores in ſuis Electionibus & Coronationibus per Capitulationes ad Pacem iſtam Religionis fuiſſe obligatos.

Præterea Imperij Acta & Indices in Auguſtalj tabulario circa hujus pacis tractationem ſic habere, ut demonſtrent, fuiſſe quidem initio circa iſtum articulum inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſionis homines magnam diſceptationem, eò quòd Confeſſioniſtæ huic Reſervato obſiſterent: attamen cùm Catholici contrà, ab eo nollent diſcedere, ſed potiùs omnino Pacem Religionis intermittere, Confeſſioniſtas rogâſſe, ut clauſulæ ſaltem aliquæ limitationes, cor-
XXVI. rectiones & lenimina iſti articulo inferrentur; & tandem, cùm partes inter ſe convenire nequirent, eo ipſo quòd illis, qui ſic à ſacerdotijs diſcederent, nihil in ſuâ exiſtimatione detrimenti eſſent accepturi, quódque iſtud Reſervatum futuræ transactioni nihil eſſet obfuturum, quemadmodum à Ferdinando Cæſare fuit conceſſum; tandem illud ipſum, nemine reclamante, relatum inter capita pacis religionis, fuiſſe promulgatum. Tametſi ergo, anno inſequenti M. D. LVI. Item an. M. D. LVII. & M. D. LIX. contrà proteſtari Confeſſioniſtæ voluerint, tamen nihil ideo in pace religionis fuiſſe mutatum, quippe, quæ jam erat concluſa, & juramento confirmata, inſtar legis fundamentalis, cujus vigore Catholici jus habebant jam acquiſitum, quod ipſis citra iniquitatem auferri nequiret: atque eo quidem eſſe factum, ut Ferdinandus, Maximilianus, & Rudolphus Cæſares, quamlibet ab Electoribus & Principibus Auguſtanæ Confeſsionis requiſiti ac rogati, nunquam adduci potuerint ad iſtius capitis abrogationem. Eapropter Sac. Cæſ. Majeſtatem habere cauſam præcedentium Cæſarum definitioni ac decretis inhærendi, atque ex ipſis actis præteritorum temporum, & claro contextu pacis religionis, habere compertam, ipſius ſententia quàm firmo ni-
XXVII. tatur fundamento: nec verò Proteſtantes cum ratione poſſe aſſerere, iſtud Reſervatum ipſorum dignitati aut conſcientiæ eſſe oneroſum.

Nam ipſos jam ſuo honori abunde proſpexiſſe: conſcientiam verò vel ex hoc eſſe tutam, quòd neutra Religio cuiquam præſcribat, ut hæreditarium habeat Epiſcopatum, Præbendam, aut ſacerdotium. Et verò, verba paci religionis inſerta, de quibus utriuſque religionis aſſertores diſſentientes convenire non poterant, nihil prorſus efficere adverſus tam manifeſtam promiſsionem, & juratam obligationem, quâ ſe utrinque Status obſtrinxerunt, circa integrum tenorem pacis religionis: eam enim ob cauſam, cùm pars utraque in eo capite conciliari non poſſet, utroſque rem Ferdinando Cæſari decernendam detuliſſe, & cùm ipſe ſuo eam judicio definiſſet, ijsdem ſeſe ſubmittentibus, relatam in pacem religionis, & tamquam communem Imperij Conſtitutionem ab omnibus Ordinibus Imperij confirmatam fuiſſe & promulgatam.

Si tandem etiam rurſus in medium adduceretur, ſubditos Ordinum Impe-
XXVIII rij capaces eſſe pacis religionis, ideóque propter religionem à Magiſtratu ſuo pelli non poſſe; ad cujus rei argumentum ſi adferretur §. *Si autem noſtri, &c.* ubi diſponitur, quòd *ſi quis ſubditus, religionis ſuæ causâ, in alium locum migrare, atque illic domicilium figere vellet, ipſi ejuſmodi emigratio & commigratio, ac bonorum, poſſeſſionúmque diſtractio (dato conveniente redemptionis pretio, quoad mancipia, & quantum pro conſuetudine & obſervatione loci antiquâ, à migrantibus ejuſmodi*

tributi

tributi nomine penditur) *ſine cujuſquam impedimento concedi ac permitti debeat :* Quódque peculiariter hac in parte ratione ſubditorum, in Eccleſiaſticorum ditionibus degentium, qui id temporis Auguſtanæ religionis uſum id locorum uſurpaverunt, à Ferdinando Cæſare anno M. D. LV. decretum ſub Comitiorum exitum expectatum fuerit, in quo pax religionis ſic explicaretur, ut ſubditi, religionis ergo, ab Eccleſiaſticis nihil acciperent moleſtiæ, ſed eâ liberè uterentur: Cæſarem tamen Actis iſtorum Comitiorum diligenter hac ſuper re perlectis, reperiſſe, initio quidem magnam fuiſſe controverſiam, & Confeſsionis Auguſtanæ participes vehementer urſiſſe, ut cæterorum Statuum ſubditis pariter Confeſsionis Auguſtanæ libertas permitteretur, & peculiaris eâ de re clauſula referretur in pacem religionis: ſed Catholicos id nullâ ratione admittere voluiſſe, ſed maluiſſe univerſam potiùs tractationem diſſolvi, quàm ut ipſorum ſubditi eâ licentiâ donarentur. Cùm tamen nihilo ſecius Auguſtani Confeſsioniſtæ conſcientiæ libertatem acriter poſcerent, Catholicos demum id conceſiſſe, ut ſubditis foret liberum aliò migrare, atque exinde Proteſtantes ab iſtius clauſulæ petitione deſtitiſſe, rémque compoſuiſſe intra eos limites quibus hodie in §. *Porrò nullus &c.* Immo tam cautè ejus articuli tractationem eſſe habitam, ut multæ lites interceſſerint, donec tandem liber Equeſtris Ordo & Civitates ad eam pacem religionis fuêre admiſſi, uti habetur in §. *In eadem pace, &c.* quod fuiſſet omnino ſupervacaneum, ſi omnes & ſinguli ſubditi privilegij Religionis fuiſſent capaces. Ergo ſubditis non eſſe factam Religionis arbitrariam poteſtatem, ſed ejus loco conceſſam emigrationem : quòd ſi rurſus in Pace Religionis conceſſa fuiſſet religionis libertas, non futurum fuiſſe neceſſarium, ut Auguſtanæ Confeſſionis Ordines tanto labore ſingulare Decretum pro ejus licentiâ poſtularent. XXIX. XXX.

Quando verò illius Decreti nullum ſit in pace religionis veſtigium, neque unquam Cameræ Imperiali fuerit inſinuatum, nec priores Cæſares, tametſi frequenter rogati, unquam voluerint illud paci religionis addere, & Catholici ſtatus, citra quorum conſenſum nihil haberet ponderis, eò quòd ſit derogatio pacis religionis, ut adderetur, nunquam voluerint aſſentiri: Non poſſe Sac. Cæſaream Majeſtatem pro ſuâ parte in gratiam iſtius Decreti à pace religionis diſcedere, & multò minùs ex §. *Si autem noſtri &c.* ejúſque verbis (*domicilium figere*) quicquam poſſe ſolidum colligi adverſus clarum pacis religionis contextum, & Actorum publicorum teſtificationem. XXXI.

Ex quibus hucusque deductis tribus capitibus Sac. Cæſ. Majeſtas decernat ac declaret: primò, Proteſtantes non habere cauſam cõquerendi, & inſtar alicujus gravaminis habendi, quòd Statûs Eccleſiaſtici perſonis, quæ Imperio immediatè non ſunt ſubjectæ, quando à Sac. Cæſ. Majeſtate, vel Camerâ Imperiali, circa Collegia & bona occupata, neceſſarios juris proceſſus petijſſent, eoſdem Cæſar vel Camera conceſſerint, atque ad ipſam ſententiam executionémque fuerint progreſſi: ſed contrà Catholicos meritò fuiſſe conqueſtos, & iſtiusmodi mediatorum Eccleſiaſticorum cauſas ſuſcepiſſe, ut ipſis ſua Monaſteria & poſſeſſiones Eccleſiaſticæ, quas, tempore Paſſavienſis transactionis, vel pòſt, obtinebant, quæque ipſis quaſi ejuſdem ipſi forent incapaces, cum omni jure, per vim & privatam authoritatem, contra pacem religionis, contra Fundatorum mentem & clara verba pacis religionis fuerant ademptæ, reſtituerentur. XXXII.

Circa ſecundum articulum Sac. Cæſ. Majeſtatem pariter decernere, Auguſtanæ Confeſſionis Ordines nihil cauſæ habere, cur pro injuriâ accipiant, quòd, qui ejusdem forent cum ipſis Religionis, quique Eccleſiaſtica beneficia & Prælaturas immediatè Imperio ſubjectas haberent, vel ad eas adhuc adſpirarent, à Catholicis in Epiſcoporum & Prælatorum numero non haberentur, neque ipſis Seſſiones & vota in Comitijs, neque Regalia & feuda concederentur: è diverſo ex parte Catholicorum juſtas eſſe, & Reſervato Eccleſiaſtico conſentaneas quærimonias, quòd ejusmodi Epiſcopi & Prælati, qui à Catholicâ Religione defeciſſent, nihilominus ſuos Epiſcopatus & Prælaturas retinerent, omniáque jura ac pri-

privilegia, quibus fruebantur dum eſſent Catholici, adhucdum uſurpantes, vellent inter Imperij Status cenſeri: quódque illi, qui à Catholica Religione eſſent alieni, & ad Statum Eccleſiaſticum inidonei, nihilominus ſe in ejuſmodi Epiſcopatus & Prælaturas intruſiſſent, & deinceps intrudere niterentur, Eccleſiaſticum Statum, ipſámque denique Religionem, quantum in ipſis foret, ſublaturi.

XXXIII. In tertio denique capite Sac. Cæſ. Majeſtatem Proteſtantium Ordinum gravamina inania prorſus judicare, quaſi Catholicis Statibus non liceret, ſubditos ad ſuam Religionem adſtringere, & poſtulatâ emigrationis redemptione & debito tributo, pro arbitrio ad emigrandum adigere, vel prohibere, quò minùs ad externa loca excurrentes, alienas conciones & exercitia conſectentur, cùm tamen omnino eos prorſus amandare jus fáſque ipſis foret: contrà verò Catholicos jure merito de injuriâ queſtos eſſe, ab adversâ parte ſibi circa eam reformationem leges modúmque præſcriptum eſſe, & ſubditos hac arte, ut à ſuo Magiſtratu deficiant, induci: atque hoc quidem gravamen eſſe ex parte Catholicorum tantò ponderoſius, quòd videantur, in hac causâ reformationis, Auguſtanæ Confeſſionis Ordines arbitrari, Catholicos in hoc caſu non eſſe paris cum ipſis juris, ſed Acatholicis eſſe liberum ſuos ſubditos reformare, & repugnantes abigere, Catholicis verò idem non eſſe permiſſum.

XXXIV. Ergo cùm potiſſima gravaminis hujuſce abunde ſint explicata, pateátque, utra pars habuerit, aut non habuerit cauſam conquerendi, Sac. Cæſ. Majeſtatem Cameræ mandare, ut deinceps citra omnem aliam diſceptationem, quoties tales caſus inciderint, quales in hac deciſione continentur, iuxta hanc declarationem judicet & pronuntiet. Et quandoquidem ſpolia & turbationes, cujusmodi ſunt occupationes Collegiorum & Prælaturarum, contra tenorem pacis religionis multis locis omnino ſint notoria, & jus ipſum ex verbis pacis religionis, & aliarum Imperij Ordinationum ſive Receſſuum usque eò ſit indubitatum extráque omnem litem, ut in hujuſmodi caſibus nihil de cætero exigatur, quàm ut reipsâ, per expeditam executionem, læſis injuriâ partibus ſuccurratur; Sac. Cæſ.

XXXV. Majeſtati, ut ſarta tectáque ſit Pacis tam ſacræ quàm civilis authoritas, eſſe conſtitutum, ſuos cum Cæſareis mandatis ac poteſtate Commiſſarios, actutum ablegare in Imperium, qui ſic alienatos & uſurpatos Archiepiſcopatus, Prælaturas, Monaſteria, & bona Eccleſiaſtica Catholicis illegitimè adempta, ab injuſtis poſſeſſoribus repoſcant, idoneis perſonis ex normâ fundationum conferenda, quique citra minimè neceſſarias comperendinationes aut protelationes, cuique ſuum jus procurent ac reddant. Ipſam etiam declarare ac edicere, jam ſæpe memoratam religionis pacem, ad avitæ Catholicæ fidei conſortes, & eos, qui nihil immutatam Auguſtanam Confeſſionem Carolo V. Imp. exhibitam profiterentur, duntaxat pertinere, omnia verò contraria dogmata ac ſectas, quæ vel jam prodijſſent, vel prodirent in poſterum, ab eâ excludi debere, miniméque tolerari. Igitur Sac. Cæſ. Majeſtatem omnibus, tam Eccleſiaſticis, quàm Sæcularibus Sac. Rom. Imperij Electoribus, Principibus, propoſitis fractæ pacis tam publicæ quàm Religionis pœnis, prohibere, ne quis huic ſupremæ diſpoſitioni ad-

XXXVI. verſetur, ſed eam ſinguli in ſuis ditionibus & provinciis, nullâ interpoſitâ morâ, promoveant, & ad eam in actum deducendam opem præſtent Cæſareis Commiſſarijs: illis, verò qui hujuſcemodi Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Prælaturas, Monaſteria, aliáque bona Eccleſiaſtica & fundationes detineant, mandare, ut quamprimum, poſt hujus Edicti inſinuationem, ſeſe ad dimiſſionem & reſtitutionem talium Epiſcopatuum & fundationum accommodent, & ubi id Cæſarei Commiſſarij exegerint, eveſtigio cum omnibus annexis & dependentibus tradant ac reſtituant: quòd ſi verò id detrectarent, aut in præſtando ſe exhiberent negligentes, eos non modò jam dictis fractæ pacis publicæ & Religionis pœnis, Banno & Heribanno, amiſſioni omnium privilegiorum ac jurium, ipſo facto, citra omne aliud judicium aut condemnationem, ob manifeſtam contumaciam, fore obnoxios, ſed etiam Cæſ. Majeſtatem mandaturam, ut reipsâ ad executionem procedatur.

Iſtud

Iſtud edictum, 4. Cal. Majas vulgatum, varios excitavit animorum motus. Tametſi enim Saxoniæ Septemvir, per libellũ, varijs hinc inde allatis argumentis, intercesſiſſet, attamen dati fuêre à Cæſare, qui edictum exequerentur Quæſitores, per ſingulos Imperij circulos, cum hoc tamen temperamento, ut perceptorum fructuum remisſionem detentoribus indulgerent. Auguſtæ Vindelicorum Cal. Sextilib. imperatum fuit per præconem, ut eo die (erat autem octavus ab iſtâ denunciatione) qui executioni decretus erat, plebs ſeſe contineret intra domeſticos parietes: Templorum verò ædiles, eorúmque collegæ, cum Confesſioniſtis Prædicantibus ſe corâm in curiâ ſiſterent. Executioni præerat Cæſaris voluntate Ferdinandus Sigiſmundus Curtius. Is accitis in curiam ambobus civitatis Præfectis atque Senatui, exhibito Imperatoris mandato, oſtendit, Eccleſiaſticam iſtius civitatis ac Diœceſis jurisdictionem, ex pacto Cardinalis Ottonis, Auguſtani quondam Epiſcopi, ipſiúsque civitatis, nihil officiente, quæ deinde ſecuta eſt, pace religionis, ad Auguſtanum Præſulem pertinere, idcirco velle Præſulem, iſtã jurisdictionem exercere, eóque petiviſſe, ut è civitate omne Acatholicæ fidei exercitium eliminetur: hanc porrò viam Præfectis atque Senatui eſſe ineundam, ne malint executores alios (armatos intelligebat) experiri, cum Cæſareâ indignatione.

XXXVII. Executio edicti facta Auguſtæ.

An. 1548.

XXXVIII.

Re ſeorſim communibus ſententijs in Senatu expenſâ, cùm Conſul Acatholicus, petendam dilationem, & ſi quâ fieri poſſet exorandam; ſi verò non exoraretur, majoris mali metu, executionem eſſe tolerandam, cenſuiſſet; Præfectus uterque Catholicus, Cæſari omnino gerendum eſſe morem, ſunt arbitrati. Quare Delegato, qui tantiſper, dum in Senatu deliberaretur, in Principum (ut vocant) conclave seceſſerat, Concilium reſpondit: cùm civitas Auguſtana Cæſari ſemper adhuc obſequens & fida fuiſſet, fore etiam deinceps, ideóque Senatum imperatam Cæſarei edicti executionem approbare. Juſſis ergo adeſſe Acatholicorum templorum Ædilibus, & quatuordecim concionalibus Miniſtris à Commiſſario imperatum, ſuis ut deinceps muneribus abſtinerent, claves templorum adferrent, Prædicantes conſueta Acatholicis exercitia ne celebrarent: qui ex eis eſſent alienigenæ, ſe cumprimis ad abitum ex urbe compararent, qui cives forent, communi vitâ contenti, nullum prorſus ſeu publicè, ſeu privatim de religione ſermonem facerent: ſi ſecus faxint, pœnas daturos. Ad hæc omnium nomine Gebelius Præco Confesſioniſta reſpondit, ſe edicto Cæſareo obſecuturos: quod ipſum ſinguli deinde promisêre. Secundùm hæc Ludimagiſtri Lutherici, & Catecheſis Acatholica, aliáque id generis abrogata. Statim clauſis omnibus templis, Sectariorum exercitia ſublata. Programmate verò publico plebi addictum, fore, ut nemini vis foret, ſpatio ad capeſſendam Catholicæ doctrinæ inſtitutionem conceſſo; ſimul vetito, ne illi, quibus migrare aliò fidei causâ luberet, res ſuas clàm amandarent, debitúmve tributum ſubducerent.

Aſſenſus civitatis.

XXXIX. Eliminantur Prædicantes.

Per id tempus, in ſecundâ Auſtriâ, Bohemiâ, & Sileſiâ gnaviter actum Catholicæ religionis negotium, imperatâ Eccleſiaſticarum posſesſionum reſtitutione. Apud Argentinenſes id effecit Quæſitor Cæſareus, ut, templis duntaxat exceptis, Acatholici, qui ad Eccleſiam ſpectarent, ſe reddituros pollicerentur. Suevici orbis Principes atque Ordines Acatholici Cæſarem per Legatos orârunt, vellet eam cauſam Judicibus ordinarijs committere, vel ſaltem differre ad Imperij Comitia. Ludovicus Fridericus Dux Wirtenbergicus, Conſtantienſem Epiſcopum è numero Cæſareorum cognitorum ideo rogabat expungi, quòd, cùm ipſius res ageretur, ad hoc judicij minimè videretur fore idoneus: verùm reſponſum fuit, rem non ad Epiſcopum, ſed ad Eccleſiaſticum Statum in commune pertinere: in alijs Imperij circulis, Epiſcopos pariter eſſe executionis Judices conſtitutos. Secundùm hæc monaſteria, quæ in ejus Ducatu multa ſunt & opima, Eccleſiæ fuêre vindicata, eo perinvito & repugnante. Ferdinando Archiepiſcopo Electori Colonienſi, civitates, arces, municipia, monaſteria, pagi, aliǽque

Argentinenſes quædam reſtituunt

XL. Executio edicti in Wirtenbergia.

XLI. Hildeſienſi Eccleſiæ

ABLATA EIDEM ADDICUNTUR. aliæque poſſeſſiones, quas Eccleſiæ Hildeſienſi Duces Brunovicenſis & Luneburgici detraxerant, per Cameram Spirenſem, reclamante Friderico Ulrico, & ad cauſæ de integro examinandæ judicium provocante, fuêre addictæ. Ex æde

HALBERSTADII FIT EXECUTIO. principe Halberſtattenſi, ſacerdotiiſque iſtius Eccleſiæ, Pſeudo-Canonici, quos Lutheriſmus imbuerat, proſcripti. Magdeburgenſis Archiepiſcopatûs adminiſtratio, cum abſolutâ reparandæ religionis poteſtate, Leopoldo Wilhelmo Cæſaris

MAGDEBURGI ET BREMÆ ARCHIEPISCOPATUS TRADUNTUR ARCHIDUCI LEOPOLDO. filio eſt demandata, abdicato Auguſto Saxoniæ Septemviri filio, quem diximus à Capitulo ad eam Eccleſiam fuiſſe poſtulatum proſcripti Archiepiſcopi ſucceſſorem. Datus item Leopoldus à ſummo Pontifice, per diploma Apoſtolicum, Bremenſi Archiepiſcopatui. Idē ipſe, cùm utrobique Gubernatores conſtituiſſet, juſſit urgeri reſtituendæ religionis, rerúmque Deo ſacrarum, negotium.

ULMENSIS EXECUTIO. Ulmenſibus pari ratione indicta reſtitutio monaſterij Minoritarum D. Franciſci, & Parœciæ Wangenſis. Ratiſbonæ, Lindavij, ac Fuldæ data opera reformationi. Verbo, fervebat opus, ſpéſque ingentes ad ultima uſque maria, ultráque, pro inſtaurandâ Eccleſiâ proferebantur.

XLII. Multi, quos ſincera pietas animabat, læti, ſi venirent in ſacri laboris partem, ſatis habituri ſibi videbantur præmij, ſi poſteaquam vineam Domini errorum ſpinis obſitam, priſtinæ frugi atque amplitudini reddidiſſent, Deo & cælo animas egregiè cultas redderent. Et jam reſpondebat culturæ fructus aliquis, ſed parcior, quòd, ut in re id temporis & locorum novâ, apud inveteratæ opinationis homines non tam malignitas gentis alioqui ad bonum flexilis, quàm inolita credendi & agendi conſuetudo, prævaleret. Sed

ALIQUORUM CATHOLICORUM AVARITIA, AMBITIO. & rerum atque edicti mutatio ſperabatur à quibusdam, timebatur ab alijs, qui in antiquam ſylvam ſe redituros, laxatis rurſus legis vinculis, augurabantur. Sed (quod Deum videtur irritâſſe) videre erat ex Catholicis, quos ſacerdotiorum, non animarum aſſerendarum proventus alliceret. Nonnulli, meras mitras, Principatus, regiones, ſplendorem, honores, opulentiam, titulos ſomniabant. Alij jam ultrà quàm ſatis, & fortaſſe plùs, quàm licebat, multiplicibus onuſti Eccleſiarum ſarcinis, induvijs atque dignitatibus, mirum quàm avidè novas ve-

XLIII. nabantur. Hæc, an alia ejuſcemodi, ſancto optimi Imperatoris conſilio obſtiterint, & Deum, quo ſine humana prorſus nihil efficiunt, alienum reddiderint, pronum eſt ſaltem ſuſpicari. Certè opes Eccleſiæ divino cultui, non hominum genio dicatæ, quas ſuperiore ſæculo, malos poſſeſſorum mores, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ hoſtibus credibile eſt proſtituiſſe, nō videtur conveniſſe, reddi ambitioni, cui forſan tam malè ſerviſſent, quàm malè ab Acatholicis uſurpabantur. Divitiæ, quæ Dei Eccleſiæ non modò decoræ ſunt, ſed & utiles ac neceſſariæ, utiliter aliquando his, illiſve à divinâ providentiâ negantur, quia nocerent conceſ-

XLIV. ſæ, quæ proſunt negatæ. Proſunt autem donatæ, ſi non vertantur in perniciem probitatis: obeſſent, ſi, ut dumi bonam ſementem, ita per luxum atque ſordes extinguerent gemmas, floreſque virtutis. Unde, nec qui ijs affluunt, Deo ſunt adeò chariores, nec qui carent, ideo ingratiores.

COMITIUM HEIDELBERGENSE. Verùm, ut ad hiſtoriæ ſeriem redeamus, juvabit cognoſcere, quæ hoc anno acta ſunt in Heidelbergenſi Comitio. Moguntinus Septemvir, Maximilianus Bavarus, cæterique fœderis Catholici Principes, nonnulla à Cæſare de fœderato exercitu admoniti, & rei communis ſtudio, exeunte Ianuario, per legatos Heidelbergæ convenerunt. Poſt menſis unius conſultationes, Legati in geminos cœtus bipartiti, quo promptiùs atque liberiùs agerent, conſeſſus habuêre, ſua deinde vota in commune relaturi. Rhenenſium Legatorum concilio præerat, nomine Electoris Moguntini, Reinhardus Metternichius: Alterum, quod conſtabat ex circuli Bavarici Legatis, dirigebat pro Maximiliano Septemviro Paulus

XLV. Andreas Comes Wolckenſteinius. Utrorumque ſententiâ, volentibus Principi-

LEGATIO COMITII AD CÆSAREM. bus, decreta fuit legatio ad Cæſarem, quâ rogaretur, vellet otij à bello Germaniæ reddendi ſolidas rationes clementiſsimè inire. Et inter cæteras quidem videri non poſtremas, quas non ita pridem Mulhuſinum Comitium Sac. Cæſ. Majeſtati ſuggeſſerat: ut videlicet, comuni cum Electoribus, velut intimis Conſultori-

ſultoribus conſilio, de modo amoliendi tandem publicas belli calamitates, cùm primùm fieri poſſet, quid certi ſtatueretur: ut Sac. Cæſ. Majeſtas ad detergendas ſuſpiciones, quæ Saxoniæ Septemvirum inceſſerant, ex causâ religionis, eidem ſuam mentem ſine ambagibus aperiret, itáque Septemvirum in priſtinam concordiam reduceret. Jubebantur item legati Cæſari oſtendere, omnes Catholici fœderis ad bellum apparatus, contrà ac nonnulli ſuſpicabantur, unicè ſpectare ad reddendam & ſtabiliendam pacem Germaniæ, útque, ſi qui exteri protinus eam turbare pergerent, ad eos coërcendos armis Cæſareis ſociarentur. Compoſitam jam quidem pacem cum Rege Daniæ, nondum tamen ſatis eſſe publicæ Imperij tranquillitati proſpectum: proinde neceſſarium videri cogi Septemvirale Comitium, in quo de idoneis ſecuritatis, pacíſque rationibus ageretur. De fœderato exercitu in aliam formam, numerúmve reducendo fuiſſe quidem deliberatum, ſed viſum tamen, quadraginta equitum vexillationes, novem item legiones, quæ viginti ſeptem armatorum millia ſimul conficiant, retineri ſub ſignis oportere, donec appareat, quemnam exitum hæc ad Sac. Majeſtatem legatio ſit habitura: & tum quidem, quid iſtis copijs fieri oporteat, fore de integro conſultandum. Has verò earum ſuſtentandarum rationes occurriſſe: nimirum partem mediam ex fœderis ærario, alteram ex ſtativis, ſubactíſque regionibus ali poſſe, donec appareat, quem fructum tractatio pacis tandem ſit allatura. XLVI.

Injunctum antea à Cæſare fuerat fœderis Catholici Directoribus, ut ex liberis Franconicorum, & Suevicorum equeſtris Ordinis nobilium dominijs milites abducerentur, vel certè dimitterentur à ſignis. Ambigebant ergo fœderati, quid demum foret conſilij, ſi Ferdinandi Cæſaris juſſu, fœderato militi ex iſtis ſtativis amoliendo, per Cæſarianum exercitum vis adferretur. Jam tum enim gliſcebat (ut rata eſt inter diverſos conſenſio) inter Cæſarianos atque Fœderatos æmulatio, ex æmulatione metus, ne nimia tandem foret fœderatorum potentia. Et erant apud Cæſarem nonnulli, qui optabant univerſum armorum arbitrium, nullo interpoſitu ad ſe, extincto fœdere (quod Fridlandus impenſè oderat) revocare: Suis conſilijs omnia unicè moderari, exarmare fœderatos. Cauſabantur videlicet, rem, quæ una ſit atque communis, per tot conſilia, capita, & varia animorum ſenſa diſtractam, malè adminiſtrari. Fridlandum, quem nupera Electorum monita haud obſcurè notaverant, ſtimulabat ira, & impatientia alienæ cenſuræ, quæ ne ferebat quidem niſi periniquè ſuorum conſiliorum arbitratores. Nihilo tamen minùs, cùm omnino non videretur conſultum è binis iſtis circulis equitatum movere; ſimul habenda eſſet ratio Cæſareæ juſſionis, placuit Cæſarem de iſtius cauſæ momentis planiùs edoceri, ut revocatis ad rectam rationis libellam in utramque partem rationibus, ſtatueret, quid omnino eſſet faciendum. Exauctorare militem jam antè nonnullis dimiſſis imminutum, id verò eſſe nudam ad ictum Imperij partem hoſti præbere, ipſúmque hoſtem, qui jam immenſum creverat ex Danicis, dimiſſis item à Cæſare & fœdere Catholico copijs, in publicam perniciem armare. Quòd ſi equitatus ſub ſignis retineretur, non erat integrum illi alia ſtativa tribuere. Enimvero Saxoniæ ſecundæ circulus prorſus fatiſcebat ſub onere: Rhenenſis orbis ſingulæ Provinciæ vix ferebant impoſitas impenſarum ſarcinas, nec minores querimoniarum habebant cauſas, quàm Franconum, Suevorúmve nobilitas: alij de gravibus belli ſubſidijs, perpetuíſque collectis, mirum quantum querebantur: verbo tot, tantáque erant non de fœderato tantùm, ſed de Cæſariano etiam milite, populorum lamenta, ut quicquid de Franconico & Suevico ſubſidio minueretur, non appareret, in quos alios abſque gravi incommodo, & forſan injuriâ, poſſet transferri. Supererat quidem ſpecies aliqua adjumenti, ſi à Franconibus & Suevis Nobilibus id militaris penſitationis derivaretur in ditiones Principum atque Ordinum fœderatorum: ſed, cùm fœderati, ipſorúmque ſubditi, ingentem pecuniæ vim in bellum conferre cogerentur, iniquum fuiſſet, eos alienâ præſtatione

XLVII. Æmulationes Miniſtrorum. XLVIII. Quæſtio de ſtativorum diſtributione. XLIX.

 graviùs

graviùs onerare. Et videri quidem, ſingularem fœderatorum Principum, populorúmque ipſis ſubjectorum debere haberi rationem: quippe, qui non Romano modò Imperio, ſed Domui etiam Auſtriacæ tot, tantáque obſequia præſtitiſſent, qui aluiſſent fœderatum exercitum, qui tot damnis, incommodisque à tranſeuntibus Cæſaris copijs eſſent affecti, qui & ipſi ſub tam gravis, támque diuturni belli curis, periculis, ſumptibus preſſi gemerent. Quòd ſi nihilominus Sac. Cæſ. Majeſtati placeret, iſti equitatui vacuas aliquas ſtationes imperare, nihil moræ eſſe futurum, quin extemplo migraret ex Franconiâ atque Sueviâ.

L. PARTITIO PER SUPREMOS EXERCITUUM DUCTORES FACIENDA. Hanc porrò occurriſſe Comitio rei moderandæ rationem, ſi Sac. Cæſ. Majeſtas jubeat Cæſarei exercitûs Duces, unà cum Tillio communi conſilio atque conſenſu, æquabilem fieri ſtativorum partitionem, præfigi ſingulis ſuos limites, conſtitui certas leges atque ordinem, ſervari erga calamitoſos homines contuberniorum & onerum exactam æquitatem, coërceri ſontes, & leges militares, judiciáque ſeverè exerceri. Quòd ſi demum horum nihil Cæſarem à priore voluntate revocaret, fore, ut pro eâ, quæ deberetur, obſervantiâ, mos ipſi à fœderatis gereretur: dignaretur duntaxat ſuam mentem Maximiliano fœderis Archiſtratego ſignificare; qui, re cum Electore Moguntino communicatâ, quod ſit ex uſu futurum, facturus eſſet. Ad extremum Sac. Cæſ. Majeſtati revocandum eſſe in memoriam, fœderatos Principes, immenſis propè ſumptibus, inſignes in

LI. Saxoniâ inferiore atque alibi Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Eccleſiáſque recuperâſſe, occupâſſe de hoſte Provincias, eáſque hactenus ſervâſſe, defendiſſe, eóque nomine ſibi feciſſe ſic obnoxias; ut non jure modò, uſúque in Imperio recepto, ſed ex naturalis etiam legis dictamine, fœderati ab earum detentione nequeant removeri, niſi repræſentatis priùs impenſis, & præſtitâ convenienti ſatisfactione. Eapropter unanimi eos conſenſu decreviſſe, iſto jure uti ac frui, quod tantâ æquitate ſit ſubnixum, neque ex ijs locis, ſive Eccleſiæ, ſive aliorum ſint, diſcedere, donec fœderi de reponendis ſumptibus, vel præſentaneâ ſolutione, vel ſatisdatione ſatis cautum fuerit. Atque hæc quidem Heidelbergenſium Conſultorum, & miſſæ ad Cæſarem legationis capita fuêre.

MAGDEBURGENSIUM FIDES EXPLORATUR. Quæ modò de ſtativorum anguſtijs memoravi, Fridlando Duci occaſionem præbuerunt, tentandi dubiam Magdeburgenſium fidem in Cæſarem, ut ad aliorum levamen, ſi pro eo, quod præ ſe ferebant, publicæ rei ſtudio, in partem communium onerum venirent, ipſorum officio atque benevolentiâ uteretur; ſin

LII. minùs, exploraret ſaltem, veráne eſſent, quæ paſſim de ipſorum cum hoſte conſpiratione in vulgus jactabantur. Accedebat Magdeburgi inveteratus genius flecti neſcius, ſuæ tantùm ſpontis, alienæ impatiens, jugi intolerans, affectans ſolutæ libertatis: & quicquid tandem in re eſſet, præſtabat habere notos hoſtes, quàm amicitiæ ſimulatione occultos inſidiatores, à quibus plus eſſet periculi, minus cautionis: certè Magdeburgenſes par non erat cæteris ejuſdem ſortis eſſe potiores, magisve à publicis oneribus eximios. Ergo ad eos Fridlandus miſit

NEGANT STATIVA, ET BELLI PETITUM SUBSIDIUM. Aldringerũ cum mandatis, ut à civitate uni tantùm legioni hiberna impetraret, vel, ſi ferret repulſam, ſumptus poſtularet alendæ legioni. Auditus eſt benignè in ſpeciem: verùm ubi ad petitionis caput ventum eſt, Senatus Populúsque ſua privilegia obtendere, allegare civitatis perpetuum uſum, cauſari accepta damna, annonæ inopiam, plebis egeſtatem, intercepta commercia, merces in prædam

LIII. verſas, tandem disertè negare ſe legionem intra mœnia admiſſuros, vel poſtulata ad eam ſuſtentandam ſubſidia præbituros. Quâ de re Fridlandus factus certior, Guſtrovio litteras 9. Cal. Mart. dedit ad Senatum hujus argumenti.

LITTERÆ FRIDLANDI AD ILLOS. Cognoviſſe ſe, quo pacto civitas unicæ legioni ſuſtinendæ ſumptus præſtare renuat: id ſibi quidem permirum videri, quòd ad eam diem Magdeburgum nihil quicquam Cæſari reive communi, difficillimo belli iſtius tempore, nedum aliàs

LIV. contuliſſet. Monere ſe, ne pergant detrectare, quod ſeriùs detrectâſſe pœniteat.

FRIDLANDUS MAGDEBURGUM OBSIDET. Mox ſecundùm hæc, occluſit omnes civitatis aditus, annonam prohibuit, ſuſtulit commercij & ultrò citróque commeandi libertatem, ſimul Cæſariani ſub-

ſubduxêre ex urbe, quicquid apud cives habebant depoſiti. Senatus populúsque rem agi ſeriò ſentientes, primùm quidem apud Edicti Cæſarei Executores, ſub exeuntem Martium, vehementer ſunt conqueſti, ſe inopinatâ obſidione infeſtari à Fridlando: ſed hac de re Executores cùm nulla à Cæſare mandata haberent, Magdeburgenſes irritos domum remiſerunt, qui, cùm prçter querimonias obſeſſæ civitatis nihil adferrent, hoc ſaltem apud Fridlandum profecêre, ut aſſereret, ſe nihil hoſtile adverſus civitatem tentaturum, ſi mediæ legionis impenſas ipſa in ſe ſuſciperet, vel Ferdinandæorum nummûm penderet quinquaginta millia. Addixêre illi ſedecim duntaxat millia, tenue magni mali remedium. Miſêre etiam Legatos ad civitates maritimas, quaſi eorum patrocinium apud Cæſarem imploraturos; ſed veriùs ut conſilium caperent, eáſque traherent ad belli ſocietatem.

Fiebant interea circum urbem omnia indies arctiora: vijs cis & trans Albim, qui mœnia alluit, per Liburnos equites ſic inſeſſis, nihil ut cibariorum prorſus mercimoniive ad cives penetraret, præter annonam aliquam, quam Nautæ ad navium ſtationem, deceptis Cæſarianorum excubijs, civitati intulêre. Exinde accenſis in majus odijs, acerbiùs utrinque certatum. Hinc Cæſarianis prædas latè agentibus, abigentibus armentum, propugnacula ad utramque Albis oram occupantibus; inde Oppidanis vario Marte erumpentibus. LV. *Croatas.*

Dum res in eo ſunt, venêre ab Aulâ Cæſareâ ad Magdeburgenſes litteræ, quibus ſignificabatur, Cæſarem à fide dignis authoribus accepiſſe, in eâ civitate, omnis generis periculoſa conventicula, conſpirationes, aliáque pernicioſi exempli aliquanto jam tempore extitiſſe, quæ tandem in vim apertam eruperint, ínque ſeditionem, quâ perſonas in D. Agnetis Cœnobio divino cultui & Deiparæ Virgini dicatas, quas Sac. Cæſ. Majeſtas in ſuam clientelam receperat, oppreſſerint. Non veritos eſſe cives, in municipio urbi vicino, Cæſareo præſidio inferre manus inimicas, annonam, è Circulo inferiore Saxonico ad Cæſareum exercitum deſtinatam, avertere, diripere, aliáque patrare, quæ ſapiant tumultum & manifeſtam perduellionem. Non latere, quænam pœnæ iſtiusmodi criminibus, legibus Imperij, ſint conſtitutæ: recèns earum memoriam per diverſa Cæſaris Edicta fuiſſe renovatam. Eam ob rem, ut majoribus, quæ naſci inde poſſent, malis damníſque exitialibus, & humani ſanguinis effuſioni occurreretur, ex paternæ Cæſareæ ſollicitudinis proviſione, ſupremæque poteſtatis munere atque auctoritate mandari omnibus ac ſingulis, ſub interminatione reipsâ ſecuturæ declarationis & executionis pœnarum, quæ in Imperij Conſtitutionibus ſanciuntur, quáſq; S.C.M. ſibi in eos, qui ſe hujuſmodi delictis obſtrinxiſſent, reſervaret, ut nullâ interpoſitâ morâ reſipiſcerent, à talibus facinoribus abſtinerent, arma etiam iniquè ſumpta deponerent, perſonas Eccleſiaſticas cum omnibus Præfectis, Adminiſtris, Curatoribusque ad eos pertinentibus, quietè, citráque omnem turbationem ſinerent frui beneficio Cæſareæ protectionis, neque contrà quicquam tentarent deinceps, aut ab alijs tentari paterentur: ablatam item annonam, illis, ad quos ſpectaret, confeſtim reſtituerent, nihil adverſus Cæſareum militem hoſtile molirentur, neque hujus mandati promulgationem ullâ ratione remorarentur: denique tales ſe præſtarent, quales eſſe oporteat ſubditos tum obſequentes, tum ſuæ fidei atque officij memores, & Cæſareæ indignationis pœnarúmque conſtitutarum metuentes. Cæsar scribit Magdeburgensibus 28. Iunij. LVI. LVII.

Alteras quoque Cæſar dedit ad Magiſtratum, in commendationem ejusce prudentiæ, quâ, adhibitis defenſoribus, concitatam in Eccleſiaſticos multitudinem cohibuiſſet: ſimul jubebatur Senatus, quod jam memoravi, Reſcriptum publicè proponere, ejúsque obſervationem accurare. His laudibus & Cæſaris benignitate animatus Magiſtratus, conatus quidem eſt civium facinus apud Cæſarem elevare, ſed vijs omnibus interceptis, litteræ ad Imperatorem mitti nequiverunt. Cæſariani, quò magis premerent obſeſſos, & annonam flagellarent, agrum circum urbem vaſtârunt, civibus à faciendâ meſſe (ſub ipſis quoque mœnibus Scribit item ad Magistratum. LVIII.

ſtibus & conſpectu mœſtæ civitatis) cædibus & multorum captivitate prohibitis, per equites Liburnos, tametſi in eos à promiſcuâ multitudine atque præſidio frequentes fierent eruptiones. Corruperunt etiam incendio moletrinas, unáque peſtiferorum Noſodochium, non ſine oppidanorum obſiſtentium cæde, & nonnullorum ex Cæſarianis internecione. Diruta quoque fuêre, juſſu civici Magiſtratûs, ædificia Novi (ut vocant) Magdeburgi, quorum propinquitas veteris civitatis mœnibus munimentisve obfutura videbatur. Adfuêre interim civitatum maritimarum Legati, qui cum Fridlando, Magdeburgenſium nomine, rei componendæ medias partes agerent; ſed fruſtra fuêre, eò quòd Fridlandus militem urbi imponere, cives contrà non admittere, prorſus obſtinâſſent. Pace ergo deſperatâ, recruduêre velitares conflictus, in quorum uno, 6. Id. Septemb.
LIX. Comes Porcia, dum prædam, ex agro vicino partam, Magdeburgenſibus nititur excutere, occubuit cum gregarijs quinquaginta. Quam cladem tertio pòſt die ulti ſunt Cæſariani, multis, tum è plebe, tum è præſidiario urbis milite, interfectis. His dimicationibus, quæ ſemeſtre, & quod ſuperat, tenuerunt, cùm Fridlandus propè nihil proficeret, tam diuturnam obſidionem & ſuorum jacturam pertæſus, tentavit inducere obſeſſorum animos, ut graviora damna quinquagin-
Dalerorum. ta Ferdinandicorum millibus redimerent; ſed cùm res intra ipſius vota & civitatis alienam deinceps à ſimili pacto voluntatem ſteriſſet, bis mille è ſuis amiſſis,
LX. motis caſtris, otium reddidit populo nihilo quàm antè meliori, dilato ad viginti menſes excidio, quod urbani muri, ſponte poſtea collapſi, quingentarum orgyjarum ominoſa ruina credita fuit prænuntiâſſe: Et videtur in fatis fuiſſe, ut Civitas, in paucis Romano-Catholicæ Religioni inimica, Catholici fœderis armis Deo atque Cæſari ſuæ protervitatis pœnas daret.

Cur Bavaricus exercitus pauca aliquamdiu præſtiterit. Mirum forſan videbitur poſteris, fœderatorum exercitum, & florentem quidem, & aſſuetum victorijs, minus ſolito, hoc & ſuperiore anno, præſtitiſſe; verùm mirari deſinet, ſi reputaverit, nullum hoſtem apertum, poſt Danicam victoriam, in Imperio prodijſſe, nec fuiſſe integrum, Regem devictum ultra mare proſequi, vel inſtructâ, quæ deerat, claſſe victrices palmas proferre. Ergo, cùm Imperij res nondum ad pacem redijſſent, inquietis adhuc malè domitorum animis, gliſcentibus indies alijs ſuper alias aliquot Proteſtantium conſpirationibus,
LXI. cum Principibus exteris, Sueciæ Rege præſertim; danda erat opera defenſioni,
Instructio Maximiliani ad Tilium. *Anno 1629.* ne, quod multo ſanguine erat partum, ſiccâ jacturâ & oſcitantiâ periret. Arma ergo fœderata non eò feriabantur, quòd prælijs abſtinerent, niſi dicantur agere ferias, quibus mœnium tuendorum, & hoſtis, ſi quis vim adferret, coërcendi provincia eſt commiſſa. Certè nihil prorſus erat ſecurum in Imperio, quamdiu Daniæ Rex arma geſtaret, & facilè caſus aliquis, pro alternantis fortunæ inconſtantiâ, labem aliquam Cæſarianis armis intuliſſet; conveniebat habere copias in ſubſidijs, quæ mox adeſſent auxilio, reique ſummæ labanti ſuccurrerent. Extra Imperij limites proferre bellum, novóſque hoſtes colligere, aut quietos Germaniæ Principes, Ordinésve turbare, tam erat ab inſtituto Catholici fœde-
LXII. ris alienum, quàm Fœderatorum omnium votis conſentaneum, ut (ſi quam Deus daret) pax honeſta, juſta, ſtabiliſque ſanciretur.

Sed eò nondum res redierat, calice iræ furoris divini nondum exhauſto, è quo amplius bibere oportebat peccatores terræ. Id, quo pacto contigerit, juvat altiùs repetere, Guſtavus Adolphus Sueciæ Rex, non ſuo duntaxat motu, ſed inſtinctu etiam atque æmulatione exterorum Principum, graves coquebat iras adverſus Cæſarem. Stimulos addebat excelſa animi magnitudo, gloriæ incitatum ſtudium, inſignis tractandorum armorum uſus atque dexteritas, potentia, ſecundorum hactenus bellorum conſpirans felicitas, & novatæ doctrinæ grande pretium. Non obſcurè multi heterodoxi nominis in Germania Principes, Magnates, Provinciæ, Civitates, quod ſpei erat reliquum, rebus, poſt tot clades, propè deſperatis, non jam in ſuis viribus, ſed in exterorum ope, & inſigniter præſertim creſcente Guſtavi fortunâ, locabant. Jámque per ſe ad magna

gna

gna excitatum accendebant, invitabántque. Non deerant ſuo genio Batavi, non Angli commiſeratione Comitis Palatini, non Galli veteri in Auſtriacos odio.

Hercules Charnacæus, qui componendo bello Polono-Suecico, volente Ludovico XIII. Galliarum Rege, bonam præſtabat operam, rei in Germania Catholicæ non bonam navabat, ſubijciendo faces Guſtavo, ſpecie reſtituendæ Germanicæ libertatis. Accerſita bello adverſus Cæſarem ſuſcipiendo juſtitiæ ſimulacra, quibus in politicorum officinis nihil venalius, vel natas iniquitate temporum cauſas præbebant, excluſus à Comitio Lubecenſi Guſtavi Legatus Joannes Salvius, miſſæ Sigiſmundo Regi Poloniæ à Cæſare ſuppetiæ, clades earum adjumento acceptæ, interceptæ Guſtavi ad Tranſſylvanum litteræ, Religionis & Germanicæ libertatis ſtudium, & ſi quæ alia, quæ deinde editis in lucem libellis emanârunt in vulgus. Jam aperta erat per Stralſundam janua armis Germaniæ inferendis: animabat Ducum Megapolitanorum proſcriptio, & translatæ in Fridlandum, ob capitalem noxam apertæ, regreſſæque ad Cæſaris arbitrium clientelæ; accedebat cauſa afflictæ Pomeraniæ. Cæſaris æmulos urebant magni in hoſtes progreſſus, unde Suecis metus, ne ſi, ut cœperat, Poloniæ Regis partes juvaret, tandem de Sueciæ Regno vindicando cogitatio naſceretur, tametſi pactus eſſet cum Guſtavo Rege ſexennales inducias. Et jam fervebant Cæſarianos inter & Stralſundanos contentiones. Retraxerat ex bello Boruſſico in Sueciam Guſtavus exercitum, quem indies novis augebat copijs. Magnos præterea faciebat commeatus: habebat ſuâ claſſe infeſtum mare adverſus Cæſarianos; & gravibus pœnis interdixerat, ne ullæ naves ad Stolpenſem, Colbergicũ, Caminenſem, Volgaſtenſem, Gripswaldenſem, Roſtochienſem, Wiſmarienſem, aliáſque Cæſarianas ſtationes appellerent. Bello mari defendendo Cæſariani nimium quantum erant impares, & Daniæ Rex vocatus in auxilium, aſſerebat, ad ſe & Sueciæ Regem duntaxat maris Balthici, imperium pertinere: qui ipſis invitis illud navigarent, non ſine noxâ ac diſcrimine navigare. Ex his initijs non obſcurè apparebant ſemina belli imminentis.

LXIII. PRÆTEXTUS BELLI SUECICI. LXIV. APPARATUS. DANIÆ REX NEGAT CÆSARI AUXILIUM. LXV.

Id ne inſcijs, invitisve Sueciæ Ordinibus Rex ſuſciperet, Stocholmij Senatorum Comitium habuit, quibus ob oculos poſita rei Acatholicæ in Germaniâ facies (validum belli incendium) proſcriptio cognati Megapolitani ſanguinis, occupati præcipui Pomeraniæ portus, maris Balthici, ex Cæſarianorum vicinitate, inquies, commercia intercepta, quæque præter hæc Suecos adverſus Auſtriacam potentiam poſſent accendere. Senatores, quibus pax bello longè erat charior, cauſari exhauſtum ærarium, conſumptas jam tot belli impenſis Regni opes, fiſci tenuitatem, populúmque aliquantæ reſpirationis indigentem. Meritò attendendum, quanti ſit periculi, ob cauſam alienam, Auſtriacæ gentis potentiam irritare: quantò ſuavius Regi futurum ſit, gaudere fructu nuperarum victoriarum, & partâ contentum gloriâ, regníque florentis ſorte, ſubjectos videre eò feliciores, quò magis ſervarentur immunes à novis oneribus, læti Regis ſui ſecuritate atque potentiâ, quâ nihil ipſis poſſit eſſe jucundius. Deo religionem curæ futuram, Ducum Megapolitanorum fortunam conſilio faciliùs, quàm armis poſſe reſtitui: & eorum quidem cauſam Romani Imperij Septemviris eſſe commendatam, cum bonâ ſpe, illos ad avitas poſſeſſiones ſine ferro & ſanguine poſtliminio reducendi. Nihil portò eſſe, cur à Germaniâ, tantis terrarum & marium ſpatijs diremptâ, Suecia ſibi quicquam metuat.

LXVI. SENATORES BELLUM DISSUADENT.

Verùm Rex, qui jam bellum animo deſtinârat, nec aliâ mente ſententiam Senatûs rogaverat, quàm ut ſuum calculum Senatores adijcerent, eóque libentiùs ſubditi tributa, ſine quibus haberi ſtipendia non poterant, conferrent; perſtitit in ſententiâ, in quam & traxit magnam partem Senatorum, ſic tamen, ut Legatus tum ad Fridlandum, tum ad Tillium Senatûs nomine mitteretur. Et miſſus quidem eſt Steno Bielke cum Regis litteris. Hæſit ille Stralſundæ, quòd crederet, mutatâ jam (ob miſſas à Friderico Duce Arnhemio in Boruſſiam adverſus Guſtavum ſuppetias) rerum conditione, ſe decentiùs per litteras, quàm coràm

GUSTAVUS BELLUM MAVULT. LXVII.

ſuâ legatione functurum. Miſit igitur capita legationis ſuæ deſcripta Fridlando, miſit & Tillio, unà cum Regis epiſtolâ, cuius verba adnumero.

Litteræ Gustavi Regis ad Tillium.

Guſtavus Adolphus, Dei gratiâ Suecorum, Gothorum, Vandalorúmque Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Eſthoniæ, Careliæq; nèc non Ingriæ Dominus, &c.

ILluſtris & Excellentiſſime Comes, ſincerè nobis dilecte. Virtutum tuarum fama, & quam nobis de Excell. T. non minùs quàm exercitu & Principalibus tuis, Catholicæ Ligæ Directoribus amicitiam pollicemur, fecit, ut præſenti cum occaſione Excell. T. ſalutaremus, certámq; faceremus, ut, ſi quid à nobis proficiſci poterit, ad honorem & emolumentum Exc. T. promovendũ, id ſibi de benevolentiâ noſtrâ, quâcunq; ſub
LXVIII *occaſione indubiè promittat. Injunximus præſentium exhibitori, ablegato Senatûs noſtri Baroni Bielke, ut pluribus hunc animum noſtrum Excell. T. conteſtaretur, quem, quin eo nomine Tua Exc. ſibi commendatum habeat, omnino non dubitamus. Sumus T. Excell. ad omnia Regij favoris officia præſtandum ſemper benevoli, atque his eam Deo commendamus. Ex arce noſtra Stocholmenſi, die XXII. Aprilis Anno M. DC. XXIX.*

Guſtavus Adolphus.

20. Iulij. Legatus queritur de Fridlando.

Addidit Legatus longam epiſtolam plenam querimoniarum adverſus Fridlandum, & argumentorum pro Regis Apologiâ: ab hoc videlicet Stralſundam jure adjutam & firmatam Suecicis præſidijs, cùm à Fridlando contra Cæſaris mandata, & leges Imperij arctâ obſidione premeretur, eſſétque periculum, ne Daniæ Regi, Cæſaris hoſti id temporis, daret manus; cum majore rerum Cæſarianarum detrimento, quàm quod ab amicâ Guſtavi Regis dextrâ potuiſſet ex-
LXIX. pectari, donec ipſi quieto per Cæſarem eſſe licuiſſet: plura adjecit in eandem ſententiam. Conqueſtus eſt de non admiſsâ Regis ſui ad Lubecenſem tractationem legatione, de interceptis litteris, oppreſſis Ducibus Megapolitanis, miſſo in Boruſſiam auxilio, & id genus alijs, quæ offenſum Regis animum ſatis apertè nunciabant. Denique rogavit, ut Tillius Senatûs Suecici litteras ad Imperij Electores actutum mitteret, ſuámque & Fœderati exercitûs operam, à bello adverſus Regem ſuum abſtineret.

Reſcribit Tillius ad Regem,

Tillius Regi litteras reddidit pleniſſimas modeſtiæ & humanitatis, pollicitus, ſe, quibuſcunque rebus poſſet, in eo futurum, ut priſtina concordia & amicitia inter tam excelſa Reipub. Chriſtianæ capita, ſtabili nexu reconciliaretur.

Ad Legatum.

Legato verò reſpondit perhumaniter, Suecicos Legatos ad Lubecenſem Conventum non fuiſſe admiſſos, eò quòd, cùm tota tractatio inter Sac. Cæſ. Majeſtatem, & Daniæ Regem verteretur, ad eam nulli alij, ne Imperij quidem Principes aut civitates venerint. Cætera verò de Stralſundenſi civitate, & ſuppetijs in Boruſſiam, Fridlandum, ad quem ea ſpectent, cum ratione explicaturum. Intra iſtos cancellos ferè ſtetêre hoc anno res Germanici Imperij, & curæ Maximiliani. Supereſt verbo adijcere, quæ geſta fuêre à Cæſare in causâ Mantuanâ, & à Batavis in ſubigendâ Sylvâ ducis.

Bellum Mantuanum.

Cùm ad bellum Mantuanum, creſcenti indies animorum alienatione, & abjectâ velut ſpe cauſæ per amicos componendæ, magni fierent apparatus; Ferdinandus Cæſar, cui res erat de jure clientelari, & directo Mantuæ dominio ad Imperium ſpectante, quod ſui erat muneris, daturus operam, ne neglexiſſe aliquando poſteris videretur, ſub Majum ineuntem, luſtratas ad Lindavium Brigantini lacûs propugnaculum, quadraginta peditum, & novendecim equitum vexillationes, Galaſſo, Merodio, Sulzio, Pallantio, & Aldringero Tribunis, Oſsâ verò annonæ & armaturæ curatore, per Rhetorum fines, Curiam transmiſit.

Helvetiorum metus.

Eâ occupatâ, firmatâq; præſidio, ad montium clauſtra, impoſitis propugnaculis, miles medio inter Curiam & Meyenfeldã itinere, conſedit, Rhenum ſtravit ponte ge-

te gemino. Helvetijs, ſi à Cæſarianis, qui magno adhuc numero erant augendi, bello laceſſendis abſtinerent, addixit ſecuritatem: cúmque illi, de iſtâ expeditione ſolliciti, quiritarentur, reſpondit, illam ad ſolam Italiam, nuſquam aliò ſpectare; ab eâ nihil quicquam finitimis fore periculi. Summus Pontifex Cæſarem ab eo bello graviter eſt dehortatus: Cæſar verò, ſe pro officij ſui ratione, id unicè habere propoſitum, ut, defenſo jure Cæſareæ Majeſtatis, Ducem Nivernenſem ad æquitatem reduceret, cæteroqui nihil turbaret otium Italiæ, reſpondit: ſperare ſe proinde, ſuam Sanctitatem id conſilium non porbaturam modò, ſed etiam, quibus poſſet modis, adjuturam. LXXI.

SUMMUS PONTIFEX BELLUM MANTUANUM DISSUADET.

Rex etiam Franciæ, cui res Ducis Nivernenſis curæ erant, miſſo ad Cæſarem Oratore, petijt, ut Sac. Cæſ. Majeſtas illum in poſſeſſione Ducatuum Mantuæ & Montisferrati quietum eſſe pateretur, prohiberétque ab ullo quoquam turbari: Rhetorum fauces aditúsque priſtino ſtatui redderet, copias revocaret in Germaniam, Ducémque Nivernenſem denique beneficiariâ clientelâ impertiret, declararétque, quidnam Franciæ ab ejus & Auſtriacæ Domûs affectu ſpei aut metûs foret expectandum.

REX FRANCIÆ AGIT CAUSAM DUCIS NIVERNENSIS APUD CÆSAREM.

LXXII.

RESPONSUM CÆSARIS.

Id tulit reſponſi Legatus: Cæſarem non credidiſſe, fore, ut Rex Chriſtianiſſimus, quâ erat ſapientiâ, & præclariſſimâ nominis exiſtimatione, in ſuprema Cæſareæ Majeſtatis munia, fovendo ac tuendo beneficiarij adverſus ſuum Dominum contumaciam, manus injiceret; ſed potiùs, quemadmodum in Regio munere alienas leges non pateretur, ſic nec ipſe Cæſareæ jurisdictioni dictaret: verùm ſe tali re non poſſe prætermittere, quin ſupremâ ſuâ poteſtate adverſus Nivernenſem Ducem uteretur, quando propoſitis longè mitioribus rationibus nihil profeciſſet. Quòd verò Rex cuperet intelligere, quid à Cæſare & Auſtriacâ Domo poſſet expectare, hâc denunciatione id poſſe intelligi: videlicet Sac. Cæſ. Majeſtati nunquam veniſſe in mentem, ut crederet, ſe Regem Chriſtianiſſimum hoſtem habiturum: quoniam verò res eò devenerint, ut ſeſe Francia cauſæ Italicæ ingerat, Cæſaríque vim apertam opponat, id quidem eo, quo par eſt, animo debere accipi, ſed viciſſim declarari, non poſſe omitti juſtam Cæſareæ jurisdictionis defenſionem. LXXIII

Ad hæc Legatus: Francicus, Regem, Cæſareum ſequeſtrum impugnare: Ducem Nivernenſem promptâ eſſe ad obtemperandum voluntate; ſed quò minùs id reipsâ præſtet, adverſariorum violentiâ prohiberi. Non deeſſe cauſas, quamobrem Rex arma moverit in Italiam, quæ non ſit abducturus, niſi Duce Nivernenſi utriuſque Ducatûs jure, clienteliſque conveſtito: & hoc quidem Regi fuiſſe propoſitum, ut ſuâ authoritate Principes de ſuo jure diſſidentes revocaret ad concordiam. LXXIV

Cæſaris nomine Legato reſpondêre Conſiliarij: Ducatus iſtos, ſequeſtro eſſe mandatos eâ gratiâ, ne competitores arma corriperent, ſed ſententiam à Cæſare iſtarum clientelarum diribitore expectarent. Sic pari causâ, diſpari licèt ratione, feciſſe olim Carolum V. Imp. cùm Palæologorum poſtremi jam inviſſent beneficij clientelaris poſſeſſionem. Hiſpanos injuſſu, atque inſcio Cæſare, arma induiſſe. Longè conſultiùs factum fuiſſe Ducem Nivernenſem, ſi ipſo ſtatim initio, agnitâ Cæſareæ ſequeſtrationis auctoritate, omiſsiſque effugijs, morem geſſiſſet, vitatis ſcopulis, in quos ipſe ſuam cauſam impegiſſet, poſteaquam Franciæ Regem armatum traxiſſet in ſuas partes, atque hinc inde de controverſo jure pacta feciſſet, nullâ Cæſareæ comprobationis factâ mentione; quibus rebus, cùm Cæſarea authoritas ſit inſigniter depreſſa, eam utique rebus neceſſarijs erigi oportere. Et verò Regem Chriſtianiſſimum, tametſi laudabile ſit ſtudium, diſſidentium finire diſcordiam, nunquam toleraturum, ut in ſuo regno de controverſo dominio, nedum de fiduciariâ ditione, ejúſque poſſeſſione quiſquam judicis partes ſibi aſſumat: eapropter facilis eſſe æſtimationis, quo animo accipere debeat Sac. Cæſ. Majeſtas, eſſe Regem exterum, qui ſibi vindicet munus decernendi, ad hunc an ad illum beneficij clientelaris poſſeſſio, pendens ab Imperio, LXXV.

perio,

perio, in Italiâ debeat pertinere: Regem Franciæ armatâ manu ſic agere videri, quaſi Cæſaris auctoritas tota concidiſſet, vel certè vicario egeret, aut operâ ſubſidiariâ, cùm tamen Cæſar ſemper oſtenderit, & oſtendat adhuc, ſe jus cuivis partium pro æquitate dicturum. Hoc igitur exigi, ut Regis Franciæ copiæ diſcedant ijs ex locis Italiæ, quæ Cæſarem pro ſupremo ſuo Principe agnoſcunt, & ab ejus tribunali juſtitiam, à manu protectionem implorant. Igitur ſperari, Oratorem ſuo hæc Regi relaturum, quo ipſe videlicet expendat, nequire Cæſarem in Italicis Imperij ditionibus ferre arbitrum, aut moderatorem æquiore animo, quàm Rex in ſuis eſſet laturus.
LXXVI Quòd ſi hanc æquitatem improbârit, verendum eſſe, ut, contrà ac velit Sac. Cæſ. Majeſtas, cui rei communis perturbatio ſemper fuerit permoleſta, publica tranquillitas vertatur in perniciosam tempeſtatem.

Exercitus Cæsaris movet in Italiam.

LXX VII. Hæc dum Viennæ agerentur, miles pro Nivernenſi Duce ſcribebatur in Franciâ, copijs, quæ in agro Lugdunenſi atque Delphinatu conſtiterant, juſſis, Suſâ occupatâ, movere in Italiam. Viceversâ, Ambroſius Spinola, qui Cordubæ in Mediolanenſe imperium ſucceſſerat, bellum ſtrenuè comparabat: ita cùm rei per colloquia pacandæ ſpes omnis decollâſſet, Cæſareus exercitus viginti quatuor armatorum millium, Duce Colalto per Rhetos ingreſſus eſt Italiam, multis fame morbíſque, ob inſuetam aëris inclementiam, in itinere conſumptis. Per agrum Cremonenſem in Mantuæ Ducatum progreſſis, loca pleraque, quà vi, quà deditione patuêre. Occupatis dehinc S. Georgij ad Mantuam, ineunte Novembri, ſuburbijs, firma adverſus urbem propugnacula excitârunt, Venetis interea Mantuæ ſtrenuè opitulantibus. Quo ex tempore quotidiani propè fuêre velitares conflictus, quousque, urgente brumâ, locóque caſtrorum perquam incommodo, paucis, qui civitatis aditus clauderent, in obſidione relictis, Cæſariani ad hiberna ſe receperunt. Belli hujus exitum ſuo loco recenſebimus. Cæterùm Hiſpanis, qui magna pars illius belli fuere, res in Belgio, Sylvâ Ducis amiſsâ, improſperè cecidêre. Eſt Sylva Ducis inter præcipuas Brabantiæ Civitates,

Aa. Dommel.

Sylva Ducis recuperatur ab Auriaco.

LXX VIII. naturâ & arte egregiè munita. Eam paludibus ferè undique cinctam, interluunt Arula & Dommelius fluvioli, Moſa è vicino præterlabitur. Poſtquam à Batavorum partibus ad Regis ſui obſequium redierat, ſæpius, quà ſtratagematis, quà vi apertâ fruſtra fuerat tentata à Batavis. Iis in omnes fortunæ nutus, & rei maplificandæ occaſionem perquā intentis, ſalivam movit cognita Henrico Friderico Arauſionenſi per exploratores Hiſpanienſium militaris armaturæ Curatorum (vulgus vocat Commiſſarios) oſcitantia. Tantæ munitionis, in quâ ſitum erat plurimùm, gubernacula gerebat Grobendonckius, vir in paucis fortis, & militari gloriâ nobilis: ſed quod invictis alioquin urbibus ſæpe exitio fuit, miles in civitate erat juſto rarior, & tenuis ad defendendam obſidionem apparatus; pyrei pulveris tantillum, cætera malè proviſa, quicquid tandem Gubernator moneret. Iſthæc negligentia Arauſionenſem, volentibus Batavis, excivit cum exercitu. Majo ineunte cùm diluceſceret, miſsâ parte equitatûs, intercepit omnes urbis aditus: à meridie duxit Legionariorum coronam, & caſtra tantâ celeritate loricarúmque firmitate, deductis in earum foſſas rivulis, circummunijt, ut priùs eſſent prorſus in tuto, quàm legiones Hiſpanicæ ab Henrico Comite Montano educerentur. Igitur Batavi, cinctu urbis exteriore potiti, actis ſub mœnia cuniculis, datáque ad inſultum muri ruinâ, cùm ſubijſſent in vallum, pluribúſque
LXXIX locis obſeſſos reſiſtendo impares premerent, 3. Id. Septemb. deditionem expreſsêre, pactâ quidem civibus religionis libertate, ſed eâ lege, ne quem haberent, qui ſacra miniſtraret, doceretve myſteria fidei, Clero omni è civitate proſcripto, ut populus omni cultore ſpoliatus tandem ſylveſceret, deſciſceretve, quod deterius eſt, ad errores Batavorum. Cætera pleraque publicorum muniorum, Præfecturarum, ſupremæ jurisdictionis, Batavorum moribus nutuíque ſubiecta: quibuſdam è minutulis civitati relictis. Grobendonckius cum bis mille Legionarijs, & tribus alariorum centurijs honeſtiſſimè 7. Id. Septemb. egreſſus eſt.

Iſtam

Iſtam cladem (ut plerumque ſors adverſa habet pediſequas) cumulavit irrita denuo Comitis Montenſis in Velaviam expeditio. Is, tametſi cum Stirumio Comite, qui ductabat Batavos, in Velaviæ limine conflixit feliciter, ac deinde Cæſarianis auctus ſuppetijs, quas Montecuculius adduxerat, Sylvæ Ducis jacturam in Batavos regeſturus videbatur; attamen inediâ, fatali rei ſegniter per curatores adminiſtratæ malo, morbisque, qui ejuſdem ſoboles, per gregarios vulgatis, nullo alio operæ pretio copias retraxit trans Iſalam, pagis magno numero igne vaſtatis, deſertóque, quod Cæſariani invaſerant, Ammerfortio, non ſine damno poſterioris agminis (quod juncti è varijs præſidijs Batavi carpſerunt acriter) & plurimorum Cæſarianorum, quos fames abſumpſit, interitu.

Comitis Montenſis altera in Velaviam frustranea expeditio. LXXX.

Inter hæc Veſalia, egregia ad Rheni, Lippæ & Havæ confluentes Imperij civitas, magno annonæ, ad alenda Hiſpanorum caſtra, commeatu alijsq; opibus referta, à ſeptingentis quinquaginta Batavis, Ductore Barone Dideno, quà proditione trium è Veſaliâ civium, quibus Hiſpanorum mores erant exoſi, quà Gubernatoris inertiâ, qui, miſſis ad devehendam annonam aliquot centurijs, præſidium attenuaverat, paucarum horarum ſpatio, factâ per recentis operis nondum clauſum aggerem irruptione, primo diluculo, cæſis excubitoribus, effractâque alioverſum portâ, & pulſis ex omni ſtatione mille circiter præſidiarijs, demum capto Franciſco Lozano unà cum mille quadraginta duobus gregarijs & ordinum ductoribus, expugnârunt. Ejuſce jacturæ culpam Lozanus, unàque Galleronus vigiliarum Præfectus, Antverpiæ capitis ſupplicio luerunt, ſerio ad cæteros exemplo, nullo tanti mali ſolatio. Inde Batavi pluribus in Cliviâ & Montenſi ditione locis potiti, latè circùm, ad ipſos adeo Ubios, terrorem tulêre.

Veſalia occupata a Batavis.

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS III.

AN. M. DC. XXX.

LIBER XV.

Comitium Ratisbonenſe: Fridlando exauctorato Tillius ſuccedit: fines belli Mantuani: initia belli Suecici.

I. QUI ante me hujuſce temporis hiſtoriam edidêre, plerique annum iſtum ſunt à prodigijs auſpicati. Nunquam accuratior inſuetorum phaſmatum obſervatio, nunquam ad religiones, vel ſuperſtitiones, proniores mortalium animi, quàm ubi ſunt metu perculſi. Germania ſat malorum, per plusquam decumanas tempeſtates tot jam annis agitata, pertulerat, ut ſequentium temporum procellas meritò timeret. Magnas, eáſque novas orbis agitationes videbantur portendere, quæ fuêre conſpecta plurimis Germaniæ regionibus, exercituum infeſtis velut ſignis in aëre concurrentium, phaſmata. Cernebantur explicatæ acies, ſua cuique legioni vexilla, vibratæ ſariſſæ tum decuſſatim in agminum ſepimenta exporrectæ, micantes gladij, fulgetra, fumique ſcloporum; audiebantur velut à longinquo machinarum æneanum tonitrua. Viſa etiam inter aves cruenta prælia, & non paucarum è ſublimi dejectarum tum jugulata, tum ſaucia corpora. Circa id temporis verſicolores, antè nunquam conſpicuæ, ad Saræ amnis confinia, gregatim convolantes volucres vepreta paſſim, tum noctu, tum interdiu complebant: quæ tempore nocturno ſopitæ, tam erant captu faciles, ut agreſtes ſolis manibus magno eas numero colligerent. Monſtra tam humanæ, quàm belluinæ formæ varijs locis nata: fontes aliàs limpidi, ſanguinem; miles in Haſſiâ ſanguineum ſudorem, copioſè fuderunt. Si quid hujuſmodi monſtris tribuendum, novas terris calamitates portenderunt. Credebantur humana conſilia malis fatalibus itura obviam, ſed fata viam invenêre per medios mortalium conatus: quia Dei iram, mali multorum mores nondum mutati in melius, adhuc tum irritabant, evertebántque, haud dum placato Numine, imbecilla per ſe humanæ intelligentiæ conſilia.

Spectra portentoſa.

II. Cæſaris edictum, quod anno ſuperiore in vulgus prodierat, ejúſque executio, paſſim incurrebant in validos obices: tanta támque erat picata, quæ ſemel ex alieno manibus adhæſerant, retinendi cupiditas. Videbant nimirum Proteſtantes, ex Eccleſiarum reſtitutione vehementer accîdi ſuarum familiarum ſubſidia,

Proteſtantes edicto Cæſareo, de reſtitutione Eccleſiarum, obſiſtunt.

dia, è quibus numeroſa aliquorum ſoboles, plerorumque Aulæ, Fiſcus, civitatum quoque æraria magnam partem ſuſtentabantur. Et verò etiam cauſabantur, eas, quæ repetebantur, opes, ſibi à majoribus, patrimonij & alimentorum vice relicta: multas familias, ſi illis exuantur, omni vitæ tolerandæ præſidio nudas fore: ſe (quod aliàs negaverant) cauſâ non ſatis expenſâ, velut inauditos damnari: rem verti ejuſmodi, quæ non ad ſolum Cæſarem, ſed ad univerſos Germaniæ Ordines videatur pertinere. Poſcebant igitur magnâ contentione plerique Proteſtantium aliquod ſaltem vel Septemvirûm, qui cauſam ad libellam revocarent, Comitium: ſpes enim erat, fore, ut Saxonis & Brandeburgici Septemvirûm, aliorúmque Principum ſententiæ in eo cœtu adverſus Edictum valerent plurimùm. Cæſar, quâ erat clementiâ, tametſi videret, quorſum maximè ea poſtulata ſpectarent, annuit tamen, conventu Electorum ad Non. Quintil. Ratisbonæ indicto. Eò priùs quàm veniretur, Saxoniæ Septemvir per Oratorem, Imperij, præſertim verò Confeſſioniſtarum ſtatum prolixè explicavit. Rem compendio referimus. Poſuit ante oculos vaſtatum Brandeburgici Electoris Principatum, protritas in Orbe Franconico & Suevico Proteſtantium ditiones, Brunovicenſem & Luneburgicum Ducatus redactos ad incitas; Pomeraniam ſolâ fame & miſerijs affluentem: iſthic, ubi defecerant pecuniæ, cœpiſſe Dynaſtias militiæ præfectis pignori mandari: factum initium à Clempenaviâ: municiones ipſius Ducis Cæſari ſemper ex aſſe devoti, præſidio tutas affatim, per vim à Fridlando depoſci; atque eâ quidem cauſâ obſideri Ducem, intercipi annonam, triſtia quæque deſignari. Haſſiam colonis in exilium quà dilapſis, quà pulſis, jacere deſperatam, vaſtam, nudam omni propè ope mortalium. Provinciam Anhaltinam, Parthenopolitanam, Halberſtattenſem, Comitatus Wetteravios, Oldenburgicum, obrui intolerabilibus belli oneribus: vix eſſe ac ne vix quidem meliorem civitatum Auguſtalium conditionem: jacere commercia, dominari egeſtatem, ſolas lachrymas & gemitus calamitoſiſſimis ſubjectis ſupereſſe, qui non ſecus habeantur, atque ſi hoſtili inclementiæ dati prorſus eſſent in prædam. Naſci hinc Vatiniana odia, efferari animos, metum creſcere ne tandem attritis opibus atque potentiâ, elumbis Germaniæ libertas vertatur in abjectam ſervitutem, vel certè, quod omnium foret miſerabiliſſimum, pateat iugo exterorum. Tam enim eſſe exhauſtas vires Imperii, ut, ſi quo bello peregrino peteretur, non eſſet ad manum, quo reliqua Germaniæ buſta, & parietinæ protegerentur: milites ipſos ſuæ inopiæ authores, conſumptis humanæ vitæ ſubſidijs, ſuum & rerum præſentem ſtatum, & quam ipſi fecêre, pauperiem deteſtari: viros alioqui cordatos tot calamitatum pertæſos, deſperare de Republ. ſubditos, quibus unica ſpirandi facultas eſſet reliqua, ſuprema indies fata præ tot miſerijs habere in votis. Hæc omnia, quæ patula, quæ publica, atque in omnium oculis, exteros latere non poſſe: & pronum eſſe, ut judicent, veniſſe aliquando Germaniæ, quæ alioqui foret invicta, invadendæ & ſub jugum mittendæ tempus & opportunam occaſionem. Quorſum enimvero tot tantique paſſim apparatus externarum virium? Quorſum immenſi delectus, minæ, conſpirationes, fœdera, tantùm non illatum bellum? Martis aleam quotidiano fortunæ ludibrio, inſtar arundinis vento agitabilis, eſſe expoſitam: nihil obſtare triumphos, partáſq; olim magno numero victorias, quò minùs unicæ cladis procella omnem priorum temporum proſperitatem evertat, convertátque ad victricem manum jam alienatos deſperatæ gentis animos: hoc enim innatum eſſe imperitæ multitudini, ut imbuta privato rei melioris ſtudio, non tam attendat, quæ recta ſunt, quàm quæ in ſpeciem commoda, nihil penſi habens, quantâ publicæ rei calamitate emantur. Magnas præterea eſſe Romani Imperij Septemvirûm, Principum atque Ordinum prærogativas, quas nefas ſit, contra juratas Cæſareæ inaugurationis pactiones violari. Imperium ſuas habere leges, quæ ſtipendia militum, ſtativa, exactiones, collectas, tributa, belli ſubſidia, tolerabili ſuavitate moderantur: earum legum haberi debuiſſe exactam rationem, & verò hodiéque de-

Comitium Ratisbonense.

Saxoniæ Septemviri ad Cæſarem Legatio.

Status proteſtantium.

IV. *Magdeburg.*

V.

debere haberi. Dubium eſſe nemini, quin, quæ ſecus evenere, Cæſaris clementiæ ſummè improbentur. Omnibus debere eſſe perſuaſum, ipſum quàm VI. optimè Imperij incolumitati velle conſultum. Nondum excidiſſe memoriâ Caroli V. æternæ memoriæ Imperatoris dictum præclariſſimum: Cùm enim à quibuſdam ad immitiora conſilia incitaretur, negavit, ſe quicquam iſtiusmodi admiſſurum in Germaniam, quippe quæ & ipſi patria eſſet, & à quâ ſummum Imperij decus accepiſſet. Atqui tot Germaniæ malorum, pacem unicum eſſe remedium. Sic priorem orationis partem concluſit Septemviri Orator.

Inde digreſſus ad edictum Cæſaris, de ſacrorum ſpoliorum reſtitutione, adduxit Maximiliani Cæſaris ſententiam, quâ ipſe ad Ordinum Imperij judicium controverſias de pace religionis revocavit. Et verò etiam Septemviros in Mulhuſino Conventu Sac. Cæſ. Majeſtati ſuaſiſſe, ut eas duntaxat lites ex legibus Conſtitutionum Imperij & Pacificationis finiret, in quibus, partibus jam ſatis auditis, utrinque acta eſſent concluſa. Recentem adhuc eſſe turbarum, calamitatum, & funeſtorum eventorum recordationem, quæ id generis ſeveras executiones fuerint in Imperio & alibi gentium ſubſecuta. Talia experimenta VII. docuiſſe, benevolas, quæ comuni conſenſu inirentur, rerum pacandarum rationes, rigidæ violentiæ longè eſſe præhabendas. Talibus ſi hodie Cæſar utatur, Imperio reddi poſſe quietem, priſtinum florem ac decus, reconciliari animos, arceri hoſtes, reparari omnium Ordinum conſenſionem, ſalutem, ſecuritatem; dari victorias. Catholicos ad eam diem præ ſe tuliſſe, fore ut Confeſſionis Auguſtanæ profeſſores tuti, omnísque perturbationis expertes viverent; & ipſos quidem eâ ſpe fretos perſtitiſſe in fide atque officio; jam verò per executores, non modò ea, quæ in Pacis legibus ambigua ſunt, ſequiori interpretatione pro certis in contrariam partem arripi, ſed etiam causâ inauditâ, adverſus Confeſſioniſtas uſurpari. In Brunſviciâ aliqua bona Eccleſiaſtica, ante transactionem Paſſavienſem VIII. occupata, ab Executoribus eſſe vindicata. In Stolbergenſi Comitatu Ilſenbergenſe Cœnobium & Drebeccium, quæ in eâ ſunt claſſe, fuiſſe recuperata: Simile quid agi adverſus Comitem Hohenlöenſem in quibusdam poſſeſſionibus paulò poſt transactionem uſurpatis: id generis plura in Magdeburgenſi, Bremenſi, Auguſtanâ ditione, & alibi paſſim, edi exempla. Expoſtulare quoque adverſus Wolfgangum Comitem Palatinum ipſius Fratres; Schweinfurtum quiritari, lamentari Duces Megapolitanos, fortunam ſuam deplorare Sileſios, aliósque paſſim. Proinde rogari Sac. Cæſ. Majeſtatem, ad quam, velut ad ſacram anchoram, tot Principum, regionum ac populorum vota confugiant, ut horum omnium pro ſuâ lenitate clementiſſimam velit habere rationem.

Responsum Cæsaris.

Atque iſta quidem erant ferè capita expoſtulationum: ad quæ Cæſar reſpondit, eo conſilio jam indictum eſſe Ratiſbonenſe Comitium, cui ipſe velit intereſſe; ut cum divino auxilio, & ſecundâ Electorum opitulatione, iſtiuſmodi incommodis remedia conquirantur. Cùm Cæſar jam ſit in procinctu, plura per otium reſpondere non poſſe, ſperare tamen Saxoniæ Electorem Ratiſbonæ futu-IX. rum, quîcum de communi ſalute Sua Majeſtas coràm actura ſit. De edicto ſacræ reſtitutionis jam edixiſſe, ſe ſupremi Judicis munus ſuſtinere, & partibus poſcentibus jus ex normâ pacificationis redditurum. Quòd ſi Executores juris ac mandati cancellos exceſſerint, dandam omnino eſſe operam, ut omnia ad juſtum ordinem revocentur.

Querelæ Electoris Brandeburgici.

Conqueſtus eſt etiam apud Cæſarem Elector Brandeburgicus de ſuarum ditionum calamitate. Verbo, bellum vel ipsâ diuturnitate, nedum gravitate damnorum, horrori erat: & Proteſtantes jus, non ex Pacificationis præſcripto, ſed, quod à ſæculo ipſis ſolenne erat, ex aliâ ſuper aliam transactione, quæ citra Eccleſiæ detrimentum fieri nequibat, juris colorem cupiebant impetrare, rati ſibi fore ſatiùs facere tantiſper partis, de qua tranſigeretur, quàm rei univerſæ perpetuam jacturam. Qui modus erat, Eccleſiam tandem fortunis omnibus evertendi, ſi nova indies (ut poſt transactionem Paſſavienſem gnaviter fecerant)

poſt

poſt quamcunque aliam uſurparent, rurſus deinde tranſigerent, ídque toties, donec, omnibus uſurpatis, Catholicis nulla ſupereſſet materia tranſigendi.

Iſthæc fuêre Ratisbonenſis Conventûs præparamenta, cui datum eſt initium ſub ineuntem Junium, cùm Cæſar ipſe cum Filio Hungariæ Rege atque Bohemiæ, Electores Eccleſiaſtici Moguntinus, Colonienſis, Trevirenſis, Maximilianus item Bavariæ Septemvir, eò conveniſſent. Saxone & Brandeburgico, tametſi peramanter invitatis, per Legatos ſuam abſentiam excuſantibus, quòd exhauſtis ærarijs, vaſtatísque regionibus, impenſæ, ad Comitium pro dignitate obeundum, non ſupereſſent, ſed per Oratores duntaxat adeſſe valerent. Nec dubium, quin vererentur Proteſtantium invidiam, ſi minùs, quàm ab illis exigebatur, impetrarent. Principum Ratisbonensis Conventus.

XI. De Edicto Cæſareo potiſſima erat difficultas, quo ſepoſito, credebantur cætera inter Imperij Principes & Ordines poſſe aliquâ ratione ad pacem componi, atque eo fieri, ut ne magnopere bellum, quod parabatur ab exteris, timeretur. Ergo propenſi erant ad otium omnium quidem animi, ſed non unâ omnes ratione. Res ſic acta: Proteſtantium quidam Conſiliarij pacis aliquas conditiones Cancellario Moguntino obtulerunt in capita triginta quinque diviſas, quas ipſi diu antè multúmque expenderant Haberi cupiebant rem in arcano, quæ tamen paulò pòſt typis data fuit in lucem. Exegêre tamen, ſua ut nomina alto ſilentio premerentur, ne, ſi venirent in lucem, id ſuis Principibus apud cæteros Proteſtantes fraudi foret & grandi incommodo: reipsâ id agebant, ut quicunq; tandem foret exitus, ipſi in tuto velut poſt carecta laterent. Conditionibus præfixa erat deprecatio Executionis Edicti Cæſarei, ne videlicet Eccleſiæ ſpolia vindiciarum lege reducerentur ad ſuos Dominos: id ſi impetrarent, pollicebantur ſedatam rerum omnium compoſitionem, animos ad æquitatem revocandos citra omnē prorſus exacerbationem. Verùm illi, qui formulam iſtam Concordiæ vel jam admiſerant, vel erant in poſterum admiſſuri, ex clanculariorum

XII. iſtorum ſententiâ id volebant; *ut judicium, quo diſcerneretur quinam eſſent pro Auguſtanæ Confeſſionis profeſſoribus habendi, pertineret ad illos, qui in hanc formulæ concordiam ex Proteſtantibus convenirent: Cæteroqui illos Catholicis nullam dicturos legem, quò minùs ſuæ religionis homines à reliquis, quâ vellent normâ, dignoſcerent. Volebant deinde abrogari omnem edicti interimiſtici adverſus Evangelicos* (ſic ſuos vocabant) *authoritatem, quaſi in rerum naturâ nunquam fuiſſet.* Libellum autem interimiſticum Carolus V. An. M. D. XLVIII. in Comitijs ediderat, juſſerátque ſervari, donec per Concilium generale fidei controverſiæ finirentur. Continebat verò formam aliquam, quam ſummus Pontifex improbavit, quæque ſic erat concinnata, ut Acatholicos vix quicquam offenderet, quam proinde Confeſſioniſtarum non pauci, pulſis Lutheri præconibus, quaſi ſacris eſſent Catholicis reſtituti, lubentes admiſerant, reſpuerant alij. Eo libello permittebatur, ut, qui ſacris Ordinibus initiati duxiſſent uxores, eas non cogerentur dimittere, útque ſacram Euchariſtiam fas eſſet ſub utraque ſpecie & miniſtrare & ſumere laicis, quicunque vellent. Petebant ſuper hæc iſti Conſultores, *ut, quæ Monaſteria mediatè Imperio ſubjecta, fuiſſent poſt publicatam pacem Religionis uſurpata, in gratiam pacis, reſtituerentur, ſed in eum cenſum venirent illa duntaxat, quæ tempore pacis publicatæ, publico Catholicæ Religionis exercitio excluſo, Auguſtanam Confeſſionem ſimul habuiſſent, modò ipſis poteſtas plures ſuſcipiendi religioſos non fuiſſet interdicta: retinerent Confeſſioniſtæ perpetuò Eccleſias ante pacem Religionis occupatas, tametſi medio inter Paſſavienſem & Pacem Auguſtanam tempore, in eorum manus veniſſent. Mediatæ Eccleſiæ, quæ tempore pacis publicatæ fuiſſent penes Evangelicos, & poſtea rediiſſent ad Catholicos, ſequerentur aliarum Eccleſiarum legem, quoties in territorio aliqua mutatio oriretur: ut jura omnia, quæ ante diem publicatæ pacis Religionis, in Monaſteria aliáſque Eccleſias mediatas, ſive jam eſſent reſtituta, ſive non, Evangelicis competebant, iiſdem remanerent ſalva & integra. Quoniam in pace religionis facultas rituum mutandorum & religionis, ſita eſt in territorio; grave fore Evangelicis in*

Protestantium clandestinæ propositiones.

XIII.

Act. pub. ad An. 1630.

XIV.

*mediatis monaſterijs, quæ in eorum territorijs ſunt conſtituta, religionem alienam to-
lerare; ergo fore commodius, ſi religioſi reſtituta Monaſteria non habitent, neque in ijs
ſua Sacra exerceant, ſed per Evangelicos ſua bona adminiſtrent, & extra territorium
eorum proventibus fruantur. Si Evangelicus Magiſtratus cuperet aliquando Monaſte-
rij bona emere, ea vendere Monachi tenerentur. Evangelici reſtituerent Monaſteria im-
mediatè ſubjecta Imperio, niſi Electores aut Ordines per transactionem aliter conveni-
rent. Hinc exciperentur immediata Monaſteria in Principum territorijs ſita &
incorporata Statibus Provinciarum, quæ ab Evangelicis ante pacem religionis fue-
runt occupata, & à Principibus in Imperio repræſentata. Principales immediatæ
XV. ſive religioſæ, ſive ſæculares Eccleſiæ, quæ ante diem pacis religionis fuère reformatæ,
omnino manerent penes Evangelicos. Principales primæ notæ immediatæ Eccleſiæ
religioſæ vel ſæculares, quas à die pacis religionis, utriusque fidei homines in
ſuis capitulis quocunque loco habuerant, reſtituerentur in eum ſtatum, in quo
fuerant ante pacem religionis. Catholicis reſtituerentur ejusmodi Eccleſiæ im-
mediatæ, quas ipſo die pacis religionis poſſederant. Catholici ne controverterent, à
quo facta fuerit reformatio mediatæ vel immediatæ, ſive primæ ſive mediæ aut infimæ
ſortis Eccleſiæ aut Monaſterij, ſed ſatis eſſet ad effectum conſervandi publicum
XVI. exercitium Auguſtanæ Confeſſionis; ſi reformatio ante publicationem pacis reli-
gioſæ facta eſſe oſtenderetur. Cuicunque tandem incumbat reſtitutio Eccleſiarum
quarumcunque, juxta prædictas regulas, reſtituens tamen à reparatione collapſo-
rum, dirutorum, mutatorum ædificiorum, à deterioratione ſylvarum, aliorúmve bo-
norum, ad dictas Eccleſias pertinentium, item à redintegratione amiſſorum, amoto-
rúmve mobilium, & ſolutione abſumptarum ſummarum capitalium, à præſtatione
etiam debitorum, & perceptorum fructuum, aliiſque hujusmodi: tandem quoque à de-
licto occupati Monaſterij vel alterius Eccleſiæ perpetuò eſſet immunis. Manerent
etiam contractus, per reſtituentes tempore adminiſtrationis Monaſteriorum & Eccleſia-
rum initi, in ſuo valore, ad evitandas lites infinitas, quæ ex eorum reſciſſione oriren-
tur. Liber Ordo Equeſtris ejúsque omnia & ſingula membra, in rebus religionis, ubi-
cunque jus territorij habuerint ab antiquo, eodem jure, quo Status altiores, cenſeren-
tur. In quacunq; civitate Imperiali, tempore publicatæ pacis religionis fuit ſolius Catholi-
XVII cæ vel Evangelicæ religionis publicũ exercitium conceſſum, in eâ nihil immutaretur, quod
pertineret ad utriusque religionis tolerantiam. Nulla tamen Civitas Catholica Evan-
gelicis, neque Evangelica Catholicis civibus, quamdiu quietè, & citra ſcandalum ſe ha-
berent, emigrationem indiceret. In quacunque civitate Imperiali fuiſſet utriuſque Re-
ligionis publicum exercitium tempore promulgatæ pacis religionis, in eâ remaneret,
juxta articulum ſuperiorem de edicto interimiſtico. Si in aliquâ civitate Imperiali,
ubi fuit utriuſque religionis publicum exercitium, Catholici aut Evangelici ab anno
M. D. LV. nova templa ædificârunt, aut novos Ordines induxerunt, res facta in eo
ſtatu maneret; ita tamen, ut in poſterum nihil tale fieret, citra partis utriuſque con-
ſenſum. Civitates Imperiales, quæ à publicatâ pace religionis, publicum exercitium Au-
guſtanæ Confeſſionis habuerant, vel ſolùm, vel unà cum Catholicis ſacris, ceremonias,
conſiſtoria cauſarum Matrimonialium, ſcholas, tribunalia, ad reformationem pertinen-
tia, poſt pacem religionis introducta, omnino retinerent. Civitatibus alterutrius re-
ligionis non præſcriberetur lex aut ordo, circa modum, aut qualitatem perſonarum, qui-
XVIII. bus Magiſtratus eſſent committendi, ſed Magiſtratus, citra impedimentum & omne
cujuscunque præjudicium in eo ſtatu manerent, in quo tunc eſſent conſtituti. In domi-
nijs, præfecturis, & bonis, in quibus civitates Imperij ab antiquo habent Iuriſdictionem
territorij, extra ſua mœnia, ſtatus religionis idem, qui tunc erat, remaneret. Iuriſdictio
Eccleſiaſtica, quæq; ab eâ dependent, in civitates Imperiales Auguſtanæ Confeſſionis, ea-
rúmq; cives, cum omni effectu eſſet omnino ſuſpenſa: ſalvâ tamen aliquâ Eccleſiaſticâ
Iuriſdictione Eccleſiarum & Monaſteriorum, eo modo, quo eam hactenus exercuerant.
Si dubium incideret, an tempore publicatæ pacificationis religioſæ in aliquâ civitate
Confeſſio Auguſtana ſola, aut unà cum Catholicâ religione fuiſſet, in hac & alijs
aſſertionibus, quas Catholicus quiſpiam adverſus Confeſſioniſtam, vel Confeſſioniſta
adverſus Catholicum moveret, in cauſis religionis vel Collegiorum, aut Monaſterio-
rum,*

rum, deberet actor, qui prior ad judicium provocat, ſuam intentionem probare, ut ſic
onus probandi non reo neganti, ſed ipſi actori incumberet. Si in Catholici Electoris XIX.
aut Status territorio, eſſet aliqua Præfectura, civitas, aut pagus dependens à feudo con-
feſſionis Auguſtanæ, talis Præfectura, civitas, aut pagus in religione, non ſequeretur do-
minium directum, ſed utile territorij, qui modus reciprocè ſervaretur circa ejuſmodi
bona, in territorio Confeſſioniſtæ ſita, quæ dependerent à feudo Catholico. Pari ratio-
ne Patronus teneretur præſentare Parochum ejusce religionis, quæ locum habet in Do-
mini territorio, itaque non haberetur in negotio religionis ratio Patronatus, vel feuda-
litatis. Transactiones inter Catholicos & Proteſtantes, tametſi cum aliquâ alterutrius
partis remiſſione factæ, ad vitandas lites, manerent fixæ, conſtantes ac validæ. Præ-
dicta pacta tam Catholicos, quàm eos, qui diverſæ eſſent religionis, obligarent ad reſtitu-
tionem omnium, quæ contra hanc formam fuiſſent occupata. Omnes cauſæ in pace re-
ligionis, & in hac formulâ comprehenſæ, in judicio ab utriusque religionis judicibus,
pari numero, deciderentur, & nulla executio, quæ in tali judicio decreta non foret, ſu-
ſciperetur, aut permitteretur. Summam poſtulare æquitatem, ut omnia monaſteria & XX.
bona Eccleſiaſtica ſive mediata, ſive immediata, quæ per militarem violentiam, vel pro-
priam intruſionem religioſarum perſonarum, ab Aulæ Cæſareæ Conſilij, aut Cæſareo-
rum Commiſſariorum authoritate eſſent occupata, quamprimùm in ſtatum priſtinum,
qualis fuit anno M. DC. XXI. reducerentur: quæ verò prædictâ authoritate eſſent re-
cepta, deberent tamen coram tribunali jam dicto examinari, & juxta modum huiuſce
transactionis juridicè decidi.

Adjocêre & alia capita, ſpectantia ſigillatim ad Saxoniæ & Brandeburgicum XXI.
Septemviros, quibus poſcebant, *Eccleſiaſtica bona, quæcunque occupârant, per annos* RESPONSA
quinquaginta in poſſeſſione quietâ relinqui, atque demum ubi anni iſti forent elapſi, non CONSILIA-
niſi in Iudicio, coram Cameræ Imperialis Aſſeſſoribus utriusque Religionis, pari numero, RIORUM CÆ-
ſalvo jure reviſionis, repeti. Idem beneficij pro Haſſiæ Landgravio, ſi eo quidem SARIS.
indigeret, poſtulârunt. Pro Auguſto Saxoniæ Septemviri filio, ex Magdebur- *Act. publ. ad*
gico Archiepiſcopatu aliquot Satrapias petierunt. Attexuêre etiam nonnulla in *an. 1630.*
gratiam Communitatum Magdeburgicarum, & Wilhelmi Landgravij Haſſiæ,
circa Collegium & civitatem Hersfeldenſem.

Ad iſta reſpondêre Cæſaris Conſiliarij: *Inprimis omnino eſſe conſtitutum*
Catholicis, ne latum quidem unguem per ullam transactionem, aliúdve pactum à pace
religionis, ejúſve ſanctione diſcedere, quam proinde velut tractandorum normam atque
regulam habere prorſus velint: cenſeri verò Auguſtanæ Confeſſionis tractatoribus idem
planè eſſe animi. Porrò Cæſaris eſſe, nullius præterea, Auguſtanæ Confeſſionis conſor-
tes ab alijs Acatholicis diſtinguere. Inter Catholicos verò tantam eſſe fidei & doctrinæ,
ſub uno capite, conſenſionem, ut nullum de rebus fidei Iudicem, præter Summum
Pontificem agnoſcant. Nullam in Paſſavienſi transactione, aut pace religionis fieri
Interimiſtici libelli mentionem, ſed ſtatum religionis nudè talem induci, qualis fuit tem-
pore Paſſavicæ pactionis, conſequenter igitur Catholicos nullam diſtinctionem admittere
mediatorum & immediatorum Collegiorum ac Monaſteriorum, præter eam quæ in pace
religionis eſt poſita. Eapropter ſequendam eſſe claram ejusdem pacis diſpoſitionem, quæ
diſertis verbis ſtatuit, ut Collegia, Monaſteria, aliáque Eccleſiaſtica bona, quæ ad eos, qui
Imperio immediatè ſubjecti & Imperij Status ſunt, non pertinent, ac quorum poſſeſſionẽ XXII.
Eccleſiaſtici tempore Paſſavienſis transactionis, vel poſt id temporis non habuerunt, in
pace comprehendantur, & in eâ diſpoſitione, quam quiſque Status in occupata, & jam
conſumpta bona induxit, permaneant. Vnde neceſſariò conſequens ſit, tam Collegia,
Monaſteria, & alia bona, quæ ad tales pertinent, qui immediatè ſint Imperio
ſubjecti, síntque Status Imperij, quàm alia, quorum poſſeſſio tempore initæ trans-
actionis Paſſavienſis, vel poſtea, tamen ante publicationem pacis religionis fue-
rint penes Catholicos, per pacem religionis, à Catholicis non fuiſſe dimiſſa, ſed ejus-
dem Pacis jure poſſe vindicari, & obnoxia eſſe reſtitutioni. Idcirco ad evitandam
ejuſmodi vindicationem & reſtitutionem mediati alicujus Collegij vel Monaſterij, quod
poſt Paſſavienſem transactionem fuerit occupatum, nihil requiri præterea, aut in conſi- XXIII.

*lium debere adhiberi, quàm an Catholici tempore Paſſavici Contractus, & medio inter
pacem religionis intervallo temporis, fuerint in talium bonorum poſſeſſione. Collegium
aut Monaſterium mediatum, quod quidem Auguſtanæ Confeſſionis fuit ante Contractum
Paſſavienſem, ſed tamen poſt publicationem Pacis Religionis fuit occupatum, poſſe ſem-
per per Catholicos vindicari, neque ullâ ratione cenſeri à reſtitutione eſſe liberum, eò
quòd inter Transactionem & pacem religionis venit in ſtatum reformationis. Pari
ratione, ſatis jam eſſe oſtenſum, quòd jus vindicandi mediata collegia & Monaſteria, &
reſtituendi obligatio, juxta pacem religionis, non à tempore ejuſdem publicatæ, ſed à die
Paſſavienſis contractus accipi debeat. Omnia & ſingula jura, quæ Auguſtanæ Confeſ-
nis Profeſſores, Electores, Principes, & Ordines, in reſtitutis vel adhuc reſtituendis Col-
legijs & Monaſterijs mediatis, à tempore initæ Paſſavienſis transactionis habuerunt,
ijsdem deinceps remanſura, ſed tamen in eo ſtatu, in quo fuerunt id temporis: nam ſi*
XXIV. *tum quidem Eccleſiaſtici talia jura controverterunt, egerúntque cauſam in judicio vel
extrà, utrique parti fore integrum, cauſam modo congruente proſequi. Et quando-
quidem pax Religionis id oneris non imponit Eccleſiaſticis, ut ne incolant mediata Mo-
naſteria vel Collegia, in territorio Confeſſioniſtarum, neve in ijs ſua Sacra peragant,
ſed bona per Miniſtros Acatholicos tractent, & eorum proventibus extra territorium
fruantur, id verò ſalvâ religionis pace ipſis proponi non poſſe, nedum injungi, ſi ſint in-
viti, ſed hoc ipſo, quòd pax religionis Electoribus & ſtatibus confeſſionis Auguſtanæ ea
duntaxat bona Eccleſiaſtica reliquit, quæ ad eos, qui Imperio immediatè ſubjecti, & Im-
perij ſtatus ſunt, non pertinent, & quorum poſſeſsionem Eccleſiaſtici tempore Paſſavien-
ſis transactionis, vel inde ab ipsâ non habuerunt; ſequi evidenter, quòd Eccleſiaſticis qui
mediata Collegia & Monaſteria tempore Paſſavienſis Transactionis, vel poſtea uſque ad*
XXV. *pacem religionis poſſederunt, non poſſit à Dominis territorij, neque circa Religionem, ne-
que circa reditus ullum gravamen inferri, ſed debeant ab omni turbatione & impeti-
tione liberi, Religionis & proventuum quietâ poſſeſsione gaudere, uti diffuſiùs cavetur
in pace jam dictâ, §. VICISSIM AUGUSTANÆ CONFESSIONIS ADHÆ-
RENTES &c. Caeterùm quàm parùm per pacem religionis licet ijs, qui Auguſtanam
confeſsionem profitentur, Magiſtratibus, adigere Eccleſiaſticos ad vendenda Monaſteria
& Collegia, tam parùm hi præter ſuam voluntatem iſtiusmodi contractum d bere inire.
Confeſsioniſtis autem incumbere, ut reſtituant plenè, omnia & ſingula Collegia, Mona-
ſteria & bona Eccleſiaſtica, quæ poſt Paſſavienſem transactionem ſibi vendicârunt,
vel quæ alio modo traxerunt in ſuas manus: Quòd ſi circa talium Monaſteriorum
immediationem, in Iudicio vel extrà lis oriatur, eam juridicè debere finiri, atque lite*
XXVI. *pendente in ſuo ſtatu relinqui. Principalia primæ notæ aliáque immediata Collegia ſe-
cularia & Religioſa, ſive ante, ſive poſt transactionem Paſſavienſem Catholicis fuerint
adempta, etiamſi Religio utraque, vel ſola Catholica, in Capitulis vel civitatibus, vel
extrà, tempore Paſſavienſis contractus fuerit, juxta pacem religionis debere plenè &
cum omni cauſâ & actione reſtitui: excepto tamen Saxoniæ & Brandeburgico Electo-
ribus, de quibus paulò pòſt ſeorſim dicendum. Cauſa retinendi vel reſtituendi media-
ta, vel immediata Collegia, vel Monaſteria, aut Civitates, Præfecturáſve ad ea ſpectan-
tes, non debere accipi ex perſonis, quæ iſtiusmodi bona, præſertim mediata occupârunt,
ſed ex eo, an videlicet illa ante vel poſt tranſactionem Paſſavienſem occuparint. Nam
circa immediata Monaſteria vel Collegia, habendam non eſſe rationem, quando fuerint
ante an poſt transactionem Paſſavienſem occupata, ſed debere unicè ſpectari, utrùm ante
occupationem fuerint necne Imperio immediatè ſubjecta. Cuicunq; demum reſtitutio bono-
rum mediatorum Eccleſiaſticorum, ſive is ſupremi ſive medij, alteriúſve Statûs ſit, in-
cumbit; reſtituentem omni jure & æquitate teneri illi vel ejus præceſſoribus, quibus*
XXVII. *contra legem publicam pacis religioſa bona Eccleſiaſtica ademit, & uſurpavit, ratione
fructuum perceptorum & damnorum in ejusmodi bonis quovis modo datorum, conve-
nientem ſatisfactionem præſtare, quâ de re tamen tractatus iniri poſſe. Contractus
de prædictis bonis per occupatores initi, uſque ad reſtitutionem valituros, quantum
jure valere deberent. Circa liberum Equeſtrem Ordinem ejúſque membra, purè ac
ſimpliciter pacem religionis ſervandam: Ita tamen, ut tam Catholicis quàm Auguſtanæ
Con-*

*Confeſſionis Imperij civitatibus, civibus Catholicis & Acatholicis, nulla conſcientiæ ne-
ceſſitas imponatur, ſed ei, qui ſe religioni in dictis civitatibus receptæ voluerit accom-
modare, liberè emigrandi poteſtas concedatur, eâ formâ, quæ pro ſubditis Electorum &
aliorumStatuum in pace religionis eſt expreſſa. In quibus liberis Imperij civitatibus, tem-
pore publicatæ pacis religionis, utraque religio fuit in uſu publicô, in ijs remaneret, &* XXVIII
*quod ſupra de Interimiſtico libello dictum, cenſetur hoc loco repetitum. Si in præ-
dictis civitatibus, id temporis, utraque religio fuerat in uſu publico, in ijs Senatus &
officia, per utriusque religionis perſonas adminiſtrarentur, neutrâ parte, per ſuffragio-
rum pluralitatem, aut modum alium, excluſâ; tametſi aliud fuiſſet ſtatutum aut in-
troductum: quod quidem cùm repugnet paci religionis, in poſterum nullo numero, valore
aut uſu debere haberi, ſed utriusque religionis conſortes quoad jura & munia civilia, pa-
ris eſſe conditionis. In quibus liberis Imperij Civitatibus, utraque religio fuit in uſu pu-
blico tempore promulgatæ Pacis Religionis, ſupremo Magiſtratui tam Eccleſiaſtico quàm
Civili liberum fore, Collegia, Monaſteria, & Eccleſias, ſive ante ſive poſt Paſſavien-
ſem transactionem occupata, priſtini aut alterius Ordinis Religioſis hominibus reſti-
tuere, ita tamen, ut Auguſtanæ Confeſſionis cives habeant poteſtatem citra Catholicorum
gravamen nova templa ædificandi. Confeſſioniſtæ in civitatibus Imperialibus, in quibus* XXIX.
*ſuæ religionis exercitium, vel ſoli, vel unà cum Catholicis habuerunt, tempore pacis re-
ligionis, idque adhuc retinent, inpoſterum etiam poſſe retinere ſuos ritus & ceremonias,
juxta legem pacificationis. Civiles Magiſtratus in liberis Imperij civitatibus, in qui-
bus utraque religio per pacificationem eſt permiſſa, eſſe conſtituendos eo quo jam dictum
eſt modo. In quibus eſt altera tantùm religio, circa Magiſtratus eſſe ſervandum id
quod eſt uſu receptum, ſi modò ſit à Cæſare comprobatum. In dominijs civitatum Im-
perialium, quæ ſunt extra earum mœnia, in quibus habent juriſdictionem territorialem
ab antiquo, eſſe ſervandum idem, quod in ipſis civitatibus circa religionis exercitium.
De ſuſpenſione Iurisdictionis Eccleſiaſticæ, ſervandam eſſe legem pacis religionis. Si am-
bigatur de ſufficienti aut nimiâ reſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum, rerúmque ad il-
la ſpectantium, actori incumbere onus probationis. In omnibus verò alijs caſibus, Reli-
gionem, Collegia ipſa vel Monaſteria concernentibus, juxta juris communis diſpoſitionem
eſſe procedendum. Si in territorio alicujus Catholici Electoris, Principis, aut Statûs,* XXX.
*Præfectura, civitas, vel pagus ſint, pendentes à feudo Confeſſionis Auguſtanæ, in nego-
tio religionis ſequi debere Dominium territorij, non autem directum: quod viceverſ-
ſà de Præfecturis, civitatibus & pagis Catholicorum, in territorio Auguſtanæ Confeſ-
ſionis, moventibus à feudo Catholico, ſit intelligendum. Patronus Parochum, vel mini-
ſtrum Eccleſiæ conſtituat, qui ſit ejus Religionis, quæ in loco parœciæ eſt recepta: nam in
hoc caſu non jus Patronatûs, ſed territorij eſt attendendum. Transactiones omnes in-
terCatholicos & Auguſtanæ Confeſſioni adhærentes, cum eorum omnium, quorum intereſt,
conſenſu, legitimè initæ, poſt pacem religionis, ad vitandas lites, maneant in ſuo valore.
Quicquid contra pacem religionis & ſecuturam hanc compoſitionem, à quocunꝗ eſt alteri
parti ademptum, hoc quilibet poſt præviam liquidationem & probationem, reſtituere* XXXI.
*tenebitur, vigore hujus pactionis. Omnes cauſæ, controverſiæ, lites, actiones, quæ
è pace religionis & hoc contractu emanabunt, uti factum hactenus, etiam in poſterum
ab Aulico Cæſaris conſilio, vel à Camerâ Spirenſi, prout jus exigit, cognoſcentur, &
decidentur, & ſingulis vicibus erit in actoris optione, in utro horum tribunalium ve-
lit experiri. Si quæ Monaſteria vel bona Eccleſiaſtica contra pacem religionis, ſive violen-
tiâ militari perſonarum religioſarum: Confeſſioniſtis adempta ſunt, debebunt Confeſſioniſtæ
eveſtigio reſtitui in priorem ſtatum. Poſtquam omnes & ſinguli prædicti articuli inter Ca-
tholicos & adhærentes Confeſſioni Auguſtanæ, juxta pacem religionis & æquitatem
fuerint compoſiti & transacti, & Auguſtanæ Confeſſionis Electores Principes & Status, ſe-
ſe accomodaverint jam factæ à Cæſare diſpoſitioni circa Palatinum Electoratum. Extunc
Elector Saxoniæ & Brandeburgicus, non obſtante Edicto Cæſareo & hac compoſitione,* XXXII.
*in cæteris tamen in ſuo vigore permanſura, omnia & ſingula, quæ poſſident Collegia
& Monaſteria, nullo prorſus excepto, tametſi ea forent immediata, & poſt Transactio-
nem Paſſavienſem & pacem religionis occupata, adhuc quadraginta annis poſſidere po-*

ſerunt, neque interim contra illos ulla actio, nedum vis eâ de cauſâ tentabitur. Poſt lapſum verò iſtorum annorum, Elector Sax. & Brandeburgicus, ratione dictorum Collegiorum & Monaſteriorum verſabuntur in eo ſtatu, in quo fuerunt anno M. DC. XXIX. & conſequenter primùm poſt annum M. DC. XXI. neque præfatum Edictum, neque ſperata hæc compoſitio, poterit allegari vel attendi. Si quis verò expletis iſtis annis, Suas Serenitates idcirco vellet interpellare, id tenebitur facere per viam ordinariam

XXXIII. *ſive coram Cæſaris Aulico Conſilio, ſeu coram Spirenſi Camerâ, in formâ & ratione uſitatâ, & cum reſervatione beneficij reviſionis, & aliorum beneficiorum juris, & cum hoc etiam ſpeciali, ut pendente lite nihil innovetur vel attentetur. Communitates, quas Elector Saxoniæ habet indiviſas in Archiepiſcopatu Magdeburgico, poſſent ex communi conſenſu dividi, & utrique parti eſſe liberum, ſuos ſubditos ſuæ Religioni obligare, ita ut neutra pars alteri poſſit quicquam hac in re obſtare. An & quantum Duci Auguſto filio Suæ Sereniſſimæ Celſitudinis Electoris Saxoniæ, ex Archiepiſcopatu Magdeburgico, ad dies vitæ, in bonis vel annuâ pecuniariâ penſione ſit aſſignandum, hoc relinquitur arbitrio Sac. Cæſ. Majeſtatis & dicti Archiepiſcopatûs. Denique pro eo, quod Wilhelmo Landgravio Haſſiæ circa prætenſas prærogativas, jura, & res pertinentes, in Hirsfeldenſi Eccleſiâ, propoſitum fuit, nihil ſingulare veniet in hunc tractatum, ſed in ijs procedetur juxta illa,*

XXXIV. *quæ obſervanda venient cum alijs Auguſtanæ Confeſsioni adhærentibus Principibus & Statibus, & ſecundùm ea quæ in hoc tractatu venient in pactum: atque hæc quidem omnia citra obligationem aut præjudicium juris aut cauſæ.*

Cùm iſta futuræ tractationis velut prima lineamenta, privatim in partium manus, oculósq; veniſſent, petijt Cancellarius Moguntinus, ut antequam Elector Moguntinus, qui proximè diſceſſum parabat, abijſſet, Proteſtantes cum publicâ authoritate res ſuas ederent.

PETITIONES PROTESTANTIUM. Quare 8. Id. Novemb. per libellum remedia poſtularunt, adverſus militarem licentiam & ſubditorum intolerabiles calamitates, tum edicti Cæſarei executionem intermitti, útque de rationibus rerum mitigandarum, & reconciliandæ inter Ordines amicitiæ ageretur. Ergo prid. Id. Novemb. Septemvirûm Electorum nomine ipſis eſt renuntiatum, totum Comitij tempus fuiſſe à Sac. Cæſ. Majeſtate & à Septemviris datum deliberationibus de modo pacis in Romanum

DIFFERUNTUR. Imperium reducendæ, ſed priores difficultates exaggeratas novarum acceſſione,

XXXV. & recèns ortos Regis Suecorum motus pacificis conſilijs interceſſiſſe: nihilo tamen minùs Cæſarem & Septemvirûm Collegium deſignâſſe modos ex Conſtitutionibus Imperij, quibus magnam partem immodica belli onera levarentur. Circa Cæſareum edictum & pacem religionis, nullam poſſe ſuſcipi diſputationem, quæ ad eorum ſubſtantiam pertineat: multò minùs poſſe admitti novam pacis illius formam: fore tamen, ut conſtituatur modus executioni: ut verò de libello diſcurrendi gratiâ in lucem edito, ſi ita quidem Auguſtanæ Religionis ſtatibus viſum fuerit, benignè agatur, poſſe ſequenti Februario conveniri: ſperari verò à Sac. Cæſ. Majeſtate executionis edicti Cæſarei ſuſpenſionem poſſe impetrari. Etenim Cæſar ad res in Imperio componendas inclinabat, quod tum credebatur aliquâ ſacræ reſtitutionis moderatione, vel dilatione ſaltem, poſſe ob-

SENTENTIA CATHOLICORUM MODERATIOR. tineri. Catholici Electores adſtipulabantur Cæſari: certè Maximilianus Bavariæ Septemvir totus in eo erat, ut ſublatis domeſticorum diſſidiorum ſimultatibus, revocati Proteſtantes ad concordiam, non modò externum hoſtem, quem

XXXVI. è Sueciâ conſtabat imminere, deſtituerent; ſed pro Germaniæ communi ſalute, Cæſari ſua conſilia, opémque adjungerent. In eâdem erant ſententiâ plerique Cæſaris & Electorum conſultores: eam ad rem facta erat ſpes Saxoniæ & Brandeburgi Septemviris, poſſeſſionis ſacrorum bonorum ad quadraginta annos retinendæ, ut iſthac illecebrâ deliniti cæteri Proteſtantes, quos edicti executio nondum exuerat ſpolijs Eccleſiæ, ſimili benignitate contenti, cæterorum poſtulatorum extrema remitterent, malléntque certi temporis uſuram, quàm ſpes incertas è Gothorum manibus, quos veterum monimenta memorant Imperio Romano arma quidem fortia, ſed noxia ſimul non ſemel intuliſſe, & quæ pruden-

ter

ter credi non poterant, ita profutura, ut non eſſent illis ipſis, quibus prodeſſent, etiam obfutura; cùm is ſit Martis genius, ut fulminis inſtar, quibus nubibus eſt natum & conceptum, earum latera ante alia omnia verberet ac diſrumpat. XXXVII.
Hæc licèt prudenter à multis Catholicis ponderarentur, fuêre tamen nonnulli, qui decepti ſuperiorum annorum proſperis ſucceſſibus, & continuâ velut ſerie victoriarum, colligendos tot laborum & dimicationum fructus, dum arrideret fortuna, cenſuerunt. Jam enim maturuiſſe meſſem, præclarè laborare edicti executores, proximum eſſe, ut in Eccleſiæ horreum, tot jam an̄is averſos ſacrorum fundorum proventus reportarent. Comparatos eſſe potentes exercitus, qui hoſtem domeſticum contineant, externum reprimant: vix poſſe ignaviæ famâ liberari, ſi à ſubditis, à devictis, ab egentibus, Cæſar non modò ſua edicta, ſed etiam auctoritatem convelli patiatur. Agi Dei gloriam, decus Eccleſiæ, ſanctæ Sedis Apoſtolicæ dignitatem, fidei amplificationem, ſalutem infinitarum animarum.

Sententia rigidior.

Quando tandem Imperator, defenſor ac vindex Romanæ Eccleſiæ, opportuniùs ſuo munere functurus ſit, quàm in eâ rerum omnium conſpiratione & potentiâ, quam Deus videatur ipſi conceſſiſſe, ut illa ad reparandas in Imperio Eccleſiæ ruinas uteretur. XXXVIII. Hactenus Acatholicos pactis conventis non ſtetiſſe: ad ſpolia per Paſſavienſe pactum remiſſa, nova indies adjeciſſe: quis tandem finis uſurpationum futurus ſit, ſi rurſus præpoſterâ indulgentiâ ad novas prædas, & refringenda transactionum repagula invitentur? Eos denique ex quadraginta annis, contentioſis litibus, judiciorum tarditate, reviſionum comperendinatione, executionum remoris, ſæcula nexuros; &, ſi hæc non ſint ſatis, opibus Eccleſiæ validos, arma denuo adverſus Eccleſiam, juriúmque Eccleſiaſticorum tutores eſſe capturos. Paſſavij transactum fuiſſe ob ſpem, quam ex compoſito faciebant, finiendarum tandem vel per generale Concilium fidei controverſiarum: nullam hodie ſpem ſupereſſe, niſi in juris & juſtitiæ manu exactáque bilance; hâc utendum, ad hanc revocari debere vindicias ſacrorum ſpoliorum, quæ hactenus errantibus aures obturârint, ne cæleſtem inſtitutionem admitterent, oculos clauſerint, quominus vera reſpicerent: videret etiam atque etiam Cæſar, ne, dum clemens in Eccleſiæ Romanæ hoſtes eſſe vellet, in ipſam Eccleſiam iniquus evaderet. XXXIX. Eccleſiæ facultates, latifundia, proventus, jura, poſſeſsiones, ad ipſius forum non pertinere, ſacrilegio fore affine, ſi ea vel ad quadraginta annos transferat, aut patiatur eſſe in manibus alienis; id ſpectare ad Chriſti in terris Vicarium, cui patrimonij ſui Dei filius commiſerit diſpenſationem; eo non compellato, nedum invito, non expectatâ ipſius ſententiâ, nihil à laicâ poteſtate ſine crimine in hoc rerum genere poſſe conſtitui. Atque hic fuit præcipuus ſcopulus, in quem mitiora conſilia impegerunt; quaſi Cæſari, tot bellis fatigato, tantiſper reſpirare, Eccleſiæ autem per annos quadraginta, victoriarum fructu, in recuperatis Epiſcopatibus, Collegijs, Monaſterijs, quæ Lege, *uti poſſidetis*, à Proteſtantibus dimittenda ferebantur, gaudere non liceret: quaſi jura Cæſarem cogant proferre bellum, ſi id facturus ſit cum evidenti diſcrimine, non modò non recuperandi amiſſa, ſed etiam amittendi recuperata. Atqui alij reponebant, non recuperâſſe Maximilianum Cæſarem, Rudolphum à vi abſtinuiſſe, Mathiam nihil vindicaviſſe Eccleſiæ, non tamen datum fuiſſe crimini, quaſi peccarent contra Eccleſiæ jura vel authoritatem. XL. Neminem adhuc auſum eſſe aſſerere, Cæſarem debere mox arma induere, quocunque tandem rerum ſtatu atq; periculo, neque priùs exuere, quàm repoſuerit Epiſcopum quempiam in amiſſas Eccleſiæ ſuæ poſſeſsiones. Juvare (quod eſt protectoris munus) debere Cæſarem Eccleſiaſticos, defendere debere, ſed cæterarum etiam rerum, ſed Imperij, ſed ſumptuum, ſed temporis ac virium debere habere prudentem rationem, ne plus damni adferat defendendo, quàm vitaturus eſſet mali tantiſper quieſcendo. Nec convenire, eos, quorum jura defendit, quos juvat, nihil juvare, ſed ſedere otioſos, eſſéque meros ſuæ defenſionis ſpectatores, nec conferre auxilia, quæ poſſint. Atqui tantæ erant Cæſaris & fœderis Catholici vires, ut pares cuivis

diſcri-

XLI. diſcrimini eſſe viderentur. Id profectò nec erat (quod eventus oſtendit) nec videbatur Cæſari, qui ad pacem, ob dubias vires, anhelabat; non videbatur Electoribus, inprimiſque Maximiliano, qui pro incredibili ſuâ ſapientiâ, imminentem tempeſtatem proſpiciebat: nec videbatur Tillio quamlibet victorioſo, & ad quævis diſcrimina parato & imperterrito, qui modis omnibus author erat Cæſari atque Septemviris concordiæ, in Germaniâ ſaltem, integrandæ, ne gemino hoſti, domeſtico videlicet ſimul & externo Imperium pateret. Et habebat tamen perſpectas Catholicorum vires; ſed erat quoq; conſcius, quibus laborarent defectibus: nec ignorabat hoſtium potentiam, quantúmque irritati Germaniæ Principes adhuc valerent: & verò rerum exitus ſuo loco prodidit, quàm providè, quámque ſalutariter ipſe ſentiret.

Rigidi Consultores causam obtinent.

Nihilo tamen minùs obtinuit eorum ſententia, qui nihil de rigore edicti remittendum eſſe ſentiebant: & habuêre illi, quod pœniteret; cùm everſâ propè re Catholicâ, correxêre aliqui, ſed ſerò nimis, ſuum errorem, mutatâ ſententiâ profeſsi, quòd temporanea aliqua pactio, de bonis Eccleſiæ, cum Proteſtantibus iniri potuiſſet.

XLII. Certè, ſunt in vivis teſtes, qui Maximilianum Electorem Principem in paucis pacificum, ſæpe quiritantem de ſeveris iſtis ſuaſoribus audierunt, quaſi ipſi Ratiſbonæ pacis conſilia malo publico disjeciſſent.

Protestantes ipsi causam dedere belli continuandi.

Sed ſanè iſtius conſilij anſam non fragilem præbuêre, nimis enormia Proteſtantium poſtulata, & modus ipſe agendi, qui ſuſpicione carere non poterat. Cùm enim rerum ſacrarum uſurpationes non dimitterent, ſed novis vinculis, tricisque ſibi alligarent, tamen id proponebant tam clandeſtinè, quaſi vel ipſa propoſitio ipſis capitalis eſſet futura, ſi in apertum veniret: nec veriti tamen ſunt, eam ſic prodere, ut proſtaret venalis in compitis, tereretur manibus ac ſermonibus paſſim in circulis; per univerſam Germaniã vagaretur: &, quod erat de-

XLIII. terius, idoneâ poteſtate ad agendum tam non erant inſtructi, ut quaſi lucis refugæ latentes, agerent in angulis, loquerentur quaſi ex latibulis, tantúmq; crederentur veniſſe Ratisbonam, non ut tractatores, ſed exploratores. Denique quicquid in arcano latuerit, Ratisbonâ diſceſſum, nullâ ſuſceptâ de iſtis arcanis tractatione.

Conventus Lipsiensis Protestantium. Arma comparant.

Inde Proteſtantes æquitatis ſpeciem obduxêre Conventui Lipſienſi præ ſe ferentes, iſthic deliberari debere communi omnium conſilio, quid Francofurti, quò poſtulata erant remiſſa, ipſis ſupereſſet agendum. Habebant interea acres delectus, ſatisque apparebat, nec fuiſſe ipſos tam ſtudioſos tollendi diſſidia, ut ſibi Eccleſiæ ſpolia detrahi ſine vi paterentur, nec uſque eò bello exhauſtos, ut ad illud inſtaurandum ſumptus, animíque deeſſent. Certè ex eo tempore, profuſis impenſis, magnâ celeritate, ingenti ſpe ac cupiditate rem Catholicam evertendi, bellum urgere cœperunt. Addebat animos, quòd Ratisbonæ exploràſſent, Catholicos bello feſſos, & ex ijs permultos, inopiæ obtentu belli continuandi conſilia deteſtari, quæ erat evidens impotentiæ, quæ hoſti in-

XLIV. noxiè nunquam proditur, profeſsio. Et eam quidam ſparſâ in publicum declamatione, egregiè exagitavit Brandenſteinius (tam effrons fuit hominis temeritas) auſus per litteras exprobrare Cæſari, penum omnem, omne ærarium, omnes Catholicorum facultates eſſe bello conſumptas.

Inopia Catholicorum exprobratur. Querimoniæ adversus Fridlandum.

Præter hæc, quæ memoravi, geſta Ratisbonæ, renovatæ fuerunt de Fridlando querimoniæ. Sua quemque damna urebant, urebat hominis imperioſi immodicus dominatus, & ſpecies quædam Romanæ dictaturæ Principibus intolerabilis. Inflabatur ille interim magnis opibus, militum ob permiſſam libertatem tanto confluxu, ut Pompeium pedis incuſſu exercitus concientem æmulari videretur. Turgebat nomine Principatuum: quacunque illi iter erat, quaſi ſummus ac præpotens, eximijs honoribus, doniſque colebatur: cum metuebant multi ob potentiam, amabant alij ex largitionibus, oderant longè plures ob nimios ſpiritus.

Mordicus obstinat retinere Ducatum Megapolitanum.

Cæſar, cùm nôſſet, Suecorum Regem belli cauſam oſtendere, quòd Megapolitani Duces fortunis ac dignitate eſſent everſi, conatus fuit Fridlando perſuadere, ut Megapolitanum Ducatum, ejus titulos, utriuſque Luſatiæ commutatione redimi pateretur, ita enim

enim futurum, ut Saxoniæ Septemviro, qui Cæſaris beneficio tenebat Luſatiam, pecuniâ, quam Megapolitani ipſéque Fridlandus rependerent, ſibi ſatisfieri pateretur; ſed Fridlandus, cauſatus id agi per Imperij Principes, qui ipſum Ducatibus, quos ſuis ipſe laboribus meritisque comparâſſet, vellent exutum, petijt, ut Cæſar ſua ipſe beneficia, & fidum clientem tueretur. Sed & ipſi cum Daniæ Rege nonnihil interceſsit dividiæ: cùm enim Holckio, Dano natione, qui ad Cæſaris partes conceſſerat, ter mille peditum legionem conſcribendam commiſiſſet, & juſsiſſet, delectus & luſtrationem in agro Lubecenſi, & Pinnebergenſi Comitatu haberi, iſthícque pedem figere, quo Suecum, ſi iſthac irrumperet, ſaltem diſtineret; Daniæ Rex eâ de re factus certior, rogatúsque, negavit, ſe iſtis ſtativis paſſurum occupari Provincias, quæ Domui Holſaticæ dominij nexu, vel jure protectionis eſſent addictæ: quòd ſi quid contrà tentaret Fridlandus, id ſe perinde accepturum, quaſi pacis Lubecenſis pacta violaret. Hunc in modum Fridlando fuit ab iſtis regionibus abſtinendum. XLV. Dissidet a Rege Daniæ.

De eo abdicando jam ante Ratisbonenſem Conventum Septemvir Moguntinus litteras ad Cæſarem dederat, cauſatus, in ejus exauctoratione omnium Electorum vota conſpirare: id nî fieret, videri ex Ratisbonenſi Comitio, nihil aut parùm utilitatis naſciturum. Verùm, quia Cæſareum conſilium id Suæ Majeſtati fraudi, & bono communi detrimento, ob imminentia à Suecis pericula, futurum cenſebant, res fuit dilata ad Comitium. Atque hîc quidem à Cæſare, magnâ quà precum, quà rationum contentione poſtulatum, ut denique Cæſar de abrogando militari imperio, & Fridlando in ordinem redigendo Septemviris vellet aſſentiri: id ſi fieret, Megapolitanum Ducatum, quem Cæſari auſus eſſet negare, ab inermi potiùs, quàm ab armato poſſe avelli. Fridlandus id temporis Memingæ in Vindelicis ſedebat, Cæſariano exercitu per Imperium diffuſo. Cæſar aſſenſus Septemviris, Werdenbergicum & Queſtenbergicum Barones delegit, qui de ponendis faſcibus mandata deferrent: docti erant longo uſu tractare hominis ingenium, demulcere iras, eóque grati, quòd hactenus deliniti largitionibus, non parùm ejus magnitudini, quà conſilijs, quà patrocinio, commodâſſent. Quare minus videbantur offenſionis iratúmque moturi. Res cecidit ex ſententiâ: Cæſareo mandato proſperè perfuncti, Fridlando perſuaſêre, ut tantiſper tempori cederet, obſequendo Cæſaris voluntati. Prodigij loco habitum, fuiſſe hominem imperijs aſſuetum, usque eò obſequentem. Id an effecerint amplæ promiſsiones, ſi fortuna aliquando mutaretur, an expectatio rerum meliorum, ubi adverſariorum animi refrixiſſent, an parendi neceſsitas, aliáve cauſa, manſit in ambiguo. Actis Cæſari gratijs, faſces poſuit, rogavítque, ut, quem Principatibus, tantisque honoribus auxiſſet, ne criminationibus minuendũ ultrà præberet: ſed dignaretur protegere in eo, quem contulerat, Principatu. Placuit iſta modeſtia Cæſari. Non diſplicuit Septemviris, qui, cognito ipſius reſponſo, per litteras probârunt, quod Archiſtrategi dignitatem è manu Cæſaris acceptam, Cæſari reddidiſſet. Poſſe Cæſarem bona in Provincijs hæreditarijs ipſi conceſſa relinquere; cæteroqui Septemviris, Imperij beneficia atque clientelas curæ eſſe debere. Quòd ſi Megapolitani Ducis noxæ capitalis non peragantur legibus Imperij, Principatum Megapolitanum ipſis adimi non poſſe, neque à Fridlando retineri. Cæterùm, cùm multa ab Imperij ſubjectis injuſtè expreſsiſſet, Septemviros daturos operam, ut in ipſum lege repetundarum ageretur. Exauctoratur. XLVI. XLVII. Assentitur exauctorationi. XLVIII.

Fridlando igitur in ordinem redacto, Cæſar, agentibus Septemviris, parte copiarum, quæ juſto numeroſiores videbantur, exauctoratâ, ſtatuit, ne in poſterum ſtipendia pro tribunorum arbitrio, ſed ex circulorum præſcriptâ moderatione penderentur. Convenit inſuper, ne Cæſar deinceps, Septemviris Ordinibúſque Imperij inconſultis ac nolentibus, bellum indiceret; renovatâ veteri Imperij conſtitutione. Non defuit, qui hæc perperàm interpretaretur, quaſi Cæſar inconſultò, faciliúſque, quàm par eſſet, Fridlandum & exercitus partem dimiſiſſet, Improbat nonnemo Fridlandi

ET EXERCITUS EXAUCTORATIONEM.

miſiſſet, bellum *Suecicum non tanti pendens, quanti erat neceſſe*, *putánſque ſatis eſſe futurum exercitum, qui in Pomeraniâ & Megapoli erat, ad illud conficiendum. Arguebat præterea, quòd Cæſar ſibi à Germaniæ Principibus non metueret, utpote, qui ſperaret fore ut, cùm neminem unquam fefelliſſet, ab aliis pariter non falleretur.*
Hæc ſcripta licentiùs, quàm deceat in Sac. Cæſ. Majeſtatem, cui nec ſapientia
XLIX. defuit, nec fides prudentum Conſultorum. Si qui Electorum hoc ſpectârunt, quod de Acatholicis multi fuêre ſuſpicati, ut videlicet Cæſarem, quem edictum de Eccleſiæ ſpolijs metuendum reddiderat, exarmarent, facerèntque ad repetendas uſurpationes impotentiorem, fecêre, quod malè ſuaſit privata cupiditas: de Catholicis quicquam tale vel ſomniare, alienum eſt à ratione, & ſummâ ipſorum in Cæſarem fide & charitate.

REFUTATUR EIUS IUDICIUM.

Tam graves fuêre in Fridlandum cauſæ, tantæ minuendarum copiarum rationes, ut Cæſar, eiúſque conſilium à Septemviris putârit ſibi non eſſe diſſentiendum. Quòd ſi ex improviſis eventis, malas artes, ſimplicitatémve quiſpiam colliget, faciet injuriam, merebitúrque carere bonis ſucceſsibus, quippe qui facta notanda putat ab eventis. Magni iique ſapientes belli Duces, non in multitudine, ſed in fortitudine, in ordine ac diſciplinâ vim belli poſuêre. Xerxes multos ſe homines habere queſtus eſt, viros paucos, quod pugna ad Thermopylas oſtendit. Cyrus quatuordecim, Alexander
L. quadraginta millibus res permagnas incepêre. Epaminondas quatuor millibus, ex quibus erant equites quadringenti, Lacedæmoniorum peditum viginti quatuor millia, equites mille ſexcentos vicit. Græcorum quatuordecim millia cũ Cyro minore profecti, centum Barbarorum millia vicerunt, rediérúntque per viam inviam invitis Barbaris. Non eſt ſatis habere grandes exercitus, ſi deſint neceſſarij pecuniæ, annonæ, cæterique commeatûs & armorum apparatus. Si deficiat annona, quantò grandiores ſunt, tantò pereunt citiùs, vincuntúrque ſine ferro. Tam ſine pecuniâ bellum non progreditur, quàm corpus ſine nervo ambulat: ferè omnia conſilio conficiuntur, ipſa adeò arma & belli cætera inſtrumenta. At verò, jam tum exhauſtis ærarijs, pecuniæ, ſtipendia, reliqua, non ex præparato, ſed ex collationibus, & plerisque quidem difficilibus conficiebantur, nec eo numero, qui par eſſet priori multitudini; unde tot populorum, inediâ propè pereuntium, lamenta, quòd non ſudorem modò, ſed & ſanguinem, ipſúmque ſpiritum conferrent in annonam & ſtipendia.

QUANTUM MILITEM RETINUERIT CÆSAR.

Cæſar triginta novem expeditorum veteranorum millia ſub ſignis retinebat: quis non credidiſſet, Suecis par fore ſelectum robur plusquam ſeptuaginta millium? Etenim, præter eum Cæſarianorum numerum, fœderati Catholici trigeſies mille ſexcentos compertæ fortitudinis, & ferè vinci neſcios habuêre.

Autograph. Receſſus Unitorum An. 1630.

Sexcenti ſupra ſexaginta novem millia meritò cuivis potentiæ pares eſſe videbantur. Non eſt dubium, quin utilius fuiſſet nullos dimitti, ſi ſuſtentari citra ſubjectorum injuriam potuiſſent: hoc enim pacto longè minor fuiſſet ad Suecos, alióſque Catholicorum hoſtes conflu-
LI. xus: ſed cui bono fuiſſent retenti, ſi fame, morbis, pædore, unà cum multis alijs, anteaquam Suecos conſpicerent, erant perituri? Sed & prior iſte, quem dixi, numerus, anno ſequente, quando cum Suecis fuêre conferenda ſigna, tanto auctus eſt, ut ad centum ſedecim millia ſexcentos aſcenderent: ergóne Cæſar inermis fuit, cùm cingeretur tot legionibus?

QUANTUM FOEDERATI CATHOLICI.

TILLIUS PRÆFICITUR CÆSARIS EXERCITUI.

Dimiſſo igitur Fridlando, Cæſar ſuarum copiarum cum ſuprema Legati poteſtate imperium impoſuit Tillio, tametſi is vehementer pacem ſuaderet. Cæſari ejuſce deligendi authores fuêre comperta tot annorum, bellorúmque felicitas, Tillij ſumma probitas, fides, obſequendi ſtudium, ſapientia, fortitudo, modeſtia, partæ tot prælijs palmæ & gloria. Sed nec latebat Cæſarem, ſolere plurimùm nocere Ducum ſupremorum pari poteſtate imperantium multitudinem,
LII. quando in promptu non eſt, cujus nutibus omnes obſequantur: inde enim, ut plurimùm conſequens eſt, ut ubi multiplex eſt regimen, ibi nullum ſit, aut incertum & impeditum mutuo diſſenſu & æmulatione, quæ præclaras frequenter rerum bene gerendarum occaſiones corrumpit.

De

De creando Romanorum Rege privatim in hoc Ratisbonenſi Comitio ſermones habiti. Roccius juſſu Summi Pontificis, ſed injuſſu Cæſaris, & Carolus Auria Regis Catholici Legatus eâ de re egere cum Septemviris: ſed cùm ex normâ Bullæ Aureæ Conventus ad hoc non fuiſſet indictus, abſentéſque Saxoniæ & Brandeburgi Electores mandata ſuis Oratoribus de Rege eligendo non dediſſent, nec Cæſar ipſe, ulláve neceſſitas id poſceret; viſum fuit in aliud tempus Electionem differre. Agitur de eligendo Rege Romanorum.

Comitij coronis fuit Eleonoræ Auguſtæ Ferdinandi Imp. conjugis, cum celeberrimo apparatu Auguſtalis coronatio. *12. Octob.* Coronatio Imperatricis.

Belli Mantuani initia anno ſuperiore retulimus, ſupereſt ut exitum referamus. Ut Vincentius II. Mantuæ & Montisferrati Dux fatis conceſſerat, de ſucceſſione inter ſe contenderunt, Dux Sabaudiæ, Cæſar Gonzaga Guaſtallæ Princeps, & Carolus Gonzaga Dux Nivernius. Nec ſpem ſucceſſionis poſuerat Margarita Vincentij Primi filia, Henrici Lotharingiæ Ducis vidua. Trahebat quisque in ſuas partes jura & auxilia. Pro Guaſtalla certabat favor Regis Catholici: Rex Chriſtianiſſimus, tametſi bello Monpellano feſſus, Nivernij defenſionem ſuſceperat: Sabaudiæ Regulus arma induerat: Margarita ſpes ſuas alebat juris fiduciâ. Simul pro Nivernio faciebat ſuprema Vincentij II. voluntas, qui ipſum ſucceſſorem dixerat, addito voto, ut tota familia per nuptias Mariæ, ſuæ ex fratre Neptis, cum Duce Retellio Niverni filio in unum coaleſceret. Mariam ex filiâ Neptem nuptum duceret Mauritius Cardinalis Ducis Sabaudiæ Filius, quò jus Sabaudicum in Montisferratenſem ſaltem Ducatum, ſi ſimul Mantuano non potiretur, magis firmaret. Cum Sabaudo adverſum Nivernium auxilia jungebat Rex Hiſpaniæ. Caſalim Montisferrati princeps præſidium arcémq; inter Europæos propè triumphantem Gallicus miles pro Nivernio tuebatur. Sabaudiæ Dux præter eam urbem nihil reliquum fecerat Nivernio in imperio Montisferratenſi, occupato Trino, Albâ, Moncaliero, Nicæâ Paleæ. Spinola juſſu Regis Catholici Caſalim coronâ obſidionali cinxerat. Mantuanus Epiſcopus vicario nomine, pro Nivernio, ipséque deinde Dux Retellius Nivernij filius, patris vice Mantuani Ducatûs inveſtituram à Cæſare petiverant, nec impetrârant, utpote inter armatos controverſam. Inter Sabaudum interim & Nivernium convenerat, Cæſare non conſulto, ut Caſali Nivernius, Sabaudus verò occupatis potirentur, ſi Reges utrinque auxiliares aſſentirent. Belli initium Nivernio infauſtum. Divenditarum in Campaniâ Dynaſtiarum pretio lecta octo peditum millia ad usque Alpium fauces è Gallia ducebantur in Italiam ipſius auſpicijs, cùm Sabaudus, aditu prohibito, effecit, ut ne unus quidem in Italiam penetraret. Iſtis ergo fuſis, non erat, quo Nivernius inſtauraret exercitum. Et jam Caſalis, Beurrono Gubernatore interfecto, commeatûs & ſtipendiorum inopiâ, periclitabatur. Ne bellum pro Nivernio Rex Franciæ ſuſciperet, obſtabat hiems rigida, munita ab Allobroge Alpium clauſtra, nuperæ cladis Nivernæ exemplum, afflicta tributis Gallia, optata pleriſque cum Hiſpano concordia, fœderis cum ipſo ſanciti reverentia, belli tædium ex recenti Rupellenſium laborum memoriâ, adverſa conſultorum vota. Vicit tamen Richelij Cardinalis ſumma apud Regem authoritas, effecitque, ne Nivernij cauſam Regis miſeratio deſtitueret. Quam ad rem multùm valuit Auſtriacæ magnitudinis æmulatio, odiúmque Hiſpanici in Italiâ dominatûs, fatalis duarum Coronarum nationúmque diſcordia. Brumâ igitur aſperrimâ, per nives, per glaciata itinera & abrupta montium; ſuperatis, quæ Sabaudus hinc inde vallium anguſtijs impoſuerat, propugnaculis, actiſque in fugam defenſoribus, Susâ ſubinde ad deditionem coactâ, Galli ſibi viam in Italiam aperuerunt, eò tutiorem, quòd per leges deditionis, & pactorum inter Regem & Sabaudum conventorum ℣ Caſtellum S. Franciſci Gallis erat traditum, Sabaudio. viciſſim addicta protectio, Allobrogibus & Pedemontanis à bello immunitas, & præter Trinum annua quindecim (octodecim ſcribunt aliqui) aureorum millia, ſi Sabaudus ſuo in Montemferratum juri renuntiaret, ita tamen, ut,

Gramond p. 752.

LIII. Bellum Mantuanum.

LIV.

Nivernio infauſtum initium.

LV.

Galli ingrediuntur Italiam.

Paciſcuntur cum Sabaudo.

ut, donec iſta præſtarentur, & Suſa, Caſtellúmque S. Angeli reſtituerentur: ijs, quæ LVI. Sabaudus jam in Monteferrato tenebat, uterque frueretur ut ſuis. Sic Gallorum adventu res in Italiâ fuêre multùm inclinatæ. Multi exinde extitêre conflictus. *CÆSA VENETORUM AUXILIA.* Venetorum ſuppetiæ, quæ ductu Candalij Nivernio mittebantur, non procul à Mantuâ cæſæ. E Nivernenſibus multi ad Rodrigum cæſi, multi capti. Veneti, tum Goiti, tum Valezzi magnâ à Cæſarianis clade affecti. *LEGIO GALASSI PROFLIGATA.* Legio Gallaſſica prope Vercellas à Francis propè deleta. *INVADITUR MANTUA.* Tandem 15. Cal. Sextil. Mantua hunc in modum occupata. Sub ejus diei crepuſculum, Cæſariani, ductore Aldringero, ſummo ſilentio, navigijs ad mœnia provecti, per portam, inſititio tormento effractam, turmatim irruerunt in Urbem. Præſidiarij, aliíque viri manu prompti, ut in re incogitatâ, ad arma tumultuariè concurrerant: ſed momento à Cæſarianis fracti, cæſi fuerunt, vitâ nemini, qui arma geſtaret, donatâ. Ipſe Nivernius unà cum filio & aliquot Proceribus in Portenſem arcem confugit: inde, pactus cum urbis victoribus vitam & libertatem, ſeceſſit in Ferrarienſem Pontificis ditionem, eâ dimiſſus lege, ne ad Francos Venetóſve ſe reciperet. Civitas Ducíſque regia bidui ſpatio patuêre direptioni: collegit miles prædam incredibilem, uſúſque fuit crudeli & fœdâ inſolentiâ, in ſexum præſertim debiliorem,
LVII. cujus longa altáque in Mantuano Ducatu locíſque finitimis, cum Germanici nominis deteſtatione, memoria; adeò ut apud agreſtes ſupremo capitis periculo eſſet affine, vel ex ſermone videri Germanum. *PAX MANTUANA.* Bellum iſtud, quod ſui ſtatim primordio multis viſum eſt inauſpicatum, Carolo Brulardo Regis Franciæ Oratore, per Septemviros in Ratisbonenſi Conventu agente apud Cæſarem, cœpit extingui, pactis eodem loci conditionibus, quas Rex Galliarum ratas haberet, è quibus hæc erat præcipua, ut Dux Nivernius, ubi ſe Cæſari obſervanter ſubmiſiſſet, impetratâ admiſſorum veniâ, Mantuano Ducatu & Montisferrati inveſtiretur. Ad eam pacem Maximiliani Septemviri opera perpetuúmque pacis ſtudium contulit quamplurimùm. *Pet. Ioan. Capriat. lib. 12. p. 691.* Verùm illa Hiſpanis parùm fuit accepta, quòd exiſtimarent, ſui, Cæſareæ exiſtimationis, reíque communis, æquo minorem habitam eſſe rationem. Sed bellum Suecicum, & novæ Acatholico-
LVIII. rum in Germaniâ conſpirationes Cæſaris copias revocabant ex Italiâ. Quamobrèm à Colalto, qui id temporis Vercellis morbo erat afflictus, pax in Italiâ fuit publicata, non tamen ideo ſtatim ſoluta Caſalis obſidio, qua adhucdum *AMBROSIUS SPINOLA MORITUR. COLALTUS SEQUITUR.* perſtante, Ambroſius Spinola fractus ætate, feſſus laboribus, æmulorum (quod magnis heroibus propè adnatum eſt) appetitus inſidijs, mortalitatem exuit, vir, ob res præclarè fortitérque geſtas, gloriæ & famæ immortalis. Pòſt paulò Colaltus, Curiæ in Rhetiâ, fato conceſſit. Veneti deinde pacem obtinuerunt à Cæſare.

LIX. *BELLUM SUECICUM.* Ad rem noſtram proximè ſpectat, quod aggredimur, bellum, omnium propè, quæ vidit Germania, animoſâ partium contentione pertinaciſſimum, diuturnitate moleſtiſſimum, rerum eventu maximè varium, cladibus atrociſsimum, populorum vexatione calamitoſiſſimum Maximiliano Bavariæ Septemviro, qui belli magna pars fuit, quippe cujus ductu, curis, vigilijs, ære magnam partem defenſum eſt, laborioſiſſimum, ſumptuoſiſſimum, periculoſiſſimum.

LX. Imperij Principes & Ordines à Romanis Sacris alieni, ſoluto Ratisbonenſi Comitio, quaſi de propoſitis ineundæ cum Catholicis concordiæ rationibus eſſent deliberaturi, re autem verâ, ut belli conſilia agitarent, Lipſiæ ad 8. Id. Febr. anni inſequentis Conventum indixerunt. Id videlicet habebant propoſitum, ut Cæſareum de reſtitutione Eccleſiarum Edictum aut tollerent, aut ſufflaminarent. Ad hoc incitabantur valido Guſtavi Adolphi Sueciæ Regis apparatu, qui creſcebat indies, Germanorum, aliorúmque tum Catholicæ fidei, tum Auſtriacæ Domûs æmulorum acceſſione. Jam enim tum, quando Cæſari bellum, editis in publicum ejuſce ſuſcipiendi cauſis, indixit, ex Suecis, Finnis, hominibus ad labores, inediam, frigora ferreis, ex Livonibus, Lapponibus, Germanis, Anglis, Scotis, alijs, quadraginta armatorum millia contraxerat: quem ipſe numerum

cx

ex vetere Romanorum diſciplinâ exiſtimabat parem cuivis expeditioni,eum verò qui excederet, oneroſum, & quod in corpore monſtroſæ magnitudinis contingit, ab uno capite, velut ab animâ languidè & nimis operosè regeretur. Regem commendabant, ſecunda fama, forma heroica, bellandi peritia, ſolers ingenium, intelligentia verſatilis, laborum tolerantia, quæque pro ſtimulo ſimul & obtentu ſumebatur, amor Germanicæ libertatis, ardens vindicandæ religionis Auguſtanæ deſiderium, comitatis nomen ſuave, idoneúmque nova imperia dominatúsque parantibus. Adjungebatur omnium ferè Germanicæ nationis Proteſtantium, tam Principum ac Procerum, quàm civitatum Auguſtalium clandeſtina cum ipſo conſiliorum voluntatúmque communicatio, quæ portis velut apertis, & obvijs ſtudijs jam ultro venientem invitabat, ut non ſuæ modò gloriæ operaretur, ſed eorum etiam precibus, qui cùm ſacrarum repetundarum arceſſerentur, ab ipſo auxilia poſtulabant. LXI. Obtentus belli.

Belli initium à Pomeraniâ. Guſtavus Rex partem exercitûs, quem claſſe è Succiâ advexerat, in Rugiâ Inſulâ expoſuit. Ex hac ante Regis adventum Leslæus Cæſarianos exegerat. Alteram copiarum partem in Stralſundæ portu (tanti erat iſtam civitatem à Fridlando fruſtra vexatam exterum Regem ſibi adjunxiſſe) juſſit facere exſcenſionem: ut verò à tergo minus haberet periculi, Wolgaſtum ſibi ſumpſit expugnandum. Id anteaquam aggrederetur, ſubegit Spandawanagam Inſulam medio interpoſitam mari, Cæſarianorum, quæ iſthic voluptariàm Ducis Pomerani domum inſederat, centuriâ, quà cæsâ, quà captâ. Mox Pœnemundicum portum, Wolgaſto oppoſitum, geminis munitum propugnaculis, ſuæ poteſtatis fecit. Pari facilitate Uſedomum Inſulam, deletis duabus Liburnorum equitum centurijs, invaſit. Sub hæc Wolgaſto fuit admota obſidio. E munitionibus exterioribus præſidium nullo propè negotio fuit ejectum, defenſorum ignaviâ, an paucitate: caſtra in continente validis circumvallata operibus. Cum civitate res fuit cruenta & multorum certaminum, in quibus utrinque permulti occubuêre, donec factâ impreſſione Cæſariani ſuperati atque rejecti in arcem, menſe Auguſto deditionem fecerunt. Iidem illi geminas ad Suinam (oſtium eſt, quo ſe Odera in mare Balthicum egurgitat) munitiones, & Wollinium unà cum arce expilatum, accenſo poſt ſe Divenavenſi ponte, triduo ante Regis adventum (tantus erat terror) deſerentes, Regem ut eveſtigio ſequeretur, receptu fugæ ſimili, invitârunt. Nec mora, relicto Wolgaſti firmo præſidio, recedentibus inſtitit, lætus, ſe non modò cum ſemivictis (quod trepidatio abitúſque præſagiebat) habere negotium, ſed etiam tantillo opere, ternas Inſulas, quæ multis armatorum millibus neceſſaria præberent atque receptum, quæque haberent mare infeſtum, & tuta Pomeraniæ littora, in ſuam ditionem redegiſſe. Pari flagitio Caminum expilatum deſertúmque, venit in ipſius poteſtatem. Gustavus exſcendit in Pomeraniam. Varia loca occupat. LXII.

Inter Wolgaſtum & Grypſwaldam ſubinde mille alarios & quinque Legiones expoſuit in continentem: aliquot item millia ad Rugenvaldam: ſecuta poſtmodum vis major: excitavit exhinc incredibili celeritate operâ Legionum, firmandæ expeditioni & littorum præſidijs, paſſim propugnacula. Spectabat iſta feſtinatio, quâ in bello nihil efficacius, Stettinum, principem Pomeraniæ civitatem, nobiliſſimúmque iſtius Provinciæ emporium, quo ſubacto, prompti erant ad cæteram Pomeraniam progreſſus; & plurimùm Regis intererat, in eâ occupanda Cæſarianis prævertere. LXIII.

Cæſar Torquatus Contius Comes, Cæſaris in exercitu Legatus, id ſubodoratus periculi, cum viginti armatorum millibus Pomeraniam inferiorem ingreſſus, ratus, quod res erat, Stettinenſes, acceptorum damnorum memores, cùm Cæſarianas partes haberent exoſas, Cæſari fidem non ſervaturos, ab ipſis poſtular, ut Pomeraniæ Reguli aſſenſu militem urbi propugnandæ intra mœnia recipiant: at negavêre illi ſe milite indigere, cæteroqui in officio erga Cæſarem, ſuíque defenſione contra Suecum futuros. Eo comperto, Guſtavus per Suinam ſecundis ventis, adulto Julio, ocyùs adnavigans, horâ poſt meridiem alterâ, exercitum, Stettinum occupat.

cen-

centum advectum onerarijs, in urbis conſpectu producit in aciem. Fit ab oppidanis concurſus, ſive territis, ſive ſpeciem aliquam propugnationis ex compoſito facturis. **LXIV.** *Pacta Guſtavi cum Duce Pomeraniæ.* Scenæ hæc fuit ſeries. Miſſus primùm ad Guſtavum à Sigefrido Demizio Pomerani Reguli in urbe Vicario tympanotriba (ſpecioſus ſcilicet & impetrabilis Orator) qui moneret, caſtra à mœnibus procul magis ſemoveret, nî vellent Sueci ex æneis machinis fulminari. Is exceptus riſu, juſſus eſt ipſum urbis Præfectum ad Regem accerſere: accerſivit, paruit Præfectus: ſed, habito cum Rege colloquio, incertum, quâ fide, reverſus eſt ad Ducem Bogislaum, nuntians Regem ipſum omnino coràm velle. Adfuit Dux poſt tantillam moram, & in arenâ, vel ex condicto meditatas leges, fœdúſque defenſivum unà cum Stettini deditione cum Guſtavo pactus, jecit futuræ ſucceſſionis & Suecici
LXV. in Pomeranos dominatûs fundamenta, quæ, anno inſequente, menſe Aprili, Pomeraniæ Ordines confirmârunt. Stettinenſes Guſtavo quingenta Ferdinandicorum nummûm millia, cætera Pomerania tantundem dedêre, addictâ præterea certâ ad alendum bellum portoriorum parte. Sic volentes vincebantur. Ergo Suecico præſidio urbi impoſito, novis operibus circummunita mœnia: Dama, in adverſo Stettini littore, occupata: Pomeraniæ delecta militia, Duce volente, Suecis addita.

Dux Pomeraniæ Cæſari excuſat deditionem.

Huiuſce mutationis cauſas apud Cæſarem contulit Bogislaus in neceſſitatem ultimam, in ignes, ſævitiem, concuſſiones, cæterámque Cæſarianorum duritiem; quódque advenienti Regi extero, & hoſti quidem publico, omnes in Pomeraniam aditus, aliò dilapſi, apertos feciſſent: quòd ſuper diuturnas, eáſque intolerabiles populi vexationes, ferrum non adverſus inimicos, ſed in miſeros indigenas & ſtrinxiſſent, & exercuiſſent: quòd ab ijs proinde nihil tempeſtivi auxilij, contra immanem exterorum potentiam, potuiſſet expectari.

LXVI. Quamobrem Cæſarianorum in Stettinenſes odia, meſſes paſſim in agris, ædes in oppidis, incendio corrupêre: abegêre armenta, moletrinas evertêre, quicquid annonæ in promptu fuit, vel avexêre, vel ne Suecis foret uſui, perdidêre. Geminæ ſubinde Suecorum cohortes firmatæ ſexaginta alarijs, Cæſarianos, nocte intempeſtâ, ad pagum Garzium, poſt acrem dimicationem, octoginta deſideratis, ſeſquicenturiam, & quod ſuperat, Cæſarianorum in loco peremerunt. *Velitatio cum Suecis.* Minutulam iſtam ſuorum jacturam Rex accepit graviter, quòd ſentiret, gravis eſſe damni, ſi miles momento pereat, quem diuturno labore, & impenſis oportuerit ſenſim formari ad belli munera.

Ipſe ille propè abfuit à periculo, ſub Auguſti initium. Cùm ſeptuaginta duntaxat equitum manipulo, clauſtra aliquot impeditiora inſpecturus, obequitaverat, monitis tamen ternis alariorum ſignis, ut actutum ejus veſtigia legerent. *Guſtavus periclitatur.* Priorem locum vix luſtraverat, cùm à Quintio Bruccio, quem à Cæſarianis transfugam ipſe ſuſceperat, proditus; ubi ad ſecundum pervenit, tam firmo reperit munitum præſidio, ut viâ interceptâ, nequiret ultrà progredi. Interea Cæſaria-
LXVII. ni à Quintio moniti, clauſtrum, quod à tergo reliquerat, numeroſo milite compleverant. Quare, cùm iſthuc redux & à fronte, & à tergo urgeretur, jam in eo erat, ut veniret in Cæſarianorum manus, cùm ſubſidiarij, quos ſequi juſſerat, equites laboranti adfuêre. Ergo, cùm vi eſſet perrumpendum, venitur ad manus. Memorant aliqui è Cæſarianis mille quingentis, occubuiſſe quadringentos, captos à Rege ducentos, fugatos cæteros.

LXIIX. *Cæſariani Clempenaviam expugnant, ſæviunt alibi.* Dum Stettini Guſtavus Rex occuparetur; Cæſariani, contractis copijs, ad Stolpam caſtra poſuêre, Anclamâ hoſti relictâ. Ukermundæ ſors eò fuit deterior, quòd, anteaquam Guſtavo pateret, ceſſit in prædam abituris. Iidem arcem Clempenaviam, Ducis Savellij induſtriâ, ſub exeuntem Auguſtum, expugnatam malè multârunt. Paslewalcam & Penkunum urbeculam exciderunt, quòd, vocatis Suecis in auxilium, tributa impoſita non repræſentâſſent, direptis omnium fortunis, matronis, virginibúſque fœdè habitis, contrucidatis deinde omnibus omnis ætatis & ſexûs incolis, paucis, qui opulentiores erant, ſpe lytri, exceptis,

quos

quos conjecêre in vincula. Super hæc Paslewalca redacta fuit in favillas, tali miſerorum laniená (quorum cauſam lenire ſaltem debuiſſet communis naturæ humanæ conditio) ut velut quâdam facinorum exaggeratione crediderint multi, peccatorum menſuram impleri, quam deinde vidimus in nocentia capita cælo indignato effuſam. Eduxêre per id tempus Cæſariani è Megapolitanis præſidijs pleraque copiarum, coactóque juſto exercitu ſui copiam Suecis facere ſtatuerunt. Eo comperto Guſtavus, re in conſilio bellico in partem utramque diſcuſsâ, cùm aliqui confligendum eſſe cenſerent, ſupremam aleam adhuc detrectandam ratus, profectionem indixit in Megapolitanos, ubi citra omne proppè periculum, pleraque Cæſariano milite vacua, in rem ſuam prona, patentiáque erat reperturus. Accedebat ratio brumæ jam imminentis, in quâ credebat Cæſarianos, ob frigoris bellíque hiberni inſolentiam, ſublatâ præſertim copiâ pabulandi, ſub pellibus non duraturos. Quare, relicto ad Stettini defenſionem cum copiarum parte Guſtavo Hornio, Stralſundam cum cætero exercitu & bellico inſtrumento navigavit. Ejus abitu cognito, Cæſariani copias, quæ ad Stettinum in caſtris remanſerant, tentavêre, ſed caſſo eventu, & nonnullo famæ, quæ in partem utramque mirè valet, ſub bellorum initia, diſpendio. Sueci pugnam detrectantes movent in Megapolitanos.

LXIX.

Guſtavus ingenti Stralſundanorum lætitiâ exceptus, paucis pòſt diebus Megapolim verſus promovens, turrim Damgartiam (ad quam Ricenizius amnis Pomeranos à Megapolitanis dividit) expugnavit, juſsítque omnes, quotquot iſthic curabant, præſidiarios, è faſtigio, quò ſe receperant, in imum agi præcipites. Inde movit ad pontem Rigenizenſem. E regione Cæſariani propugnaculum in palude tenui loricâ neglectim munitum, ſéque ipſos, poſt paucos tormentorum ictus Regi dediderunt, gregarijs ad ſigna Suecica, ductoribus in vincula traductis. Mox Ribeniza cum præſidiarijs, paucis in propugnatione deſideratis, in fidem Guſtavi recepta. Sub hæc juſſit ipſe publico programmate Megapolitanos, unáque Roſtochienſes ad priſtinorum Principum obſequia, fidémque reverti, arma Suecis ſociare, jugum excutere, Fridlandi Vicarios vincire, abire, mactare, id ni faxint actutum, velut hoſtes ac perduelles igne, ferro, commerciorum perpetuâ jacturâ, perfidiam expiaturos.

LXX. Megapolitanos avocant a fide Cæsaris.

Ne Roſtochienſes ſuo & Regis animo obſecundarent, prohibiti ſunt immiſsâ per ſtratagema valentiore Cæſarianorum manu, armíſque, juſſu Comitis Hatzfeldij, ne quid cives auderent, civibus ademptis. Dux Savellius interea, collectis aliquot legionibus, caſtra inter Ribenizum & Roſtochium Suecis oppoſuit. Ea res nonnihil remorata eſt Guſtavi Regis conſilia: & aliunde orta eſt alia ſufflaminatio.

LXXI. Suppetiæ mittuntur Cæsarianis ex Bavarico milite. Franciscus Dux Lauenburgicus desciscit ad Suecos.

Etenim Maximilianus Bavariæ Elector, qui animo jam diu proſpexerat, quorſum Borealis iſta tempeſtas, ni obſiſteretur, eſſet tandem evaſura, Cæſari author fuerat, mittendi ex fœderato Catholicæ unionis milite laborantibus Cæſarianis tempeſtivas ſuppetias. Igitur, volente Cæſare, Pappenheimium, virum in paucis fortem & bellicoſum iſti expeditioni præfecit, tempore opportuniſſimo, maximéque neceſſario. Huic primus adverſus Franciſcum Carolum Saxonem Lauenburgicum labor fuit, qui, collecto milite, in Suecicas partes conceſſerat, & Boizenburgo, Lauenburgo, atque Neohuſio ad Albim, menſe Octobri, occupatis; non exiguum cœptæ operæ pretium ſibi feciſſe videbatur. Eo factus avidior, comperto Cæſarianorum manipulum aliquot Ferdinandicorum millia Guſtrovium deducere, è ſuis miſit centum viginti circiter, qui eam pecuniam interverterent. Hi, ut pervenêre ad pagum, in quo credebant noctem agere Cæſarianos, agmine diviſo irrumpunt in locum à Cæſarianis, tribus, antequam Lauenburgici advenirent, horis relictum. Cùm diſceſſum ignorarent hoſtes, tenebris fallentibus, diverſiſque vijs concurrentes in mutuas cædes, quaſi hoſtes forent, in pagum irruunt, ſuúmque ductorem cum aliquot gregarijs trucidant. Id majoris cædis fuit augurium. Pappenheimius enim Albi transmiſſo, & Lauenburgicis illico è Boizenburgo & Neohuſio ejectis, Razenburgum, ubi Augu-

LXXII. Lauenburgici se mutuo conficiunt.

PAPPENHEIMIUS RATZENBURGO POTITUR. LXXIII Auguſtus Saxoniæ Dux Lauenburgicus cum aulâ degebat, contendit. Eſt Ratzenburgum modica civitas, cùm res Catholicæ florerent, Epiſcopatu nobilis, lacu tota penè circumfuſa. Habet ex uno latere per pontem ſublicium trecentorum paſſuum ingreſſum, ex altero protegitur arce prævalidâ. Illuc Pappenheimius, ſui famam præveniens, tantâ celeritate contendit, ut priùs à Franciſco Carolo adveniſſe, quàm iter ingreſſus eſſe noſceretur. Adventum nuntiârunt equites è ſuâ ſtatione pulſi in oppidum, amiſſo centurione. Ergo vis extemplo admota civitati, partitâ in centurias oppugnatione. Reinachio tribuno demandata pontis expugnatio. Pappenheimius unà cùm Saliſio alterum civitatis aditum ſecundùm arcem aggreditur. Auguſtus Dux Cæſaris nomine arcem poſtulatus, ilicò tradit Pappenheimio. Mox peditatu civitatis mœnibus admoto, Franciſco Carolo inducias petenti, conceditur ad deliberandum quarta

CAPIT FRANCISCUM CAROLUM LAVENBURGICUM DUCEM. LXXIV horæ pars. Quare is lembo conſcenſo, per lacum conatus evadere, cùm frequenti bombardarum tam è littore, quàm ex arce, grandine peteretur, jámque nauclero caput eſſet excuſſum, reverſus in oppidum, ſe ſuóſque Pappenheimij arbitrio permiſit, hâc duntaxat lege, ne à Cæſare aut Bavaro capitis ſupplicio, aut perpetuo carcere plecteretur. Ad eum modum delectus Lauenburgici Sueciæ Regi in nihilum recidêre.

HASSIÆ LANDGRAVIA VIDUA AGIT CUM SUECO DE FŒDERE. Dum is Stralſundæ adhuc ageret, Haſſiæ Landgravia Vidua per Hermannum Wolfium Conſiliarium, ſuo & filiorum Wilhelmi & Hermanni nomine, jecit prima fœderis rerúmque magnarum, quas anni inſequentes produxêre, fundamenta. Fœdus anno proximè ſecuturo ſancitum fuit. Jam ante id temporis Chriſtianus Wilhelmus Brandeburgicus, Magdeburgenſi adminiſtratione exutus à Cæſare, magnis promiſſis Guſtavum pellexerat, ut ad delectus tredecim millium clàm Cæſarianis faciendos, pecuniam ſuppeditaret. Megapolitani Principes, tametſi Ratisbonæ apud Cæſarem de ſuâ reconciliatione, ſuffragantibus Electoribus, agerent; nihil tamen minùs clandeſtina conſilia ſimul miſcebant cum Guſtavo Rege: ſic paulatim veniebat in apertum, quàm multi Proteſtantium non nutarent modò, ſed etiam toti propenderent in hoſtes Cæſaris: vaneſcente enim

LXXV. MINORES CONFLICTUS. metu, qui infidus eſt conciliator animorum, rerum novas ſpes potiùs, quàm Cæſarem rémque Imperij communem reſpectabant. Varij inter hæc conflictus ad Stettinum, Guſtavo abſente, Cæſarianos juxtà ac Suecos exercuêre. Liburni equites quadraginta, 16. Cal. Novemb. abacto è conſpectu caſtrorum, Stettinenſium armento, Carbergerum excubiarum Præfectum traxêre in inſidias, & ex quadraginta, quos recuperando pecori miſerat, decem interfectis, captis undecim, reliquos dedere in fugam. Viciſſim Cæſariani aliquot pabulatores cæſi, capti: nonnulli præterea equites, explorandis hoſtibus miſſi, venêre in Suecorum manus.

GUSTAVUS REX COLBERGAM CINGIT. Colbergam, quæ ſola in Secundæ Pomeraniæ velut umbilico alicujus momenti ſtatio, orâ maritimâ jam ſubjugatâ, ſubigenda ſupererat, Cæſariani validâ præſidiariorum manu, ſed tenui annonâ firmaverant. Hoc ex loco, viciniam latè habebant infeſtam. Quare Pomerani precibus aſſiduis, oblatóque, ad obſidionis impendia, magno ære, Regem urgebant, quo ſpinam iſtam regioni evelleret. Id quia nequibat ſine ſanguine, ſi arcta obſidio propiùs tentaretur, viſum, cinctu laxiore civitatem commeatu prohibere, quò faciliùs Cæſariani rerum

LXXVI VELITATIO SUECIS ADVERSA. fracti inopiâ debellarentur. Quam ad rem juſto numero militem & Corlinicenſes colonos, qui ad arma confluxerant, adhibuit. Colbergâ cum in modum circumſeſsâ, incuriâ ſtabularij exortum incendium centum octoginta duas primores civitatis ædes concremavit, magno obſeſſorum, ob corruptam ſimul annonam, incommodo. Octobri jam adulto, in velitari conflictu Tiſenhuſius, Witzebius excubiarum uterque Magiſter, duo item centuriones, cum bono gregariorum numero, venêre in Cæſarianorum poteſtatem, nonnullis in loco cæſis. Magni emolumenti ad præcludendum Legionum, quæ è Boruſſiâ Guſtavo Regi ſuppetias veniebant, aditum fore videbatur, ſi Colbergæ obſidio ſolveretur. Ergo delectæ ex Croatis ſedecim vexillationes, è Gœzianis quatuor centuriæ è Germanis

ala-

alarijs ſexcenti, & bis mille circiter Legionarij, qui obſeſſis irent ſuppetias. Illis iter fuit per Neomarchiam Schifflebenam verſus. Hoc loci duæ Suecicorum equitum turmæ, & terna peditum vexilla excubantes, Cæſarianorum adventu terrefacti, accenſo oppido, (quod medium ferè redactum in cineres) refugêre in arcem. Accepto ejuſce rei nuntio, Guſtavus Hornius Regis in exercitu Legatus, adſcitis Cniphuſij copijs, quæ Boruſſicis ibant obviam, primo à Colbergâ lapide, tetendit, loco perquam opportuno, ut, quocunque ſe Cæſariani verterent, obſidentibus auxilio poſſet accurrere. Colbergenſes, qui tantiſper quieverant, audito ſuppetiarum adventu, factâ eruptione, proximam Succorum ſtationem invadunt, & aliquot in veſtigio interfectis viginti octo Colbergam captivos trahunt. Sed qui adulto jam Novembri, ductore Savellio, obſeſſis auxiliatum venerant, ab Hornio fuêre prohibiti, quo minùs Colbergam penetrarent. Rege Guſtavo non multò pòſt ad Stettinenſia caſtra profecto, Savellius, ratus ſe Suecos tale nihil opinantes, ex improviſo oppreſſurum, cum parte exercitûs Stettinum verſus movit. Verùm Sueci de ipſius itinere fuêre tempeſtivè moniti Ut venit in eorum conſpectum, comperit ad pugnam inſtructos. Dum cominus magno utrinque niſu res agitur, Cæſarianis malè vertit, quòd nimis raros defenſores pro tormentis locâſſent. Id enim cùm Suecos advertiſſet, ilicò tormentis potiti, ex ijs ſtragem in Cæſarianorum agminibus edidêre, turbatóſque reſtitantes egêre in fugam. Ex eâ victoriâ ceſſerunt Suecis egregiæ manubiæ.

LXXVII.

CÆSARIANI FRUSTRA CONANTUR COLBERGÆ SUCCURRERE.

CLADEM ACCIPIUNT.

Acceſſit velut additamentum, ipſis Chriſti Natalitijs, Griffenhagæ expugnatio. Comes Schaumburgicus, Torquato Contio vitâ functo ſuccedens, reperit exercitum in caſtris propè Garzium frigore, fame, morbis, transfugijs ad hoſtem, vehementer imminutum. Quare ſe Guſtavo Regi, qui imminebat, imparem ſentiens, Garzium, cujus infirmæ munitioni abſque temeritate ſuam exercitúsque ſalutem committere non poterat, incendit, omnem civium annonam corrupit, merſítque in Oderam bellicum inſtrumentum. Inde quantâ potuit celeritate, Francofurtum ad Viadrum properavit: cæteri Cæſarianorum, qui à caſtris Garzianis aberant, Lanſpergam ſe recepêre non ſine clade. Multi enim in Cuſtrinenſi vallo fuêre deſiderati, mille quingenti quà capti, quà necati ad Pirizum. Sic Pomerania univerſa, Gripswaldâ & Colbergâ exceptis, venit in Succorum manus. Miſera prorſus erat facies exercitus Cæſariani. Cratzius è Bavaricis Tribunus Lanſpergâ cum ſuâ legione tuebatur, & frequentibus excurſionibus Suecos laceſſebat. Profectò intererat, iſti loco bene de rebus omnibus eſſe proſpectum: ſed cùm annona eſſet pertenuis, miles, pro laxo urbis ſpatio, juſto erat infrequentior, exiguus belli commeatus, machinæ raræ & malè curatæ. Ergo Cratzius à Schaumburgico popoſcit auxilium, Schaumburgicus à Tillio, ídque per litteras hoc argumento: Tam pedeſtres quàm equeſtres Cæſaris copias, indies non numero duntaxat, ſed animis etiam deficere, vix ſupereſſe medias Legiones: octoginta ſigna alariorum non omnino ſepties mille capita numerare, è peditatu ſummum ſupereſſe quatuor millia, quorum præſentaneus uſus foret in expedito: omnes tandem, Januariò ſequenti, pedites ſimul & equites ad octo millia redierant. Querebatur ſuper hæc periclitari Lanſpergam: quâ amiſsâ, cum tantillâ manu Francofurtum propugnari non poſſe: meritò poſtulare quidem Cratzium illa, quæ Lanſpergæ ſint uſui, ſed quorum ſimul Francofurti luculenta ſit inopia. Hoc loci nullam eſſe cibariorum penum, pulveris nitrati ſupereſſe novem circiter dolia, funiculorum pyriorum pondo trecenta circiter, bina majoris modi tormenta; nec plura; medij quatuor; minimi octo: ad vecturam ne unam quidem adeſſe equi ungulam. Ab agricolis, qui omnes domo profugerint, translatis in loca munita opibus, nihil prorſus eſſe ſubſidij: regionem univerſam vaſtam eſſe ac ſolitariam. Nî maturetur auxilium, venturum poſt rem, Lanſpergâ juxtà ac Francofurto amiſſis: occluſos eſſe interea Sileſiæ aditus, militem animi debilem pugnam averſari. Ea cùm primùm Tillius Maxi-

LXXVIII.

COMES SCHAUMBURGICUS TORQUATO SUCCEDIT IN CÆSARIANO EXERCITU.

GARZIUM INCENDIT.

SE RECIPIT FRANCOFURTUM AD VIADRUM.

MALE PROSPECTUM LANSPERGÆ

LXXIX.

LITTERÆ SCHAUMBURGICI AD TILLIUM.

Litt. Shaumb. ad Tilliũ. 7. Ian.

MISERANDUS STATUS EXERCITUS CÆSAREI.

LXXX.

milianum monuit, extemplo juſſus fuit cùm copijs auxiliaribus ad Viadrum feſtinare è ditione Halberſtatenſi, ubi Magdeburgo intentus ſe tenuerat.

Subit hoc loco mirari, quid fuerit cauſæ, quamobrem exercitui tam numeroſo, tam formidando, tot ſtipendiorum & palmarum, qui rapuerit tam multa, tam multa dono obtinuerit, omnia defuerint, non ſecus atque ſi nihil habuiſſet? Eos fame, pœdore, nuditate, morbis, ultimâ penuriâ periiſſe, quos auro onuſtos, & jam argentum nauſeantes Germania aliquando viderat? Nimirum, quemadmodum rapuerant ſine modo, ita ſine modo ad omnem vitæ licentiam profuderant. Si ſtipendijs & moderatione contenti vixiſſent, ſupervixiſſent, nec defuiſſent ſtipendia, ſi collationibus in regiones, civitates, municipia, ex æquo partitis, viritim menſtrua ſtipendia fuiſſent repræſentata. Sic enim coërcitis rapinis, nullo propè negotio à populis ſumptus præſtari in longa tempora, à milite, cum bono Deo, accipi potuiſſent. Sed poſtquam nihil ſatis fuit quorundam Ductorum avaritiæ, omnia improvido luxui, ac demum gregariorum vitæ ſuſtinendæ defuerunt, licèt quibuſdam è primarijs raptoribus adhuc magnæ divitiæ ſupereſſent. Sed quis poſterorum credet, in exercitu, qui non pro focis tantùm ſed & pro aris certabat, tam defuiſſe pietatem in Deum, ut multi iſto bello vix gnari, quiſnam eſſet religioſus veri Dei cultus, adoleverint? Quid igitur mirum, divinum ductum, quo ſine confuſa ſunt omnia, cæleſtem opitulationem, ſine quâ labaſcunt res ſummæ; ubi tanta fuit Dei oblivio, quæ eſt flagitiorum mater, à bene cœptis abfuiſſe?

UNDE TANTA MISERIA?

BOICÆ

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS III.

LIBER XVI.

Annus varijs Catholicorum cladibus inauſpicatus : Magdeburgi excidium.

An. M.DC. XXXI.

I. Conventus Lipsiensis.

QUæ de Guſtavi Suecorum Regis progreſſibus memoravimus, non mediocriter accendêre Proteſtantium animos, ut Lipſienſem Conventum, ad 8. Id. Febr. indictum, magno numero frequentarent. Interfuêre Septemviri Saxo & Brandeburgicus, aliíque è totâ propè Germaniâ Principes, Comites, primæ nobilitatis proceres, Auguſtalium urbium Legati. Primus conſeſſus 4. Id Febr. habitus, poſteaquam Matthias Hõe concionalis præco peroraverat. In eo primæ fuêre Saxoniæ Septemviro partes tanquam Orbis Saxonici capiti. Quare ipſius auſpicijs rerum deliberandarum capita fuêre propoſita, quorum ſumma fuit, tueri Auguſtanam religionem, oppreſſos erigere, non imminuere, ſed venerari Cæſaris authoritatem, Germaniæ libertati opitulari ex præſcripto legum atque conſtitutionum Imperij, inſtaurare cum Catholicis amicitiam, reddere pacem Imperio, in commune conſulere, quid de ultro citróque ineundæ concordiæ rationibus, in Ratisbonenſi Comitio propoſitis, videretur ſtatuendum, & quod præcipuum erat, parare ſubſidia defenſionis, retinere Eccleſiarum poſſeſsiones, edicti Cæſarei executioni ire obviam.

Capita deliberanda.

Conſultationes ad 3. Id. Mart. fuêre protractæ. De bellico apparatu hæc conſtituta. Saxoniæ Elector pro ſuorum finium defenſione, ternas peditum, binas equitum Legiones ſe in armis eſſe habiturum, addixit, eâ ſpe, fore ut cæteri Status, pro ſuo quiſque modo, ex communi Imperij formâ, quam ipſius Index (matriculam vocant) & circuli lex præſcribunt, auxilia conferrent eâ normâ, quæ ab arbitris, ſi quos Conventus legeret, dictaretur. Actum deinde de invitandis ad cauſæ, fœderíſque ſocietatem, Rege Daniæ, Duce Holſatiæ, Civitatibus maritimis, aliíſque, qui religionis Auguſtanæ nomine cenſerentur. Item de conſervandâ finitimorum Potentatuum amicitiâ, de mandatis (ut vocant) avocatorijs, de parili ſtipendiorum convenientiâ, de ſtudio ſalutis communis, de moderationis cancellis, intra quos ſeſe oporteret continere, de ſervandâ promiſſo-

Decreta de bello parando.

De ineundis fœderibus et aliis.

rum

rum fide, de cautelis in tractatione cum Catholicis obeundâ: quis dies amicæ compoſitioni deligendus, quæ edenda conteſtatio adverſus edictum Cæſareum in Cancellariâ Moguntinâ, & Spirenſi Camerâ: quid ſcribendum Cæſari de edicti ſuſpenſione, de privatis quorundam Proteſtantium cauſis, de preſſuris militaribus, contributionibus, aliiſque id generis oneribus & difficultatibus, quæ quidem per litteras, ad 15. Calend. April. datas prolixè explicata, miſsáque Cæſ. Majeſtati eò collimabant, ut intelligeret, Ordines iſtius Conventus, tametſi in Suæ Majeſtatis obſequio cuperent, pro eo ac debebant, perſeverare, nihilo tamen minùs cùm libertatis ſuæ ac jurium imminutionem, militares injurias, collectas nimiùm exaggeratas, ſubjectorum oppreſſorum lamenta, diutiùs ferre nequirent, ſi modus non adhiberetur, non fore ipſis vertendum vitio, ſi ultrà laceſſiti juſtæ defenſionis remedia amplecterentur. Reſpondit Cæſar perbenignè, ſe Comitij litteras cum Catholicis Electoribus, Principibus atque Ordinibus communicaturum: permanerent interim, qui Lipſienſi Conventui dediſſent operam, in pacis ſervandæ propoſito: non enim ſublatam eſſe ſpem concordiæ & mutuæ reconciliationis.

II.

LITTERÆ AD CÆSAREM.

RESPONSUM CÆSARIS.

LITTERÆ AD CATHOLICOS ELECTORES.

RESPONSUM.

In eandem propè ſententiam ſcripſit Lipſienſis Conventus ad Catholicos Electores & Ordines, qui reſpondêre 5. Non. Jul. Catholicos belli calamitatibus perinde atque Proteſtantes afflictos, levamen à Cæſare antehac tum ſibi, tum Proteſtantibus petiiſſe: nemini tamen adhuc veniſſe in mentem, ut arma eâ causâ indueret; ſed putâſſe, malorum originem, belliqùe tot annos continuandi neceſſitatem, hoſtium continuis machinationibus eſſe adſcribendum: nec verò ſe crediɗiſſe, fore ut in Lipſienſi Comitio, non expectato à Cæſare remedio, aliarum rerum obtentu tam periculoſa conſilia caperentur, decernerentur arma, cauſæ communi ſubtraherentur auxilia, ſpectarent extrema, eo præſertim tempore, cùm Sueciæ Rex, nullâ ductus æquitate, occupatis jam multis magni momenti civitatibus, arcibus, ſtativis, Imperium invaſiſſet, nec videretur eſſe ceſſaturus, quoad per vires liceret: eo futurum, ut, niſi præter ſpem Proteſtantes mutent conſilia, Sac. Cæſ. Majeſtas, Principes & Ordines Imperij, qui Cæſarem & rempublicam ſalvam volunt, de neceſſaria defenſione ad avertenda imminentium malorum detrimenta, ſuſcipiant juſtas cogitationes. Quâ ex re oritura ſint magna incommoda, quæ vitari poſſent, ſi per benignam, quæ jam indicta erat, tractationem, moderatiora conſilia caperentur. Alioquin enimvero Regi Sueciæ viam in Imperium aperiri, trahi externos Principes in ipſius partes, & rerum novandarum exempla. Si eo modo procedatur, accîdi Imperij vires, atque exponi periculo, cum perpetuâ notâ Germanicæ nationis: deſtitui datam Cæſari fidem, exui debitam ejuſce Majeſtati reverentiam, dari ludibrio omnium Septemvirûm, Principum atque Ordinum Imperij eminentiam, dignitatem, prærogativas, immunitatem, libertatem, quas Catholici pro virili ſint defenſuri: ubi hoſtis ex voto rem ſuam confecerit, tum demum luce palàm fore, eum nec Germanicæ libertatis ſtudio, nec amore legum Germanicarum, ſed ambitu profeſendæ magnitudinis, tam arduam expeditionem animo hoſtili ſumpſiſſe: eò ſi deveniatur unquã, ſera fore in malo inexpiabili remedia, quæ tamen adhuc tempeſtivè poſſent adhiberi, ſi cum ſupremo ſuo capite Imperij membra conſentirent: longè eſſe conſultiſſimum, ad vim hoſtis externi repellendam, domeſtica arma ſociare: id ſi fiat, non defore rationes coërcendi militarem licentiam, præſtandi moderatas collationes tantâ æquabilitate, ut nulla quiritandi, aut ſe mutuò accuſandi de injuſta tributorum diſtributione, Imperij Ordinibus cauſa ſit ſuperfutura. Quando verò ad Regis Sueciæ claſſicum, Cæſare ad bellum provocato, omnibus fermè locis, Proteſtantes ad arma convolavêre, poſſe facilè æſtimari, an Cæſareæ Majeſtati cum fide & ratione queat ſuaderi, ut (quod inconſultò, imprudenterque faceret) armis poſitis, hoſti omnem in Imperij viſcera graſſandi facultatem permittat. Et licèt quidem Lipſiæ decretus belli apparatus nomine defenſionis tegatur, tamen hodierni belli exemplo, atque ex nuperis orbis Saxoniæ

III.

IV.

V.

niæ ſecundæ factis, nimium quantum patere, quantum quámque pertinax incendium ex iſtâ ſcintillâ poſsit excitari.

Verum quidem eſſe, fœderis Catholici Principes, tametſi invitos, ad bellum ſe rebus neceſſarijs comparâſſe; ſed utique nihil eos cœpiſſe ejusmodi, neque continuâſſe, niſi cum bonâ veniâ atque lubentiâ Cæſareæ Majeſtatis. Etenim unicè ſibi habuiſſe propoſitam Cæſareæ dignitatis incolumitatem, Imperij defenſionem adverſus hoſtes, qui annis ſuccedentibus, alij ſuper alios fuêre exorti, ídque pro omnium Ordinum, qui Cæſari obſequerentur, ſalute: non veniſſe ipſis in mentem, ut quemquam, niſi laceſſiti, læderent. VI.

Ex Proteſtantibus aliquos quidem veniſſe in partem bellici oneris, & fidei Imperio debitæ obſervantiam, cùm Catholicos tam diuturno bello ſolos non fore pares arbitrarentur, ſed hoc dandum fuiſſe neceſſitati & hoſti, qui in Proteſtantium ditionibus belli ſedem fixerat, & Cæſaris authoritati, quæ id exigebat, ſimul rei publicæ, cujus ſalus vertebatur, & ipſorum Proteſtantium conſenſioni, quorum pacta, promiſsáque intervenerant, & hoſtium malignitati, qui defendendi neceſſitudinem Imperio impoſuerant. Quamobrem, ut tandem pax fida, conſtánsque ac ſecura Romano Imperio, chariſſimæ patriæ, otiúmque populis reddatur, Electores Catholicos à Proteſtantibus etiam atque etiam ex animo petere, ne Lipſienſibus conſultis, utpote periculoſis, adhæreant, ſed ſuorum quoque ſacrorum conſortes Ordines permoveant, ut Cæſareis avocatorijs, & monitionibus in Imperio jam publicatis, morem gerentes, diſcedant ab armis; regionum occluſa clauſtra patefaciant, & à facinoribus hoſtilibus adverſus Cæſarem, Ordinésque Cæſari conjunctos, deinceps abſtinentes, Cæſari adverſus Suecum, hoſtem publicum, eíque adhærentes, pro debitâ fide conferant auxilia, & à graviore Imperij perturbatione ſibi temperent. Catholicos viciſſim, quoad vires ferent, daturos operam, ne quid ad communem privatámque, Septemviralium præſertim Domuum, dignitatem, utilitatémve pertinens, videantur prætermiſiſſe. VII.

Et quamvis longè fuiſſet gratius, ſi Lipſienſes fœderati Cæſaris edicto ex præſcriptâ Paſſavienſis tractationis & religioſæ Pacificationis lege, quæ norma eſt iſtiusmodi controverſiarum, juxtáque jura communia, & Conſtitutiones Imperij, quibus Cæſaris ſententia planè conſentiat, dicto audientes fuiſſent, maximè quòd neque de pacis religionis, aut Edicti ſubſtantiâ, nedum de ſtatuendâ novâ pacis religionis formâ, ulla poſſit iniri tractatio, & Ratisbonæ idoneus amici colloquij locus, tempúsque fuiſſet: attamen Catholicos, pro ſuo in publicam tranquillitatem affectu, conſenſu communi, paratos eſſe dare locum colloquio ad diſquirendos modos, quibus in edicti executione omnes prorſus inferendæ injuriæ tollantur occaſiones. Et in eam quidem rem placere Conventum Francofurti, ad 3. Non. Sextil. inſtitui, ſi quidem Proteſtantes id ſibi quoque integrum eſſe ſignificaverint. VIII.

Quod verò attinet ad eam, quam petiverint, omnium, quæ ſive per militiam, ſive modos alios mutata fuerint, reſtaurationem, quâ revocentur res in ſtatum priſtinum; id eſſe in manu Sac. Cæſ. Majeſtatis, cui per Ordines Catholicos cum decentia leges non poſſint dictari. Quæ de bonis Eccleſiaſticis jam reipsâ Catholici recuperârint, ea juſtiſſimè ipſos poſſidere, nec poſſe dimittere ſalvo jure, & Sac. Cæſ. Majeſtatis authoritate. Cæterùm, ſi illæsâ conſcientiâ de cætero quid fieri poterit, id Catholicos in proximo colloquio, pacis deſiderio, facturos.

Antequam Lipſienſe Comitium id reſponſi acciperet, poſtrid. Cal. April. hæc publicè vulgaverat: videlicet ante omnia indici debere publicas comprecationes, Deúmque ſeriâ noxarum pœnitudine placandum. Tractandum cum Catholicis Electoribus de rerum controverſarũ compoſitione ad dictam diem. Agendum cum Cæſare per litteras, cúmque Catholicis Electoribus, de ſuſpendendâ edicti Cæſarei executione, tollendáque belli immoderatione, atque ſervandâ MANDATA COMITII LIPSIENSIS. IX.

Germanicâ Principum ac populorum priſcâ libertate & dignitate. Adverſus militarem violentiam implorandam Cæſaris protectionem : penes eos, quibus Conventus ſuus vices commiſit, ubi res tulerit, fore jus de rebus agendis conſultandi & decernendi. Bellicos delectus habendos ad puram putã defenſionem: debere mutua præſtari auxilia: nemini tamen in poſterũ fraudi fore, quòd in hujusmodi indicendo, aut faciendo apparatu Imperij Conſtitutiones non fuerint obſervatæ. Status interea in officio & debitâ erga Cæſarem obſervantiâ futuros. Demum ad Cæſarem misêre hæc decreta. Subinde, quicquid tandem Cæſar per varia diplomata reniteretur, Bellonâ aures obturante, odijsque omnem obſequentiam intercipientibus, ad arma paſſim per eorum ditiones conclamatum.

X.

13. Ian. 1631. FOEDUS REGIS FRANCIÆ CUM REGE SUECIÆ.

Oleum jam ardeſcenti foco infudit Regis Franciæ Chriſtianiſſimi cum Guſtavo Sueciæ Rege hoc anno fœdus, ex quo patuit, quos haberent communes amicos, quos in Germaniâ adverſus Domum Auſtriacam, ipsúmque Cæſarem vellent adiutos. Fœderis hæc fuêre capita conventa Bernwaldi in Novâ Marchiâ Brandeburgenſi, in ſtativis Regis; nomine Regum agentibus Hercule Barone Charnacæo pro Ludovico XIII. pro Guſtavo verò, Guſtavo Horn, Joanne & Carolo Banneris:

I. Vt ſit fœdus inter Sereniſſimos Galliæ & Sueciæ Reges, pro defenſione ſuorum reſpectivè communium amicorum, ſecuritate etiam maris Balthici & Oceani, libertate commerciorum, nec non reſtitutione oppreſſorum Imperij Romani Ordinum, & ut fortalitia ac propugnacula, quæ extructa ſunt in portubus ac littoribus alterutrius maris Oceani aut Balthici, vel in Rhætia, demoliantur, & in eum ſtatum reducantur, in quo proximè ante hoc bellum Germanicum fuerunt.

II. Et quoniam adverſæ partis animus à juſtâ illatarum injuriarum reparatione in hanc uſque diem alienus fuerit, factásque hactenus interceſſiones rejecerit, idcirco communium amicorum ſalus armatâ manu vindicator.

III. In eum finem Rex Sueciæ pro tantâ belli mole exercitum triginta mille peditum & ſex mille equitum, ſuo ſumptu in Germaniam ducat & habeat. Rex Galliæ quadraginta millia talerorum Imperialium quotannis tribuito, ejúſque ſummæ mediam partem 15. menſis Maij, alteram 15. Novembris Lutetiæ Pariſiorum, vel Amſterodami in Hollandiâ (prout Regis Sueciæ miniſtris videbitur) infallibiliter numerato ac tradito.

IV. Conſcriptio militum ac nautarum, deportatio navium ac rerum bellicarum in mutuis territorijs libera ſit, hoſtibus verò denegetur.

V. Delinquentes in diſciplinam militarem & fugitivi, Domino ſuo pro adminiſtrandâ juſtitiâ in eos tradantur.

XI.

VI. Si Deo placuerit Regi Sueciæ felices ſucceſſus concedere, in negotio religionis non aliter ſe geret in occupatis deditiſque locis, quàm ſecundùm Leges & Conſtitutiones Imperij, & in locis, in quibus exercitium Religionis Catholicæ Romanæ reperietur, in integro remaneat.

VII. Ad hoc fœdus, quicunque alij Status vel Principes voluerint, ſive in Germaniâ, ſive extra eam, admittantur. Idque debitè caveatur, ut, qui admiſſi fuerint, nec clàm, nec palàm, ſuo vel alieno nomine, adverſæ parti faveant, aut Regibus præfatis, vel communi cauſæ noceant, quin potiùs ſinguli ad hoc bellum ſumptus contribuant, quantos unicuique vires permiſerint & intereſſe requirit, eáque peculiari conventione tranſigantur.

VIII. Cum Duce Bavariæ & Ligâ Catholicâ in Imperio Romano amicitia vel ſaltem Neutralitas ſervetur, ſi illi reciprocum præſtiterint.

IX. Quòd ſi per Dei gratiam occaſio tractandi ſe offerat, ex communi fœderatorum conſilio tractetur, nec ullus fœderatorum ſine altero quid ſtatuito, pacémve inito.

X. Hoc fœdus quinque annos durato, à dato nimirum præſentium uſque ad primam diem Martij ſtylo veteri, anni ſupra milleſimum ſexcenteſimum trigeſimi ſexti: intra quod tempus, niſi ſecura pax obtineatur, ex communi rurſus fœderatorum conſilio prorogetur.

XI. Con-

XI. *Conventum eſt tandem, ut quoniam præterito anno de hoc fœdere tractari cœptum, ut in ſex annos concluderetur.*

Et cùm Rex Sueciæ multos interea in hoc bellum ſumptus contulerit, ideo priori illo anno jam ferè elapſo, nomine Regis Galliæ, ipſo die ſubſignationis præſentis Tractatûs N. N. Talerorum Imperialium præſtentur, quæ etiam per certas Cambij litteras à nobis recipientur, & ad cæterorum annorum ſummam non pertinebunt. In quorum omnium fidem, &c.

Habuit etiam per id tempus Rex Magnæ Britanniæ ſuum apud Cæſarem Legatum, qui, allatis de reſtituendo Comite Palatino litteris, Regis mandata expoſuit; ſed cùm videretur minùs æqua poſcere, & Sueciæ Rex eam reſtitutionem armis extorquendam ſibi ſumpſiſſet, irritæ fuerunt poſtulationes. XII. LEGATIO ANGLICA AD CÆSAREM PRO RESTITUTIONE FRIDERICI COM. PAL.

Cæterùm per aſperos hiemis rigores ardebat bellum in Brandeburgicis. Adoleſcente Januario Lockeviza à Suecis ex improviſo erepta Cæſarianis: Daminum, ubi ingens commeatus omnis generis, poſt trium dierum oppugnationem à Savellio deditum. Quam rem Tillius ægerrimè tulit, eò maximè, quòd cùm locum inter Pomeraniæ munitiones peregregium ſervari plurimùm interesſet, & Savellio Tillius dederat in mandatis, ut arci, oppidóque de rebus neceſſarijs ſic proſpiceret, ut trium ſaltem hebdomadum obſidionem poſſet ſuſtinere; & ſi tum quidem ſors adverſa deditionem exprimeret, ſic paciſceretur, ut Roſtochium ipſi cum præſidio abire liceret. Verùm neutro præſtito, Damino dedito, rectà ad Albim contendit, arx verò Daminenſis vi fuit expugnata, & ſeptem vexilla Holckianis Legionarijs, qui iſtic curabant, erepta. Secùndùm hæc Malchinum caſtrum inſigniter munitum à triginta Suecis ſtratagemate fuit occupatum. DAMINUM SUECIS DEDITUM. *Litt. Rup. 2. Mart. Brandeburgi dat.* XIII. *Litt. ejuſdem 6. Mart.*

Colberga tandem, poſt toleratum trimeſtre obſidium, cùm annona jam in arcto eſſet, manus dedit Hornio, eâ lege, ut Cæſariano præſidio ſignis explicatis cum duobus tormentis majoribus liceret abire Lanſpergam. Sed præcox fuit ejus dedendæ conſilium: nam vix mœnibus Cæſariani exceſſerant, cùm naves bellicæ, quæ Roſtochio & Viſmariâ ſolverant, in Colbergæ conſpectu fuêre, militem auxiliarem, annonam, cæteráque neceſſaria ſubvehentes, quæ cognitâ deditione, in adverſum vela fecêre. Triduo pòſt oneraria Colbergam appulſa Suecis ceſſit, cum magnâ Zythi copiâ, quam Cæſariano præſidio adduxerat. Magna bellici commeatûs & juſtâ tormentorum multitudo in loco reperta. *Litt. ejuſdem 30. Mart.* COLBERGA AB IISDEM SUBACTA. XIV.

Redeo ad Tillium. Is, cognitâ Sueciæ Regis in Megapolitanos expeditione, cùm à Cæſare & Maximiliano Bavaro mandata accepiſſet, ut, quantis poſſet copijs & celeritate, Suecorum conatibus iret obviam, militem univerſum, qui in agro Juliacenſi, in Friſiâ Orientali; Bremenſi tractu; in Sueviæ & Franconiæ circulo hibernârat, juſſit movere in ſecundam Saxoniam. Prid. Non. Januar. cum quatuor legionibus delatus ad Viadrum Lanſpergam & Francofurtum rebus neceſſarijs communijt, quadraginta florenorum millibus in Cæſarianum militem diſtributis, convectóque in utramque urbem omnis generis commeatu: ſic videbatur exercitus ſupremæ ſaltem neceſſitati ad aliquod tempus eſſe ereptus. Luſtratis Cæſariani exercitûs reliquijs, multa ſigna quidem, ſed rarum militem recenſuit. Univerſa ſimul ſigna non omnino quinquies mille numerabant alarios; cæteris morbo, cladibus, transfugio ſublatis. Legionum melior non erat conditio. Nihiló minùs avebat Tillius adverſus Guſtavum Regem arma vertere. Sed obſtabat non modò anni tempeſtas & Cæſariani exercitûs vires vehementer imminutæ; verùm etiam quòd ſapienter Tillius conijceret, Guſtavum Regem ſui copiam non facturum, ſed vel Magdeburgo potiùs, quod jam tum à Pappenheimio obſeſſum Tillius reliquerat, iturum ſuppetias; vel ſe recepturum in tutum, & cunctando, Tillij copias, intempeſtâ hieme malè tectas, malè cibatas, conſumpturum. Etenim ſi, quod omnino faciendum fuiſſet, Tillius, Wartâ amne per Lanſpergenſem pontem transmiſſo, adverſus Regem contenderet, huic facilè fuiſſet detrectare ſupremam belli aleam, Cuſtrinenſi tra- XV. EXIGUUS CÆSARIANORUM NUMERUS.

ſi trajectu potiri, cùm jam alioqui cum ſuo exercitu in ejus confinio conſiſteret, atque inde Magdeburgum caſtra proferre, ſimul Francofurto, cui malè de rebus neceſſarijs erat proſpectum, potiri, indéque tandem Tillio receptum intercipere. Sed & deerant Tillio tormenta, commeatus bellicus, annona, cætera ad hujuſmodi expeditionem neceſſaria, quæ tanto neglectu Francofurti & Lanſpergæ erat comparata, ut ne quidem haberentur eo numero, qui ſatis eſſet ad utriuſque loci propugnationem. Nec verò Tillium fefellit iſta opinio; vix enim id conſilij cœperat, quando comperit, Guſtavum Regem de repetendis Megapolitanis cogitare.

Litt. Tillij ad Maximil. Francofurt. 5. Febr.

XVI. Ergo Non. Febr. cum exercitu, quem fœderatorum Catholicorum copiæ auxerant, Brandeburgũ Novum, nuper à Marazino Suecis deditum progreditur. Iſthic pro Sueco curabat Cniphuſius, quem Sueciæ Rex, loco confiſus, juſſerat vim experiri, nec ſe adventanti Tillio facilè permittere; quod & gnaviter præſtitit. Clauſis enim à Gratzio urbis itineribus, cùm Tillius de viâ Feldbergenſe caſtrum vi occupatum, cæteris ad terrorem, invadentium arbitrio liberum feciſſet, Brandeburgum cœpit premere. Cniphuſius Generalis ordinum ſtructor contrà memor officij & mandati regij, ſtatuit nihil intermittere, quod boni Ducis eſſet, & cùm ferè totidem in urbe, quot Tillius intra vallum haberet, inſtitit aliquot irruptiones reprimere, ultima omnia velle experiri, gnaviter uti Suecorum alacritate & animi magnitudine. Sed cùm majorum machinarum fulminatione Tillius locis pluribus mœnia dejeciſſet, & jam totis caſtris oppugnatio pararetur, Cniphuſius viginti quatuor horarum inducias popoſcit per fecialem. Tillius verò, cùm de adventante hoſte nuntium accepiſſet, nihil moratus, cani juſſit claſſicum ad impreſſionem, in quâ magno utrinque ardoro certatum, donec victis propugnatoribus, Tilliani irrumpentes per apertos muri hiatus, oppido potiti, præſidium omne quamlibet fortium virorum, excepto Cniphuſio, qui fuit ad lytrum ſervatus, ferro delerunt. Mœnia juſſit Tillius ſolo æquari, ne hoſti præberent receptum, néve impoſito præſidio ipſe ſuorum numerum minuere cogeretur. Cùm verò deſperaret, Guſtavum Regem, qui caſtra validis operibus armaverat, ad manus venturum, & revocaretur ad reſtinguenda, quæ jam in Imperij viſceribus excitabantur, incendia, conſilium de Pomeranâ & Megapolitanâ expeditione mutavit.

Litt. Till. 22. Mart.

TILLIUS BRANDEBURGUM EXPUGNAT.

XVII

Comportaverat interea Rex Guſtavus ad Francofurti-Oderani expugnationem, ingentem annonæ copiam, paraverat naves, & caſtris, mediâ inter Ficratum & Schiredam peninſulâ, quæ Oderæ brachio circumfunditur, apprimè munitis, gemino ponte nautico, junxerat Viadrum, extructis in utrâque ripâ propugnaculis; cùm Tillius, tentatis in caſſum per Comitem Coloredum pontibus, ad Magdeburgi expugnationem arma convertit.

XVIII. Quamobrem Sueciæ Rex ex Tillij diſceſſu curis periculiſque haud paulò ſolutior, Francofuro, ex utrâque Viadri ripâ, obſidium admovet. Iſthic rerum potiebatur Schaumburgius cum ſeptem circiter Cæſarianorum millibus. Hic ubi propinquantem Regem advertit, exuſtis ſuburbijs, ductiſque circum urbem extemporali opere munimentis, longæ ſpeciem obſidionis oſtendens, Tieffenbachio Cal. April. propugnationem mandavit. Biduo pòſt, Guſtavus Rex cum aliquot armatorum millibus ſe dedit in urbis conſpectum; & nocte inſequente, in diruti ſuburbij parietinis communijt. Poſt 3. Non. April. diſpoſuit in obſidionalibus ſuggeſtis tormenta, cœpitque urbem arietare: ſimul expugnavit vallum ſubitâ irruptione, rejectis intra mœnia defenſoribus: mox refugientibus Cæſarianis, perrupit portas geminas, ſuóſque immittens in mœnia, quà dabatur acceſſus, momento eorum victor, ex omni parte depulit Cæſarianum præſidium. Immanis eâ die ſtrages ad Viadri pontem profugientium eſt à Suecis edita, vijs paſſim ſtratis cæſorum corporibus: deſertum, quod è regione pontis à Cæſarianis tenebatur, propugnaculum, incenſus pons, amiſſum Francofurtum. Qui cladi è Cæſarianis ſuperfuère, refugientes in Sileſiam, emenſo ſeptemdecim

FRANCOFURTUM AD VIADRUM A SUECIS EXPUGNATUR.

Ger-

Germanicorum milliarium ſpatio, Gloggoviæ primùm reſpirârunt; Lanſpergam pauci evaſerunt. Tieffenbachius ſervatus ad fata triſtiora, de quibus in loco: octingentis in devictâ urbe facta vitæ venia: quinque Tribuni Stettinũ in cuſtodiã abducti, totidem occiſi unà cum bis mille circiter manipularibus. E Suevis vix cecidêre treceni, ſauciati centũ; civitas ad tres horas victoribus ad direptionem permiſſa: quatuordecim legionariorum vexilla, tria equitum amiſſa, elapſo magnam partem equitatu: ſecutum ſub noctis conticinium in urbe incendium ædes aliquot abſumpſit. Hoſti ceſſit copioſum belli inſtrumentum, & annona, quam Tillius invexerat. Eam Guſtavus Rex civibus in ſubſidium alendarum ſex legionum, quas ipſis impoſuit, diſtribuendam curavit. Pòſt paulò Lanſpergam, honeſtis deditam conditionibus, accepit, permiſſis excedenti præſidio ſarcinis, quaternis tormentis, viginti quinque pedeſtribus vexillis, & duodecim equeſtribus, cum quibus abiêre Gloggoviam. XIX. *Litt. Cratz. 21. April.* Deditur iisdem Lanſperga.

XX. Gustavus ingreditur Sileſiam.

Succiæ Rex fortunam invitantem ſecutus, è veſtigio Croſſam in Sileſiâ, aliáque loca ſub jugum miſſa impoſito præſidio occupavit. Magdeburgi obſidio eum ad Viadrum revocavit. Quare reverſus Francofurtum, recenſitis copijs, relictóque Francofurti, & alibi ad Oderam firmo præſidio, Cal. Maij Copenicum pervenit. Inde ablegavit Guſtavum Hornium, qui cum Brandeburgico Electore de ineundo fœdere, de exhibendâ annonâ, & menſtruo exercitûs præſentaneo ſtipendio ageret, impetrarétque ſtativa in Brandeburgicis munitionibus, quæ Suecico præſidio munita, Regem à tergo tuerentur, frenóſque Electori injicerent, quouſque eſſet debellatum.

XXI.

Fœderis formam, geminam illi, quam Haſſiæ Landgravia probaverat, hæſitanti proponebat Hornius; ſed cùm in arenâ ſtatim rem tantam decerni poſſe negaretur, Septemviro moram deliberandi conceſſit: ſimul ob Regis feſtinationem de dedendis munitionibus reſponſum extemporale exigebat, ne Magdeburgum, quod arctè jam à Tillio premebatur, cuiq; ſtatuerat Guſtavus ferre ſuppetias, moras nectendo, negligeret. Igitur Elector mox aſſenſus eſt de ſui imperij oppidis, locíſq; idoneis Suecico milite firmandis, modò Cuſtrinum ipſe Elector, Spandaviúmq; pro arbitrio cuſtodienda retineret. Sunt iſtæ duæ principes totius Bandeburgicæ ditionis munitiones, quas ſi Elector alteri permitteret, perinde faceret, atque ſi habenas traderet univerſi Principatûs. Non abnuebat tamen, quin pro re natâ, Regi paterent ad receptum, ſi quando ab hoſte premeretur. Ea conditio cùm Regi non feciſſet ſatis, ad 5. Non. Majas colloquio dicta dies eſt, quo Rex, unáque Elector paciſcerentur. Locus fuit lucus prope Berlinum. Iſthîc cùm protraxiſſent ſermonem, Elector ſuorum ſententiam auditurus, tantiſper ſeceſſit, dum Rex cum Palatinâ Viduâ, aliiſque Principibus fœminis familiariter loqueretur. A conſilio reverſus Elector, deprecatus eſt oblatum pro Cuſtrino & Spandavio præſidium: quæ res Regem nonnihil offenſum, jámque ad repetenda caſtra pedes referentem avulſiſſet, niſi eum fœminarum Principum blanditiæ ad cœnam, Coloniæ ad Sprevam amnem ſumendam, retraxiſſent. Ita colloquium, die poſterâ repetitum, eum nactum eſt finem, ut Regi certis legibus Spandavium permitteretur, in quod ductore Alexio Lillio regius miles die inſequenti receptus eſt, milite Brandeburgico inde abducto. Confeſtim deinde caſtra Rex movit Magdeburgum verſus. XXII.

Habebat à Maximiliano in mandatis Cratzius, ut extemplo, cùm primum Regis advenientis certum nuntium haberet, cum equitatu ad caſtra Magdeburgica contenderet, cui imperio diligenter fuit obſecutus. Pons Teſſavienſis, ne eo hoſtis potiretur, à defenſoribus, illo ipſo die, qui Magdeburgo fuit fatalis, cùm ipſi ejus excidium ignorarent, fuit concrematus.

XXIII.

Proximus erat Septemvir Saxoniæ, cui Guſtavus Rex eadem, quæ Brandeburgico, ſuaderet: ſed fuit ille in reijciendâ Regis petitione haud paulò conſtantior. Petiverat Guſtavus, ut Septemvir cum ſuis copijs, ſecundùm ulteriorem Albis oram, Moldaviam verſus moveret, dum Regius exercitus Teſſavienſibus

bus propugnaculis vim inferret: ita credebat fore, ut ſociatis viribus, periclitanti Magdeburgo facilè ſuccurrerent: ſimul Rex poſtulabat à Wittenbergâ, aliiſque Saxoniæ civitatibus inſtrumentum bellicum, annonam & liberum Saxoniæ commeatum. Verùm Septemvir, cauſatus debitam Cæſari fidem, imminens à Cæſarianis copijs è bello Mantuano reducibus periculum, ſuum erga ſubjectos officium & amorem; negavit ſe ſuas ditiones earum rerum præſidio poſſe nudare, nedum bellum cum Cæſaris hoſte ſociare, aut in ſuas ipſum ditiones recipere, quæ demum belli ſedem eſſent in viſceribus habituræ.

XXIV. Magdeburgi obsidio. Dum iſthæc agerentur, Magdeburgum à Tillio vehementer premebatur. Ejus urbis expugnatio, quoniam memorabilis eſt, digna eſt, quam fuſiùs proſequamur. Magdeburgum, civitas eſt ad Albim ſita, quæ inter primas, Lutheri dogmata ex Illyrici & Amſtorffij inſtitutione complexa, didicit Cæſaream Majeſtatem, Legéſque & Magiſtratus reſpuere, cæteroqui freni impatiens, & ſuæ aſſueta licentiæ. Ipſa, poſt toleratam anni quadrageſimi octavi ſupra milleſimum quingenteſimum, obſidionem, proſcriptionémq; Cæſaream, ſupercilium inter ſuperioris temporis turbas eouſque extulerat, ut inveterato jam uſu, auderet cum Ferdinandi II. hoſtibus paciſci amicitias, eorúmque ſucceſſus ſuos facere, morari Cæſareos, &, quicquid verbis ſimularet, rebus ipſis inimicitiam profiteri. Diximus jam, Fridlandi ſigna obſidiúmque, An. M. DC. XXIX. non tam fuiſſe Magdeburgenſibus terrori, quàm contemptui. Videri tamen poterat, utcunque rediſſe ad aliquam officij ſpeciem, recuperatâ, per maritimarum civitatum interceſſionem, Cæſaris gratiâ: ſed fides intra promiſſa duntaxat ſtetit & ficta bonæ mentis ſimulacra.

XXV. Cùm enim Guſtavus Rex exſcendiſſet in Germaniam, Magdeburgum, pro genij ſui libertate, mox cœpit vocare Suecum Regem, recipere intra mœnia Wilhelmum Brandeburgicum, qui non obſcurè tum ſe pro Cæſaris hoſte gerebat; ſeſe committere Theodorico Falckenbergio Suecicæ legionis Chiliarchæ; ejus ductu omnia penè gerere, aggeres, propugnacula, belli materiam opere tumultuariò excitare. Ratisbonæ tum agebat Cæſar, qui, ut gliſcenti malo tempeſtivè occurreret, Maximiliano Electore in conſilium adhibito, illico miſit militem, qui Magdeburgenſium excurſiones reprimeret; & vicina præſidia tueretur. Tandem obſidio adhibita à Tillio, ſed laxior, quæ arctiore cinctu hoc anno circumdata. Ad eam urgendam redux è Pomeraniâ Tillius, Non. April. acceſſit. Mox oppugnationem trans Albim Pappenheimio Bavarico-fœderis Catholici Tribuno; cis Albim Wolfgango Mansfeldio Cæſarei militis Ductori, demandavit.

XXVI. Insultus Pappenheimii. Suſcepta à Pappenheimio 5. Id. Apr. prima incurſio. Is nocte uſus illuni, oppugnatores admovit primori propugnaculo; mox, cælo diluculante, vallum cœpit premere, apertóq; aditu ſignum dare ad inuolandum. Legionarij cum dicto evadunt in valli faſtigia, cædunt ductorem, unáque defenſores triginta. Exinde vis admota ſecundo & tertio propugnaculo, quod quidem Magnum, ob amplitudinem & firmitatem nuncupabatur. Proſtratis utrobique ductoribus, inter gregariorum funera, ducenti ſuperſtites victorum arbitrio ſeſe dedidêre. Saluti fuit centum civibus è majore propugnaculo ſeſe recepiſſe ante oppugnationem intra muros. In eo repertæ quinque æneæ machinæ explodendis viginti librarum pilis pares, à civitate recens fuſæ, donatáque Wilhelmo Adminiſtratori. In quarto propugnaculo nullus fuit labor.

Rup. litt. 10. Maij ex caſtris Magdeburg.

Propugnacula occupantur.

XXVII. Cùm enim jam imminerent Tilliani, deprehenderunt omni defenſore vacuum, deſertúmque nocte præcedente à præſidiarijs, qui intra urbis mœnia refugerant. Quintam munitionem haud paulò difficiliore inſultu ſubegêre obſidentes: neque enim priùs manus dedit, quàm octoginta propugnatores dejecti ex aggere, omnes ad unum occubuiſſent. Sic ex tantâ operum externorum molitione, ſolummodo, ex iſto Albis littore, ſupererat firmum admodum & ſpecioſum propugnaculum, quod pontem Magdeburgenſem protegebat: ſed & hoc ipſo paulò pòſt ſubacto, qui cædi ſuperfuêre Magdeburgenſes, pontis ſublicis magnam partem ſublatis, dilapſi in urbem, ſibi ipſi ſpem auxilij citra prælium accipiendi, ademê-

ademêre. Itum quoque in munitionem, quam Preſteram vocabant, in qua aliquot Magdeburgenſium centuriæ curabant, qui credebantur vim ſaltem aliquã experturi: ſed eâ deſertâ, refugêre in portorij parmam inſignem admodum, rebúſque neceſſarijs probè inſtructam. Ergo progreditur Tillius adverſus turrim Cracoviam, quam per horas aliquot tormentis verberatam, ſuæ poteſtatis fecit.

Dum iſta gererentur, Wolfgangus Mansfeldius cis Albim rem agebat graviter, occupatâ Buccavicâ munitione, & aliquot ſimul munitiunculis, in quibus centum propè præſidiarij periêre. Iſtis cladibus paulatim minuebatur propugnatorum ardor & numerus, ut deinceps miles, qui ſuburbia tueretur, obſeſſis ad civitatis defenſionem intentis, non eſſet reliquus. XXVIII

Demandata fuerat Duci Holſteinio, & Wanglero Chiliarchæ portorij expugnatio. Erat illud cinctum vallo duplici, ſeptum ſimul ſudium coronâ, firmúmque egregio ſtructilis operis munimento. Nec mora, exigui temporis inſultu occupatâ exteriore loricâ, penetrârunt oppugnatores ad ſepimentum: jámque erat aperta via irruptioni, cùm repentè imbrium ventorúmque horrenda, pertináxque tempeſtas rei conficiendæ interceſſit: profuit tamen facturis impreſſionem, eò quòd non ſine ingenti jacturâ fuiſſent irrupturi, propugnatoribus, qui frequentes pro vallis ſtabant, ad reprimendum inſultum magnâ fiduciâ comparatis. Ergo differenda fuit impreſſio.

Tillius eminus multâ tormentorum arietatione jam ipſum, quod dixi, portorium petierat, ſed, cùm ictus longiore intervallo ſemifracti, minúſque certo impetu deſtinati parùm officerent obſeſſis, aggreſſus propugnaculum, cui à rubro cornu nomen, crebrâ æneatum machinarum fulminatione ex Albis littore, ſic vallum arenoſum labefactavit, ut Magdeburgenſes loco pulſi, cum quinis tormentis majoribus, uno minore relicto, refugerint in urbem. Ergo Tillius, compertâ hoſtis fugâ, aliquot ſuorum manipulos navigijs impoſitos, jubet trans Albim Rubricornem molem invadere: cúmque nulli Magdeburgenſes in objectâ Martis arenariâ comparerent, ſuis viribus & paucitati diffiſi; illico peditum legionem, & aliquot equitum centurias immiſit, qui ex urbis adverſo, pone domûs laterariæ munimenta, cœpêre foſſis, & ducto ſuper aggere, vineas ducere ad portorium, & ponte intercepto, defenſoribus receptum in urbem prohibere. Verùm, ubi ea res Falckenbergium advertit, veritus, ne, qui portorium tenebant, omni auxilio deſtituti, tandem victi omnes, certo exitio paterent, eos juſſit, deſerto propugnaculo, poſt reſciſſum, qui interjacebat, pontem, confeſtim migrare in urbem. Ea res Tillio ceſſit ex animi ſententiâ, quòd ſine ſanguine tam opportuno loco potiretur, & jam omnem prorſus ſubſidij ſpem ſibi oppidani accidiſſent. Ergo immiſſos in vacuum portorium, extemplo jubet loricâ adverſus civitatem munire locum, quódque de ſublicio ponte ſupererat, concremare. Jam amiſſæ erant viginti circiter, quas operoſè Magdeburgenſes conſtruxerant, externæ munitiones, deſertáque gemina ſuburbia, quæ, ſi mediocri præſidio munita oppidani retinuiſſent, magnum fuiſſent facturi lucrum temporis, quo interim Sueciæ Rex auxilio venire potuiſſet. XXIX. PORTORIUM INVADITUR. XXX.

Ergo occupatis etiam incenſiſque ſuburbijs, poſt æquata ſolo mœnia, Tilliani vineas duxere ad uſque urbanæ foſſæ marginem. Tillius, ut ſanguini parceret, ternas litteras humanitatis plenas dedit ad obſeſſos: unas ad Brandeburgicum, alteras ad urbanum Magiſtratum, tertias ad Falckenbergium. Singulos monebat Tillius ingruentis exitij, hortabatúrque, quò ſuæ ſuorúmque ſaluti, urbe Cæſari deditâ, & futuræ obſequentiæ promiſsis, conſulerent, vitaréntque próximam calamitatem. Sed quis corrigat, quem Deus deſpexerit? Verba reddidêre Tillio. Brandeburgicus per litteras queſtus eſt, ſe ne auditum quidem, jure ad Halberſtattenſem & Magdeburgenſem Adminiſtrationem per electionem quæſito, injuriâ fuiſſe depulſum: ideo nihil inconceſſum egiſſe hactenus, nihil acturum inpoſterum: ſimul petivit inducias, & legati ad Saxoniæ & Brandeburgi Septemviros mittendi ſecuritatem. Senatus negavit, ſe injuſta arma cepiſſe; LITTERÆ TILLII AD OBSESSOS. XXXI.

piſſe: rogavit, liceret fide publicâ ad fœderatos mittere. Falckenbergius reſpondit, ſe in urbe defendendâ officio non defuturum. Dederunt ſinguli hæc reſponſa Non. Maij.

Ad Electores Saxonem et Brandeburgicum. Addidit Tillius 4. Id. Maij binas, ad Saxonem videlicet & Brandeburgicum, quos precabatur, vellent authores eſſe Magdeburgenſibus, redeundi, dum liceret, ad Cæſaris fidem & obſequium. Sed neuter quicquam præſtare voluit, ſive quòd crederent abeſſe periculum, ſive quòd vellent Tillium iſthic nullo operæ pretio diſtineri. Repoſuit Tillius ad Senatum alteras, addictâ pro internuntio

XXXII. ad Septemviros & Fœderatos ituro teſſerâ ſecuritatis, additóque metuere ſe vehementer, ne, dum tempus comperendinando tererent, eſſet intermoritura rei componendæ occaſio: feſtinatum remedium malo proximo cautiùs, quàm lentum adhiberi. Lectæ in publico Tillij litteræ non mitigavêre ruentium ad ultima pertinaciam. Nihil enim ceſſavêre à verberando ex æneis machinis Tillio. Feruntur concionales Verbi Lutherici buccinatores plebem, ſponte jam efferatam, ex compoſito Idib. Maij, inani ſpe adfuturi in tempore auxilij, è pulpitis quiſque ſuis, dementâſſe: jactâſſe, Angelum urbis tutelarem viſum pro muris agere, & circuire excubias: & auditores quidem, præconibus concepta verba præeuntibus, pro concione conjurâſſe, ſe vitam potiùs ferro, quàm manus hoſti daturos. Urbem interim, quà vergit ad meridiem, Mansfeldius juxtà &

Prædicantes plebem animant.

XXXIII Farnsbachius habebant infeſtam. Pappenheimius verò, reiectis in urbem ducentis præſidiarijs, qui in Neoſtattenſe ſuburbium prodierant, appropinquationes cœpit in veterem civitatem promovere. Et jam Tilliani muro paulatim imminebant, cùm Magdeburgenſes, qui hactenus ſibi perſuaſerant, Tillium ad tam arctam obſidionem non deſcenſurum, territi ac nutantes à Falckenbergio erecti ſunt, jurante, Sueciæ Regem proximè adfuturum. Et verò Rex hoc ipſum addixerat obſeſſis, uti patuit ex ejus litteris, quas intercepêre Tilliani: cogitarent proinde cives, quantum adhuc in urbe ſit annonæ, quantum bellici apparatûs: nihil defore, niſi defutura ſit conſtantia, & exilis periculi contemptio: revocarent in memoriam majorum ſuorum fortitudinem, gloriam, urbis decus & libertatem, quam ſine crimine & ignominioſo metu non poſſent ſepelire. Quæ oratio non viros tantùm, ſed & mulieres, Baccharum inſtar ſic accendit, ut & ipſæ pugnam poſcerent, jurarentque, ſe adverſus hoſtem pro muris ſtaturas. Sic mortis victimæ ad interitum, & trahebantur dolis, & currebant dementiâ. Non latebat Brandeburgicum, neque Falckenbergium, quàm res civitatis deinceps forent in arcto, quantúmque diſcrimen eſſent brevi aditurae; timorem tamen

Opera promoventur ad urbis foſſam.

Animi populares efferantur.

XXXIV premebant ſilentio, & curas fictâ vultûs hilaritate. Tanta erat populi, Senatúsque vecordia, ut, rejectâ omni prorſus paciſcendi mentione, mallent in urbis cineribus commori, quàm devictis ſimiles vitam, ſuáſque fortunas Cæſari & patriæ reſervare. Et feruntur jam nonnulli à Senatu fuiſſe diſpoſiti, qui urbem ſubjectis ignibus accenderent, ſi eam contingeret ab hoſte ſuperari, ne hoſtis prædâ potiretur, cogeretúrque civitas ſuæ cladi ſupereſſe.

Interea perpetes vigiliæ, metúſque irruptionis obſeſſos vehementer angebant. Ut verò fatigati laboribus, tanto minus adferrent virium ad futuram impreſſionem, Tillius de induſtriâ jubebat ex variâ caſtrorum parte frequentes edi fremitus, quaſi mox ad impreſſionem iturorum. Et Falckenbergius, ipſe longâ ſtatione & inſomniâ defeſſus, cœlo ad diei vigeſimi menſis Maij crepuſculum

Magdeburgum excinditur.

XXXV. albeſcente, cùm nonnihil, ex compoſito, juſſu Tillij, caſtra conquieſcerent, juſſit mediam excubitorum partem ire tantiſper curatum corpora. Abiêre, jactis priùs in Deiparam virginem, ipſóſque oppugnatores contumelijs. Jam pars armis exuti ſomno ſe dederant, pars poculis; cùm Tillius, binis Miſſæ Sacrificijs, quibus adfuit, abſolutis, per caſtra jubet parari ordines ad incurſionem: datis in teſſeram ſacratiſſimis nominibus Jeſu & Mariæ. Cum dicto, ſub ſeſquiſeptimam antemeridianam, cùm Sueciæ Rex biduo pòſt adfuturus eſſe certis nuntijs referretur, datum initium inſultui. Pappenheimius è regione ſuburbij Neoſtadiani,

ſtadiani, foſsâ urbis ſuperatâ, disjectis ex antemurali præſidiarijs, in vallum incumbens, primo incurſu repellitur à Falkenbergio, ſed collectis viribus evadens in faſtigium, aggerem inſtravit cæſorum corporibus,

Incurrebatur interea in Altam (ut vocant) portam: iſthic excubitores ſomniculoſi & feſſi. Qui ſtabat in primis excubijs, ſomno oppreſſus, priùs mortem ex vulnere ſenſit adeſſe, quàm hoſtem. Cæteris mox devictis ad ipſam uſque portam victoribus via aperta. Concurrêre quidem ex omni urbis regione ad arma audito campanæ claſſico, ſed in caſſum, ſtrato jam Falckenbergio, qui irrumpentibus occurrerat. Oppidanis ergo ex eâ ſtatione dejectis, tantò alacriùs phalanges ivêre in cæteras. Dux Holſteinius, fortiter invectus in propugnaculum, quod à portâ Crœkena nomen acceperat, adverſum habuit Adminiſtratoris prætorianum militem, cúmque generosè obluctantem; ſed cùm quaternæ jam legiones, Pappenheimiana videlicet, Wangleria, Gronsfeldica, & Savellica, quicquid munitionum intererat, victrices occupaviſſent, & jam pleriſque obſiſtentium Magdeburgenſium in loco conciſis magnâ iſthic ſtragē edidiſſent, Comiti Mansfeldio è regione graviſſimum certamen fuit. Bis in ſumma valli enisis, bis repulſis manipularibus, perruptâ demum portâ miles Tillianus evaſit in urbem. E Marſiâ arenâ, cùm Tilliani totâ paſſim urbe victores graſſarentur, ceſsêre victi propugnatores, & hoſtem admisêre. Ergo mœnium portarúmque victor Tillius, cives juxtáque præſidiarios, qui conglobati nondum manus dederant, immiſſis legionibus juſſit diſſipari. Memorant in tantâ ruentis civitatis conſternatione nihilominus eam fuiſſe adhuc multorum civium audaciam, ut, delati in ſuprema ædium, lapidum procellâ progredientes victores grandinarent, ne videlicet morerentur inulti. Eâ tum ferociâ, tum obſtinatione miles irritatus, peremit quoſvis obvios. Marchio Brandeburgicus in lato vico ſecundum tibiam læſus, capite ſaucius, & ſcloporum ictibus contuſus, in Pappenheimij ſtativa, atque inde Wolmerſtadium captivus abductus eſt. XXXVI. XXXVII.

Secundùm hæc duabus regionibus ſubjecti ignes longè latéque per ædium tecta prorupêre. Omnino creditum fuit iſtis incendijs dediſſe è civibus aliquos initium, ne benigniorem Saguntinis finem ſortirentur. Certè conſtat, non Tillium modò, ſed etiam militem paſſim reſtinguendis flammis ſedulam fortémque operam navâſſe, ſed inutilem, vento ijs propagandis, per omnia propè tecta, perexiguo temporis ſpatio, omnem laborem atque induſtriam ſuperante. Intererat ſanè civitatem divitijs nobilem ſervari, tum ad militarem receptum, tum ut opibus urbanis militum inopia levaretur. Quare nullâ ratione credibile eſt (niſi caſu contigerit) aliunde quàm à civium, militi prædam invidentium, malignitate incendium eſſe profectum. Imperavit Tillius à devictorum cædibus & corporum caſtimoniâ abſtinerent, quod imperium à quibuſdam furentibus malè ſervatum, annales aliqui fuêre conqueſti. XXXVIII. Civitas incenditur.

Multi è promiſcuâ multitudine, aliiq; in conclavia ferri metu ſeſe abdentes, ab igne perempti. Miſera omnium; ſed imbellis præſertim & innocentis turbæ fortuna miſeranda, quam rebellio, & ſæva patrum crudelitas, in conjugum ac liberorum capita invexit,

Feruntur ſeptem circiter millia ferro flammâque perijſſe, non numeratis illis, quos fumo extinctos hypogæa abdiderunt: nonnemo recenſet novendecim millia. Amſterrotus, tribunus Uslerus, Boyus Legionis Legatus, aliique ductores, tres item conſules cum aliquot Senatoribus vivi venêre in victorum manus. Quadringenti circiter cives urbis fato ſuperfuerunt, pleriq; in principe Deiparæ Virginis æde aſylum nacti ſupremi Numinis reverentiâ. Quadraginta militaria ſigna, ſexaginta majoris modi æneæ machinæ hoſti ereptæ. E Tillianis occubuêre centum, ſeptingenti & ſuprà ſauciati, præſertim qui à civibus ſclopis ſaxiſque petiti ex ædibus. Ex incendio ſervatum templum D. Virginis, unáque centum quinquaginta piſcatorum domus ſitæ ad Albim, juſto ſpatio à conflagratione XXXIX

tione diremptæ. Cætera tam ſacra quàm profana ædificia, quæ per horas circiter duodecim arſerunt, redacta in cineres & parietinas.

Apologia pro Gustavo Rege.

XL.

Perculit Succiæ Regem iſta clades Magdeburgi, veritum, ne vulgo audiret, laboranti promiſſam opem non attuliſſe. Huic famæ ut occurreret, edidit libellum apologeticum, queſtus Magdeburgicos in ipſo ſuæ defenſionis limine impegiſſe, quòd ad deligendum militem, qui præſidium firmaret urbis, pecuniam denegâſſent: ſe verò, cum quantâ licuiſſet celeritate, maturâſſe quidem totis viribus auxilium, ſed tot inevitabiles remoras & obices reperiſſe, ut, niſi cum evidenti ſuo & rei communis periculo, expeditionem iſtam magis feſtinare nequiverit. Nimirum Saxoniæ Electorem detrectando belli ſocietatem, Brandeburgicum negando navigia, annonam, alia; ſuos conatus ſufflaminâſſe, ſic egiſſe utrumque, ut foret ambiguum, hoſtésne eſſent, an amici.

Elector Brandeburgicus Spandavium repetit.

XLI.

Hæc cùm in caſtris Spandavienſibus ederet, confirmavit fœdus Haſſicum, & Weinmarienſe pactum cum Duce Wilhelmo Weinmario. E diverſo arcem Spandavienſem repetebat Elector Brandeburgicus, cauſatus, eam Regi fuiſſe creditam, donec obſidio Magdeburgica ſolveretur. Quæ quæſtio per menſem integrum in utramque partem fuit magnâ contentione agitata, idque eò magis, quòd ægrè ferret Elector, ſuas ditiones, non ſecus à Suecico exercitu, quàm ab hoſte quolibet malè haberi. Quare non modò urgebat Spandavij reſtitutionem, ſed etiam levamen popularis calamitatis; jam tum ſentiens, quàm inconſultò faciat, qui, cùm liber eſſe poſſit, res ſuas credit ſpecioſæ potentioris ſervituti, quæ ægriùs excutitur, quàm admittitur. Quibus rebus accenſus Rex, promiſit ſe Spandavio quidem ſuum militem educturum; ſed ſimul poſt inimicitiæ denunciationem, copias Electori in acie oſtentavit, directis in ipſius regiam tormentis, petitóque, ut, ſi Provinciæ direptionem, profuſionem ſanguinis, aliáque incommoda vellet effugere, Collinæ & Perlini, ubi degebat Elector, portas confeſtim aperiret exercitui.

Eius novum pactum cum Gustavo Rege.

Eâ denunciatione territus Septemvir, jam demum agnoſcens nativi ac legitimi, juxtà ac adſcititij imperij diſcrimen; invitus, novo nexu Spandavium Regi obligavit, & quoties res poſceret, addixit exercitui Regio per Cuſtrini anguſtias liberam comeandi facultatem, quibusvis Regi hoſtibus (ne Cæſare quidem excepto) excluſis, donec bello finis imponeretur. Plura adjecit, quæ rebus neceſſarijs Regi permitteret in Cuſtrinum. Tanti fuit vis potentior, quæ lex eſt ultima Regum.

XLII.

Id facti poſt hæc conatus eſt excuſare Cæſari. His peractis, Rex Guſtavus Stettinum reverſus, excepit Legatum Moſcoviticum, auxilia Principis ſui nomine offerentem, qui functus legatione, pòſt paulò fato eſt perfunctus.

Gripswalda Suecis dedita.

Supererat Gripswalda in Pomeraniæ viſceribus Cæſari obnoxia. Ad eam expugnandam miſſus à Sueciæ Rege Aco Todius. Iſthic loci, pro Cæſare rerum potiebatur Peruſius, qui primâ ſtatim eruptione interfectus, ſuo Vicario propugnationem reliquit. Et ea quidem ultra biduum non tenuit. Obſeſſi enim, tametſi Suecico peditatui luculentam plagam intulerant, deditione tamen ſarcinas, arma & vexilla redemerunt. Id quàm militariter, eſto penes validiſſimæ totius Pomeraniæ munitionis æſtimatores. Certè res malè vertit deditoribus.

Deditum item summum templum Havelbergæ.

Nam cùm non Loizam, juxta pacta conventa, ſed Prignizium iter intenderent, à Suecis ſecuritatis causâ adjunctis pars conciſi, pars exarmati, plerique ad Regis ſigna recepti. Secundùm hæc Succi ſummam Havelbergæ ædem ſuæ poteſtatis fecêre.

Cæsariani Corbum occupant.

XLIII.

Cæſariani viciſſim Corbum nocturnâ irruptione improviſi occupârunt, multis è legione hoſtili, quæ illic agebat, trucidatis, cæteris cum Tribuno, muro per deſultum ſuperato, elapſis. E diverſo Grunbergæ ſeptem Cæſarianas cohortes Sueci profligârunt.

Cæduntur Grumbergæ.

Tandem rebus in Pomeraniâ locíſque finitimis ex Regis Guſtavi ſententiâ diſpoſitis, prope Tremmenam univerſæ Succorum copiæ, ijs duntaxat exceptis, quas

quas Rex Todio pro defenſione Pomeraniæ commiſerat, fuêre luſtratæ. Proximam expeditionem memorant ſpectra malorum præſaga præceſſiſſe: auditos videlicet in Luſatia ad Heliowaldam in aëre tormentorum quà majorum, quà minorum fragores: Aſcherslebij ſub veſperum viſa pugnæ cruentæ phaſmata. Merſeburgi & Friburgi aquas in cruorem verſas. Halæ ad Salam in urbis foſſa proſilijſſe aliàs inviſam ſanguinis ſcaturiginem, & in ipſo foro fontem rubuiſſe. PORTENTOSA PRÆSAGIA.

Luſtratis copijs Guſtavus Rex movit ad Albim. Cùm Pappenheimius ſe trans amnem per Magdeburgum recepiſſet, Rex tranſmiſſâ etiam copiarum parte, menſe Quintili Tangermundâ interceptâ, Albim navali ponte junxit, & caſtra prope Werbenum ad Havelæ & Albis confluentes munijt, & Havelbergam Banneri ductu, profligato præſidio, ſubegit. TANGERMUNDA, ET HAVELBERGA SUECIS CEDUNT.

XLIV.

In Imperio res id temporis ſic habebant. Maximilianus Elector tempeſtatis iminentis veluti præſcius, non modò ea, quæ bello defendendo, ſed etiam quæ minuendis periculis erant idonea, ſollicitè procurabat. Licèt ex pacto cum Sueciæ Rege inito Rex Chriſtianiſſimus Ducem Bavariæ & fœderis Catholici Principes in numero hoſtium habere noluiſſet, ſed ſervari cum ipſis amicitiam, vel ſaltem partes medias, ſi ipſi quidem viciſſim ſervarent; tamen ut rerum animorúmque mutationes in humanis ſunt frequentes, verebatur Maximilianus, ne caſu adverſo, fortunâ Cæſaris & Fœderatorum aliquando labente in deterius, vel Fœderatorum armis cum Cæſare ſociatis, Rex Chriſtianiſſimus ſua non in Cæſarem modò, ſed in Bavariam quoque & Fœdus Catholicum, Suecis ſociaret: FŒDUS MAXIMILIANI CUM REGE FRANCIÆ.

XLV.

Quamobrem 8. Id. Maij fœdus cum Rege Chriſtianiſſimo inijt ad octennium, quo ſe uterque obligabat ad mutuam defenſionem, eâ lege, ut in ſe mutuò arma non converterent, militem hoſtilem in ſuis ditionibus legi non paterentur, utque Franciæ Rex Bavarum *defenderet, & manuteneret dignitatem Electoralem in ipſius perſona, & Domo Bavariæ.* Ne tamen Maximilianus ullam obligationem adverſus fidem Cæſari debitam iniret, diſertè *excepit juramentum ſuum Imperatori & Imperio præſtitum.* Ita videbatur ſingulariter cautum Bavariæ, ne ſimul à Suecis eorúmq; fœderatis, ſimul à Francis peteretur, néve Franciæ Rex Palatini partes pro recuperando Electoratu, aut Provincijs à Maximiliano detentis, quod in fœdere etiam erat expreſſum, ſuſciperet. Octenne debebat eſſe fœdus; quod ne ſemeſtre quidem fuit; cùm enim, malè verſâ belli aleâ, poſt Lipſienſem cladem Maximilianus Gallos fœderis admoneret, repoſuêre, bellum à Tillio fuiſſe illatum, eóque fieri, ut, cùm bellum non ſit ex parte Maximiliani defenſivum, ſed offenſivum, ipſi ad nihil auxilij adverſus Suecos tenerentur, non æſtimantes, Regem Sueciæ bellum Cæſari & Imperio intuliſſe; Tillium verò Cæſaris Archiſtrategum, injuſſu Maximiliani, fœderato milite adverſus Saxonem uſum eſſe; XLVI.
ideóque non bellum Maximiliani, ſed Tillij potiùs debuiſſe cenſeri. Verùm tot & verborum & rerum ſunt in hujuſmodi pactis interpretationes, ut ferè tempori potiùs atque uſui ſerviant, quàm certæ paciſcentium deſignationi: quod ſive ex juſto ſive injuſto procedat, ſúſque déque habent, qui judicem nullum habent ſuæ interpretationis.

Cæterùm Principes atque Ordines Germanici Imperij, qui ſe nuper Lipſienſi fœderi alligârant, magnos paſſim habebant delectus, Cæſare per Edicta, Catholicis Electoribus per dehortationes in caſſum reclamantibus. DELECTUS PROTESTANTIUM.

XLVII.

Quamobrem bello Mantuano jam finito, Ducéque Nivernio ad fiduciariam beneficentiam ſolenni ritu recepto, ex Italiâ Cæſar ſuas Legiones revocavit ſub Egone Comite Fürſtenbergio, idque apprimè opportunè, cùm in ſuperiore Germaniâ Proteſtantes ſuis rebus ſatis nondum proſpexiſſent. ITALICUS EXERCITUS REVOCATUR IN GERMANIAM.

Quamobrē Memminga, adulto Junio, territa Cæſarianorū adventu, quos Fürſtenbergius in acie diſpoſitos duxit ſub aſpectum civium, Lipſienſi fœderi mox remiſſo nuntio, præſidium Cæſarianum recepit intra mœnia, juſſa initæ apud Lipſiam conſpirationis menſtruam aliquot millium mulctam militi ſuſtentando pendere. Campidunum ejus exemplo quadringentos præſidiarios accepit, additis haud paucis florenorum millibus. MEMMINGA, CAMPIDUNUM OCCUPANTUR CÆSAREO PRÆSIDIO.

Mo-

Movit deinde Fürſtenbergius in Wirtenbergiam. Julius, ejuſce Ducatûs Adminiſtrator, ſedecim armatorum millibus jam tum conſcriptis, timebatur, ne, auctus finitimorum fœderatorum viribus, bellum in Sueviâ accenderet. Verùm Comes, Minſingâ ex itinere occupatâ, geminiſque, quæ iſthic conſederant, Wirtenbergicis cohortibus ad ſigna Cæſaris additis, agreſtes, qui id locorum ad

XLIIX. bellum convolârant, armis exutos in ſuos agros remiſit. Reutlingâ deinde in fidem acceptâ, movit Tubingam, ubi Julius Adminiſtrator tetenderat. Venêre in mutuum conſpectum 5. Id. Jul. Et jam Fürſtenbergius inſtructâ acie pugnã ardebat, cùm Julius, veritus tyronum & agreſtium turbam veterano militi committere, ſub clypeo bellum compoſuit, pactus ſuam, ſuorum Ducum pupillorum, miniſtrorum, & militarium Ductorum incolumitatem, Cæſaream gratiam & Lipſienſis fœderis renunciationem. Quare extemplo turbæ ruſticanæ, ademptis armis, imperatum, ut ad ſuam ſe glebam reciperent; milites ſacramento ſoluti, vel ad ſigna Cæſaris adacti, vel ad jusjurandum, nunquam ſe deinceps adverſus Cæſarem arma geſtaturos. Conceſſa præterea militi Cæſareo in Wirtenbergiâ ſtativa, & annonæ quantum ſatis, donec aliud à Cæſare ſtatueretur.

Fürſtenbergius pacat Wirtenbergiam.

Profuit Fürſtenbergij feſtinata expeditio. Jam enim erat Schlammerſtorfius in procinctu cum ter mille legionarijs, & ſenis alariorum centurijs, quos Sueciæ Regis ære atque auſpicijs conduxerat ad Wirtenbergiæ ſubſidium; credebatùrque, ſi exigua mora fuiſſet, in tempore Julio adfuturus. Verùm, accepto

Schlammerſtorfii delectus.

XLIX. rei compoſitæ nuntio, ipſius milites, deſertis ſignis, quò lubitum fuit, diffluxerunt. Ulmenſium ſuppetiæ, eodem perculſæ nuntio, medio ex itinere, non ſine diſcrimine, retro domum retulêre pedem. Ulmenſes ipſi, Julij Adminiſtratoris exemplo, prenſatâ Cæſaris gratiâ, Lipſienſi unioni ſe ſubducentes, ſunt polliciti, ſe novas antiquáſque collectas repræſentaturos. In Comitatu item Geislingenſi, quatuordenas peditum vexillationes, ternas equitum Cæſarianorum, ſuis impenſis habituri, infra tres omnino hebdomadas militem exauctorârunt. Cæteræ orbis Suevici civitates, tot victæ præjudicijs, & terrore malorum imminentium, diſceſsêre à Lipſienſi fœdere. Et jam parabatur in orbem Franconicum expeditio, cùm Ordines id temporis Norimbergæ coacti, rati eſſe ſerviendum tempori, Fürſtenbergio Legatos miſêre, qui addicerent, Ordines Cæſaris

Ulmam et cæterum Suevicum circulum compescit et Franconicum.

L. mandato avocatorio morem geſturos; præterea ſe Romanæ profectionis ſeptuaginta duorum menſium tributum (ſic nominant ex vetere inſtituto Germani ſtatas Reipublicæ penſitationes) ſoluturos. Super hæc, paucis ad urbis præſidium retentis, ter mille delectos milites, ipsúmque Lipſienſe fœdus exauctorârunt. Ad eum modum Lipſienſis molitio, quæ in duobus Imperij circulis, tot tantíſque impenſis coaluerat, tam levi momento disjecta fuit, eo duntaxat excepto, quòd mille omnino ſub Schaumburgico, in Marchionatu Culmbacenſi, delecti milites ad Saxoniæ Septemvirum tranſiêre.

LI. Hic nihil levi manu attingere, nedum aggredi ſolitus, ne quicquam de Lipſienſi fœdere inconſultè, ac præter morem, ipſe ejus caput, Princeps ac director ſtatueret; Comitijs Dresdæ habitis, propoſuit, deliberandum, quid ad ejus obſervationem eſſet præſtandum, quæ vires opponendæ Tillio, unde ſtipendia explicanda militi, ubi habenda ſtativa, quî utendum externorum auxilijs, quid agendum de causâ Archiepiſcopatûs Magdeburgici, ad quem fuerat ipſius filius poſtulatus; quid in Francofurtenſi colloquio tractandum? Ordines ingentem pecuniæ & annonæ vim ad bellum decrevêre; útque decem armatorum millia, præter copias jam conſcriptas, legerentur. Eo factum, ut, mox finitis Comitijs, ad priores delectus tantum novi militis accederet, ut univerſim octodecim millia, & quod ſupra erat, explerent, quibus Arnheimius Electoris Legatus datus eſt.

Comitium Saxonicum Dresdæ habitum

Nec verò ſibi deerant Catholici, contra quos tanta vis tum à Sueciæ Rege, tum à Germanis Proteſtantibus armabatur: Cæſar enim, per Principem Eggenbergium in Styriâ, Carinthiâ, Carnioliâ non legebat modò militem, ſed & ner-

LII. vum militiæ. Fervebant ſimul in Bohemiâ, Hungariâ, Moraviâ, Sileſiâ delectus.

Car-

Cardinalis Dietrichſteinius armaverat aliquot legiones. Maximilianus Bavariæ Septemvir, Princeps Catholici fœderis, Conventu Dünckenſpilæ habito, copioſum equitatum & peditatū conſcripſerat: Dux Lotharingiæ Carolus, cum octodecim millium florentiſſimo exercitu paratus erat ſeſe Catholicis partibus adjungere. Verbo, utrinque inſtruebatur immane bellum.

Tillius, ineunte Junio, relictis Magdeburgi ſeptem legionariorum millibus, & ſeptingentis equitibus, cum Cæſarianis, fœderatíſque Bavariæ copijs movit in Turingiam, quò propior eſſet Regi Succiæ, & Saxoniæ motibus attenderet. Ex ejus militibus non pauci, qui lentè ordines ſequebantur, in Herciniâ ſylvâ per inſidias à ruſticanâ plebe fuêre mactati. Iſthinc eluctatus, caſtra metatus eſt haud procul Erfurto. Magni ad rem Catholicam emolumenti fore ratus eſt, ſi vaſtam hanc opulentam ac populoſam civitatem in poteſtate haberet, tum propter magnam, quâ affluebat, annonæ copiam, tum ad cohibendos finitimorum circulorum motus, arcendámque Landgravij Haſſici cum Saxoniæ Electore conjunctionem. Quamobrem miſit ad Erfurtenſem Senatum, qui poſtularet, ut civitas accepto Cæſaris præſidio, oſtenderet ſe ei conſtanter fore fidam & obſequentem. Verùm Senatus, recuſato præſidio, annonam duntaxat ſuppeditavit & pecuniam. *Tillius movet in Turingiam* LIII. *Annonam et pecuniam accipit ab Erfurtensibus.*

Ex ijsdem caſtris Tillius Caſſellas ablegavit ad Wilhelmum Landgravium, poſtulatum, ut quinque ſaltem legiones admitteret in Haſſiam, dimitteret militem recèns à ſe conſcriptum. Caſſellas & Zigenheimium, præcipua iſtius Provinciæ præſidia Cæſariano milite tueretur: ad exercitûs Cæſarei ſuſtentationem ſuam conferret ſymbolam: denique ſe Landgravius, hoſtíſne, an amicus eſſet, profiteretur. Ille verò negavit, ſe quicquam de poſtulatis facturum, contrà, ſi vis inferretur, vim oppoſiturum. *Hassum cohibet.*

Ergo, cùm ſatis appareret, cujus foret animi, Tillius illico Coloredum & Cratzium miſit cum aliquot millibus, Haſſiæ fines & conſilia obſervaturos. Diſſipârunt illi hinc inde aliquot Haſſicorum tyronum cohortes, cæteros ad Verram fluvium, & Haſſiæ interiora, confiniáque Caſſellæ & Zigenheimij fugaverunt. Jam in eo erat, ut Tillius cum reliquis copijs eodem contenderet; cùm Guſtavi Regis motus progreſsibus, aliò conſilia, armáque convertit. Ergo accito Pappenheimio cum legionibus, rectâ movit in Suecos. LIV. *Movet in Suecos.*

Vix attigerat Wolmerſtadium, imperij Magdeburgici oppidum, cùm nunciatum fuit, Sueciæ Regem ternas legiones Cæſarianas oppreſſas, Montecuculiam ad Borgſtalium, Holckeniam Angerij, Bernſteniam Rendorfij, luculentâ clade affeciſſe. Ceciderant è Cæſarianis Bernſteinius Tribunus, Colobratius, alij permulti: è Suecicis Ludovicus Comes Palatinus Lautereckius, cujus jacturæ Rex Guſtavus apprimè indoluit. *Tres Cæsarianæ Legiones a Sueco profligatæ.*

Poſt eam cladem Tillius circa exeuntem Julium caſtra movens ad Werbenum, explicatâ acie pro Suecorum caſtris fecit ſui copiam: verùm cùm Rex trium fluminum, quibus caſtra muniebantur, & vallorum objectu protectus, nihil præter tormentorum tonitrua ederet, neque ad juſtam pugnam ſe compararet, Tillius eo omiſſo, ne ſe cum fatigato milite iniquæ caſtrorum oppugnationi exponeret, Tangermundam movens, Albim junxit ponte nautico, ut regijs caſtris ex utroque Albis littore pabulationem, annonámque, per diſpoſitos excurſores, interverteret. Sed cùm eadem, quæ inferebat ipſe incommoda, à Suecis acciperet, nec valeret prohibere, quominus ex Trans-Havelanis regionibus ad Suecos annonæ, rerúmque aliarum copia conveheretur, 11. Cal. Sept. Wolmerſtadium reverſus, defeſſo militi, in agro Magdeburgico aliquantum reſpirationis indulſit. LV. *Tillius Regi Sueciæ pugnæ copiam facit.*

Advenêre interea Regi Guſtavo è Sueciâ recentes copiæ. Earum partem in Pomeraniâ juſſit ſubſiſtere, partem conceſſit Ducibus Megapolitanis, reliquas recepit in caſtra. Hoc animati ſubſidio Duces Megapolitani, recuperandi Ducatûs, & finiendi exilij deſiderio arma ſumpsêre adverſus Cæſarem. Id quò honeſti aliquâ LVI. *Duces Megapolitan*

ARMA INDUUNT ADVERSUS CÆSAREM.

aliquâ ſpecie tegerent, anteaquam hoſtile quicquam exercerent, aut profiterentur, libellum vulgârunt, expoſtulantes, ſe Ducatu contra jus fáſque, ne auditos quidem fuiſſe ſpoliatos, ſperâſſe, ſe quidem à Ratisbonenſi Comitio æquiora, ſed fruſtra. Iſthic etenim adhibitâ Electorum, ad cauſæ ſuæ defenſionem, interceſſione; ſe nihil aliud obtinuiſſe, quàm ut remiſſi ad judicum ſubſellia, in litis diuturnitate, rebus omnibus exuti, longum, miſerúmque exilium extorres tolerarent, tandémque omni ſpe, fortunísque omnibus everterentur. Ergo, cùm præter conceſſæ à naturâ defenſionis jura nihil foret reliquum, ſe ad cognatam Sueciæ Regis commiſerationem & auxilia confugiſſe, quibus decreviſſent injuſtum Ducatûs ſui incubatorem exturbare, ſalvâ tamen Cæſaris, Electorum & Ordinum reverentiâ, atque incolumitate Rom. Imperij.

LVII.

RECIPIUNT MULTAS CIVITATES.

Gripſwaldâ nuper amiſsâ, Cæſariani ultro Guſtrovium, Buzovium, Schwanium deſeruerant, in quæ, velut in vacuam ſedem Megapolitani ſine vi ingreſſi, recepêre deinde Swerinum, Ducum Megapolenſium princeps domicilium, quod Sueci Cæſarianis per vim expreſſerant. Dömitium annonæ penuria, veriùs incuria, hoc item anno Cæſarianis extorſit. Wiſmaria dilata in annum proximum.

Tillius ſat gnarus, ſibi eſſe adverſus non potentem modò hoſtem, ſed etiam prudentem Regem negotium, cum quo certare oporteret & robore exercitûs, & militari ſapientiâ; ut nihil temere ſuſciperet, ſuas copias augendas putavit acceſsione Italicarum, quas ductabat Fürſtenbergius à Mantuâ reduces. Has proinde accitas, Tillius ſuis caſtris adjunxit. Landgravij Haſsiæ delectus jam eò excreverant, ut non mediocriter Cæſarianorum vires, conatúsq; diſtrahere poſſe viderentur. Nec latebat, Landgravium, communicato cum Sueciæ Rege conſilio, firmatóque rurſus coràm fœdere, ad Saxoniæ Septemvirum eſſe profectum, eâ mente, ut, ſi quâ poſſet, ipſum in Suecicas partes pertraheret. Quâ occaſione uſus Tillius, Haſsiæ Ordines Cæſaris nomine per litteras monuit, ut, ſi res ſuas ſibi ſalvas vellent, Wilhelmum perinde atque publicum Cæſaris & patriæ hoſtem haberent. Verùm, cùm Haſsi metuere deſijſſent, animis cum ſuo Principe adverſus Cæſarem obfirmatis, Tillij monita ſúsque déque habuêre.

TILLIUS FURSTENBERGUM VOCAT AD CASTRA.

HASSI CUM HOSTE CONSPIRANT.

LVIII.

Nec verò etiam levis erat metus è Saxoniâ, ne Septemvir tandem, junctis cum Guſtavo Rege viribus, in belli ſocietatem concederet. Ejus animum ut penitiùs exploraret Tillius, vice Cæſaris miſit Rheinhardum Metternichium Halberſtattenſem Adminiſtratorem, & Ottonem Baronem Schönburgium in fœderato Catholicæ unionis exercitu ſummum rei tormentariæ præfectum. Merſenburgi tum temporis Septemvir cum ſuarum copiarum parte agebat. Ad ejus colloquium Legati benignè admiſsi, in eo toti fuêre, ut demonſtrarent, Septemvirum pro veteri & immotâ ſuâ in Cæſarem, communémque Imperij ſalutem fide, honeſtiſsimè juxtà ac utiliſsimè facturum, ſi in poſterum ſuum ſolemne teneret. Enimvero ipſum minus, quàm alios habere, quod de acceptis belli injurijs quereretur: ipſius enim præ quàm aliorum potiſsimam fuiſſe habitam rationem, ne quid immoderatiùs in ejus ſubjectos tentaretur. Cæteros fœderis Lipſienſis Principes ipſi præcipuè & Brandeburgico Septemviro adſcribere illos, qui fierent ad depellendam Cæſarei Edicti executionem adverſus mandata Cæſaris avocatoria, apparatus: vellet igitur ſecum ipſe recogitare, an non foret longè conſultius, ab ijs deinceps abſtinere, copias, quas haberet, Cæſarianis jungere, collatis in rem communem impenſis, ſaluti publicæ conſulere, alijs Principibus, apud quos plurimùm auctoritate valeret, ſuadere eandem mentem, & in Cæſarea mandata reverentiam atque obſequentiam? Id ſi faceret, tantò celeriùs, faciliúſque bello Suecico finem poſſe imponi, tandémque controverſijs, quæ Francofurtum ad Conventum erant rejectæ, remedia conciliari. Et hoc quidem longè fore ſuavius atque compendioſius, quàm ſi veniendum foret ad extrema.

TILLIUS SAXONIÆ SEPTEMVIRI MENTEM EXPLORAT.

LIX.

Legati

Legati id reſponſi retulêre ad Tillium. Electorem de Lipſienſi fœdere Cæ- Septemviri
ſari per litteras conatum jam eſſe ſatisfacere, & diſertè profeſſum, ſe priſtinis responsa.
obſequijs Cæſaris gratiam ac protectionem eſſe promeritum, ac ſperare, eo loco LX.
fore ſe ſuáſque ditiones, ut (quamquam fama, actáque jam prædæ, acceptáque
damna aliud præ ſe ferant) à vi deinceps ipſi inferenda abſtineatur. Franco-
furtenſe colloquium ad Eccleſiarum bona pertinere; Electorem verò in eo eſſe,
ut propediem eâ de causâ Legatum mittat ad Cæſarem. Ipſum denique à Til-
lio petere, ut miſſas faciat finium Saxonicorum direptiones, irruptiones, aliáſ-
que hujusmodi vexationes. Id verò multùm profuturum ad pacem, & amoli-
endam ſanguinis effuſionem. Conatus hoſtiles nihil conducere ad concordiam,
ſed exacerbare animos, unde facilis ſit conjectura futuri.

Cùm per Saxonicos Conſiliarios iſta negotiatio ſtudio fuiſſet protracta,
Tillius ratus, quod res erat, temporis quæri diſpendia; antequam Legati rever-
terentur, movit Iſlebiam, unde propiùs vim oſtentaret potiùs, quàm inferret.
Sed cùm id fruſtra foret, Halam movens, tetendit ad Salam, atque inde rurſus LXI.
cum Saxoniæ Electore egit per litteras, ut in mitiora conſilia concederet paren- Tillii mi-
do Edictis Cæſareis; quod ſi detrectaret, fore ut, quantum Cæſaris voluntas, bel- naces lit-
líque ratio exigeret, ipſe Tillius Suæ Cæſ. Majeſtati morem gereret. Septem- teræ ad
vir nihilo territus, immotus ſtetit in propoſito, addito, ſe, ubi uſus fuerit, ſuæ de- Septemvi-
fenſionis rationes idoneas expediturum. Ergo Tillius, explorato Septemviri ani- rum.
mo, veritus, ne ille primo quoque tempore ſuum exercitum Sueciæ Regi adjun-
geret, præcoci conſilio, citra Maximiliani Electoris mandatum, credidit bellum
eſſe maturandum. Itaque Merſenburgicæ regionis Capitaneo, ipſique Merſen-
burgi Senatui indicit certum, in dies ſingulos, annonæ dimenſum: ſed, cùm ea
res ad Septemviri arbitrium eſſet rejecta, Pappenheimium cum ſex armatorum
millibus, & octo muralibus tormentis ablegat Merſeburgum. Is, direptis civi- LXII.
tatis ſuburbijs, petit à Senatu, populóque deditionem : quia verò habebant in
mandatis, ut tempori parerent, paruêre eveſtigio, admiſſo in urbem Cæſariano
præſidio, quadringentis Saxonibus, qui iſthic ſederant, honeſtè dimiſsis. Pari
modo ſubactum Naumburgum, Zeiza, Weiſſenfelſa, aliáque minoris notæ oppi-
da. Id belli cum Saxone inconſultè ſuſcepti initium, quantopere non Maximi-
lianus modò, ſed Moguntinus quoque Electores improbârint, juvat ex Maximi-
liani litteris ad Tillium 13. Cal. Septembris datis, cognoſcere.

Vir Nobilis, Dilecte & fidelis. Binas veſtras litteras, 24. Auguſti & nonâ hu- Litteræ
jus menſis die datas, & poſteriorem quidem per reducem noſtrum curſorem, accepimus. Maximili-
Ex ijs cognovimus diverſa rerum capita, atq; illud præſertim, quod ad res cum Saxoniæ ani ad Til-
Electore ſuſceptas, & Merſeburgum occupatum pertinet. Optaſsemus verò vobis in ma- lium.
nus veniſſe tempeſtivius Moguntini Electoris conſilium. Verum quidem eſt, illud ipſum LXIII.
paulò antè quàm ad vos mitteremus, nobis fuiſſe allatum: ſed etiam illo ſepoſito, ab-
unde ex noſtris ſuperioribus litteris, & nuperâ Rupij Commiſſarij Generalis relatione in- Adversus
tellexiſtis noſtra monita & validas rationes, Sac: Cæſ: Majeſtatis judicio (uti credimus) Saxoniæ
omnino conſentaneas, quæ nobis perſuaſere, nihil adverſus Septemviri Dilectionem, Electo-
quamdiu nullam daturus eſſet cauſam & initium hoſtilitatis, vel niſi ſe jungendo Sue- rem.
ciæ Regi, publico Sac: Cæſ: Majeſtati hoſtis, pacem rumperet, hoſtile movendum. Hac enim
res (quemadmodum Moguntinus Elector pluribus in ſuis litteris demonſtravit) eſt ejuſ-
modi, quæ, ſi in bellum erumpat, non modò novum hoſtem conſciſcat, & longam ma-
lorum ſeriem, ſed etiam (quod timendum eſt) ne in alijs, qui adhuc conquieſcunt, no-
vos motus & inimicas machinationes paritura ſit. Quare optaſſemus, inchoatam pa-
cis diſſociationem, & Merſeburgi occupationem ſuſceptam non fuiſſe, ſed cum Electore
Saxoniæ benigniores rationes tentatas & adhibitas. Quod ſi contrà, ac ſperamus, LXIV.
Sua Dilectio ſe jam Sueco adjunxit, vel eouſque ad apertam amicitiæ disjunctionem
proceſſum eſt, ut nullus ſit locus remedio; ſperamus fore, ut (quemadmodum inter ar-
ma ſæpe uſuvenit) opportuna aliqua ratio rei componendæ proveniat. Quare omnino
perſuaſum habemus, Catholicæ Religionis neceſſitatem id poſcere, ut, nullâ reconciliandæ

concordiæ occaſione intermiſsâ, vos ipſi experiamini, utrùm Saxoniæ Elector poſſit ab extre-
mis rationibus avocari. Quamobrē cùm Saxoniæ Elector veſtris, quas propoſuiſtis, condi-
tionibus nondū fuerit omnino aſſenſus, nec forſan aſſenſurus ſit, ſed pro eo, ac præ ſe tulit,
eas ad Cæſ: Majeſtatem relaturus ſit per Legatos, pro majore rei accuratione ipſi ſignifi-
cabitis, vos interea temporis, niſi quid aliud interveniat, hoc ipſum æquo animo latu-
ros: ſed quandoquidem Suecus Cæſ. Majeſtatis & Imperij publicus hoſtis, in locis finiti-
mis varia molitur, nec Cæſareæ Majeſtatis bonóque publico ullo modo expedit, illum ho-
ſtem pro arbitrio longiùs progredi, atque interea Sac: Cæſ: Majeſtatis exercitum otiari
diutiùs, ſed omnino convenit, ut, quocunque loco commodè fieri poterit, ipſi occurratur:
Id tamen cùm fieri nequeat, intactis Saxoniæ finibus, vos libenter certò intellecturos, an
Elector Sac: Cæſ: Majeſtatis adverſarijs directam omnem atque indirectam opem ſit ne-
LXV. gaturus; item an idem, rebus ſic exigentibus, Sac: Cæſ: Majeſtatis & Imperij exercitibus,
ad publici hoſtis inſectationem, pro re natâ, ultro citróque commeandi libertatem, &
neceſſariam tranſeuntibus annonam ſit conceſſurus. Quòd ſi iſtæ conditiones à Suâ Di-
lectione per veſtram diligentiam poſſint impetrari, prout certò futurum confidimus,
ſique Saxoniæ Septemvir nondum ſe apertè Regi Sueciæ ſociârit, aut Cæſaris hoſtem ſit
profeſſus, exiſtimamus hoc quidem tempore omnino eſſe conſultum, ne ullo modo iſtæ rei
componendæ rationes negligantur: neutiquam verò videmus, quamobrem talibus rebus
LXVI veniri debeat ad inimicitiæ profeſſionem, atque exinde Romanum Imperium, rèſque Ca-
tholica univerſa, jam alioqui periclitans, nondum fractâ diverſorum hoſtium potentiâ,
in majus diſcrimen adduci. Cæterùm, tametſi Saxoniæ Elector, eò quòd fœderatus
exercitus unà cum Cæſariano in ejus fines eſt ingreſſus, habiturus ſit hoc ipſum pro aper-
tâ hoſtilitate, rèſque eò difficilior futura ſit, nihilo minùs non intermittemus Septem-
viri Moguntini judicium explorare, & communi conſilio diſpicere, quidnam pro veſtro
inſtituto, aut aliunde ad Saxoniæ Electoris conciliationem convenienter, & quàm ma-
turrimè præſtari poſſit. Quia verò ſummum eſt in morâ periculum, vobis interea
temporis curæ erit, ſi adhuc quidem fuerit integrum, amicam tractationem confeſtim
ſuſcipere, & tum ſervitij Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, tum Catholicæ rei communis habere
rationem. Si verò Saxoniæ Electoris Dilectio ad hujuſmodi benignas rationes adduci
nequiret, ſed arma Suecis ſociando apertè ſe hoſtem demonſtraret, noſtrum non eſt, de
LXVII. Cæſareis mandatis vobis quicquam præſcribere. Ne tamen Fœderatus exercitus ejuſ-
modi mandatorum executionem in ſe planè ſuſcepiſſe videatur, veſtrum erit cogitare de
modo perficiendæ executionis ſolis Cæſariani militis viribus, ſi id quidem citra publicæ
rei diſcrimen damnúmque fieri queat: atque tum fœderàtus exercitus in finitimis Epi-
ſcopatibus, aliiſque ditionibus erit collocandus, non eò duntaxat, ut ex ejus propinqui-
tate veſter conatus in executione Saxonicâ fiat animoſior, ſed etiam ut in omnem even-
tum, ſi fortè Elector ſeſe Suecis adjungeret, in promptu vobis ſit vicinum auxilium.
Id tamen vos, pro laudabili veſtrâ rei militaris experientiâ, attendere oportebit, ne miles
fœderatus tales occupet ſtationes, ut, dum vobis res erit cum Electore Saxoniæ, exerci-
tus pateat Suecorum incurſioni, aut detrimenti aliquid patiatur. Cæteroqui non dubi-
tamus, quin iſtam exercituum diſtinctionem, velut æquam & neceſſariam ſitis proba-
LXVIII turi, quandoquidem certum eſt, executionem adverſus Ordines Imperij (excepto Land-
gravio Haſſiæ Wilhelmo, qui Catholicum militem aggrediendo ſe hoſtem eſt profeſſus)
à ſolo Cæſareo exercitu peculiariter eſſe præſtandam. Quia verò Comes Fürſtenbergius
jam ad vos acceſſit, & Aldringerus fortaſſis, antequam hæ reddantur, vobis aderit, præ-
ter novos delectus, quos Aldringerus nuntiat eſſe ſecuturos, ex ſolo compertæ fortitu-
dinis Cæſariano milite in hoſtem educere poteritis, ut minimum, octodecim armatorum
millia: ſic ſperamus vos eo fore ad eam executionem (ſi quidem omnino adverſus Saxo-
niæ Electorem fuerit ſuſcipienda) affatim inſtructos. Si tamen Saxoniæ Elector, junctis
cum Sueciæ Rege viribus, in belli ſocietatem veniret, tum per ſe planum foret, cauſam
Cæſariani exercitûs & fœderati futuram eſſe communem, adeóque utrumque pariter
à vobis debere conjungi, aut ſeorſim adhiberi pro Sac. Cæſ. Majeſtatis & rei communis
ſervitio atque utilitate, prout res ipſa poſcere videbitur. Hæc cum fide recenſere
viſum eſt operæ eſſe pretium, tum ut vel hinc appareat, quàm integrè Maxi-

mi-

milianus arma Catholicæ Unionis tractaverit, tum ut palàm fiat, præter ipſius LXIX.
mentem accidiſſe, quòd Saxoniæ Septemvir ad bellum cum Succiæ Rege ſocian-
dum fuerit provocatus. Tam enim id ab ejus conſilijs fuit alienum, quàm ſunt
falſa, quæ neſcio quis tenebrio auctor Epitomes Gallicorum fœderum, cujus edi-
tioni nec locus, nec ſcriptoris nomen præfixum eſt, per aliquot paginas adverſum
Maximiliani innocentiam calumnioſiſsimè latravit. Iſte calumniator fuſcúſne
ſit an candidus, Quercus an Tilia, parùm intereſt, ſed multùm intereſt ſcire, eum
egregiè hallucinari. Quæ enim malignitas eſt illa, quâ audet Maximilianum **Refutan-**
facere belli Germanici authorem, Bavaricam Domum ejuſdem belli finem? At **tur famo-**
fuit Maximilianus Catholicæ (ut vocat) Ligæ Dux & caput: quid inde? Liga **si libelli**
nulli bellum intulit, ſed illatum duntaxat, ſæpius læſa, defendit, adeóque belli **calumniæ.**
author non fuit: Maximilianus Ligæ copias eduxit adverſus Unioniſtas; atqui
illi ſuas priùs eduxerant adverſus Catholicos, eóq; non Catholici, ſed Unioniſtæ
ſe fecerant iſtius belli authores. *Iuvit* (inquit ille) Maximilianus *Cæſarem,
ſed non niſi ampliſſimis promiſſis, & nominatim pollicitâ Electoralis dignitatis & Palati-
ni patrimonialium Regionum mercede conductus.* Quot verba, tot ineptiæ. Promiſ- LXX.
ſa ex vero, ipsóque pactionis cum Cæſare autographo, ſuperiùs recenſuimus: in
his nulla merces, nulla promiſſio Electoralis dignitatis, aut Palatini patrimonij.
Hoc duntaxat, quod omni jure debebatur, addictum eſt: ut 1. Cæſar Maximilia-
nũ præſtaret indemnem: 2. ut belli ſumptus refunderet: non igitur hîc de merce-
de, non de lucro patrimonij aut dignitatis alienæ, ſed de vitando damno conventũ.
Si arcana promiſsi fides allegetur: nulla prorſus eſt, quia præterea nihil fuit ad-
dictum, nec potuit cum ratione addici. Nondum erat Fridericus Comes Pala-
tinus ſuis ditionibus, aut dignitate exutus; tam ergo albæ mentis fuiſſet, de ejus
exuvijs paciſci, quàm de pelle urſi nondum irretiti, nondum capti. Tam pro-
num erat timere, ne ex tantâ Auſtriacarum Provinciarum, Germanicorum Pro-
teſtantium, Bohemiæ, Hungariæ, Tranſſylvaniæ, Turciæ, adverſus Cæſarem con-
ſpiratione atque potentiâ, Fridericus victor Maximilianum Boicâ, Ferdinandum LXXI.
Viennâ pelleret, quàm incertum, immo ridiculum, certò ſtatuere, fore ut ipſe
Bohemiâ, Electoratu & Palatino patrimonio eijceretur. Quid ſi ſe ante ſupre-
mam belli aleam (quod ipſi fuit integrum) Cæſareæ voluntati accommodâſſet?
quod genus fuiſſet promiſsi Cæſarei, quæ ſpes Maximiliano adipiſcendi Palatini
patrimonij, vel Septemviratûs? Apage iſtas fabulas indignas homine, cui vel pi-
lus ſit ingenuæ prudentiæ, vel probitatis. *Sed Maximiliano licuiſſe per Pacificatio-
nis Vlmenſis leges juvare Cæſarem, negant Proteſtantes.* Atqui hoc non negant ca-
pita Pacificationis, in quibus diſertè fuêre exceptæ Provinciæ Domûs Auſtriacæ,
ipsáque Bohemia, atque Bohemicæ Coronæ annexæ ditiones, in quibus proinde
per leges Ulmenſis Pacificationis licuit Maximiliano juvare Cæſarem. Addit
calumniator neſcio quid omnino denaſatum, cùm rationem reddit, cur Prote-
ſtantes negent Maximiliano licuiſſe per leges Ulmenſes juvare Cæſarem. *Cùm* LXXII.
ſine hujusmodi auctoramento (inquit) *& juratæ Cæſari ſubjectionis Religione, & legibus
Imperij, quibus quilibet ſtatus alteri injuſtè offenſo ſuppetias ferre tenetur, deniq; ipsâ
neceſſitate ſuadente, cùm non, niſi ſalvo Cæſare, ſalvus eſſe poſſet, Cæſari opitulari de-
buiſſet.* Puerum credas argutari. Ulmenſibus legibus prohibebatur Maximi-
lianus juvare Cæſarem, quia juvare debuiſſet ſine auctoramento, quia tenebatur
juvare ex fidei Cæſari juratæ religione, quia quilibet Status alteri injuſtè offenſo
ſuppetias ferre tenetur, quia neceſsitas ſuadebat. Inferre debuit libellio. Ergo
Maximiliano juvare licuit, ergo per leges Ulmenſes, quæ nihil prorſus tale ve-
tant, ſed diſertè permittunt, non fuit prohibitus Maximilianus juvare Cæſarem:
nihilominus pedaneus iſte Senator infert, Maximiliano id non licuiſſe. Sed vi-
deo, quid extra rhombum velit. *Debuiſſet opitulari ſine iſtiusmodi auctoramento:*
atqui pacificatio Ulmenſis non vetuit ullum auctoramentum, & ſi vetuiſſet, ta- *Sueton. in Ti-*
men Maximilianus adverſus pacificationem nihil peccâſſet, quia nullum prorſus *ber. Cic. 1. Off.*
auctoramentum in pacto Cæſareo cum Maximiliano interceſſit. Auctoramen- LXXIII
 tum

tum enim eſt merces quædam ſervientis: atqui Cæſar Maximiliano nullam addixit mercedem, abſit à Maximiliano, cui regiæ erant opes & regius animus, nomen mercenarij: niſi mercedem voces pactam reſtitutionem bellicorum ſumptuum & obligationem præſtandæ indemnitatis, quod nemo, niſi ſupinè inſcius atq; imperitus, aſſeruerit. Quid enim hîc intervenit pretij, quid præmij, quis fructus laboris, quæ remuneratio operæ vel ſervitutis? Reddere debuit Cæſar quantum accepit, non obſequij, non utilitatis, non adjumenti, non defenſionis, non gloriæ & ſecuritatis; ex domitis rebellibus, ex pulſo regni Bohemici incubatore, ex pacatis provincijs: ſed reddere quantũ Maximilianũ oportuit (ipſo Cæſare volente, rogante paciſcente) impendere pecuniæ ultra debitum, citra omne fœnus, citra omne pactum remunerationis. Quæ hîc ergo labori merces? quæ pactio mercenaria? Nulla: quod periculorum auctoramentum? ſolum decus à magnanimitate Maximiliani quæſitum, à famâ & nominis immortalitate perſolutum, & Cæſaris juſtiſsimo judicio, bonorum omnium conſenſu ac plauſu comprobatum.

LXXIV. *Sed Maximilianus* (inquit ille) *juvare debuit ex fidei Cæſari debitæ religione & Imperij legibus.* Debuit fateor, quia Beneficiarius; debuit, quia membrum Imperij; ſed tantum non debuit, non debuit tredecim milliones. Quæ enim fides clientem Cæſari unquam obligavit ad tredecim florenorum milliones, intra vix triennε temporis ſpatium, in ipſius obſequio pendendos? Quæ Imperij lex tam ſumptuoſi belli onus uni membro Imperij impoſuit? Juvare debent ſummum Imperij caput, & ſe invicem membra; ſed ſimul omnia, & ſingula pro modo juſtæ, uſuque confirmatæ impenſarum & laborum diſtributionis, ne, cæteris ceſſantibus, unum hodie, cras alterum, & tandem omnia, & conſequenter totum Imperium ſuccedentibus bellis atque temporibus, obruantur. Ut natura ſervando capiti, tuendæque totius corporis incolumitati plures manus, plures pedes, plures ſenſus, & ſocialem operam attribuit, ſic recta Legum & Reipublicæ ratio inſtituit mutuam membrorum civilium inter ſe, & cum ſuo capite auxiliorum ſocietatem. Sed licèt contrà, ac verum habet, daremus Maximilianum clientelari nomine juvando Cæſari, ex aſſe ſolum ac unicum fuiſſe obſtrictum, citra omnem expenſarum refuſionem: nihilominus Cæſar ad eas reponendas ex

LXXV. pacto, quod cum Maximiliano inijt, fuiſſet obligatus. Pergit ille. *Victoria Pragenſis jus belli aſſeruit, & Palatino ex Bohemiâ profugo, omnia in eum ſtatum redibant, quo erant ante belli initia, poterant honeſtâ pace controverſiæ finiri cum Proteſtantibus, niſi belli ſumptus reflagitante Bavaro, Cæſar ei coactus fuiſſet ſuperiorem Palatinatum invadendum relinquere, mox ipſam Electoralem dignitatem in eundem transferre.* Quæ malùm aterrima iſta nugacitas! Victoria Pragenſis parta Maximiliani virtute jus belli aſſeruit, ſed Palatinus è Bohemiâ profugus nondum arma, nondum Regni Bohemici inſignia poſuerat, nullam admiſſi in Cæſarem delicti culpam agnoſcebat, nedum deprecabatur; conſciſcebat externa auxilia, animabat Proteſtantes, pugnabat in Mansfeldio, armabat Halberſtattenſem, urgebat Durlacenſem, implorabat Danum, Anglum, Tranſſylvanum, alios, & hæc omnia fiebant poſt Pragenſem victoriam, & quidem à Palatino profugo; ergóne omnia redibant in ſtatum priſtinum? ergóne cum Proteſtantibus, quo-

LXXVI. rum pars magna fuit Durlacenſis, Halberſtattenſis, aliique Imperij Ordines nondum compoſiti, poterant controverſiæ finiri. Controverſia erat de Coronâ Bohemicâ, quam Comes Palatinus pergebat uſurpare: controverſiæ erant de Eccleſiæ ſpolijs, de pace Religionis, déque novis ipſius interpretationibus: controverſiæ erant circa Cameram Spirenſem, & Cæſaris Senatum Aulicum: de numero Præſidum & Aſſeſſorum Spirenſium, de abrogandis viſitationibus ordinarijs, de juridicis actionibus negandis Abbatibus & Prioribus, de Epiſcopis jure ſeſſionum, ac privilegiorum ſpoliandis, de promiſcuâ Catholicorum & Acatholicorum ſepulturâ, de tollendo ex Imperio omni jure Romani Pontificis, de mutandâ formâ jurisjurandi fiduciarij, de antiquandâ plurium ſuffragiorum in Imperij placitis auctoritate: iſtæ ſcilicet controverſiæ ſtatim fuiſſent compoſitæ,

poſitæ, ſi nulli ſumptus Maximiliano fuiſſent reſtituendi. Nondum, crede mi-
hi, per Pragenſem victoriam, tam adhuc erant Proteſtantes ad æquitatem com-
poſiti aut ſubacti, ut ſua illico poſtulata remiſiſſent; neque Catholici ſic dejecti,
aut in Deum ac Religionem iniqui, ut admitterent. Delirantis ſunt iſta ſomnia:
ergo præter belli ſumptus multa ſupererant, quæ cōponerentur. Et dic amabo,
quis coëgit Cæſarem Maximiliano Palatinatum invadendum relinquere, aut
transferre in ipſum Palatinatum? Impenſæ, dices, nondum Bavaro reſtitutæ:
ſed quid illæ ad Palatinatum aut Electoratum? Maximilianus profectò Palatina-
tum non expetijt, cui longè meliùs erat proſpectum per Auſtriæ ſuperioris cer-
tam, nulli bello obnoxiam hypothecam & proventus annuos, quàm ſi ad Pro-
vinciam controverſam, ad belli ſedem, eóque ſterilem poſſeſſionem retrudere-
tur. Facilè dicerem, quis Cæſarem coëgerit, ſi quidem fuit coactus: ſed præ-
ſtat ſilere. Certè Bavarus nec coëgit, nec potuit cogere, ſed potiùs quaſi coa-
ctus fuit, quippe qui, cùm jam abundè ipſi eſſet proſpectum, iſtam mutationem
meritò refugiebat. At bellum non fuit finitum: Quo auctore? Non Maximi-
liano, qui pacis ſemper fuit conciliator ante bellum, à belli initio ad uſque bel-
li exitum, cùm nonnulli tui ſimiles ab initio ad uſque finem pacem Germaniæ
impugnarent. Translatio Electoratûs in Maximilianum, ac deinde in ejus Do- LXXVIII.
mum, nequaquam fuit coacta: reclamavêre quidem aliqui alienæ magnitudinis
æmuli, ſed ne veſtigium quidem veritatis poteſt oſtendi, ex quo deprehendas,
eam à Maximiliano fuiſſe extortam, niſi coactum dices Cæſarem à præſtantiâ
meritorum Maximiliani, & acceptorum beneficiorum memoriâ, & æquitate
juris Domûs Bavaricæ. Bellum quidem propagatum eſt adverſus Cæſarem &
Ordines ipſi obſequentes; ſed Maximilianus illi prorogando nullam cauſam de-
dit. Retinuit Palatinatum cum ingenti ſuo incommodo, quem ſingulis momen-
tis cum Auſtriacâ hypothecâ commutâſſet, ſi id ipſius fuiſſet arbitrij: Non exuit
ſe Electoratu, quem Cæſar apertè profitebatur ſe Friderico Palatino Comiti nun-
quam redditurum. Succeſſit bellum Danicum: Cæſar id injuſtum judicavit,
Maximilianus cauſæ juſtitiâ fretus, Deo opitulante, Cæſare volente armis patra-
vit, Cæſar ſapientiâ & pacis ſtudio exhauſit. Quis verò Suecicum bellum mo- LXXIX
vit? id jam vidimus, id teſtati fuêre libelli Guſtavi Regis, quibus belli inferendi
cauſas explicuit: certè de Maximiliano tam nihil eſt conqueſtus, ut eum ami-
cum aut neutrarum partium optârit (quod clariſſimum eſt ex fœdere Gallico)
ſi Maximilianus cum hoſte Cæſaris & Imperij pacem colere, & Cæſarem deſerere
voluiſſet. Belli cauſam conjecit Guſtavus in auxilia miſſa Regi Poloniæ: Maxi-
milianus ne caculam quidem miſit. Queſtus eſt ſuas litteras fuiſſe interceptas:
Maximilianus non intercepit: ægrè tulit ſuos legatos à Lubecenſi pacis tracta-
tione fuiſſe excluſos: Fridlandus excluſit. Obtendit Stralſundanos injuriâ affe-
ctos: longè abfuit à Stralſundanis Maximilianus & Catholicæ unionis exercitus:
ſi qua facta eſt vis, eam Cæſariani fecerunt. Obtendit ſe veniſſe opitulatum
Proteſtantibus oppreſſis: multos, præter Comitem Palatinum, oppreſſorum nu-
mero habebat, quos conaturus fuiſſet erigere, tametſi Palatinus fuiſſet in inte-
grum reſtitutus. Megapolitanos, Pomeranos, alios volebat adjutos, quicquid LXXX.
tandem in arcano præterea cauſæ haberet: ergo illum non movebat ſola Pa-
latini extorris miſeratio. De pacis Anno M. DC. XXX. cum Proteſtantibus
non compoſitæ cauſis, tam calumniator iſte imponit veritati, ut vel ex hoc ap-
pareat, ipſum eſſe vel ſummè rerum geſtarum ignorantem, vel ſtudio perverſum
& maledicum. Ratiſbonæ Anno M. DC. XXX. ne verbo quidem Palatini
Comitis, ditionúmve ipſi aut Electoratûs reſtituendi, aut tredecim millionū facta
eſt mentio, in omnibus rerum tractandarum articulis, quos vel Cæſar voluit
examinari, vel quos Proteſtantes propoſuerunt. Tam non fuit Cæſar à pace
cum ineundâ per Maximiliani interpellationem impeditus, ut Maximilianus vo-
tis omnibus, ſi quà fieri poſſet, pacem cum Proteſtantibus iniri exoptaret. Cur
inita non fuerit, ſat prolixè libro præcedente explicavi. Confirmat ſuum com-
men-

mentum veterator noſter ex fœdere Maximiliani cum Rege Galliæ: nihil hoc Cæſarem movit. Æquè vana ſunt, quæ adducit de pace Mantuanâ. Urit videlicet hominem iſtum pax Mantuana: ſed Cæſaris ea pax fuit, non Maximilia-
LXXXI ni: grandem facit Cæſari injuriam, qui eum velut ab alieno arbitrio pendentem, ait ad iſtam pacem cum Galliæ Rege faciendam à Maximiliano fuiſſe coactum. Quòd ſi neſcis, quibusnam diſplicuerit Pax Mantuana, paucis dicam: Pax Mantuana à Cæſare bene compoſita diſplicuit illis, qui malè bellum Mantuanum accenderant. Dolet etiam noſter Calumniator hoſtis Domûs Bavaricæ, Walleníteinum à Cæſare fuiſſe exauctoratum, quaſi neminem ad eum diem pœniteret ejus fortunæ & rerum ab eo geſtarum: atqui non pœnitebat quidem, ſed pigebat univerſum tam Catholicum quàm Acatholicum Imperium, quod Ordines Imperij, maximè Electores ſæpius apud Cæſarem fuêre conqueſti. Aboleri (inquit) oportebat Catholicam Unionem, Proteſtantium Unione jamdudum abolitâ: ſi non es de tribu Proteſtantium, certè oportet te eſſe de tribu hoſtiū Catholicæ in Germaniâ proſperitatis. Quid enim tam malè meruit de Cæſare Unio Catholica, ut eam velis fuiſſe extinctam? numera ſervitia Cæſari reique Catholicæ exhibita per fœderatos, recenſe victorias, æſtima, ſi potes, res pro communi
LXXXII. bono geſtas à fœdere Catholico, & tum ſi lubet, cum invidiâ Judæorum, poſce ut crucifigatur auctor ſalutis & vindex publicæ incolumitatis. Ergo ne quæras *belli Germanici fatum, ut & excitati penes Domum Wittelſpachicam.* Cætera in loco proſequemur: modò revertimur ad expeditionem Saxonicam.

Castra Saxonis ad Turgoviam. Exercitus Saxoniæ Septemviri, qui ad Lipſiam in Miſniâ conſederat, comperto Tillij adventu, ad Turgoviæ, quod magni momenti præſidium eſt ad Albim, defenſionem diſceſſit. Eò devectæ juſto numero, amne ſecundo, curules machinæ, caſtra vallo bene munita. Res iſtis initijs progrediebatur ad bellum grave & pernicioſum.

Tillius, occupato Merſeburgo, aliiſque locis, à Lipſienſibus flagitavit annonam alendo exercitui. Civitas cùm ſe injuſſu Septemviri Principis ſui daturam negâſſet, ilicò Tillius, immiſſis in confinia, ipſóſque Lipſiæ aditus, copijs, petijt
Tillius Lipsiam occupat. intra mœnia recipi Cæſareum præſidium. Repulſam paſſus (gerebantur hæc menſe Septembri) ab Halâ diſcedens, cum univerſo exercitu venit in Lipſiæ conſpectum, repetitiſque ſuperioribus poſtulatis, & præſcripto oppidanis ad deliberandum ſpatio, tormenta libravit in muros: repoſuêre Lipſienſes è majoribus
LXXXIII. machinis frequentes exploſiones. Tillius, uno è ſtipatoribus ad ipſius latus proſtrato, propè abfuit à ſupremo periculo. Suburbia tergemina ab ipſis civibus, quaſi diuturnam obſidionem toleraturis, data Vulcano: Tillius contrà flammis reſtinguendis dedit operam, hortatus militem, opem ferret, ſiſteret conflagrationem: ſed cùm è mœnibus continuâ miſſilium procellâ prohiberetur, ignis, adflante aurâ, omnes ſuperavit reſtinguentium conatus. Quamobrem mœnia tormentis cœpta verberari horis pomeridianis, nocturnis verò urbanæ ædes peti punicis ignibus. Quæ res eo metu oppidanos perculit, ut quartâ poſt obſidium die, ſub noctem, deditionem pacti, poſtridie circa meridiem, dimiſsis Eulenbergam propugnatoribus, mille Cæſarianos cum Wanglero Tribuno reciperent. Pleſburgum, firmum ad Lipſiam caſtrum, à Joanne Voppelio, nullâ vi expectatâ, Tillio traditum.

Igitur Saxoniæ Septemvir, nihil jam de apertâ hoſtilitate ambiguus, ubi belli
LXXXIV. ſedem in ſuis ditionibus fixam, & recentes ab Aldringerò Legiones adproperari, famámque Tieffenbachij è Sileſiâ propediem adfuturi comperit, ratus differri non poſſe ſuarum cum Suecicis copijs conjunctionem; per Arnheimium Sa-
Saxoniæ Elector arma Sueciæ Regi sociat. xonici exercitûs Legatum à Guſtavo Rege perlubente impetravit belli armorúmque ſocietatem. Tertio pòſt die Guſtavus, Baudiſio in caſtris Werbenſibus cum aliquot legionibus relicto, cum cætero exercitu, Albi per Wittenbergenſem pontem tranſmiſſo, Dubæ, ubi Saxoniæ & Brandeburgi Electores aderant, Saxonicum militem ſuo conjunxit.

Iſthic

Iſthic in commune deliberatum de belli ratione. Rex Guſtavus pericu-
loſum cenſebat, non duos modò Septemviratus, ſed omnium ſimul Proteſtan-
tium ſalutem incertæ unius pugnæ aleæ, recentes Saxoniæ delectus victorioſo
ac veterano hoſti committere. Tutius enimvero longè eſſe eum, Halâ, Mauri-
tioburgo, & Merſeburgo recuperatis, commeatu paulatim intercepto, carptiſ-
que hinc inde per conflictus leviores copijs, in arcto conſtrictum ſenſim debili-
tare. Quòd ſi in Tillium rectà tendatur, poſſe eum loco iniquo caſtra firmare: LXXXV.
id ubi fecerit, arduam fore tanti exercitûs expugnationem. Poſſe interea con-
tingere, ut Suecicæ juxtà ac Saxonicæ copiæ, ex hoſtis cunctatione, ad periculo-
ſum & parùm honeſtum receptum adigantur. Saxoniæ Elector contrà, pugnam
poſcere, ſine quâ hoſtis è Saxonia dimoveri nequeat: enimvero annonam tot
parem exercitibus è ſuis ditionibus nullo pacto ſuppetere: hoſtem optimam re-
gionis par m occupare, cæteras momento exhauſtum iri. Cùm nihilo ſecius
Guſtavus ægrè aſſentiretur, ferunt dixiſſe Septemvirum, ſe unum cum ſuis copijs
hoſti iturum obviam. Pugnâ ergo ex ipſius ſententiâ decretâ, 16. Cal. Octob.
movêre in Tillium. Aciei ſiniſtrum cornu tenebant Saxones, dextrum Sueci.

Saxoniæ Septemvir Lipſiam mandata miſerat, ne urbis deditio præcipitare-
tur ſe enim perbrevi adfuturum. Ex captivo, qui Electoris juſſa ferebar, cogno-
vit Tillius, Suecos, junctis Saxonibus, inſtructâ acie, adventare. Quare caſtra LXXXVI.
extemporali loricâ terniſq; propugnaculis utcunque munijt, hoſtem expectatu-
rus. Verùm Pappenheimij ſuaſu, mutato conſilio, caſtris relictis, ſe dedit in
campum patentem. Poſtridie, qui fuit 15. Cal. Octob. cognito per explorato-
res imminere hoſtem, tumulum locandis tormentis opportunum occupat, &
altero à caſtris Lipſienſibus lapide aciem inſtruit. Dextram alam demandavit
Pappenheimio, lævam Fürſtenbergio, medium agmen ſibi delegit, captato in
ſubſidium vento occiduo, qui pulverem, fumúmque inferret in hoſtium oculos.

Sueciæ Rex, machinis curulibus rite diſpoſitis, ſibi ſumpſit dextrum aciei **Pugna Lipsiensis.**
cornu, ſiniſtrum committit Hornio, mediam aciem Teuffelio. In ſubſidijs ſta-
tuit unà cum turmâ prætorianâ ternas peditum phalanges, totidémque cateruas,
ſimul aliquot turmas alarias. Aciem Saxonicam mediæ complebant legiones,
utrumque cornu turmæ. In dextro curabat Arnheimius, in ſiniſtro Taubius:
Bintauffius in poſtremo agmine. Cæſarianis pro teſſerâ Jeſus Maria: hoſtibus,
Nobiſcum Deus. Sub meridiem, è tormentis majoribus cecinêre bellicum, non LXXXVII.
ſine ſtrage mutuâ. Cominus deinde agi cœptum. Suecus, ne ventus perge-
ret eſſe adverſus, deflexâ ad ſiniſtram molliter acie, eum aſſecutus eſt minùs im-
portunum. Primus Tillianorum impetus fuit in Saxones: fuſo extemplo equi-
tatu, legiones potiorem partem abjectis armis datæ in fugam. Ergo jam in læ-
vo cornu Tillianis videbatur manus tendere victoria: ſed effuſi in fugientium
terga Croatæ, párſque Tilliani equitatûs aciem debilitavêre. In iſta Saxonico-
rum ordinum confuſione, Septemvir Eulenbergam, Arnheimius anhelans ac
trepidus ad Guſtavum Regem ſe recepêre, qui miſſis protinus binis phalangi-
bus, quæ Tillianis, quâ parte maximè laborabat Suecica acies, obſiſterent. In
dextro cornu longè diverſa facies. Hîc Cæſarianus equitatus, poſt acrem ſatis
pugnam, actus in fugam, legiones deſtituit. Simul Saxonicæ reliquiæ, auxilio
Succorum, qui erant in ſubſidijs, recuperavêre ſua tormenta; mox cum Suecis
in Tillianas legiones fortiſsimè pugnantes, à fronte ſimul & à tergo, totâ mole
incubuêre. Diuturnum hoc loci & acre fuit certamen, rejecto primum Sue-
cico equitatu cum luculentâ duarum catervarum clade. Sed cùm Sueci, novis
aucti tum turmis, tum legionibus, quas è ſiniſtro cornu Hornius adduxerat, præ-
lium inſtauràſſent, petita undique tum è majoribus tormentis, tum à circumfu-
ſis agminibus, Tillij ſtans adhuc acies, poſt horrendas aliquot in Suecos è ſclopis
procellas, tandem obruta, laxatis ordinibus pedem retulit. Qui aciem Saxo- LXXXVIII.
nicam fuderant, plerique in tres globos tributi, Wangleriani videlicet, Wahliani,
delecti ex Comargi & Reinachij legionibus, ſervatis ordinibus ſe è prælio deſer-

ti, à cæteris receperunt. Multi è reliquis in fugâ ab inſectante equitatu occiſi, plurimi Lipſiam, Merſeburgum, Halam dilapſi. Tillius toto conflictu, qui quinque admodum horas tenuit, egregiè Ducis ſimul atque militis officio perfunctus, propè à captivitate abfuit. Cùm ipſe à quodam centurione agnitus graviter premeretur, nec manus tamen daret, ſclopo ſecundum caput læſus & latus perſtrictus, occiſo qui premebat centurione, ídq; manu Ducis Maximiliani Lauenburgici, ereptus periculo Halam pervenit. Fabuloſa malignitas eſt, quam nonnemo viro fortiſſimo audet impingere, quaſi probiſſimus Tillius magico

LXXXIX. charactere vulnera evitârit: certè non evitavit bene cruentam lateris ſtricturam, nec vulnus verticis, contrà ac contingit ijs, quos diabolica carmina defendunt. E Catholico exercitu occubuêre Adolphus Dux Holſatiæ, Otto Schönburgius ſupremus excubitorum Magiſter, Erwittæus, Bongardius, Blanchardus, Grottæus, Chiliarchæ multarum palmarum: è Suecis Teuffelius, Hallius, Calenbachius Tribuni, Legionum Legati Adergaſtius, Damizius: captus Corvillæus tribunus, abductúsque. E Saxonibus cecidêre Bintauffius, Lœſerius, Starchedelius. Alij poſt conflictum ex vulneribus confecti. Memorantur univerſim utrinque novies mille deſiderati. In Guſtavi Regis poteſtatem venêre viginti ſeptem machinæ æneæ, ſigna militaria ſupra centum, ingentes manubiæ: quamquam Cæſariani equites, quantum per tempus licuit, è prælio fugati, Tillij caſtra diripuêre.

Ergo, quæ ſunt in rebus humanis vices fortunæ inconſtantis, iſta dies longam victoriarum, auſpicijs Ferdinandi II. Cæſaris & Maximiliani Bavariæ Ducis atq; Electoris, & virtute Tillij partarum, ſeriem interrupit, induxitq; longam al-

XC. ternantium malorum, in Germaniâ, calamitatem. Tillius porrò, collectis è fugâ,

Tillius ſe recipit Halberſtadium.

quotquot potuit, belli reliquijs, unà cum Pappenheimio, & aliquâ parte equitatûs ſeceſſit Halberſtadium. Cùm Guſtavus in loco certaminis noctem ſub dio egiſſet, 14. Cal. Octob. duxit Lipſiam. Tillianis civitati & arci Pleſſenburgicæ impoſitis deditionem ab ipſo poſtulatam morantibus, curâ utriusque recuperandæ Saxoniæ Septemviro relictâ, Merſeburgum cum exercitûs parte contendit. Ex itinere, ad bis mille Cæſarianos, quos lentior fuga prodidit, dedit internecioni: ad ter mille captos, factâ vitæ veniâ, Rex recepit ad ſua ſtipendia. Merſe-

Clades nova Cæſarianorum.

burgo recepto intra biduum, Halam & Mauritioburgum recuperavit: pleroſque gregarios defenſores per legiones Suecicas intermiſcuit, cæteros jurejurando adſtrinxit, ne in poſterum adverſus Suecos, eorúmve fœderatos arma geſtarent.

Saxones Lipſiam recuperant.

Lipſiâ Saxoniæ Septemviro 9. Cal. Octob. redditâ, qui eò confugerant cum ſarcinis dimiſſi: ſed ex ijs non pauci fortunæ auram ſecuti, ad Saxonica ſigna tranſiêre: Ductores alicuius notæ Catholici, fuêre cuſtodiæ mancipati.

XCI.

Solvitur Conventus Francofurtenſis re infecta.

Ante iſtam cladem ad 3. Non. Sextil. Francofurti convenerant tum Catholici, tum Proteſtantes, de Cæſaris Edicto & Eccleſiarum ſpolijs acturi. Volebat Cæſar, idémque urgebant Catholici Ordines, ut controverſiæ ad normam abſolutam pacis religionis finirentur: Acatholici contrà, alias rationes rei componendæ proponendo, tempus extrahebant, tandémque victoriæ recentis fiduciâ, irritam prorſus tractationem, denique adulto Novembri, abruperunt.

Wilhelmus Landgravius Haſſiæ Frizlariam invadit.

Wilhelmus interea Haſſiæ Landgravius, non expectato Conventûs exitu, cùm à Guſtavo Rege è caſtris Werbenſibus domum redijſſet, Frizlariam Moguntini imperij civitatem, ſub Septembrem ineuntem, & paulò pòſt Fachum oppidum expugnavit.

XCII.

Tillius exercitum inſtaurat.

Tillius à pugnâ Lipſienſi ad Halberſtadium, affectâ licèt valetudine, parte copiarum collectâ, & in ſtativa, ubi tantiſper reſpirarent, diſtributâ, quatuor modi mediocris tormenta è Wolfenbuta, cum neceſſario inſtrumento, prope Hildeſium, in caſtris Alefeldenſibus accepit. Inde poſt modicam quietem, ſub Octobris initium, Hoexariâ movens, Viſurgim prope Corbeiam ponte ſtravit, peditatum trajecturus. Iſthic trium legionum Colonienſium, & turmarum totidem, ac tormentorum duodecim ſubſidio firmatus, cæterum belli apparatum Hammeliâ advehendum curavit.

Porrò

Porrò, Gronſfeldio Comite cum aliquot millibus ad Viſurgis præſidium relicto, movit Padebornam, atque exinde in Haſſiam, & Weichhuſij ad Sigenheimium, quò turba Haſſicorum colonorum cum armento confugerat, cecidit aliquot equites, aliquot fecit captivos: oppidulum fortuito incendio medium abijt in cineres. Advenêre ſub Non. Octob. Aldringerus & Fuggerus cum ſuis copijs, quibus adjunctis Tillius Fuldam caſtra promovit. MOVET IN HASSIAM. XCIII.

Guſtavus Rex, partitâ cum Duce Saxoniæ Septemviro operâ, ut hic quidem bellum inferret Sileſiæ, ipſe verò moveret in Turingiam, quò proniora ſibi Proteſtantium ſtudia redderet, antè quàm proveheretur longiùs, eorum animos putavit eſſe explorandos per ſubmiſſos Oratores. Quam ad rem delecti Chemnitius & Marcus Reilingius. Hi paſſim compererunt Acatholicos Cæſari inimicos, Suecis mirè addictos: tanta erat exteri Dominatûs, & novarum rerum cupiditas. Primum habuêre aditum ad Chriſtianum Marchionem Brandeburgicum: ſecundùm hunc divertêre Norimbergam. Hic Senatus populúſque, ſimulatâ primùm fidei Cæſari ſervandæ religione, & eò maximè, quòd ſe recèns novo nexu eidem, agente Aldringero, obligârant, quódque difficile foret, defectionem non hodiernis duntaxat, ſed etiam poſteris probare, ſi nullâ vi compulſi, ad Cæſaris hoſtes tranſirent; quòd inſuper ſpem ampliſſimam obtinendi à Cæſare, quas ipſi optarent, conditiones Ambergâ, Poppio nuntiante, accepiſſent: denique tamen, cùm hæc in ſpeciem oſtenderent, ad fucum aliquem ſuæ exiſtimationi illinendum, ſatis oſtenderunt, ſe nihil aliud, quàm neceſſitatis aliquem colorem ad defectionem expectare. Quâ de re Guſtavus Rex factus certior, minaces ad ipſos dedit litteras, quibus profitebatur, eos ſe hoſtium loco habiturum, ſeu Cæſaris obſequio, ſive neutri partium manerent obſtricti; ſe enim deinceps, ne mentionem quidem, noménve Neutralitatis ad aures admiſſurum. Deſinerent proinde otium comperendinatione perdere, niſi ferrum, ignes, vaſtitatem, ſuprema calamitatum & hoſtilitatis propediem mallent experiri. Iſthac effectum arte, ut Regis litteris in Senatu propoſitis, Norimbergenſes ſe ſatis habere cauſæ crederent, cur honeſtè ſe committerent externæ ſocietati & protectioni. Marcus verò Reilingius in Ulmenſibus & Argentinenſibus, eam ad partes Suecicas primo ſtatim aditu comperit animorum inclinationem, nullis ut opus eſſet machinis ad eos expugnandos. SUECIÆ REX MOVET IN TURINGIAM SAXO SILESIOS DEBELLANDOS ACCIPIT. SUECIÆ REX TENTAT NORIMBERGENSES. XCIV. ULMENSES ET ARGENTINENSES PRONI AD EIUS PARTES.

Halæ interea Sueciæ Rex, Magdeburgenſi & Halberſtattenſi Epiſcopatibus Ludovicum Principem Anhaltinum, inito cum universâ Anhaltinorum familiâ fœdere, impoſuit, & Saxoniæ Septemviro, Ducíque Weinmario, cum quo etiam fœdus percuſſit, cum magnâ benevolentiæ ſignificatione valefecit. Secundùm hæc Querfurtum progreſſus eſt eo conſilio, ut Erfurtum ſibi adjungeret. Receptus à Senatu populóque, Wilhelmum Weinmarium Ducem, Gubernatorem dedit, qui novum ſimul militem conſcriberet. Prid. Non. Octob. Gothâ ſubactâ, Turingiæ nemus tridui itinere permenſus, poſt occupatam Mansfeldam, caſtra admovit Kônigshofio, egregio Herbipolenſis imperij præſidio, quo dedito, ſimul ingenti annonæ, armorum, auri, argentíque copiâ potitus eſt. ANHALTINI, WEINMARII FŒDUS INEUNT CUM GUSTAVO. ERFURTUM EUNDEM RECIPIT. INVADIT KÔNIGSHOFIUM.

Hinc ſparſus per univerſam Franconiam terror & fuga Catholicorum, qui rebus diffiſi, quantum licuit, ſe ſuáque venienti Sueco ſubduxerunt. Ipſe Epiſcopus Dux Franconiæ Franciſcus Hazfeldius Coloniam Agrippinam perfugit. Multi tamen, pactâ cum Rege Guſtavo Catholicæ Religionis libertate, in Provinciâ perſeveravêre. Schweinfurtum egregia ad Mœnum flumen Franconiæ civitas Luthero addicta, à Cæſarianis deſerta, ilicò Sueciæ Regem atque ab eo præſidium admiſit ſub medium Octobrem. XCV. SCHWEINFURTUM OCCUPAT

Inde movit Guſtavus Herbipolim, principem Franconici Ducatûs civitatem, Epiſcopi ſede nobilem. Hic primus fuit labor in ſuburbijs occupandis. Cives portam obſtruxerant fimo humóque aggeſtis. Eam hoſtis inſititio tormento fruſtra conatus diſijcere, ſecuribus perfregit, remotâque materiæ obſtantis congerie ſic patefecit, ut à perrumpente peditatu disjecti cives domos victori reliquerint EXPUGNAT HERBIPOLIM.

XCVI. rint diripiendas. Arcis gubernator interea continuâ tormentorum jaculatione in ſubjecta detonabat, ſed irrito fragore, quòd miſſilia ex editiore loco innoxiâ deſtinatione jacerentur. Cives pro mœnibus urbis per ſtationes diviſi non nihil obſtiterunt: ſed vim majorem periculúmque conſpicati, impetratis paucarum horarum inducijs, miſsiſque, qui cum Rege deditionis conditiones paciſcerentur, cùm in urbem regios obſides admiſiſſent, die poſtero Guſtavum cum aliquot legionibus intra mœnia recepere. Pontem Mœno fluvio inſtratum præcedente nocte dejecerat arcis Gubernator, quò difficilior foret arcis medio amne ab urbe diremptæ oppugnatio. Stat illa in rupe editâ itáque prærupta, quo ex latere Mœno obijcitur, ut inde nullus ſit acceſſus ad faſtigium; quà ſubjectum agrum reſpicit, molliorem præbet aſcenſum. Ædificij eſt alioqui præſtantis & peramœni, ſed (qui tum periculorum bellíque venturi contemptus erat) unico dun-

XCVII. taxat propugnaculo ad antioriis areæ defenſionem ante portam munita, nihil habebat præterea exterioris operis, quod mœnia protegeret. Chortalis domicilij ſtructura, à cæterâ arce, foſsâ in rupem altè depreſsâ, disjungitur ſed tam anguſto ſpatio, ut pons arrectarius arci connexus utrumque foſſæ marginem attingat. Antequam oppugnaretur arx, Guſtavus Rex Mœnum juſſit ponte rurſus inſterni; & dum inſternitur, aliquot ſclopetariorum manipulos lembis tranſvectos collis radicem occupare: reliquum deinde exercitum ponte transmiſit. In trajectu, ex arce plumbeis glandibus petiti multi cecidêre, plures debilitati vulneribus: Ramſæus ipſe Ductor ordinum ſecundùm humerum fuit graviter ſauciatus. Habet arx ſuburbium, quod Sueci momento invaſerunt. Ducto de-

XCVIII hinc ad tormentorum ſuggeſtum, lenti operis, ob loci declivitatem, aggere, 15. Cal. Novemb. diluceſcente, turris atrienſis primori portæ impoſita, cœpta machinis æneis arietari, poſt aliquot ictus, aperto jam foramine, à præſidiarijs fuit deſerta. Ergo, ſigno ad irruptionem dato, Sueci, pars per turris hiatum irrumpunt, pars admotis ſcalis propugnaculo anteriore, demum primore arcis areâ potiuntur. Hîc præſidiarij irrumpentium multitudine obruti, & ob multorum cædẽ reſiſtendo impares, ad arcis interiora refugiunt per pontem ſubductarium, quem demiſerant, qui in arce erant, commilitones, ſed ſuo malo. Nam fugientes à Suecis tum cæſi tum obtriti, pondere tam conferto & gravi oneravêre pontem, ut à propugnatoribus attolli non poſſet. Hoc ergo à Suecis occupato, ſupererat arcis porta bene oppeſſulata: hanc quoq; indutili ſclopo Sueci diffringunt, occupántque patentem jam arcem, cruentâ præſidiariorum mille quadringentorum clade, qui plerique occidione fuêre deleti: Gubernatori vita donata. Iſthîc fuêre opima ſpolia auri argentíque, & omnis generis commeatus, unáque triginta machinæ curules.

XCIX. Iſti Civitati & arci Tillius feſtinavit quidem ſuppetias, ſed juſto adduxit ſeriùs utrâque jam domitâ. Præter egregium, quem Tillius collegerat, exercitum, Dux Lotharingiæ Carolus ad octodecim ſelectiſſimorum armatorum millia ſociaverat, iturus ſuppetias rei Catholicæ in Germaniâ laboranti, & præclarâ fortitudine liberaliter daturus Maximiliani Electoris amicitiæ, quod ſuadebat proxima ſanguinis conjunctio, & ſingularis charitas in Eliſabetham Electricem ſuam amitam. Jam in vicino erant, cùm accepêre Herbipolis deditæ nuntium & arcis expugnatæ. Quamobrem, mutato ſolvendæ obſidionis conſilio, in ambiguo fuit, eſſêtne rectà eundum in hoſtem, & nuperæ cladis vindicta capienda. Prælium ſuadebat omnino Dux Lotharingiæ: conſpirabant multi è primarijs Tilliani exercitûs ductoribus: animabat florentiſſimorum exercituum ardens alacritas, & urebat dolor accepti recèns dedecoris Nec verò tantæ tum erant Suecorum vires, ut viderentur non poſſe ſuperari: nec abhorrebat ab eo conſilio Tillius; ſed frigidam injecêre litteræ Viennâ, è Belgio, aliunde redditæ, quibus graviter monebatur Tillius, ne dubiæ prælij aleæ rerum ſummam facilè, niſi coactus, crederet. Quamobrem vel hinc apparet, quàm ineptè Maximiliano imponat calumniator, qui ipſi culpam omiſſi prælij affingit.

Exercitus Lotharingicus ab ipso Duce auxilio adducitur.

Ergo

Ergo conſtituto, quicquid ſupererat ad brumam jam ingruentem temporis, ſiſtendis Succorum progreſſibus impendere: viſum eſt occupare nondum amiſſa Franconiæ præſidia. Verùm Tillius tam alienatos à Cæſarianis partibus Franconiæ Nobilitatis animos eſt expertus, ut, velut in hoſtico, pleraque per vim eſſent extorquenda. Regi Sueciæ contrà patebant omnia, & velut ex compoſito tendebant manus. Ejus votis ſe jam antè Norimberga addixerat. Acatholici Proceres Orbis Franconici, menſe Novembri, per legatos, eidem dextras junxerant, cùm nondum Herbipoli diſceſſiſſet, addicto etiam in belli impenſas inſigni pecuniæ ſubſidio, latâque lege, ut, quisquis intra bimeſtre ad fœdus non accederet, is in hoſtium numero haberetur. Chriſtianus Marchio Brandeburgicus ante præfixi temporis exitum eaſdem cum Haſſico Landgravio inijt conditiones. Ipſe Bambergenſis Epiſcopus, quo tantiſper ſe tempeſtati ſubduceret, ſpem Guſtavo fecit cum ipſo paciſcendi: verùm re, de induſtriâ, alijs ſuper alias comperendinationibus protractâ, cùm ille ad Mœnum duxiſſet, Epiſcopus, ne ſuarum calamitatum pars ſpectatórque eſſe cogeretur, ſucceſſit in Carinthiam.

C.

Franconum Protestantium studium in Suecos.

CI.

Nec deſperabat Suecus fore, ut ſibi Catholicos Electores Ordinis Eccleſiaſtici jungeret. Quam ad rem per certum hominem ad eos miſit conditiones ſanciendæ ſecuritatis, veriùs ſervitutis. Ut videlicet auctoramenti loco quadraginta Ferdinandicorum millia ſinguli mox penderent: annonam ac commeandi libertatem præſtarent, quoties res ferret: Auguſtanam Confeſſionem ſuis in ditionibus admitterent: Confeſſioniſtis redhiberent hocce bello ablata: Suecica præſidia, in quæcunque Rex nuncuparet loca, reciperent: ſi Cæſari in poſterum adhærerent, extrema quæque expectarent. Verùm cùm iniquiores eſſent iſtiusmodi leges, quàm ut à Dei ſervis, & generoſis Cæſaris clientibus, ſine noxâ & ignaviæ labe poſſent ſubiri, maluêre Electores mala denuntiata, quàm illas tolerare.

Sueciæ Rex conatur Electores Catholicos in suas partes trahere.

CII.

Ducatui Herbipolenſi Guſtavus novos quoſdam impoſuit Magiſtratus, Præfectos, Quæſtores: alios in ſua verba adegit, ſubjectis dicto audientibus promiſit priſtinam religionis libertatem, defenſionem, Juſtitiam accuratam; refractarijs verò gravia eſt interminatus. Rotenburgi & Wertheimij, cùm uno propè tempore in ejus veniſſent manum, præſidiarios ad ſua ſigna compulit. Hanoviam, quæ civitas eſt ad Mœnum inſignis & apprimè munita, pauci Sueci inobſervati, tranſcenſo vallo, ſubegerunt, defenſoribus, armis abjectis, ſeſe eorum arbitrio dedentibus. Aſchaffenburgum nudum à propugnatoribus Regi venienti patuit, qui Steinheimium paulò pòſt ſubegit, dimiſſo honeſtis legibus præſidio.

Statum rerum novat in Franconia.

Capit Hanoviam, Aschaffenburgum, Steinheimium.

CIII.

Tillius inter hæc Bobenhuſio, quantum ei tuendo ſatis erat, militem impoſuit. Octobri exeunte Mittenburgo movens, ſecundis caſtris pervenit Hachuſium. Iſthic aliquantam quietem impertitus militi, nuntium accepit, hoſtem, factâ in aliquot legiones impreſſione, fuſas in caſtra rejeciſſe. Ad 6. Id. Novemb. Rotenburgum, à Suecis inſeſſum, ad Tuberonem amnem obſedit. Albeſcente die quaternis tormentis cœpit murum externis nudum operibus labefacere. Schrenkius Tribunus, dum aggere continuato promovet acceſſionem ad mœnia, glande plumbeâ femur trajectus, die poſtero piè acglorioſè generoſam efflavit animam. Cùm verò ſub meridiem Suecis ſuum periculum verſaretur ob oculos, miſſo tympanotriba, expoſitiſque binis vexillis pacis expetitæ indicibus, egêre de dedendæ civitatis conditionibus, quas cùm iniquiores flagitarent, reditum ad arma, certatúmque utrinque acriter aduſque veſperum, donec Suecі numero & alacritate devicti, victorum ceſsêre arbitrio. Civitas, in præmium præſtitæ in ejus oppugnatione fortitudinis, Lotharingis permiſſa, direptáque ad cæterarum terrorem. Winsheimenſes nihil cunctati Tillio prætoriana ſtativa ad dies aliquot præbuêre.

Tillius Rotenburgum expugnat.

CIV.

Non feriabatur interea Wilhelmus Haſsiæ Landgravius. Is enim, ex Tillianorum diſceſſu graſſandi ſpatium nactus, viciniam omnem cœpit vexare. Mindam, nullo propè negotio, redegit in ſuam poteſtatem, dimiſſo honeſtè præſidio.

Hassus Mindam subigit.

ſidio. Inde delatus in Weſtphaliam, magnam partem fecit tributariam: demum à Guſtavo Rege evocatus, ipſi potiſſimam ſuarum copiarum partem fecit auxiliarem. Ad Francofurtum videlicet Rex oculos adjecerat. Quamobrem, præmiſſo Philippo Richardo Solmenſi Comite, poſtulavit à Senatu, ut in gratiam Sacrorum, quæ ipſe cum civitate haberet comunia, admiſſo præſidio, liberam faceret ſui poteſtatem, ni mallet alioqui vim expectare. Senatus primùm cunctari, medias partes ſequi velle, nectere varias cunctationis cauſas: ſed cùm gravioribus à Rege minis urgeretur, ſpopondit, ſe ponte, qui Mœnum iſthic jungit, Regis equitatum per ſingulas turmas paulatim, ordine transmiſſurum: peditatui verò trajectum pontonibus, vel ponte nautico paraturum infra civitatem. Rex contrà cauſatus tanti momenti præſidium ſibi à tergo tutum omnino eſſe debere, reſpondit, civitatem fruſtra ſperare pacem, niſi Saxenhuſium (eſt ampla ac valida è Francofurti regione ad pontis aditum munitio) ſexcentos admitteret. Nec mora, non exſpectato Senatûs reſponſo, Civitatis Oratores abeuntes ſecutus, 5. Cal. Decemb. acie in Saxenhuſij conſpectu inſtructâ, juſſit mandari Senatui, ne quid remoræ ſibi trans Mœnum feſtinanti inijceret, ſed confeſtim exercitui portas pontémque aperiret. Terror pro conſultore fuit, niſi (quod multi fuêre ſuſpicati) gerebatur res ex compoſito: neque enim apprimè validæ civitatis ea fuit conditio aut neceſſitas, ut deſperatâ defenſione minis cederet. Quidquid demum latuerit; patuit ex tempore Saxenhuſium, & pons, ipsáque civitas Suecico exercitui, frenatúmque fuit ſexcentorum præſidio Saxenhuſium, è quo non difficilis erat in civitatem acceſſus. Inde ventum ad Hœchſtam, Moguntini Imperij oppidum, quod ſub horam noctis decimam trecenti Cæſariani, tranſitione ad Succos factâ, flagitioſè dediderunt.

Gustavus Francofurtum ad Mœnum invadit.

CV.

Hœchstam deditione accipit.

CVI.

Francofurti agit cum variis Proceribus

Hœchſtæ Regem convenit Georgius Darmſtadienſis Haſſiæ Landgravius. Is deditâ Ruſſelheimenſi munitione ſic pacem emit, ut nihilominus ipſe in Cæſaris fide atque obſequio permaneret. Guſtavus regreſſus Francofurtum, Novembri exſpirante, prolixè juxtà & amicè egit cum Wetteraviæ Comitibus. Eum Acatholici plerique; ſalutem publicam, Cæſaris obſequium, incolumitatem Imperij, nihil penſi habentes, reſpiciebant, ut benignum aliquod & ſalutare ſidus, ſepoſito timore externi dominatûs.

Moguntiæ periculum.

Moguntiæ contrà nequibat non eſſe triſtis ac ominoſus, ipſius è vicino aſpectus, cùm iras proderet valido ad expugnationem apparatu, quem navigijs ſecundo Mœno vehendum impoſuerat. Quamobrem Anſelmus Caſimirus Moguntinus Elector ſummâ, quâ poterat, diligentiâ, paravit defenſionem. Ac primùm quidem Mœni, in Rhenum prope Moguntiam illabentis, oſtium, defixis altè palis, depreſsisque ſaxorum pondere navibus, ſic obſtruxit, ut citra naufragij diſcrimen in Rhenum navigari vix poſſet. Recepit deinde in urbem Hiſpanicum militem, qui, ſi animus & conſilia ſpectarentur, non exiguam operam, opémque allaturus videbatur: deinde rebus, quantum paſſæ ſunt temporis anguſtiæ, ſic domi compoſitis, Elector, unà cum Wormatienſi Epiſcopo, Coloniam navigavit.

Gustavus Rhingaviam occupat.

Habet Mogúntinum imperium altero à Moguntiâ lapide Rhingaviam, in Germanico Rheni littore regionem, vini præſertim feracitate nobilem. Ejus ingreſſum claudit Waloffium oppidum anguſto ſatis aditu, & nonnullo opere ad ſubitariam defenſionem non inidoneum. Loco impoſuerat Anſelmus, tum ex Hiſpanis, tum ex colonis præſidium. Guſtavus Rex antea, quàm Rhenum transmitteret, eam regionem putavit eſſe occupandam. Ergo miſſis, qui Waloffium expugnarent, cæsiſque, quotquot obſtitêre, propugnatoribus, Rhingaviæ incolis tributum impoſuit in menſes ſingulos, quantum ſolebant pendere Electori, moderatum videlicet incendiorum lytrum, ſi colonorum fortunæ à prædis fuiſſent immunes. Cæteroqui addixit ſecuritatem, quouſque incolæ Suecicis imperijs cum fide morem gererent. Potiſſimus inter hæc Guſtavi exercitus

CVII. Caſſellæ (pagus eſt Moguntiæ objectus in adverſo Rheni littore) locíſque Rheno,

no, Mœnóque finitimis, pedem fixerat. Qui Caſellæ erant, crebris tormentorum fulminibus è civitate petebantur, ſed nullâ propè noxâ, eò quòd Rheni interfluentis grandis latitudo miſſilium impetum & deſtinationem falleret, frangerétque.

Weinmarius Erenfelsam et turrem murium invadit.

Dux Weinmarius interea Erenfelſiam arcem ad Rhenum Bingæ obverſam, & in medio Rheni alveo turrim à muribus nuncupatam, invaſit. Guſtavus Rex, votis omnibus ad Rheni trajectum, & Moguntiæ expugnationem adſpirans, ubi nuntium accepit, Tillium Norimbergæ imminere, Moguntiâ intermiſsâ ad Norimbergenſium auxilium contendit. Tillius etenim magno ad erigendam rei Catholicæ fortunam emolumento fore ratus, ſi Norimbergam Cæſaris obſequio reſtitueret, movens Winsheimio, occupavit Anſpachium, atque ex nobili, quod iſthic loci reperit, armamentario, magnam bellici inſtrumenti vim eſt nactus. Guntzenhuſij hæſit pauculis diebus, ac deinde ſub exeuntem Novembrem, caſtris ad Norimbergam poſitis, annonam, militémque à Senatu populóque popoſcit. Civitati, Sueciæ Regis nomine, præerat Comes Solmius, cui non fuit arduum perſuadere hominibus à Cæſaris partibus prorſus averſis, ut ne poſtulatorum quicquam præſtarent. Quare Tillius repulſam paſſus, copias in pagis finitimis, quaſi coronâ cincturus urbem, collocavit. Quæ res cives vehementer habuit ſollicitos, atque dies noctésque operoſos in convehendis ad propugnacula machinis æneis, in ducendâ circum muros loricâ, excubando pro mœnibus, omnia comparando ad diuturnam obſidionem. Hæc cùm longior difficiliórque, perfrigidâ jam anni tempeſtate, fore videretur, quàm ut citra inſigne exercitûs incommodum, Sueco in auxilium properante, ſuſcipi poſſe videretur, cùm jam lues militaris frequentia faceret funera, Tillius, diviſo in geminum agmen exercitu, partem unam miſit in Bohemiam & Palatinatum ſuperiorem adverſus Saxones; alteram duxit ipſe in fines Rhætorum Vindelicos, quò propior eſſet ad cohibendam Guſtavi irruptionem. Dum ſe ad diſceſſum accingit, ignis, operâ proditoris, qui aliàs hoſti meruerat, ex aliquot ſulphurei pulveris dolijs erumpens, viciniora tormenta diffregit, quod Tillius fertur accepiſſe pro infauſto omine. Eodem propè tempore, Norimbergenſium mœnium lorica pondere ænearum machinarum obruta, in ſubjectam collapſa foſſam, tantum implevit ſpatij, quantum ad juſtam incurſionem ſatis fuiſſet.

Tillius Norimbergam contendit. *Occupat Anspachium.* CVIII. *Tillius a Norimberga discedit.* CIX. *Ominosi casus.*

Frustra delinitur Saxoniæ Elector.

Saxoniæ Elector, partito cum Guſtavo Rege belli proſequendi negotio, Luſatiam, Sileſiam, Bohemiã, & hæreditarias Cæſaris Provincias ſibi petendas ſumpſerat, & jam plus ſatis erat in aperto, quàm intempeſtivum fuiſſet de eo invadendo Tillij conſilium. Egit Regis Catholici nomine Legatus Viennenſis per Baronem Erchcidium, vellet reconciliandæ pacis colloquium admittere. Verùm ipſe Suecico fœdere illigatus, offensúsque damnorum acceptorum memoriâ, negavit ſe quicquam privatæ negotiationis initurum: etenim ſe, pactâ cum Rege Sueciæ belli ſocietate, communem Principum Evangelicorum fortunam amplexum, nihil, niſi omnibus ſimul probantibus & agentibus, convenienter agere poſſe. Amotis ergo maximam partem ex ſuis provincijs Cæſarianorum copijs, ineunte Octobri, arma vertit in Luſatiam, quæ mox ipſi univerſa patuit, cùm Cæſariani eâ deſertâ in Sileſiam & Bohemiam, ubi propius è Saxoniâ periculum, metúsque damni major, ſeſe ſubduxiſſent. Verùm iſte receptus non avertit, ſed, quod perquam frequenter uſuvenit, traxit belli molem in Bohemiã. Arnheimius enim occupatâ confeſtim Luſatiâ, velut invitantes invadens Bohemiam, Schlakenaviam, Tertsckiam, Rednizium, Auſſingam, magnósque unà annonæ apparatus ſuæ poteſtatis fecit. Quâ ex rerum converſione, terror paſſim & fuga non modò agreſtium, ſed & civium, præſertim Pragenſium, rem pretioſiorem in tutiora convehentium. Multi, antequam Budiviſium, Viennámve, quæ loca receptui deſtinaverant, attingerent, ab hoſte retracti: multa perſequentibus præda venit in manus. Pragâ exceſsêre Fridlandus, Marradas, Wanglerus, Michnæus, alij pleriq; notæ inſignioris, etiam ſacri Ordinis, homines. Milite alior-ſum

Tendit in Lusatiam. CX. *Ea subacta invadit Bohemiam.* *Pragam occupat.*

ſum abducto, tergemina civitas, velut ovis absque paſtore deſerta, Arnheimio, per unicum tubicinem poſcenti, facit deditionem, quam ne toto quidem exercitu, niſi poſt cruentam obſidionem impetrâſſet, ſi fuiſſet animus, ſi præſidium, confidentiáque reſiſtendi. Promiſſa ab Arnheimio ſacrorum imperturbata licentia, aliáque jura plebi deliniendæ idonea, Pragenſes extorres reduxêre domum: Coloni ad priſtinum genium reverſi, ſe Saxonibus ad ſpolia, cædes, perniciémque Catholicorum adjunxerunt.

CXI. *Motus novi in Saxonia inferiore. Bremensis Administrator fœdus icit cum Gustavo Rege. Eius copiæ profligantur. Galli irrumpunt in Lotharingiam.*

Orbi ſecundæ Saxoniæ revixerant priores ſpiritus. Ejus proceres Hamburgi decrevêre trium legionum delectum & equitatus non contemnendi. Bremenſis Adminiſtrator fœdus percuſſit cum Rege Sueciæ, eo prætextu, quòd retenta annuâ penſitatione, ex edicti Cæſarei præſcripto, ad deſerendum Archiepiſcopatum cogendus eſſe videretur. Copias, quas ipſe conſcripſerat, Comes Gronsfeldius & Reinachius, receptâ Verdâ & Longavedeliâ, fuderunt, profligârunt: pauci fugâ Bremam elapſi. Ejus exemplo Chriſtianus Dux Luneburgicus Mindenſis Epiſcopatûs detentor, ſuo ac Fratrum & Conſobrinorum nomine fœdus inijt, adverſus Franciſcum Wilhelmum Comitem Wartenbergicum Oſnabrugenſem Epiſcopum, qui bullis Pontificijs, & Cæſareo munitus diplomate, Mindenſem Epiſcopatum conabatur vindicare.

Etiam tum apertiùs promicabant Franciæ Regis adverſus Cæſarem ac Ducem Lotharingiæ conſilia: nam, ſub Novembrem exeuntem, Mediovico (quem locum nuper in finibus Mediomatricenſis Epiſcopatûs munitum Cæſariani tutabantur) ejecit præſidium per Forcæum Gallicorum caſtrorum præfectum: & contra Imperatorem Argentinenſibus obtulit auxilia, ſi quibus ad ſui & privilegiorum defenſionem aliquando indigerent. Gallorum in Lotharingiam inopinata irruptio Ducem retraxit è Germaniâ, quâ de re ſuus erit dicendi locus.

CXII. *Georgius Dux Luneburgicus ad Suecos deficit. Auxilia Anglica Suecis accedunt.*

Hamburgenſes, nuper inſignibus à Cæſare donati privilegijs, Suecici belli ſocietatem detrectârunt. Georgius Dux Luneburgicus, qui paulò antè Cæſari meruerat, defecit ad Suecos conſcriptis Regis ære atque auſpicijs aliquot legionibus. Hamiltonus Marchio ex Angliâ ſex armatorum millia Suecis adduxit, deditque mox internecioni & captivitati Cubæ quingentos Cæſarianos: verbo, miſera erat in Germaniâ rei Catholicæ facies, perplexa conſilia, trepidatio, futuri metus & anxietas, hoſte pro arbitrio, quocunque ſe verterat, graſſante.

Guſtavus Rex inter Norimbergæ curas totis caſtris jam Francofurtum ad Mœnum venerat, cùm nuntium accepit, Tillium, eâ relictâ, ad hiberna abiviſſe. Quamobrem mutatâ profectionis ratione, de Rheno traijciendo, & ſubigendâ Moguntiâ inſtauravit priora conſilia. Antequam Francofurto diſcederet, cum civitate convenit in hæc capita.

Pacta Gustavi Regis cum Francofurto.

Ut videlicet Senatus populúſque Coronæ Suecicæ & Evangelicorum partibus addicti, civitatem contra quoslibet Regis & Evangelicæ factionis hoſtes tuerentur, Suecicæ militiæ omnem benevolentiam fidémque præſtarent, nec quicquam contrà molirentur ullis unquam conſilijs factisve: liberum commeatum Regi ejúſque copijs ſive totis ſimul, ſeu diviſis in partes quocunque tempore permitterent; hoſti negarent: ſi quid eſſet periculi, validius à Sueco præſidium reciperent, atq; ſociatâ cum præſidiarijs operâ, prout Regi videretur, & ex abſolutâ ejus directione civitatem tuerentur; ea facerent

CXIII.

omnia, quæ Evangelicos patriæ amantes, fidóſq; clientes decerent, quæque communis ſalus, belli ratio, Regíſque ſecuritas poſtularent. Regem viciſſim civitati protectione, auxilio adfuturum, ſarta tecta habiturum ejus privilegia, daturum operam, ut, cùm de pace foret tractandum, civitatis ratio peculiaris haberetur; omnéque, quod ob iſtam unionem timeri poſſet, damnum amoliturum. Cùm iſto pactionis nexu ſibi reddidiſſet Francofurtenſes obnoxios, ſub medium Decembrem Darmſtadium profectus eſt cum univerſo exercitu.

Strada Montana à Suecis occupatur.

E Stradâ Montanâ (regio eſt, quam olim Comites Palatini ab Archiepiſcopo Moguntino pignori datam accepêre) Hiſpani, comperto Regis adventu, abiêre. Quare univerſa ipſius oppida, arceſque, paucis antè annis ab Electore Moguntino

guntino vindicatas, in Suecorum poteſtatem conceſsêre, eò proniore ſtudio, quòd Calviniſmum, ſub Palatinis Electoribus hauſtum, nondum poſuerant. Motis inde caſtris, haud procul Stockſtadio, bis mille circiter paſſibus à pentagono propugnaculo, quod ad Rhenum conſtructum ejus conditores Hiſpani Stellatum nuncupârant, Rex lintrem nactus, ut ſuis ipſe oculis loci opportunitatē luſtraret, Rhenum trajecit. Propè aberat ab Hiſpanorum, qui id loci excubabant, manibus, cùm curriculo in lintrem evadens, ad ſuos renavigavit. Die poſtero, duabus ante lucis ortum horis, trecentos è prætorianâ legione pedites binis impoſitos navigijs in Gallicam Rheni ripam transmiſit. Vix exſcenderant, cùm ter repetitâ impreſſione invaduntur, jámq; in eo erat, ut multitudini impares referrent pedem, cùm accepto à Rege auxilio Hiſpanos repreſsêre. Ergo trajectu jam libero, Rex è veſtigio cum aliquot legionibus & tormentis adproperans, præſidio in Germanico littore relicto, Stellatum propugnaculum deditione accipit, expugnat Oppenheimium, Hiſpanis, qui iſthic curabant pleriſque occiſis: è quibus cives ipſi nationem exoſi non paucos peremerunt: arcem deinde aggreſſus, cùm quingenti Hiſpani propugnationem obſtinâſſent, ſuperatos ad unum omnes internecione delevit. Eo, quo exſcendit Guſtavus, loco, poſuit pyramidem rei patratæ monimentum. Amiſſo Oppenheimio Hiſpani deſertum Steinium igne ſubjecto corruperunt. Et Lotharingi quoque deſtituêre Wormatiam, accenſis priùs aliquot pyrei pulveris dolijs, ne venirent in hoſtium manus, unde flamma ad ædes propagata.

GUSTAVUS RHENUM TRAIICIT.

CXIV.

EXPUGNAT OPPENHEIMIUM.

HISPANI STEINIUM; LOTHARINGI WORMATIAM DESERUNT, INCENDUNT.

Ventum tandem Moguntiam, quò vis Hiſpanorum confluxerat. Venientes vehementi tormentorum diſploſione excepêre Hiſpani, & videbatur res longæ ac cruentæ futura operæ: ſed cùm Sueci in colle Jacobæo, qui civitati & S. Albani parietinis interjacet, extra teli periculũ, Jacobæo propugnaculo imminerent, vineáſque eò produxiſſent, ut proximi mœnibus ad portam Stephanæam, quam campeſtrem vocant, incurſionem facturi viderentur, obſeſſi manus dedêre. Præſidium, militari more 10. Cal. Januar. dimiſſum Moſellam verſus, atq; inde Luxenburgum iter intendit. Cives octoginta Ferdinandicorum nummûm millibus, Clerus ſeorſim grandi ære direptionem & incendia redemêre. Judæis etiam ſua lytri ſymbola fuit impoſita. Acceſſit magna inſtrumenti bellici, omnis generis annonæ, vini præſertim copia.

CXV.

GUSTAVUS MOGUNTIAM DEDITAM OCCUPAT.

Paucis pòſt diebus Rheni Comes, prope Trarbachium (oppidum eſt in Moſellæ margine) fuſis fugatis novem Hiſpanorum turmis, oppidum totámque Simmerenſem dynaſtiam invaſit. Idem Bacchi aram, Baccaracum indigenis dictam, vini præſtantiâ & ubertate in paucis nobile oppidum, ſuperatis tranſcenſu mœnibus ad Rhenum, expugnavit, arce, quæ loco ſupereminet, dilatâ in annum ſequentem. Boppardia item & Veſalia ſuperior eâdem expeditione venêre in ipſius manus.

RHEINGRAVIUS TRATBACHIUM, BACCARACUM, BOPPARDIAM, VESALIAM INVADIT.

Wilhelmus Caſſellenſis Haſſiæ Provincialis Comes, interea ad littus Rheni Germanicum à Rege Sueciæ relictus cum exercitu, Falckenbergenſem & Reiffenſteiniam arces montanas, munitionem item Königſteiniam poſt aliquanti temporis obſidionem ſubegit, reſtituítque hanc cum annexo Comitatu Comiti Stolbergenſi. Cubam expugnavit Haſſus per ſuum Legatum, caſtrum deinde Gudenfelſium & Palatiam deditione recepit.

HASSIUS VARIA LOCA SUBIGIT.

Maximilianus Elector, nihil de priſtinâ confidentiâ & rei communis procuratione remittens (contrà ac ipſi calumnioſè impingit is, de quo antè dixi, clancularius veterator) dum Suecus, uſus victoriâ, Rheni limitem gravi clade affligeret, non de Bavariâ duntaxat vicinisque Provincijs conſervandis cogitabat, Tillio ad earum defenſionem excubante; ſed curas extendebat ad longè remotiora. Quòd omnibus locis nec Cæſar, nec ille pares non fuerint, nemo prudens mirabitur, qui hinc quidem æſtimaverit vires & Cæſariani & Fœderati Bavarici exercitûs, tot, quas memoravi, cladibus imminutas; inde verò expenderit Proteſtantium quaquaverſum in Suecorũ favorem ac ſubſidium conſpirantium adver-

CXVI.

ſus Catholicos, conſenſionem. Et certè credi poterat, Rhenenſibus regionibus ab Hiſpanis, qui eas tuendas ſuſceperant, abunde eſſe proſpectum. Ergo Maximilianus, ut pro viribus hoſtium conatus ſiſteret, Pappenheimium Generalis copiarum Ductoris auctum honore juſſit novis delectibus firmare exercitum. Legit ille ex Urbe atque agro Colonienſi, cæteriſque Ubijs præſtantem militem, ad quem acceſsêre Lamboij & Reinachij veteranæ legiones, quibus Hammeliam firmavit. Verdam deditione recuperavit, ſubegit Longowedeliam & Einbeccam: utiliſſimam præſtitit operam cohibendis Haſſorum incurſionibus, quos ille quidem ſæpius clade affectos, prædis exutos, egregiè repreſſit, affecitque eo metu, ut, qui in Fuldenſibus hibernabant, ſe tutos non crederent niſi exarmatâ universâ regione, ne Pappenheimio juncta Haſſos opprimeret.

Maximilianus novum legit militem. Recuperat Hammeliam.

CXVII. Sueci interea non agebant ferias: Fridbergâ enim interceptâ, Spiram volentem lubentem invasêre. Germersheimium deſeruêre Hiſpani. Landavium, Coronæ-Weiſſenburgum in eundem venere cenſum. Manheimium, cujus expugnatio tanto labore & ſanguine ſteterat, à Bernardo Weinmario unius horæ ſtratagemate ſubactum. Is trecentis tantùm ſtipatus, fugam ſimulans & amicitiam, ab urbis Præfecto malè creditus eſſe Cæſarianus, priùs in ipſam munitionem admiſſus, vitam donavit Germanici nominis præſidiarijs, externis numero trecentis ademit. Centurio Maravelius, ipſiúsque Signifer, amiſſæ tanto flagitio permagni momenti munitionis comperti, negligentiam Heidelbergæ capite luerunt. Hornius in Franconiâ obſidionis oſtentatione, Mergentheimium ipſo Chriſti naſcentis die devicit, ejus præſidium magnam partem ad hoſtem defecit: reliquum abductum Dunckeſpilam. Hailbrunna, quà conjuratione clandeſtinâ cum hoſte, quà defenſorum paucitate, anni ſequentis initio dedita, ſuo exemplo in ruinam traxit Wimpfenam, Ulmam, alia loca ad Neccarum. Ulma Danubiana à Sueco Gubernatorem, qui præſidio, excubijs, urbiſque defenſioni præeſſet, accepit. Argentina ad Rhenum eidem, cum omni benevolentiâ annonam, addictâ commeandi libertate, præbuit.

Sueci Fridbergam, Spiram, Germersheimium, Landavium, Weissenburgum, Manheimium occupant. Mergetheimium, Hailbrunna, alia dedita. Ulma Suecum recipit, Argentina ut amicum juvat.

Per id temporis Tillio Nordlingæ, locisque circùm finitimis ſtativa habenti, mandavit Maximilianus, ſi quà poſſet, Wilzburgum in ſuam poteſtatem redigeret. Eſt Wilzburgum arx naturâ & arte apprimè munita, in Marchionatu Ansbacenſi, eo ſitu, ut inde facilis in Franconiam ſit excurſio. Ne per vim occuparetur, obſtabat propinquus hoſtis, & brumæ gelida tempeſtas obſidioni perimportuna. Ergo arte fuit utendum. In arce degebat cum liberis Vidua defuncti Marchionis, imbelle admodum ejusmodi munitioni præſidium, quicquid demum roboris à milite adderetur. Ad eam miſit Tillius, qui totius Marchionatûs ultimam devaſtationem minaretur, nî ipſa protinus Bavaricum præſidium in arcem admitteret: quâ denunciatione territa, pactâ libertate res ſuas convehendi Anſpachium, diſcedens cum liberis, vacuam Tillio arcem permiſit. Et ex hac quidem arce, tum Franconiæ Confeſſioniſtis, tum Suecis hoc bello non levia incommoda provenêre.

Tillius Wilzburgam occupat.

CXIIX. Menſe Novembri, Lotharingiæ Dux Monachium profectus, perhonorificè exceptus habitúſque amantiſſimè, cum Maximiliano Electore de belli ratione, déque ſuo in Lotharingiam (quò ipſum revocabat Francorum irruptio) reditu, multa collocutus, cùm ad ſuas copias redijſſet; morbis ac funeribus multùm diminutas reduxit in Lotharingiam, transmiſſo infra Argentinam Rheno. Ipſius gazam, cùm per pontem traduceretur, auſi civium aliquot involare, eam tamdiu ſuis finibus ſenſêre infeſtum, donec facinus idoneâ ſatisfactione diluerent. Eodem illo, cùm Monachij verſaretur, tempore, Princeps Pfalzburgius, ipſius in exercitu Legatus, diem Monachij obijt, malignâ, quam Hungaricam vocant, febri extinctus. Eum proximè ſecutus eſt Barri Melitenſis eques, extra ordinem natus è Lotharingico ſanguine, vir inprimis fortis ac generoſus, qui cum Duce in Germaniam venerat. Ejus funus magnificè tumulatum eſt in Collegiatâ æde Virginis Monacenſis.

Dux Lotharingiæ discedit in suum Ducatum.

Hoc

Hoc ipſo anno, menſe Junio, Maria Conſtantia Cæſaris Ferdinandi II. Soror, Poloniæ Regina fatis conceſſit. Sub exeuntem Octobrem ejuſdem germanam Magdalenam Hetruriæ Ducem hoſpitem habuit gratiſſimam Bavaria. Illam ſecundo Oeno navigantem Eliſabetha Bavariæ Electrix, Waſſerburgi, præcipuis humanitatis & benevolentiæ officijs coluit. Pauci ſucceſsêre dies, cùm Magdalena, ex itinere lethali morbo correpta, ad æternæ felicitatis portum, uti bona ſpes eſt, Paſſavij enavigavit, chariſſimum fratrem, cujus viſendi deſiderio Florentiâ diſceſſerat, præſtolatura in regione Sanctorum.

CXIX. Clauda miraculo curatur.

Inter plurima beneficia, quæ Deus S. Ignatij Societatis Jeſu Fundatoris interceſſioni detulit hoc anno, celebre eſt illud à Vito Adamo Friſingenſi Epiſcopo, poſt accuratam diſquiſitionem, diplomate 18. Auguſti, An. M.DC.XXXI. aſſertũ. Anna puella Dachovij honeſtis parentibus nata, dextri pedis uſu ab año M. DC. XXIIX. ſive maleficio quopiã, ſeu maligni humoris affluxu deſtituta, corpus fulcris iñixum ægrè trahebat, cùm an. M.DC.XXX. ipſis D. Jacobi Apoſtoli ferijs Dachovij in Prochotrophio degenti S. Ignatius ſe prębuit aſpectabilem, unâ manu librum, alterâ radians Jeſu nomen præ ſe ferens. Anna, viſo contubernalibus ordine expoſito, cùm ad eam horam ne nomen quidem S. Ignatij noviſſet, cognoſcit ex ſodalibus, iſtam fuiſſe S. Ignatij ſpeciem. Quare illa, ſpe in Deum & Divum ſoſpitatorem conceptâ, vovet pedem è cerâ formatum, & Miſſæ ſacrificium rite procurandum, in S. Ignatij altari Monacenſi. Hoc verò primùm anno, cùm antè tum inopiâ, tum debilitate non licuiſſet, magnâ fiduciâ adfuturi è cælo auxilij, Monachij in D. Archangeli Michaelis templo ſe ſiſtens, ceram promiſſam in ara S. Ignatij deponit, oleo ex appensâ lampade, quæ ignem perpetuum alit ad Dei cultum & Sancti invocationem, pedem ungit. Dies fuit Julij duodecimus, cùm, noxis apud ſacerdotem per ſacram confeſſionem depoſitis, in preces effuſa, re divinâ, cui præſens aderat, propè peractâ, itura de more ad ſacratiſſimam Synaxim, à vicinâ Monacenſi matronâ, quæ & ipſa Miſſæ intererat, erecta in pedes, fulcris ante D. Ignatij aram relictis, prodigioſo miraculo, firmis paſſibus, citra humanum adminiculum, recto veſtigio ſuperatis gradibus, per medium chorum accedit ad ſacrum epulum, atque ab eo, plena Deo, ſéque ipſam præ gaudio vix capiens, recedit. Exinde nervis quidem hæſit aliquod veteris mali veſtigium, tremor tanquam ex ambulandi deſuetudine, &, ſi longius foret iter, defatigatio mixta dolori: ſed utrumque Ignatiani, quod jam dixi, olei frequens illitus abſterſit, Deo Sanctum, quem contemnit improbitas, gloriâ & honore coronante.

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS III.

LIBER XVII.

AN. M.DC. XXXII. Maximilianus Guſtavum Sueciæ Regem, Lyco trajecto, Ingolſtadium obſidentem reijcit: occupat Ratisbonam: ad Norimbergam Suecis caſtra & ſigna opponit: per Pappenheimium inferiorem Saxoniam, aliáque loca redigit in ordinem: Luzenſe prœlium.

I. ANnum recenſuimus magnâ Germanicarum rerum converſione inter paucos memorabilem: aggredimur alium eventorum varietate æquè mirabilem. Uterque ſanè præclaram tolerantiæ materiam præbuit Catholicis, Maximiliano verò Electori ſapientiæ etiam & fortitudinis, quæ in adverſis maximè inclareſcunt. Ea fuêre fatorum decreta, is ordo, nexúsque cauſarum, ut permultorum ſenſu velut ad eam vim, quæ omnem ſuperat prudentiam, hebetato, difficile intellectu videretur, quî fieret, ut cauſa tot annis victrix, tot nobilis triumphis, tam firma juris, de quo certabatur, æquitate, ſubito paucorum menſium infortunio, fructum decennis felicitatis perderet. Mirum enim videbatur, ab ultimo Septentrione conflatam fuiſſe tempeſtatem, quæ Wandalicarum & Gothicarum procellarum veterem memoriam renovaret, rejectis à mari uſque Balthico, ultra veterem Germaniæ limitem, armis victricibus, quæ tot ferè jam numerabant palmas, quot dimicationes. Vix fuerat, qui crederet tam brevi tempore futurum, ut ſigna tot jam ſæculis inviſa Germaniæ, mari transmiſſo, ſuperato Viſurgi, Viadro, Havelâ, Nicro, Mœno, Rheno, velut frenatis, potentibus paſſim Romani Imperij propugnaculis inferrentur. Admirationem augebat, quòd cladem accepiſſet cauſa pijs ſemper viſa juſtior, cui credebatur cœlum perpetuò patrocinaturum in adverſarios avitæ religionis. Verùm aliâ bilance ſua Deus librat judicia, aliâ homines. Non ſemper in terris vincit, qui juſtior eſt, nec ideo causâ in cœlis cadit, Deo judice, quia ab homine vincitur, Deus & juſtis & injuſtis dat victorias, & in utroſque immiſſis cladibus animadvertit. Id inter eos eſt diſcrimen, quòd probi ſive vincant, ſeu vincantur, nôrunt facere cum bono Deo ex utrâque fortunâ proventum; improbi verò, niſi ex utrâque diſcant

diſcant ſapere, ſalutis ſuæ faciunt detrimentum. Felices illi, qui ſua ſupplicia vertunt in gloriam, dedecus in coronas. Tales non iraſcuntur malis, quæ nôrunt remedia eſſe malorum. Deterius eſt proſperis corrumpi, quàm corrigi adverſis. Qui Deo probati ſunt, fiunt ipsâ fortunæ inconſtantiâ in virtute plerumque conſtantiores, quod longè præſtantius eſt, quàm rebus ſecundis firmari in contumaciâ improbitatis. Fallitur, quiſquis credit, proborum inſectatores fortunatiores eſſe ijs, qui à Deo flagellantur, ut fiant ex flagellis meliores. Imperium olim vaſtârunt Alani, Gothi, Hunni, Wandali, Longobardi, Nortmanni, Saraceni, & victores quidem piorum, ſed non victores ipſi ſuorum malorum. Sævierunt in pietatem Ariani, Donatiſtæ, Pelagiani, Manichæi, ſceleratiſſimi Circumcelliones. Atqui illi fuêre nihilominus Hæretici, quorum victoriæ profectò non fuerunt argumenta ſanctitatis. Qui fuſo ſanguine ſævierunt in corpora, plantârunt in armis virtutem, non eradicârunt pietatem pio rigatam ſanguine. Quid igitur? Deus ſuos à peccatis revocat, dum punit: velut aurum in fornace perficit, quos affligendo exercet ad patientiam, quæ *opus habet perfectum.* Noſtrum ſæculum non fuit innocentius ætate primorum Chriſtianorum; in noſtro argento non defuit ſcoria morum & ærugo peccatorum, quam Deus detergeret. Juvat claudere hæc verbis Cypriani, teſtis clariſſimi, quem unquam habuit in ſimilibus eventis Eccleſia Africana. *Si cladis* (inquit) *cauſa cognoſcitur, & medela vulneris invenitur. Dominus probari ſuam familiam voluit, & quia traditam nobis divinitus diſciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem, & penè dixerim dormientem, cenſura cæleſtis erexit: cúmque peccatis noſtris amplius pati mereremur, clementiſſimus Dominus ſic cuncta moderatus eſt, ut hoc omne, quod geſtum eſt, exploratio potiùs, quàm perſecutio videretur. Studebant augendo patrimonio ſinguli, & obliti, quid credentes, aut ſub Apoſtolis antè feciſſent, aut ſemper facere deberent, inſatiabili cupiditatis ardore, ampliandis facultatibus incubabant. Non in ſacerdotibus religio devota, non in miniſtris fides integra, non in operibus miſericordia, non in moribus diſciplina. Corrupta barba in viris, in fæminis forma fucata. Adulterati poſt Dei manus oculi, capilli mendacio colorati. Ad decipienda corda ſimplicium, callidæ fraudes, circumveniendis fratribus ſubdolæ voluntates. Iungere cum infidelibus vinculum matrimonij, proſtituere gentilibus mēbra Chriſti. Non jurare tantùm temere, ſed adhuc etiā pejerare. Præpoſitos ſuperbo tumore contemnere, venenato ſibi ore maledicere, odijs pertinacibus invicē diſſidere. Epiſcopi plurimi, quos & hortamento oportet eſſe cæteris & exemplo, divinâ procuratione contemptâ, procuratores rerum ſæcularium fieri, derelictâ cathedrâ, plebe deſertâ, per alienas provincias oberrantes, negotiationis quæſtuoſæ nundinas occupare: eſurientibus in Eccleſiâ fratribus non ſubvenire, habere argentum largiter velle, fundos inſidioſis fraudibus rapere, uſuris multiplicatis fœnus augere. Quid non perpeti tales pro peccatis ejuſmodi meremur? Cùm jam pridem præmonuerit, ac dixerit cenſura divina: Si dereliquerint legem meam, & in judicijs meis non ambulaverint, ſi juſtificationes meas profanaverint, viſitabo in virgâ facinora eorum, & in flagellis delicta eorum. Prænunciata ſunt iſta nobis, & antè prædicta, ſed nos datæ legis & obſervationis immemores, id egimus per peccata noſtra, ut, dum Domini mandata contempſimus, ad correctionem delicti & probationem fidei remedijs ſeverioribus veniremus.* Hæc vir ſanctus de ſui temporis vitijs, qui ſi iſtius, quo deſcribimus, mala inſpexiſſet, non habuiſſet pauca, quæ reprehendens faceret cauſas noſtrarum calamitatum. Fuêre innocentes ij ſacri homines, à quibus abfuit avaritia, exulavit ſacerdotiorum nundinatio ementi & vendenti pariter perniciosa, quibus nulla fuêre mutua odia, nullæ ebrietates, in quibus floruit Deo devota caſtimonia, viguit cura divini cultûs, enituit frugalitas, eluxit luxûs vacuitas, exarſit major Dominici gregis quàm lucri ſollicitudo, cum amore rerum divinarum. Si à Laicis abfuêre blaſphemiæ, impudicitia, helluationes, inexplebilis habendi cupido, rapacitas, ambitio, arrogantia portentoſa, barbara crudelitas, ſi hæc, inquam, abfuêre, Laici fuêre innocentes. Quid ſi Magiſtratuum manus infecerit corruptela? Si infirmiores à potentioribus fuêre oppreſsi, ſi abjecti pauperes, deſtitutæ

II.

Lib. de Lapſ.

patrocinio viduæ, pupilli patrimonio exuti? Non potuit non rectum eſſe judicium Domini, cujus viæ omnes æquitas, quíque omnia, quæ facit, facit in vero judicio: beneficium fuit de manu ipſius mala ſuſcepiſſe, quæ de malis facerent meliores. Sed revertamur ad inſtitutum.

III. TUMULTUS IN HUNGARIA. RAGOZIUS MALE AFFECTUS IN CÆSAREM.

Cæſar, anno ſuperiore nondum exſpirante, nuntios parùm lætos tum ex inferiore Hungariâ, tum ex ſuperiore Auſtriâ acceperat. Notabantur enim iſthic agreſtes, pro ingenito ſtudio, res novas rurſum meditari. Illic Nobiles aliqui juncti colonis tumultuabantur ob ductoris ſui necem, & tuendam ſociorum libertatem, auſi Caſcaniam obſidione cingere. Ragozius Tranſſylvanus ſpe auxilij Turcici, initáque cum Suecis ſocietatis, ſcribebatur, ob privatas ſimultates arma parare in Cæſarem. Tillius in obſervandis Sueciæ Regis motibus, Pappenheimius contra Haſſos in Weſtphalia, Galaſſus adverſus Saxones in Bohemiâ, diſtinebantur. Guſtavus Sueciæ Rex rebus ſecundis elatus longè altiora meditabatur, nuper in Warſavienſibus Comitijs per ſuum Salvium candidatus Polonicæ Coronæ, Pellæo juveni non prorſus abſimilis, cui unus non ſufficeret orbis. Comparandæ ergo erant vires, eǽque validæ, quæ tot hoſtibus eſſent pares.

FRIDLANDUS RURSUS EMERGIT.

Cæſari ijs conflandis ducem circumſpicienti, aulici quidam, quorum in animis non evilucrat Fridlandi memoria, ſuggeſſerunt, neminem ad iſtud negotij Fridlando fore meliorem. Miram enim in viro eſſe vim ad contrahendum militem, adeſſe opes, vigere induſtriam, authoritatem eminere. Nec Cæſar pro ſummâ animi lenitate erat ab eo alienus: aliquantum tamen obſtabat Catholicorum Principum averſio, & exauctoratio nupera, quam Fridlandus nondum videbatur concoxiſſe.

IV.

Nihilominus effecit favor conſilij, gravis neceſſitas, iniquitas temporum, ut ejus animus explorandus eſſe videretur per Principem Eggenbergium. Ille, quâ erat aſtutiâ, initio perfrigidè Cæſaris mentem accipere, moroſè expendere poſtulata, revocare in memoriam infelicem priorum obſequiorum ſucceſſum, ignominioſum exitum, levidenſe præmium, res interea ſub aliorum manu collapſas, difficilem erigendæ fortunæ provinciam, Principum, cum quibus eſſet bellum ſociale, alienos animos: proſcriptam deinceps ex animo omnem ambitionem, quietem adamatam, quam etiam ab hoſte, quem non laceſſiviſſet, meritò ſibi poſſet polliceri; orare Cæſarem, ne feſſis & repugnantibus, parúmque idoneis humeris, tantum oneris atque periculi vellet imponere. Verùm Eggenbergius, qui hominis ingenium, intimóſque animi receſſus habebat exploratos, excuſare Cæſarem, quòd alieno ſuaſu, ſuóque damno faſces ademiſſet, extollere nihil imminutam benevolentiam, & ſpem de Fridlando conceptam in rebus tam creperis: unde facilis conjectura foret, quam eſſet gratiam ex earum emendatione collecturus. Et verò dandum eſſe aliquid, ſi non omnia, petenti Cæſari, periclitanti Patriæ, communi ſaluti, quod præſens auxilium imploraret. Glorioſum fore, quæ alij peccâſſent per imprudentiam, ſapientiâ corrigere, Rempublicam alienâ clade periclitantem tegere, pœne jacentem erigere: atque id demum apud poſteros majori fore gloriæ, ſi laboranti ſubveniat, quàm ſi ſtantem florentémque ſervâſſet.

V.

His ſive lenocinijs, ſive rationibus non tam victus, quàm devinctus & delinitus Fridlandus, quod ultrò optaverat, aſſecutus, non ad priſtinam modò, ſed longè etiam ampliorem poteſtatem mirâ arte erepſit, & quò majus ſui pretium faceret, lentè & per partes. Ergo addicit, ſe ad proximum uſque Martium Cæſari fore in obſequijs, quódque intererat temporis, daturum exercitui, qui rebus ſatis foret, contrahendo, eâ tamen lege, ne ſibi Archiſtrategi nomen honórve deferretur: egregia videlicet ſpecies modeſtiæ & abſtinentiæ. Placuit iſta conditio Cæſari, ſatis gnaro, quid ſibi vellet illa fuga dignitatis. Qui Fridlandi nôrant genium, non ambigebant, quin fugeret ad ſalices, & ſe cuperet antè videri.

PRINCIPES OB FRIDLANDI RESTITUTIONEM SOLLICITI.

Principes, qui ejus abdicandi authores fuerunt, mirati ſunt, eum, ſe inconſultis, reſtitutum. Meritò enim verebantur, ne homo irritabilis & vindictæ perennantis, delatâ auctoritate, ad ulciſcendam ſuæ exauctorationis ignominiam, aliquando abuteretur, nec ſperabant religio-

religioſiùs, quàm antè obſervaturum Principes, quos oderat, aut militarem diſciplinam, quam dudum non amaverat, quâque peſſumdatâ cælites ad iram, hoſtes ad audendum provocârat.

Maximilianus Elector, cæteroqui voluntatum Cæſaris obſervantiſſimus, non diſſimulavit animi ſui ſenſa, quæ per ſuum Cancellarium prolixè Viennæ curavit explicari: ſed jactâ jam aleâ, ſors, quæ mutari nequibat, æquo fuit animo ferenda, donandúmque tempori, quod ipſius iniquitas exegiſſet. VI.

Credebatur Franciæ Rex, æmulatione Suecicorum progreſſuum, & propinquitate victoris exercitûs, copias, quas habebat ſub ſignis Suecicæ fortunæ, vel ob regni ſecuritatem, Sueco, Moſellæ jam imminenti, oppoſiturus: verùm, ubi alia omnia venêre in apertum, facile fuit æſtimare, ex iſtâ Regum coujunctione, quanta in Germaniâ rei Catholicæ pericula impenderent.

Conatus eſt quidem Rex Galliæ per Legatos eò rem adducere, ut Suecus Catholicos in Imperio mediâ inter bellantes conditione quietos eſſe pateretur: ſed cùm ille id quietis intolerabilibus legibus alligare vellet, & talibus quidem, quæ Principes Imperij à Cæſare ſejungerent, & rebus à Sueco occupatis ſpoliarent, patuit tandem ſuum cuique eſſe carum, rarum autem eſſe, cui volupe non ſit creſcere ex aliorum detrimento. Eò factum, ut Herculis Charnacæi Galliæ Legati, & San-Stephanæi negotiatio apud Maximilianum Electorem nihil fructûs tulerit, præter paucorum dierum inducias, dilatâ tantiſper Bavariæ inuaſione. Ex quibus planiſsimè apparet noſtri calumniatoris vanitas, quâ audet mentiri, Maximilianum Neutralitatem cum Sueco ambijſſe. Eam quidem Gallicus Legatus propoſuit, ſed nec ambivit, nec probavit Maximilianus: audire tamen debuit Legatum, ne Regis Galliæ curas ſpreviſſe videretur. Philippo Chriſtophoro Trevirenſi Septemviro profutura videbatur impetrata à Rege Galliæ protectio, ſpéſque, fore ut tum ipſe, tum Treviricæ ditiones eſſent deinceps in tuto: ſed magno ea ipſi ſpes conſtitit, evaſitq; tandem in ejus grave damnum, & magnum Germaniæ diſcrimen. Etenim protectionis obſidem dedit, invito Trevirenſis Eccleſiæ Capitulò, cæteriſque Archiepiſcopatûs Ordinibus, Arcem Confluentinam, quæ Rheni frenum eſt & clavis Germanici Imperij, quam magno deinde impendio Maximilianum oportuit recuperare, uti referetur in loco. Simul addixit in Spirenſi Epiſcopatu ſuam Philippopolim; ſed irrito promiſſo, eò quòd illa à Cæſareo milite teneretur, & Gubernator, qui neceſſariâ ad ferendam obſidionem comparârat, Gallis id præſidium nomine Electoris flagitantibus reſpondiſſet, ſe in poſterum eam munitionem pro Cæſare defenſurum. Tertium fuit protectionis adminiculum ipſa Archiepiſcopatûs Metropolis Treviris, quam, volente Electore, Eſtræus Gallicorum caſtrorum Præfectus, vigeſimâ Auguſti hoc anno, ejecto Hiſpanico præſidio, per vim occupavit.

Cancell. Bellic.

VII.

Elector Trevirenſis Gallicam protectionem accipit.

VIII.

Fridlandus inter hæc ſedens in Moraviâ, magnos paſſim habebat delectus, qui demum ad eum numerum potentiámque excreverunt, ut Aulæ Cæſareæ bonum factu viſum ſit, eum convenire de admittendis Legati Generalis titulis, cum ſupremâ in Cæſareas copias vicariâ poteſtate. Annuit Cæſar. At Fridlandus renitentis ſimulacrum induere, cauſari varias recuſandi rationes, deprecari, ita agere, ut reluctando prenſari, immo rogari velle videretur: re autem verâ quærebat anſas dictandi conditiones, quibus tantò ſuam auctoritatem altiùs tolleret, quantò eam deprimere demiſſiùs volebat videri. Tam dextrè denique egit perſonam detrectantis, ut neceſſitate potiùs, quæ durum eſt ſummis præſertim Principibus telum, quàm lubentiâ, in hæc pacta Cæſar conſentiret: 1. Fore Fridlandum, totius Auſtriacæ Domûs aſſenſu, exercitûs Generaliſſimum in formâ abſolutiſſimâ, nec Cæſarem ipſum, nec Cæſaris filium eo munere functuros. 2. Cæſarem, recuperatâ Bohemiâ, Pragæ fixurum domicilium, Marradam verò cum duodecim armatorum millibus Bohemiæ tuendæ præſtò futurum, donec pax generalis conveniret, Bohemos enim absque Rege præſente, Regem verò ſine præſidio tutos eſſe non poſſe. 3. Cæſarem de ordinariâ remuneratione

Conditiones Fridlandicæ Præfecturæ.

Frid-

Fridlando cauturum, addictâ ad ſecuritatem aliquâ Provinciâ è Cæſareo patrimonio. 4. Extraordinariæ mercedis loco futurum ipſi ſupremum regale jus in occupatas provincias: Jus item Fiſco addicendi per Imperium, in formâ abſolu-

IX. tiſſimâ. 5. Penes eundem fore, excluſis ab ea cognitione non modò Cæſareæ, ſed Spirenſis etiam Cameræ Judicibus, arbitrium & publicationem bonorum, noxâ capitali commiſſorum, poteſtatem item condonandi. 6. Si cui in Aulâ Cæſaris litteræ ſecuritatis aut noxæ venia fiat, nullius foret roboris citra Fridlandi aſſenſum & confirmationem, & hæc quidem ad ſolam fidem & famam poſſint extendi, veniam verò realem â Fridlando duntaxat peti & impetrari oportere. 7. Si quando pacis in Imperio tractatio ſuſciperetur, habitum iri cauſæ Fridlandi privatæ, de Ducatu præſertim Megapolitano rationem quæ in acta publica referatur. 8. Omnes belli continuandi ſumptus Fridlando debere ſuppeditari. 9. Omnes Cæſaris hæreditarias Provincias Fridlando ad ſuum & exercitûs receptum fore apertas. Tanti fuit rurſus armâſſe hominem, qui tam inſolentia & imperioſa poſſet etiam extorquere.

Legationes Cæsaris in Italiam.

Porrò ſpes erat, Cæſarem in partes tracturum Italiam adverſus Sueciæ Regem, ejúſque fœderatos, qui, ſi rerum in Germaniâ potirentur, credebantur de invadendâ Italiâ cogitare. Quare Cæſar geminas Legationes expedijt; Ad Sum̃um Pontificem unam, alteram ad Principes & Reſpublicas Italiæ. Romam alioqui profecturus erat Cardinalis Pazmannus Archiepiſcopus Strigonienſis donandus galero Cardinalitio. Ab eo petijt Cæſar, ut unà cum Principe Savellio, qui Romæ Cæſaris Oratorem agebat ordinarium, explicato Germaniæ ſtatu, reíque Catholicæ periculis, Summum Pontificem pecuniaria ſaltem auxilia rogaret, ſuaderétq; ut Catholicos Principes ad communem religionis defenſionem unire niteretur. Valuit ea Legatio ad aliquid ſubſidij ex ærario Pontificio impetrandum.

X. Ad Principes & Reſpublicas Italiæ ablegatus Antonius Baro Rabatta Gradiſcenſis Præfectus. Is benignè quidem paſſim comitérque habitus, ſed cum exiguo Legationis emolumento, pleriſque detrectandi diverſas cauſas prætexentibus. Privata publicis ut plurimùm potiora, religionis ſtudium (quæ labes hujus temporis) apud exteros inter poſtrema, Cæſareæ incolumitatis non magna ratio, memoria belli Mantuani, reſpectus ad Francos & cauſas alias, ne coâleſceret communis aliqua cum Cæſare Societas, obſtaculo fuêre; Proteſtantibus interea, quod vel ipſis exteris exemplo eſſe potuiſſet, in Catholicorum, ipſius adeò Cæſaris, perniciem, magnâ animorum & rerum neceſſariarum conſenſione conſpirantibus. Cæteris Italiæ Principibus præluxerunt Hetruriæ Magnus Dux, & Mutinenſis Regulus, quos ſecuta eſt Lucenſis Reſpublica, qui ſua Cæſari officia opémque ſaltem aliquam addixêre.

XI. Conversio Christiani Wilhelmi Marchionis Brandeburgici ad fidem Catholicam. Fridericus Com. Pal. Gustavum Regem adit.

Sub id temporis Chriſtianus Wilhelmus Marchio Brandeburgicus Magdeburgenſis Adminiſtrator, quem in Magdeburgi expugnatione, in Cæſaris poteſtatem veniſſe diximus, cùm in Neoſtadienſi ſeceſſu, Catholicæ fidei ſinceram doctrinam piâ quorundam religioſorum inſtitutione percepiſſet, eandem publicè profeſſus eſt. Eam ſacrorum mutationem, ne feciſſe ſpe aut ſtudio evadendæ captivitatis exiſtimaretur, æquiſſimo animo paſſus eſt, ut nihilominus in Cæſaris ditione retineretur. Quæ res valde uſſit Proteſtantes & Guſtavum Regem, qui, cùm de rebus componendis ageretur, oſtendit, eam Chriſtiani pietatem ſibi vehementer diſplicuiſſe: verùm magnanimo pióque Principi ſatius fuit, Deo & Angelis, quàm homini placuiſſe. Fridericus Comes Palatinus, qui Hagæ Comitis exilium hactenus toleraverat, à Sueciæ Rege excitus, adulto Februario venit Francofurtum. Eum, Rege volente, Aula titulis regijs honeſtavit. Adventûs cauſa, recuperatio Palatinarum ditionum, quarum partem Guſtavus jam occupârat. Paulò antè Sueciæ Regina celebri pompâ & plauſu Francofurtenſium, à Rege fuerat excepta. Eò multi Acatholici Principes, Comites, Proceres, Ordinum Imperij Legati, confluxêre. Omnes de ſuis rebus auditi, connexíque arctis cum Rege fœderibus. Ex

ijs

ijs fuit Fridericus Ulricus Dux Brunovicenſis, qui multa de Moguntino Electore conqueſtus circa quaſdam in Eisfeldiâ poſſeſsiones controverſas; multa de Septemviro Colonienſi ob Hildeſienſem Epiſcopatum, ad quem invadendum, certis præſtandorum ſubſidiorum conditionibus, magna auxiliorum promiſſa impetravit. Verbo, liberaliter quaſi pro poteſtate de rebus alienis ſtatuebatur. Civitas Brunovicenſis pactam ante annum, Salvio interprete, cum Rege unionem confirmavit: Ulmenſibus in clientelam receptis, permiſit Rex poſſeſſiones, domos ac proventus Ordinis militiæ Teutonicæ, aliorúmque Eccleſiaſticorum per omnem Ulmæ ditionem.

XII.

Poſt exactum breve, quod dixi, pactum à Rege cum Maximiliano induciarum tempus, Hiſpani detinendo in Palatinatu inferiore Franckentalio & Crucinaco, aliisque ejuſce provinciæ locis ſolliciti, aliquid copiarum ad Moſellæ confinia contraxêre. Otto Ludovicus Rheni Comes, juſſus à Guſtavo Rege illis ire obviam, obſervató ex inſidijs Moſellæ, quà transmiſſuri erant, trajectu, primæ Hiſpanorum Legioni tranſitum permiſit: ſecundam, quæ ſequebatur, rejecit in adverſam ripam: tum primam adortus ſic profligavit, ut pauci cladem evaſerint. *Hispani cladem accipiunt ad Mosellam.*

Admôrat Guſtavus paucis inde diebus Crucinaco obſidionem. Hiſpanicum præſidium, cùm tantis Suecorum copijs omnino impar eſſet, civitate relictâ, ſe recepit in arcem, paucis exceptis, quos Sueci irrumpentes trucidavêre. Arcem acriter propugnavêre Hiſpani, repreſſis à primo inſultu hoſtibus, non ſine multorum cæde, & Regis ipſius periculo, ad cujus latus, glande lethali unus è promiſcuâ oppugnatorum turbâ ſublatus eſt. Verùm, cùm actâ ſub arcem ſubterraneâ fornacula, accenſo igne in altum erumpens præſentaneum obſeſſis periculum oſtendiſſet, pacti cum Rege incolumitatem, armati exceſſerunt. Multis capitibus arx iſta Regi ſtetit. Cecidêre bini Vigiliarum Præfecti inter non paucos manipulares, plures debilitati vulneribus. *Rex Gustavus occupat Crucinacum.*

XIII.

Non multò pòſt caſtrum Braunfelſium poſt toleratum aliquanti temporis obſidium, Philippo Reinharto Solmenſi Comiti deditionem fecit: ſimilem ſortem ſubijt oppidum, caſtrúmque Bobenhuſium. In Obrincanis, Kirchbergâ per idem temporis occupatâ, præſidiarijs, qui ex Burgundis erant & Italis, ferro ſublatis, Germani ad hoſtium ſigna recepti. *Braunfels, Kirchberga invaduntur ab hoste. Hundsruck.*

Simul Rex Guſtavus magno in id ſtudio incumbebat, ut firmam ſibi Moguntiæ ſtationem ſtrueret. Quamobrem collem Jacobæum, ipsámque civitatem novis circummunijt operibus: ponte dein nautico utrumque Rheni littus junxit: Mœnum item ponte ſtravit è regione Coſthemij: ad Rheni præterea, Mœnique confluentes, excitavit propugnaculum, quod Guſtavicum ſuo nomine inſignivit: ſecutâ deinde poſt aliquot dierum obſidionem, Caſtri Baccaracenſis deditio. *Gustavus munit Moguntiam.*

Frequentes interea in Marchionatu Durlacenſi & Badenſi pro Guſtavo Rege delectûs habebat Chriſtianus Comes Birckenfeldius; cùm Oſſa Cæſarianarum partium Generalis Commiſſarius, collectis ad Briſacum duobus circiter armatorum millibus, Loræ oppido, quartò ab Argentorato lapide; & Offenburgo præſidium impoſuit: pòſt Wilſtadium in Comitis Hanovienſis dynaſtiâ, ſub ineuntem Martium, deditione accepit, oppido & arce militari direptioni permiſsâ, & flammis deinde concrematâ. Suecicum præſidium per Cæſarianas cohortes diſtributum, præfecti mancipati fuêre cuſtodiæ. Francotalenſes & Heidelbergenſes, non rarò, nec leviter Suecos carpſerunt. Ex Heidelbergenſibus ſeptenæ equitum vexillationes, Rheno ad Philippopolim transmiſſo, Hagenoam moventes, ex itinere, Lauterburgi recentes Suecorum delectus, & unam equitum turmam Belluni cecidêre. Oſſæ deinde juncti Coronæ-Weiſſenburgo jugum lytrúmq; impoſuêre. Oſſa, cùm in ſuperiore Alſatiâ loca Cæſari addicta munijſſet præſidijs, progreſſus in ditionem Durlacenſem, ad exauctorandum, quem id loci conſcripſerat militem, & pendendam non exiguam pecuniæ vim Cæſareo militi, Marchionem adegit. Poſthæc Stolhoffium, Lutzenaviam Succis extorſit. *Ossa Cæsarianus varia loca occupat.*

XIV. In inferiore Saxoniâ, ſic res habebant. Magdeburgum mox à Lipſienſi prælio cœperat à duabus Larſij & Roſæ legionibus circumſideri. Pôſt à Bannero caſtrorum Præfecto cinctum arctiùs, annonæ laborabat inopiâ. Demandata erat à Maximiliano Electore cura ejuſce Provinciæ Pappenheimio, qui ejuſce periculi conſcius, contractis, quotquot habuit, copijs, periclitanti ivit ſuppetias, eo conſilio, ut ex Maximiliani voluntate, præſidium eriperet diſcrimini, &, ne in poſterum loco defendendo vires exercitûs diſtraherentur, munitionem ſolo æquaret. Juſſus erat Wolfgangus Comes Mansfeldius, qui iſthic obſidebatur, ſi tempori auxilia non advenirent, quàm poſſet honeſtiſſimis conditionibus, facere deditionem, militémque in tutum abducere. Cùm igitur Pappenheimius Mansfeldio, juſto ſeriùs venturus eſſe videretur, jam fecerat paciſcendi cum Bannero initium: cùm ecce tractanti adfertur nuntius, Pappenheimium propediem adfore cum exercitu, quem tum in Ubijs, tum ex præſidijs legerat, & rectâ ducere in Bannerum. Renuntiat ergo Mansfeldius Bannero, nihil eſſe, cur de obtinendâ deditione de cætero cogitaret. Ergo Bannerus diffidens ſuis, quos hiems & intempeſta obſidio, magnis laboribus oppidò attriverat, deſperato ſimul Weinmarij, quem adhuc expectaverat, adventu, caſtris ad Salam poſitis, conſtituit hoſtem præſtolari, atque ex eâ ſtatione Halberſtadio ſic proſpicere, ut, ſi qua vis fieret, in tempore poſſet adeſſe: ſimul copias aliquas ad Calbam loco opportuno contraxit.

Pappenheimius solvit obsidionem Magdeburgi, et hoc solo æquat

XV. Pappenheimius ergo ad 3. Id. Januar. Wolfenbutâ digreſſus, ex itinere Scheningam & Helmeſtadium expugnavit, & militi conceſſit in prædam. Inde per Garlebiam, Magdeburgum poſtrid. Id. Januar. ingreſſus, ex viciniâ comportatam annonam congeſſit; ſed, cùm ea ſuſtentandæ in longum obſidioni par non eſſet, diruptis, quas convehere nequibat, æneis machinis, vel merſis in profluentem, omnibus navibus, pontonibus moletrinarijs, ponte etiam ſublicio, qui nuper fuerat conſtructus, militaribúſque caſis intra mœnia igne corruptis, tandem diſturbatis circùm vallis & aggeribus, dejectóque muro, redijt Wolfenbutam. Abeunti ſucceſsêre in Magdeburgi rudera & parietinas Sueci & Magdeburgenſes exules, qui paulatim Guſtavi Regis illecti pollicitationibus, locum eruderare, & civitatis formam aliquam excitare cœperunt.

Proficiscitur in Westphaliam.

Pappenheimius, relictis ad Wolfenbutæ defenſionem ſenis peditum cohortibus, unâque equitum centuriâ, progreſſus ad Viſurgim, circumlato, quacumque illi iter fuit, latè terrore & vaſtitate, tranſmiſsóque prope Hameliam Viſurgi, duxit in Weſtphaliam.

XVI. Inter hæc Wilhelmus Dux Saxo-Weinmarius, Gœttingâ expugnatâ, deletíſque occidione, vel captis præſidiarijs, Duderſtadium, ipsámque Eichsfeldicam provinciam ſubegit, Cæſarianis in ſua caſtra rejectis. Haſſiæ Landgravius, Waiburgo devicto, Stathagâ, Volemarsâ, Grubenhagâ, & Amænoburgo potitus eſt.

Hornius Franconiæ impositus.

Hæc rerum facies in Franconiâ. Bambergenſis Epiſcopus, rejectis, quas Sueciæ Rex anno ſuperiore ſcripſerat, conditionibus, ne Provinciam omni vacuam auxilio hoſti patentem relinqueret, à Maximiliano Electore impetrârat, ut Bavarico-Fœderato militi præcipua Epiſcopatûs præſidia tuenda traderentur. Id cùm Guſtavi Regis de invadendâ Bavariâ conſilijs obſtaret, Hornio, quem Franconiæ impoſuerat, Bambergæ totiúſque ditionis occupandæ negotium dedit. Bamberga vaſta civitas, ex pluribus velut hinc inde ſparſis oppidis compoſita, magnam partem nuda mœnibus, cinctáque circùm collibus, patuit venienti, primoribus è Clero, civibúſque aliò dilapſis. De Forchemio aliíſque locis, quæ vi indigerent, occupandis, nulla adhuc ſpes, tum ob perincommodam brumæ tempeſtatem, tum ob propinquitatem Bavarici exercitûs, cui non fuiſſet difficile laborantibus in tempore ſubvenire. Quievêre itaque Sueci Bambergæ ad menſem uſque Martium, donec Maximilianus Epiſcopi rogatu, & ne hoſtis in eâ regione latiùs pedem figeret, mandavit Tillio, ut copijs, quæ in Vindeliciâ & ſuperiore Palatinatu hibernârant, collectis, Bambergæ agróque vicino, quâ poſſet ope,

ope, ſuccurreret. Ergo Tillius contractis in Palatinatum legionibus, communicatóque cum Epiſcopo, qui Ambergæ conſtiterat, conſilio, ad exercitum, qui ad Neoforum convenerat, profectus, Norimbergam verſus movens, Altorfio, Lauffâ, aliiſque locis occupatis, Forchemium prætergreſſus, 8. Id. Martij circa meridiem venit in Bambergæ conſpectum. *Neumarckt.* Acceptâ ejus adventantis famâ, tametſi Hornius diffideret ſe locum poſſe ſuis copijs tueri, quia tamen à Suecico nomine, & belli temporiſque ratione credebat alienum, nullâ vi expectatâ diſcedere; cùm totam civitatem non poſſet, aliquem ſaltem locum, quo Tillium venientem exciperet, aggere, foſsiſque munire inſtituit. Animos faciebant ſperata à Wilhelmo Duce Weinmario auxilia. Partitis igitur inter legiones operibus, veterani iſtiusmodi laborum non inſueti, cæteris fuêre expeditiores. Solmenſis legio recèns lecta Norimbergæ ex tironibus, fuit cæteris tardior. Adhucdum humum molientibus ſupervenit Tillius. Primum ipſius agmen ubi è vicinâ ſylvulâ promicuit, Hornius ſuos eſſe juſſit in armis per proprias unumquemque ſtationes. Comiti Solmenſi demandavit equitatum, qui erat in excubijs, vetito, ne cum Tillianis congrederetur. Ipſe interea circumequitare vallum, inſtare operi, jubere deproperari, atque dum claudantur aggeres, Baudiſij turmas ſuam ſtationem pede fixo retinere. Sive internuntius, ut fit in hujuſmodi tumultu atque trepidatione, mandata non ſatis perceperit, ſive equitatus malè ſit interpretatus, Baudiſiani longiùs, quàm juſſerat Hornius, progreſſi, mox propius urbem fuêre revocati. Pauci adhuc tum è Tillianis ad ſylvæ oram apparebant: ſed Hornius, cognito per exploratores, Tillium plenis caſtris ſubſequi, Batavicam legionem referre gradum, & pro vallo, cui Solmenſes adhuc inſudabant, juſſit imperia expectare. Paruit illa quidem, ſed tam tardè, ut à Tillianis properantibus oppreſſa, fuſa, fugatáque Solmenſes ſecum traheret in ſuburbium. Ergo Farensbachius hærens fugientibus, Solmenſe vallum, depulſis, qui reſtiterant, occupat, rectáq; cum legione tendit ad pontẽ, quà patet ingreſſus in urbem. Suorum fugam aliquantiſper ſtitit Hornius ſubmiſſo ſubſidio, repreſsiſq; à ponte Tillianis. Sed repetito impetu, Suecis Tillianorum alacritati ac virtuti cedentibus, patuit in civitatem trajectus non per pontem, quẽ Succi dejecerant, ſed per vadum. Ex eo conflictu Comes Solmenſis tibiam trajectus ſeſe ad curandum vulnus recepit. Salutare fuit Suecis pontis diſijciendi conſilium. Dum enim lentiùs Tilliani vadum traijciunt, nacti aliquantum otij, tormenta navibus impoſita Mœno avehenda commiſerunt, legionibus etiam in adverſam ripam feſtinantibus. Id ubi advertit Tillium, juſſit ſuos conglobatos in civitatem irrumpere, & terga cædere fugientium. Obruêre agmen poſterius, bis mille in loco trucidatis. Poterat deleri univerſus Hornij exercitus, niſi dejecto Eltmanenſi ponte, & Haltſtatenſi concremato, Hornius inſequentium ardorem fuiſſet fruſtratus. Neque enim ſic potuit pontium reparatio maturari, quin Hornius Hasfurtum elapſus palantium fugam colligeret. Ponte Haltſtatenſi reſtituto, transmiſit Tillius aliquot turmas equitum, qui Suecos inſectarentur: Blanchardi & Marradij legio, unáque Croatarum turma, cùm periti ductoris beneficio Horniani per ſaltum inobſervati minùs attentos oppreſſiſſent, aliquid cladis accepêre. Tillius nihilo ſecius ducens Hasfurtum, Hornium Schweinfurtum uſque ſubmovit.

XVII. A Tillio Bambergæ cladem accipit.

XVIII.

XIX.

Guſtavus Rex, antequam iſtius fugæ nuntium acciperet, de Heidelbergâ & Philippopoli invadendâ cogitârat; at veritus, ne apud fœderatos ſibi Principes, Ordinéſque Proteſtantium, nova aliqua calamitas Suecici nominis exiſtimationem minueret, maluit fortunæ laboranti ipſe ire ſuppetias, ſcriptis ad Schweinfurtenſes, ad Franciæ fœderatos, alióſque paſſim litteris, quibus Hornianum infortunium exquiſitis modis elevabat. Tantum credebat in ſecundâ famâ ad bellum conficiendum eſſe poſitum.

Ergo confeſtim, quicquid in Moguntinis copiarum fuit, cum inſtrumento bellico Aſchaffenburgum jubet properare. Iſthic recenſitas, comperit duodecim

Gustavus recensèt exercitum.

cim legiones, & ſena alariorum millia conficere, qui univerſim acceſſione Hornianorumex plevêre triginta armatorum millia, ad quos propediem Weinmarienſes & Banneriani erant venturi. Bavariam cum triginta quatuor millibus ingreſſum captivi aſſeruêre. Kizingæ nonnihil paſſus ſuos reſpirare, rectâ contendit Bambergam, quam prorſus indefenſam, arduum non fuit occupare. Inde motis caſtris Winsheimium ac Furtum attigit, luſtratóque denuo exercitu, longè, quàm ante, ex Banneri legionibus numeroſiore, Norimbergam cum Friderico Comite Palatino, Auguſto Duce Sulzbacenſi, magno aliorum Principum, Magnatúmque comitatu profectus, incredibili totius civitatis lætitiâ pompâque fuit exceptus. Sumpto, invitatu Norimbergenſium, magnifico epulo, ad caſtra, quæ ad Suabacum tetenderant, redijt, abductis ſecum Patribus Capucinis è Domo Ordinis Teutonicæ militiæ, quaſi jure repreſſaliarum, ſive androlepticæ clarigationis; quòd accepiſſet, Tillium è Norimbergenſi ditione cives aliquos, indigenáſque feciſſe captivos.

Appellit Norimbergam.

XX. Ad Tillianas copias delecti è Bavaricâ juventute adoleſcentes, turba imbellis, & pleraque invita aliquot millium erat acceſſura, robuſtum quidem, ſi corpora ſpectes, ſed adhuc inexpertum & parùm utile ſubſidium. Igitur, cùm veteranus exercitus hoſtibus longè impar eſſet, Tillius omiſsâ, quam parabat, Schweinfurti obſidione, è Franconiâ receſſit in ſuperiorem Palatinatum, quò propior eſſet Bohemicis, ſi qua vis major ingrueret, auxilijs, & ipſe non Bavariæ modò præſtò foret, ſed etiam Cæſarianis. Verùm animadverſo, Suecorum expeditionem ſpectare Bavariam, ſigna convertit ad Danubium, Boícam tecturus, ubi Guſtavus Rex, Lyci aut Danubij, quibus fluminibus Boij ab occaſu & Septentrione clauduntur, trajectum moliretur.

Tillius contendit ad Danubium.

Donawerda in Boreali Danubii littore, Guſtavo viſa eſt irruptioni opportuna. Quamobrem, properatis itineribus eò contendens, Rudolphum Maximilianum Saxoniæ Ducem Lavenburgicum, Tillij miſſu, cum aliquot peditum equitúmque centurijs urbis præſidio impoſitum comperit. Occupat nihilominus collem mœnibus imminentem, (Schellenbergium, quaſi Nolanum montem vernaculâ linguâ vocant Bavari) petitque à Lavenburgico deditionem: repulſam paſſus tormenta curulia locat, in monte, infráque montem, jubens hinc mœnia, iſthinc tecta pontémque Danubianum fulminari. E mœnibus viciſſim, minoribus bombardis grandinabant obſeſſi, ſimul è ternis ſtationibus, quas obverſa in longum tigna tegebant trans Danubium, canteriati catapultarij in adverſos è regione hoſtes jaculabantur. Verùm cùm è monte æncarum machinarum miſſilibus à Suecis verberarentur, loco fuit cedendum, donec ſub veſperum, cùm aliqua quies eſſet à tormentis, ad ſtationes reverſi, ductâ foſsâ & aggere extemporaneo, loricam ſtruxerunt, quâ ſe aliquantum tutabantur. Permulti è civibus tenebris tecti, pontem transgreſſi, è civitate cum ſarcinis pretioſioribus profugêre in campum. Ipſe Dux Lauenburgicus impedimenta & pleroſque militum tranſmiſit. Turri enim ad alutariorum portam pertuſâ apertâque ad juſtam impreſſionem, diffidebat ſe civitatem poſſe tueri. Multi fugientium telis hoſtium in ponte proſtrati, plures ſauciati. Sub diei crepuſculum præſidiariorum manipulus per Hebronianam legionem, quæ proximè trans amnem Wernizium excubabat, audaci quidem facinore, ſed non ſine aliquorum nece, perrupit. Ergo Succi, nemine jam obſtante, urbem invadunt, cæſíſque aliquot, qui ad receptum tardiores fuerant, Lauenburgicis, civium ædes, magnam partem, per horas aliquot diripiunt. Juſſit quidem Guſtavus aliquot equitum centurias inſequi abeuntem Lauenburgicum; ſed hoc ſolo operæ pretio, quòd Oberndorffium, Fuggerorum domum, non longè à Lyco interceperunt. Loca alia, nullius propè notæ aut præſidij, Suecis venientibus patuêre.

Guſtavus occupat Donawerdam.

Monachio, in caſtra diſceſſerat Maximilianus Elector ipſis Palmarum ramalibus, quæ prid. Non. April. agebantur, Regi Guſtavo vim oppoſiturus. Dirimebantur exercitus Lyco & Aichâ interfluentibus. Lycus, ponte ſublato, difficilis erat transvadationis: Aicham frenabat Rheina munitio non contemnenda.

Maximilianus ad caſtra proficiſcitur.

Viſum

Viſum itaque Maximiliano, arcendo hoſti, ad Thirhauptenſe Monaſterium, medio inter amnes campo, raris hinc inde ſparſo fruticibus, ſoluto Rheinenſi ponte caſtra locare. Nec mora, adfuit Guſtavus ad Lycum cum univerſo exercitu. Omnino erat Maximiliano conſtitutum, illum prohibere Lyci trajectu, & quamvis longè impar eſſet numero, tamen cupiebat, cum bono DEO, ſupremæ aleæ rei ſummam committere. Ex adverſâ ripâ, Guſtavus immanes edebat tormentorum fragores, quibus viciſſim reſpondebat acriter Maximilianus. Tenuerunt ea tonitrua horas aliquot, nullo propè Bavaricorum damno; hoc emolumento, quòd ne unus quidem Suecorum ad Bavaricum littus auſus fuerit penetrare. Hæc fulmina compeſcuit caſus geminus, Maximiliano hoc ipſo adverſus, quòd cauſam darent certaminis dirimendi. Ipſe Tillium tempeſtivè monuerat, Ducis potiùs, quàm militis partes ſuſtineret, néve inter denſam miſſilium grandinem, ſpeculatoris officio fungeretur: ſineret hoc per inferioris notæ viros cum minore rerum periculo præſtari. Ille nihilominus, more ſuo, dum propius Lycum adequitans inſpicit, quidnam hoſtis moliretur, glande minoris catapultæ (falconetam nuncupant) ſecundùm genu dextrum graviter læditur, vehiculóque in tentorium revehitur oppidò debilis ex vulnere. Paulò antè Aldringero rei tormentariæ ſupremo Magiſtro, vertex ſimúlque rationis uſus fuerat obtuſus. Hiſce duobus jam ad ſua munia in eo rerum diſcrimine, longè aliter, quàm par erat, comparatis, perſtabat nihilominus Maximilianus in ſententiâ, caſtris immotis retinendi ſtationem, & ultima contra hoſtem experiendi. Enimvero illum arceri poſſe, Lycum non poſſe ſine ingenti periculo ſuperari, quicquid tandem vadorum Rex tentet, iniquo loco pugnantem poſſe profligari, eo nondum quicquam auſo præter fragores. Indecorem fore receptum, & fortè damnoſum, ſi, eo comperto, hoſtis audacior, amne tranſmiſſo, inſtet tergis abeuntium: DEUM bonæ cauſæ & generoſis conatibus adfuturum. Verùm longè alius fuit ductorum, quos conſilio adhibuit, ſenſus. Nemo unus ex ijs fuit, qui abitum non ſuaderet: & aſſentiebatur Tillius, eò maximè quòd Tribuni ſeorſim interrogati oſtendiſſent animos à prælio alienos, ob nimiam exercitûs Bavarici cum hoſte collati imparitatem. Cauſabantur ſimul, poſſe quidem uno vado Suecos arceri, ſed non niſi cum ingenti diſcrimine: diviſum in plures ſtationes exercitum, vada omnia Auguſtam uſque, nocte præſertim, quæ imminebat, non poſſe tutari adverſus tantam Suecorum multitudinem. Et verò etiamnum ſeptuaginta duo eorum tormenta, oram citimam ſic infeſtare, ut nulla ſtatio, pontis, quem Rex moliebatur ex ratibus, abſolutionem impedire poſſe videretur: ſimul conſtabat, gregariorum animos haud parùm ex Tillij vulnere eſſe perculſos. Et nox jam tenebreſcens favebat receptui, quo minùs notaretur ab hoſte.

Castra ad Lycum opponit Gustavo.

Tillio et Aldringero sauciatis,

XXII.

Ergo Maximilianus, tot ſuffragiorum torrenti concedens, jubet impedimenta Neoburgum verſus præmitti, ſequi exercitum, & tantiſper ad Lyci marginem aliquot peditum equitúmque ſigna excubare. Compoſitis itaque agminibus, citra omnem Legionum confuſionem vel fugæ ſpeciem, noctis ſilentio, ne unico quidem hoſtium veſtigia recedentium premente, quòd omnes, nullo excepto, in adverſo Lyci littore adhuc hærerent, totus exercitus, imperturbatis ordinibus, ſalvus & incolumis Ingolſtadium pervenit.

Exercitum recipit Ingolstadium.

XXIII.

Hîc ſubit mirari nonnullorum ſcriptorum (qui toti propè ſunt in celebrando Guſtavo) vanitatem, in fingenda Bavarorum clade, & devicto (ſi Dîs placet) Maximiliano, quem conſtat nunquam infeliciter conflixiſſe, Deo mirâ providentiâ præſentis fortunam adverſus quoſque etiam præpotentes erigente. Non deſcripſerunt modò, ſed depinxerunt etiam, & æri inciſum vulgo dederunt neſcio quod iſtius diei prælium, cùm tamen certiſſimum ſit, utrumque exercitum, toto Lyco disjunctum, ne veniſſe quidem ad manus. Comminiſcuntur luculentam Maximiliani cladem: cùm tamen conſtet, è Bavaricis ne triginta quidem baliſtariorum telis cecidiſſe, nec dubium ſit, quin è Suecis minimùm totidem occu-

bucrit. Fingunt Tillium medio inter Lycum & Ingolſtadium itinere exſpirâſſe, qui tamen dies aliquot ſuperſtes, Ingolſtadij vivendi finem fecit. Ajunt, ad occultandam pontis molitionem, Succos fumo è tædis excitato, Bavaris ademiſſe
XXIV. operarum conſpectum. Quid eſt, niſi hoc ſit fumos vendere? Atqui hoc ipſum prodidiſſet operas, & velut ad certum machinarum ſcopum deſtinâſſet. Et verò quàm fuiſſet immanis tædarum iſtarum obnubilatio? Ingenioſiùs dicerent, priſcis creditam Deorum faſcinationem, Jovem nube, Æneam ſocióſque tectos à Venere, aliquas Finnorum præſtigias. Scribunt arborum truncos ramóſque tormentorum vi in Bojos incurſantes ingentem ſtragem feciſſe: atqui eo, quo Boij ſtetêre loco, vix ullæ fuêre arbores, ſed rara hinc inde virgulta, quæ neque fuêre excuſſa, neque ulli noxæ. Addunt, Guſtavi equitatum vadum repertum tranâſſe; at nec reperit, nec ſi reperiſſet, tranatu fuiſſet opus, ubi licuit tranſvadare. Atqui Maximilianus ſignum dedit receptui, & abijt. Hoccine eſt Regem de Maximiliano reportâſſe victoriam? Atque hæc quidem de fabuloſis iſtis trophæis, qualia nec virtus requirit, nec ſtatuunt ſapientes.

GUSTAVUS DEDITIONE ACCIPIT AUGUSTAM.

XXV. Guſtavus poſtridie, quàm Maximilianus caſtra moverat, ejus comperto diſceſſu, Auguſtam Vindelicorum eſt aggreſſus. Eò fuerat invitatus ab Acatholicis non legatione modò, ſed etiam pollicitationibus: voluiſſet videlicet, quod poſtea formis libellíſque prodiderunt, non tam anagrammatiſmo, quàm rebus bello mutatis, Auguſtam vertere in Guſtavam, quemadmodum ex Guſtavi nomine formavêre Auguſtum. Alliciebat etiam loci celebritas, amplitudo, & ſtatio bello proferendo peropportuna, quòd inde arma in Sueviam commodè poſſent transferri. Igitur Guſtavus ad 15. Cal. Majas, cum univerſis copijs, ſe dedit Auguſtæ viſendum. Cæſarianum erat in urbe præſidium, ſed infrequens infirmúmque ad vaſtæ civitatis defenſionem, adverſus hoſtem potentem foris, & domeſticas Acatholici civis inſidias. Iſte nihilominus ex compoſito bellum ſimulare, ad arma concurrere, oſtentare vim, fiduciámque reſiſtendi. Inter hæc trepidabant vehementer cives Catholici, non neſcij, ſe à Proteſtantibus, quorum minas audiebant, deſtinari ad cultrum. Ex illis non pauci cum re pretioſiori in Tyrolenſes Alpes & oppida ſe ſubduxerant, proviſione ſanè tempeſtivâ. Miſſo, qui nomine Guſtavi Regis deditionem flagitaret tubicine, Senatus ex integro nuperæ reformationis lege Catholicus, & ipſe trepidus, afflictúſque, illuc conferre conſilia, ut, quia ſalutem à præſidio ſperare nequibat, eo fine noxâ dimiſſo, pactâque civitatis incolumitate, pacatum potiùs & eâ felicitate delinitum Regem,
XXVI. quàm iratum reciperet. Miſſis igitur ultro citróque deditionis interpretibus, dictæ conditiones utcunque tolerabiles, ſi res fidéſque reſpondiſſent. At illæ quidem fuêre ejuſmodi. 1. Civitati, civibus, omnibúſque ad ipſam, ipſiúsve protectionem aut dominium ſpectantibus, ſalva intactáque permanento ſua privilegia, mores, conſuetudo, ſtatus ac dignitas in Imperio, res omnes, juriſdictio, quies, exercitium religionis. 2. Omnibus civibus, incolis, perfugis, Clero omni, indigenis, advenis, honor, vita ſunto incolumia. 3. Eccleſiæ, Monaſteria, Collegia, nec non Clerici omnes ac Religioſi, penes ſua jura, locos, ſacras ædes, proventus intra extráque Auguſtæ pomœrium, nec non Catholicis univerſim omnibus ac ſingulis ſua religio, ejusdémque exercitium citra perturbationem permittuntor. 4. Civitas Auguſtana, omnes incolæ, atque eodem refugi, Clerici intra & extra mœnia, nec non & res in urbem receptæ, à flammâ rapiníſque ſunto eximia. 5. Sacris hominibus, profaníſque omnibus, qui ſecuritatis causâ aliò diſceſſerunt, ad ſua poſtliminio revertendi jus fáſque eſto: ſi verò Clericus, Laicus, civis, incola, convena, alіorſum vellet transferre domicilium, id ei liberum eſto: citra tamen tributi tali re ab antiquo pendi ſoliti imminutionem. 6. Veteranus miles, qui civitatis quieti eſt auctoratus, ſub ejuſdem ſignis ac ſtipendijs ſuam ſtationem retineto. 7. Senatus Catholicus, cives Auguſtanæ Confeſſionis, tam in ijs, quæ ad religionem, quàm quæ ſpectant ad ſtatum politicum, in eam conditionem, quam annis ſuperioribus tenuerunt, reponunto. Facta igitur iſtis legibus

LEGES DEDITIONIS.

gibus deditione, dimiſſo Cæſariano præſidio, ipſo D. Georgij die, Guſtavus Rex civitatem ingreſſus, deductus eſt ritu regio ſub conopæo: habitus velut in alterâ Capuâ per ludos, tripudia, alia, quæ vel Junonias ſuſpiciones irritarent, niſi tanti Herois fama alia ſuggeſſiſſet. Deditæ civitatis conditiones quàm ſanctè à Rege fuêre promiſſæ, tam invidè à Præfectis fuiſſe ſervatas, argumento ſint, quæ, eo abſente, & è vivis ſublato, ſunt ſubſecuta. Ab hominibus Deo conſecratis, per vim & ſupra vires, annona extorta, tributa ſine numero, hoſpitationes intolerabiles: deformatæ ædes, vexati contumelijs & impoſturis, dati in vincula viri innocentes, excuſſi quivis domorum anguli, fictis de cauſis: inquilini rebus exuti omnibus, tandem pulſi in exilium, propoſito moris Anglicani jurejurando. Verbis non poteſt explicari, quantâ diritate, quot mendacijs, Lutherani Suecos, qui alioqui fuiſſent paulò æquiores, in Catholicos ſtimulârint. XXVII. Non servatæ.

Fridbergam, Boicæ oppidum uno ab Auguſtâ milliari, ſub id tempus à Suecis occupatum, non multò pòſt Comes Cratzius recuperavit, quod poſtea Bannerus flammis excidióque crudeliter eſt ultus in cives, quòd Cratzio loci recuperandi auctores adjutoréſque fuiſſent. Fridberga a Cratzio recuperata.

Ergo Guſtavus, rebus Auguſtæ ex ſententiâ conſtitutis, cum toto exercitu Ingolſtadium, egregium in paucis Boicæ propugnaculum, Danubij frenum, jam inde à tempore Caroli V. Imp. ex Smalcaldicæ factionis repulſis conatibus percelebre, ſibi ſumpſit tentandum. Id ſi debellaret, haud difficilem ſperabat in reliquam Boicam, atque hinc in Auſtriam, Bohemiam, ipſáſque Alpes aditum. Poſt Maximiliani nuperum à Lyco receſſum, Sueci Reinam deditione acceperant: Neoburgum, cùm inter partes medium, neutris bellantium eſſet addictum, nec ita firmum, ut de eo retinendo Maximilianus laborandum eſſe cenſeret, vel ob Ducis ſui Sororij amicitiam, pontis Danubiani parte dejectâ, munire noluit. Dum Guſtavus Auguſtæ ageret, Memminga, Nœrdlinga, Campidunum Luthero addictæ Civitates obvijs ulnis Suecos ſunt complexæ; alia paſſim oppida, quòd eſſent indefenſa, ultro in eorundem manus venere. Bojorum Lansperga Lyco adſita, quòd nec ſatis haberet præſidij, nec è caſtris ſperaret auxilium, ijſdem perinvita manus dedit, non omnino duris conditionibus, ſed quæ perinde atque Auguſtanæ fuêre à Suecis violatæ. Conventum fuerat, ut, lytro perſoluto, civitas ab omni prorſus militum injuriâ ac præſidio immunis, ſuis legibus, prærogativis, ac religioni permitteretur: ſed idem, qui Auguſtæ fuerat, iniquus exactor, mox rimari ædium penetralia, conquirere nuſquam latentes theſauros, ijſque non repertis, miſeris imperare pretia redemptionis intolerabilia. Is cùm Lanspergâ exceſſiſſet, ſucceſſorem habuit longè deteriorem Andream Cœtiskium gente Sileſium, qui, cùm fraude in civitatem irrepſiſſet, mox diſpoſitis per mœnia excubijs, civibus pacta violari nequicquam clamitantibus, ſuperbè crudelitérque cœpit dominari, donec à Cratzio prid. Id. Jul. inopinatâ vi, portâ, quæ Boicam ſpectat, effractâ, momento oppreſſus, trans Lycum, amiſſis omnibus catapultarijs equitibus, cum cladis acceptæ reliquijs Auguſtam profugit. XXIIX. Gustavus movet Ingolstadium. Memminga, Nördlinga Suecis se dedunt. Landsperga vi coacta ad ditionem. XXIX. Sueci violant leges deditionis. XXX. Ejiciuntur a Cratzio.

Guſtavus porrò fallacis fortunæ ductum ſecutus, Aprili menſe, cis Danubium inauſpicatò Ingolſtadienſem obſidionem eſt auſpicatus. Maximilianus, qui trans Danubium caſtra fixerat, à Tillio, qui cum lethali morbo luctabatur, deſtitutus, ſtrenuè Principis ſimul & imperatoris munia gerebat. Nihil ipſe Guſtavi adventu territus, Legiones ab Ingolſtadio paulò remotiores, juſſit ſummo manè, 4. Cal. Majas, propiùs accerſitas, imperium opperiri, atque interea nauticum pontem, qui pro re natâ ultra citráque Danubium militem tranſportaret, opere ſubitario conſtrui. III. Calend. Majas per campos cis-Danubianos emicuêre paſſim Suecorum turmæ: in eas è munimentis, quæ alluuntur flumine, tormenta mox librata, non irritâ jaculatione, quod tumultuariæ, divulſis ordinibus, turbationes equitum teſtabantur. Primus, qui ante urbem locus Suecis ceſſit, fuit caſa dumetis utcunque tecta adverſus grandiora obſeſſorum miſſilia. Ignorabant forſan eam domum eſſe deglubitoris. Alteram poſt hanc ſtationem delegêre Obsidio Ingolstadiensis. XXXI.

pro-

Prope patibulum, quod ad tumuli modum aliquem erectum, in ſubjectâ feralium columnarum ſubſtructione geminis baliſtis curulibus non incommodum ſuggeſtū præbere videretur. Ex famoſæ iſtius, quam dixi, caſæ viciniâ prodeuntes, malè à Bavaricis mulctati, ad longæ litteræ propugnaculū fugâ ſe receperunt. Erant quoq; hoſtibus præſidio quædam aggerum, & tumulorum Carolinorum hodiéque circa infelicem pendulorum arcem extantes reliquiæ, poſt quas abſtruſi, globis ex urbe certatim volantibus minùs patebant: nec tamen ponticulū, qui Danubij brachio imminet, adeo cautè celeritérque tranſire poterant, quin pilæ tormentis emiſſæ ſemper aliquos interciperent: hoc ipſum cadavera hinc inde ſparſa ſine voce loquebantur. Jámque nox appetebat, quam urbi fatalem Rex, invito licèt cœlo,

XXXII. ominabatur. Ergo parat ad duplicem irruptionem agmen, alterum videlicet in vallum, quod urbis pontem tegebat, alterum immittit in pontem nauticum, per quem erat via ad caſtra Maximiliani. Pro vallo iſtâ nocte vigil ſtabat Comitis Sulzij legio, qui Comes nuper ad Bambergam fortiſſimè pugnans occubuerat. Legioni aderat Beckius vicariâ poteſtate. Navalem trajectum tuebantur Rippergianæ cohortes, & mille Lauenburgici equites. Poſteaquam igitur Guſtavus ſuorum animos ingentibus ſpoliorum promiſſis impleverat, juſſit ire ad deſtinatos inſultus. Conclamatæ vigiliæ, concurſum ad arma, ſimul ac tormentum grandius, ſub horam noctis decimam, è turri Divæ Virginis intonuit. Ficum vo-

Acris dimicatio.

cant eam bombardam veteri nomenclatione, è ſigno pollicis velut per ludibrium ſub indice promicantis. Eſt eâ longitudine, ut certò ad ſcopum milliari diſſitum poſſit deſtinari, non ignota olim Schertelio, cæteriſque Smalcaldici fœ-

XXXIII. deris auctoribus, globos jacit quinque duntaxat pondo. Ficus hæc per iſtam obſidionem non paucis lethalis fuit. Ergo agger ad pontem urbicum, & pons nauticus cœpti ſimul pari furore oppugnari. Tenuit conflictus minimùm ſesquihoram, alternantibus perpetuò ſcloporum procellis. Suecis ingentes faciebat animos Regis conſpectus, & cohortatio, ut ad valli ſumma eniterentur. In eam conflictationem eduxerat è caſtris ſupra tria veteranorum milliâ. Non facilè in ullâ oppugnatione par huic viſa ferocitas & pertinacia. Repreſſi tandem hoſtes, è quibus trecenti minimùm, è Bavaricis quatuor occubuêre. Ductoris Suecicæ Legionis cadaver repertum inter occiſos. Is jam propè in ſumma valli eluctatus exclamaverat præ gaudio: Jam vallum tenemus, cùm triumphum ipſi vitámq; incîdit gregarius immiſsâ in aſcendentem glande lethiferâ: in ejus exuvijs reperti aurei trecenti cum torque item aureo intra thoracem pendulo. Eodem penè tempore ad pontem nauticum res erat acta nihilo remiſſiùs, cùm ſe hoſtilis equitatus denſo agmine infundere nitebatur. Reſtitere defenſores invictâ manu, donec repreſſis aliquoties inſultoribus, tormenta caſtrenſia, in confertum illorum agmen directâ, ſtragem fugámque fecêre. Cæſorum numerus hîc iniri non potuit, eò quòd corpora, partim beneficio noctis avecta, partim tumulata raptim in ijs, quæ dixi, dumetis referri nequivêre in digitos. Captus ex hoſte Lichtenſteinius, qui ſe abs Regis latere avulſum faſſus eſt, Regem autem captivitati proximum fugâ evaſiſſe. Sequens ubi dies illuxit, intra patibulum &

XXXIV. vepreta proxima cœptum ſtrenuè laborari ab hoſtibus. Coacti agreſtes foſſas ducere, dum ex urbe crebris ejaculationibus inceſſerentur. Ficus è turri B. Virginis operum Magiſtrum, dum neſcio quid deſignaret, medium diſcerpſit: alius equo niveo & ſago inſignis coccineo, qui fuerat pridie, atque hoc ipſo die, in vallis ducendis officioſiſſimus, præceps unà cum jumento, globo dejectus eſt in æſtuarium Danubij. Et quidem Rex in campo, qui intra Danubium eſt & templum S. Salvatoris, quod ab urbe quater mille circiter paſſus abeſt, ſuos habuit; ipſe verò ſibi pro tentorio delegit molendinum ſuburbanum. Sub quintam pomeridianam, aliquot Suecorum vexillationes ex caſtris, longo agmine, ad vigilias emiſſæ, tot undique tormentorum ictibus fulminatæ ſunt, ut pronis corporibus humi abjecti procumberent identidem, donec miſſilium tempeſtas deſæviret.

De-

Decumbebat interea ex honeſtiſſimo, quod ad Lycum, pro Deo, Cæſare, Maximiliano Electore, & patriâ acceperat, vulnere, in urbe, in ædibus Arnoldi Rathij percelebris Iuriſprudentiæ in Academiâ Ingolſtadienſi Doctoris, Heros ille totâ Europâ nominatiſſimus Joannes Tzerclas Comes Tilius, Ferdinandi II. Imp. & Maximiliani Bavariæ Septemviri, Catholicæque unionis ſummus militiæ Legatus. Ejus tantus erat pro ſalute publicâ etiam in lectulo fatali decumbentis ardor, tanta ſolicitudo, ut, cùm ſingula, quæ gerebantur, ſibi vellet referri, circumſtantes, eâ præſertim nocte, cùm Rex geminas impreſſiones faceret, forti conſilio juvaret, verbis generoſis accenderet, juberet ire in hoſtem, ut, quos illi ſua virtus & periculorum contemptorum gloria ſpiritus ingenerârat, in alios quoque vel moriens transfunderet. Jacuit ergo corpus, ſtetit animus, tantâ conſtantiâ, ut ne verbo quidem, ſignóve ullo ſe doloribus inferiorem ſit teſtatus, tantâ in Deum pietate, ut ſuprema vitæ linea verè referret ſanctum anteactæ vitæ contextum. Conceſſit illi hoc Deus, pro ingentibus ipſius in Imperium & Eccleſiam Romanam meritis, ut poſt domitas provincias, poſt tam multiplices atque arduas, ipſis etiam terrarum domitoribus Romanis invidendas victorias, inter amicos, inviſente & conſolante non ſemel Maximiliano Electore, loco honeſtiſſimo, ritè perceptis omnibus, quæ ſupremæ luctæ propria ſunt Sacramentis, à mortalibus ad immortales placidiſſimè Prid. Cal. Majas decederet, annos natus LXXIII. cùm ingentibus factis, nominíſque ſui gloriâ, quod de Pompeio magno dixit Tullius, orbem terrarum impleviſſet. Heros perpetuò cælebs, egregius ſui contemptor, ſimul, ubi uſus erat, retinens auctoritatis imperatoriæ: integer in paucis, juſti tenax, profuſus proprij peculij in cauſas pias & honeſtas, abſtinentiſſimus alieni, pauperi propior quàm opulento inter tantas diteſcendi facultates ad ultimum uſque ſpiritum: oſor vitiorum omnium, intolerans alienæ improbitatis, militum amor & pater, terror hoſtium, infractæ magnanimitatis: verbo, nulli Archiſtrategorum ſecundus, inter verè pios Chriſtianos revera eximius. Is vitæ fuit exitus: ſub horam ſextam veſpertinam, cùm Crucifixi effigiem manu geſtans, ſe ad mortem componeret (compertiſſima memoro) Illuſtriſſimo ſuo XXXVI.
Nepoti Wernero juſſo ad lectum vocari, Tillius dextram porrexit, capitique impoſuit in ſignum fauſta precantis: ſucceſſit ad eam benedictionem Tribunus Witzlebius, & Baro Ruppius, cui Tillius ſuum famulitium diſertis verbis commendavit. Monuerat conſcientiæ ſuæ arbitrum, ut in ſupremâ luctâ in memoriam revocaret dictum regij Prophetæ, quo frequentiſſimè ſolitus erat animum excitare: *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum.* Paulò antequam generoſiſſimam animam exſpiraret, oculis aliquantum ad latus deflexis, viſus eſt aliquo terrore percelli: tum Sacerdos Jeſuita memor moniti inclamat: *In te* XXXVII.
Domine ſperavi, &c. Quâ vóce fortiſſimus pugil recreatus, quaſi de hoſte victor, læto ad Chriſti patientis effigiem converſus vultu, ſuo triumpho, qualibus potuit reliquijs, præludens, felicem efflavit animam horâ ſeptimâ pomeridianâ. Eſſent quamplurima, quæ ſcribi poſſent ad ejus commendationem: verùm, cùm exigant menſuram juſti voluminis, quod excederet inſtituti mei brevitatem, id duntaxat addo, ipſum Principis titulum, honores, & ſtatum à Cæſare oblatum ſummâ modeſtiâ eſſe deprecatum, & Gereoni Cæſaris Secretario, ne Cæſareum ad hoc diploma ſcriberet, quingentorum Ferdinandicorum honorarium donâſſe. Beatiſſimam Dei Matrem per omnem vitam eximiè coluit. Acceperat à ſereniſſimâ Iſabella Hiſpaniorum Infante monile adamantibus præſtantiſſimum, dignum videlicet donantis majeſtate & munificentiâ: mox ut aſpexerat, dixit ad adſtantes: Id verò donativum mei cordis delicijs, ac Dominæ ex hoc momento dedico. Interpretabantur audientes, id doni ſponſæ Nepotis deſtinari: ſed aliud ipſum longè ſenſiſſe apparuit, quando Deiparæ Oetinganæ iſtud amoris ſui pignus conſecravit, ſimul mille roſarum (ut vocant) nobilium nummis, quos ab Hamburgenſi civitate dono ultroneo præter omnem expectationem acceperat, in ejuſdem Virginis Sacello quotidianum Miſſæ ſacrificium perpetuò celebrandum inſtituit.

De obſidione Ingolſtadianâ hæc ſuperſunt digna memoriâ. Ipſis Maij Ca-
XXX VIII. lendis, Maximiliano Electori, cujus tum non in hoſte modò repellendo, ſed in finitimorum quoque locorum procuratione, noctes atque dies deſudabat ſapientia, fortitudo atque induſtria, allatus eſt nuntius, Guſtavum Hornium cum aliquâ Suecicarum copiarum parte Ratisbonam properare. Eſt illa civitas ſitu ad Danubium percommodo: eâ ſi hoſtis potiretur, non erat dubium, quin luculentam plagam propinquis regionibus, Bavaricis præſertim, poſſet inferre. Quamobrem, ne interciperetur ab Hornio, opus erat feſtinatione.
XXX IX. Ergo Maximilianus Elector, relictis ad Ingolſtadij propugnationem ſex legionibus, unâque alariarum, & duabus Liburnorum equitum turmis, horâ poſt meridiem ſecundâ, cum reliquo exercitu, oram legens Danubij, Ratisbonam verſus contendit. Hoc comperto, mox turmæ ſex Suecicorum equitum cum catapultariorum phalange è dumetis erumpunt: expectabant quindecim aliæ cohortes, ex inſidijs, rei eventum.
XL. Fecêre, qui prodierant, in pontem nauticum irruptionem. Primo impetu, quinquaginta ſclopetarios, in viâ opertâ, quæ aggeſtâ humo aliquantulum excurrebat in campum, repulêre in vallum, nullo præterea operæ pretio, cùm, ponte jam amoto, ultra progredi nequirent. Eodem tempore per pontem urbicum tres Croatarum turmæ erumpentes, hoſtium ſtationem è regione curantem egêre in dumos. Eo die Chriſtophoro Marchioni Durlacenſi juniori à tormento grandiore, cùm ipſe inter amicos ſederet in tentorio, cerebrum diffractum effuſúmque: Rex quoque miſſo in urbem tubicine, regij cujuſdam cognati cadaver ex heſterno ſepulchro refoſſum, agnitúmque ex lineamentis, aliíſque indicijs, repetijt & obtinuit. In vicem, libertati redditus Neohuſius unius turmæ centurio nobilis.

Farenspachii carceret exitus.

Datus dehinc Comes Farenſpachius in cuſtodiam, juſſu Maximiliani. Inſimulabatur ille clancularíæ cum hoſte conſpirationis. Argumento erat, quòd pridie, quàm Rex nocturnas, quas recenſui, impreſſiones faceret, Farenſpachius
XLI. ſuum armigerum in campum miſerat, quaſi de induſtriâ, ut, veniens in hoſtium manus, clandeſtinum quippiam referret, quódque in heſternâ vigiliarum partitione, ultrò, imò importunè excubias, ſtationémque in propugnaculo ante pontem urbanum ſibi popoſciſſet, quaſi Regi eâ parte irrupturo aditum in civitatem patefacturus. Suſpicionem vehementer auxerat mira Suecorum in heſternâ irruptione confidentia, velut ad devictam urbem accurrentium, & Beckianos, qui fortiter reſiſtebant, inclamantium, ſe verò eſſe eos, qui venirent ex condicto. Memoriæ adhuc hærebat Francofurti ad Oderam ignava defenſio, jacturáque facta à Farenſpachio. In cuſtodiâ per annum, eóque ampliùs habitus, capitis damnatus, more militari, Ratisbonæ, ſemel iterum ſacrâ exomologeſi piè expiatus, pluribus ictibus, errante carnificis dextrâ, miſerabili ſpectaculo, confectus eſt. Poſt primum vulnus è fatali pegmate, ſive deteſtatione infamiæ, ſeu mortis horrore ſe dedit præcipitem, ínque pedes mox erectus, torvus ac minax, commiſerantibus ſpectatoribus, pluribus plagis excarnificatus eſt, vir, ſi ultima nota abeſſet, qui potuiſſet à ſanguine, forma, ingenio, facundiâ, fortitudine, rerúmque geſtarum ſecundâ famâ commendari. Ipſi videtur ad eum finem gradus fuiſſe, ſuſcepta cum quodam magnate Cæſariani exercitûs gravis ſimultas, ex quâ, cùm aliter vindictam ſumere ſe poſſe deſperaret, creditum eſt ortam animi perturbationem ſequiora conſilia ſuggeſſiſſe. Tam cæci ſunt humani ſenſus, cùm, ratio-
XLII. nis & honeſti cancellos egreſſi, per pravos affectus in mala procurrunt. Poſtridie Cal. Majas, Ingolſtadij majorum tormentorum varijs ex locis propugnaculíſque repetita in hoſtium caſtra defulminatio, eâ deſtinatione, ut captivi poſtea profeſſi ſint, nullum propè globum innoxium evolâſſe, erutis paſſim per arenarias ſilicibus ſcrupíſque, qui obſtantium corpora miſerè lacerata ſternerent. Una inter cæteras pila longam duxit proſtratorum lineam: crediti fuêre quinquaginta uno ductu cecidiſſe, totis certè plauſtris, ſaucij tanto numero Neoburgum delati, ut die unico, ſeptendecim omnino militibus pedes miſerè contriti, à chirur-

chirurgis fuerint amputandi. Et jam tot funerum vulnerúmque Regem ſatias cœperat, cœperat & milites quamlibet audaces formido mortis præſentaneæ, ſicubi patente in loco excubias agerent, & tanta quidem formido, ut à ductoribus enſe ſtricto ad huiuſmodi ſtationes eſſent adigendi.

Ultimus obſidionis dies propè Regi fuiſſet ultimus. Dum enim ille, Neoburgo redux, caſtra obequitat, luſtrat, diſpertit imperia, ſéque extra vallum ac dumeta in apertum campum propius urbem effert incautiùs; ecce tibi ex arce, in ipſum, tormentum incenditur. Globus clunes equi aſſecutus ſeſſorem ipſum nihil læſit, prætterquam quòd effuſo in terram, pedis contuſi dolorem inflixit. Equus à prætoriano juvene trajectus, victima hero ſuccedanea fuit. Eius pellis nivea, virgatis interlucentibúſque ſpeculis varia ad vivum extenſa ſuffultáque, aſſeruatur in arce Ingolſtadienſi, in monimentum, quòd Sueciæ Rex Guſtavus Ingolſtadium viderit, non vicerit. GUSTAVUS REX PERICLITATUR. XLIII.

Feſſo itaque jam Rege, & tot paucos intra dies acceptis cladibus, aditíſque periculis, urbis potiundæ deſperato, 4. Non. Majas, ſolvi cœpta eſt obſidio. Mediâ nocte cœperant in caſtris vaſa colligi, revelli ſigna, aliáque moveri. Diſceſſus fuit ſine fugâ quidem, ſed diſcedentibus illætabilis & tumultuarius. Salutati ſunt tormentis more militari. In caſtris ſuperfuêre equi, boves non pauci ad paleas, lebetes ad focum, annona paſſim obvia. Eo die Rex prandit cum Prætorianis in aulâ Richardi, oppidò triſtis & minax in Ingolſtadium, quòd tot iſtic laboribus perfunctus & periculis, ad ter, ut minimùm, mille viros fortes amiſiſſet. Prandium medias inter dapes memoratur abrupiſſe clamor ſubitus, adventare Croatas, inſtare hoſtem. Surrexêre è veſtigio, certatímque in equos, currúſque convolavêre convivæ: inter fugientes fuêre Principes Fridericus Comes Palatinus, Auguſtus Neoburgicus. In eo receptu ſupra quingentos, quà palabundi in agris, quà relicti in pagis Sueci, occubuerunt. Capti etiam aliquo numero. Ulmenſium naves quinque onerariæ in Danubio interceptæ, pane, vino, zytho, avenâ, refertæ. Tres venêre in Bavarorum manus, duas vectores ipſi deſperati depreſſerunt. SOLVIT OBSIDIONEM. *Reichertzhofen.* XLIV.

Ad Maximilianum Electorem Ratisbonæ imminentem redeamus. Ratisbona mille quingentos præſidio legerat, civitas in paucis (quòd toto hoc bello, & aliàs ſæpe patuit) Religioni Catholicæ & Bavariæ infenſa. Non ambigebatur, quin, more ſui ſimilium, Hornio lubens eſſet portas apertura: ut verò Bavaricos ſponte ſuſciperet, nemo prudens habebat perſuaſum. Utendum ergo fuit ſtratagemate. Saliſius vir apprimè Catholicus in civitate curabat. Is conſcius, tum adventare Suecos, tum Bavaros propè adeſſe, urbis portam, quæ eſt ad Auſtrum, ſolito aperit maturiùs, ſimul cohortem mittit, quæ à foro removeat civium excubias, datóque ad portam indicio, binas equitum Bavaricorum turmas admittit in urbem. Hos eveſtigio ſecuta centuria novæ Parœciæ vicina occupat. Mox accepto ſigno, advolant cæteræ copiæ, quæ non procul ab urbe ſubſtiterant, & ſe infundunt in urbem, civicam cuſtodiam exarmant, & domos quemque ſuas remittunt: demum cives juſſi arma detulêre in armamentarium. Quo cognito per captivos, Hornius ſuam tarditatem incuſans, revocatus à Rege, revertit in caſtra. XLV. MAXIMILIANUS RATISBONAM OCCUPAT.

Ratisbonâ ad eum modum frenatâ, rebúſque cum Fridlando compoſitis, de jungendis adverſus communem hoſtem viribus, Maximilianus movit in ſuperiorem Palatinatum. Sultzbachum oppidum imperij Neoburgici, Auguſti ſedes uno ab Ambergâ milliari, jam tentatum ſæpius, civium virtute reſtiterat, ne veniret in Bavaricorum manus. Illi Maximilianus per Joannem Eberhardum Schonburgium vim juſſit admoveri. Cives diuturnis feſſi vigilijs, & territi aliquotum è ſuis exemplo, quos in oppidi aſpectu Schonburgius ſuſpendio addixerat, Bavaricum præſidium admiſêre. Brevis iſtius deditionis uſura fuit. Cùm enim Auguſti rogatu, Guſtavus Rex oppido, non multò pòſt, obſidium oſtentâſſet, Præfectus Boicus, ſuorum paucitati diffidens, vitæ incolumitatem & ſarcinas pactus, diſ- XLVI. SULTZBACHUM COGIT AD DEDITIONEM.

ceſſit. Vix ab oppidi conſpectu aberat, cùm Sueci equites circumventum trucidârunt, & quadringentos manipularios in Guſtavi verba adegerunt.

Hic ſat gnarus, quantum ſuis obfuturum eſſet conſilijs, ſi Maximilianus ſociatis cum Fridlando copijs, totam ſimul in ſe belli molem traheret, ratus, ſe eam conſociationem prohibiturum, ſi expeditione in Bavariam jam ſibi apertam ſuſceptâ, Maximilianum ad domeſtica pericula revocaret, rectâ Monachium, Boicæ urbem principem, movere decrevit. Iter illi per Mosburgum oppidum neque arte, neque naturâ munitum, hoc ſolo commodum, quòd pontem habet ad Iſaræ fluminis trajectum peridoneum. Friſingâ dehinc ſede Epiſcopi potitus ſine vi, expreſsóque gravi redemptionis pretio (ne oppidum direptioni, flammíſque obijceretur) copias trans Iſaram duxit Landishutum nobilem Boicæ civitatem, quam etiam deditione accepit à quadringentis præſidiarijs deſertam. Prævivit Regi Hebronius unà cum regio cubiculario. Reverſis ad Regem, ſucceſsêre univerſæ copiæ. Guſtavo advenienti Conſul, civium primarij, Sacerdotes, Religioſi ſupplices occurrêre, ut ad clementiam & morigeræ civitatis commiſerationem iratum inflecterent. Eos ubi in civium coronâ ſupplicantes eſt conſpicatus, equo ſublimis, in hæc verba eſt locutus: habere ſe quidem magnas iraſcendi rationes, atque in primis, quòd nuper Tillius Bambergæ Hornij Legati ſui exercitum laceráſſet: quòd Maximilianus Bavariæ Dux propoſitam à Galliæ Rege pacis inter Suecos ac Cæſarem tractandæ provinciam detrectáſſet; ſcriberent proinde cives ad Principem, ut mutatis protinus conſilijs, deſinat eſſe infeſtus, ſinátque Suecos rem ſuam agere. Ad hæc demiſsè excuſavêre Landishutani: ſe enim à ſuo Principe accipere imperia, non dare, & vereri, ut parùm impetrabiles futuri ſint regiæ voluntatis interpretes. Niſi igitur, ſubjunxit ille, veſter Princeps ſuam in me offenſam deſinat, Deum teſtor & juro, urbem me iſtam cum Monacenſi, ipſo ſpectante, fatali incendio deleturum. Cives rurſus iras deprecari, rogare veniam inſontibus, qui ſui Principis conſilijs, actíſque non adfuiſſent. Mox ille: ex parte (inquit) credo vos inſontes; ſed utinam urbs ſine vobis ſtaret, eſſet ſanè exemplum, quod ſtatuerem. Dixit, & vultu averſo à ſupplicibus, pervenit ad Principis Palatium. Inde pòſt paulò proſpectans de feneſtra, Friderico Principi Palatino, qui aderat, urbem commendavit ab elegantiâ: aulicis quoque identidem ingeminantibus, damnum fore, ſi tam elegans civitas periret incendio, factus mitior, cùm aulæ viſenda luſtrâſſet, equum denuo conſcendit. Vix portam civitatis attigerat, cùm ecce tibi tonitru, quod unicum tum cælo miſſum, omnium aures fragore, animos horrore implevit, ſive à naturâ temerè contigerit, ſive Deus voluerit oſtendere, ſupereſſe Numen majus Regibus, penes quem eſſet Principum genius & fortuna, quæ non niſi ab ipſo deſerta deijci nequiret. Centum Ferdinandicorum nummûm millia civibus lytri nomine imperavit: pars propè dimidia præſentaneâ collatione Regi ſtatim adnumerata: quod ſupererat, dilata, datis ſex obſidibus, qui Auguſtam fuêre abducti.

XLVII. Gustavus Landishutum invadit.

XLVIII.

XLIX.

L. Contendit Monachium.

Arma deinde converſa in Monachium. Jam venerat Guſtavus Friſingam, cùm Regis Franciæ Legatus haud neſcius, quas ille iras in Maximilianum & Monacenſes concepiſſet, eum ſic oratione demulſit, ut, tametſi ad exſcindendam urbem à multis iiſque viris Principibus impelleretur, promiſerit tamen, Clerum, civéſque omnes ac ſingulos, ſacra item ac profana, ab omni incendio, cæde, populatione, injuriâ, fore juſſu quidem ſuo innoxios, ſi ſponte venirent in manus: ſin ſecus, alia omnia experturos. Poſſe iſthic ſpeciem exhiberi Magdeburgici excidij, ſumíque vindictam de tot conſilijs, quæ eâ in urbe fuiſſent in ſe ſuóſque fœderatos procuſa. Hoc Regis reſponſum Legatus Francicus per citatos nuntios celerrimè deferendum curavit Monachium, ſuaſítque, ut per delectos Oratores publico nomine, ſe, urbémque Regi dederent. Amicæ ſuaſioni ut aſſentirentur, ſuadebant multa. Hoſtis in propinquo potentior, quàm ut poſſet ſuſtineri à nuda omni externo opere & præſidiario milite civitate. Et nulla ſpes erat adfuturi in tempore auxilij. Ergo communi ſententiâ decretum eſt, Legatis ad

Regem

Regem miſſis, pactâ, quam recenſui, incolumitate urbem dedêre. Præmiſit Guſtavus Tribunos ac milites, qui manipulatim diviſi, civium Clericorúmque ædes ab omni noxâ tuerentur. Haud multò ante meridiem, 16. Cal. Jun. Rex obitâ priùs oculíſque luſtratâ Maximiliani regiâ, inſpecto, quod hanc protegebat vallo, urbem ingreſſus eſt cum Friderico Comite Palatino & Auguſto Neoburgenſi, duobus item Weinmarienſibus, Bernardo & Wilhelmo Ducibus Saxoniæ, aliiſque permultis proceribus, qui ipſum ad Electoris palatium viſendâ pompâ ſunt perſecuti. In eo, tam ipſe, quàm Fridericus Comes Palatinus ſunt diverſati: ad Alberti Ducis Aulam defenſor miſſus Guſtavus Hornius, cæteri in ſua diverſoria diſtributi. In ſingulis Religioſorum domibus quaterni milites, ſecuritatis causâ, collocati: exercitus extra mœnia ſub tentorijs juſſus eſſe in caſtris. Templa præcipua viſit Rex. Miratus eſt Ducis Bavariæ Guilielmi V. modeſtiam, quòd, præter Chriſti in Cruce pendentis ſimulachrum, nullam voluit ſibi auguſtæ templi D. Michaëlis ſtructuræ memoriam, vel ſepulchrale Mauſolæum ſtatui. Poſtero die, qui fuit Chriſto in cælos aſcendenti ſacer, cùm, more veteri, in templo B. Virginis, quod Monachij primarium eſt, & Canonicorum collegio inſigne, hiſtoria triumphalis aſcensûs repræſentaretur, Rex ipſe ſpectator voluit intereſſe: ubi multa ex Decano de religione Catholicâ eſt percontatus. INGREDITUR. LI.

Quo tempore Monachij Guſtavus ſubſtitit, nihil remiſſum de divinorum officiorum celebritate, ſed quibuſdam in templis additum ad conſuetam munditiem aliquis magnificentiæ apparatus. Interfuêre ex Acatholicis frequentes ac modeſti, ſine contemptu aut ſarcaſmis, qui ceremoniarum elegantiam, ſuavitatem ſymphoniæ, divini cultûs majeſtatem mirificè laudârunt. Memoranda prorſus fuit Regis æquitas, in coërcendâ ſuorum licentiâ, ne quid adverſus pacta tentarent. Non dubium, quin ipſo inſcio, conclave ingens, rebus raritate, pretio, arte, ordine, multitudine ac jucunditate clariſſimis, refertum, ipsáque Domus Bavaricæ præſtantiſſima Bibliotheca magna damna acceperint. Humi defoderat (Maximiliano ad caſtra profecto) intempeſtiva quorundam ærarij miniſtrorum parſimonia æreas machinas centum quadraginta, canterijs, cæteróque armamento extra terram relicto. Eas effoſſas Rex propè omnes Auguſtam curavit avehendas, quæ deinde à devictis fame & longâ obſidione (quemadmodum in loco dicetur) Auguſtanis, ex pacto fuêre reſtitutæ. Ut ab incendijs & civium ſpoliatione abſtineretur, ter centena Ferdinandicûm millia venêre in pactum, octoginta millia in præſentaneam ſolutionem. Pro reliquæ ſummæ ſecuritate, obſides capti quadraginta duo, Canonici, Religioſi, cives, qui poſtmodum detruſi in plusquam ferream captivitatem, per loca varia raptati, plurimáque paſſi indigna, demum, Auguſtâ domitâ, à Maximiliano redditi fuêre libertati. Non pauci Suecorum interea à colonis Bavaricis per agros paſſim interfecti, unde capta anſa, in multas villas ferro flammíſque ſæviendi. In ipſis Monacenſium oculis locíſque remotioribus, aliquot pagorum, domorúmq; centuriæ ignibus fuêre abſumptæ. LII.

Monachij, Guſtavo adfuit Daniæ Regis Legatus, ſui Regis offerens operam ad pacem cum Cæſare conciliandam. Cùm enim Guſtavus per Baudiſium à Dano auxilia petijſſet, reſpondit, ſibi id per pacis Lubecenſis leges non licere; ſed ſi Guſtavo videretur, libenter, ad finiendum bellum, pacis conciliandæ acturum interpretem. Verùm Guſtavus, quem res ſecundæ longè aliò inclinabant, legato ſignificavit, ſe, inconſultis fœderatis, cum Cæſare agere non poſſe, nec priùs velle, quàm Proteſtantes omnes, quibus auxilio venerat, ad futuros eventus, adverſus Cæſaris, Catholicorúmque molitiones, novâ animorum conſiliorúmque conſenſione ſeſe firmâſſent. Idem ipſe San-Stephanæum, Regis Galliæ nomine quædam in gratiam Maximiliani benignè ſuggerentem, propoſitis, quas à Maximiliano exigeret legibus, dimiſit irritum non ſine ſtomacho. GUSTAVO ADEST REGIS DANIÆ LEGATUS. LIII.

Mindelhemium, dynaſtia Bavariæ connexa, munitionis invalidæ, in finibus Vindelicis, vicinarum civitatum exemplo, anteaquam Monachium dederetur, MINDELHEIMIUM,

Dilinga faciunt deditionem. honeſtis conditionibus venerat in Suecorum manus. Verùm, pactis ſúsque déque habitis, Præfectus Bavaricus vir nobilis & probè Catholicus, Memingam tractus in vinculis, everſus fortunis omnibus, inſigni multorum millium florenorum Bibliothecâ fuit ſpoliatus: cives, Religioſi, expilati, perindignè habiti.

LIV. Dilinga, civitas Epiſcopi Auguſtani arce & habitatione, Academiâque inſignis 5. Id. April. Georgio Chriſtophoro Tubadelio ſe permiſit lytro ſatis tolerabili. Sed, cùm alij ſuper alios Suecici Præfecti, ijdémque exactores ſuccederent, miſera civitas tandem exhauſta fuit rebus omnibus. Non fuit aliarum paſſim civitatum fortuna melior: devaſtatis enim regionibus, plebs ruſticana horrendum vexata, domibus relictis, per ſaltus vagari coacta, inediâ, aëris injurijs, omníque calamitatum genere, magnam partem fuit confecta.

LV. Non egêre inter hæc, qui in Boicâ conſtiterant, Bavarici meras ferias. Etenim Joannes Philippus Cratzius Comes Scharpfenſteinius, ſupremus rei tormentariæ Magiſter, bis mille accinctus legionarijs, & aliquot equitum centurijs, Ratisbonâ movens, tentato fruſtra Pfaffenhovio, Weiſſenburgum, ſub exeuntē Majum, deditione accepit, dimiſſo quidem honeſtè Suecico præſidio, ſed ſubinde ſpoliato, ac demum cæſo, vel coacto ad defectionem, eò quòd contra pacta conventa, civitatem ante diſceſſum expilâſſet, exportâſſétque inter ſuas ſarcinas aliquid bellici commeatûs. Cives Weiſſenburgenſes nihilo meliùs à Cratzianis, quàm Bavari à Suecis fuêre habiti. Scilicet is belli genius eſt, ut in eo, cùm exemplo peccetur, credantur meritò affligi innocentes: atque hoc quidem nomine bellum magna Dei debet ira cenſeri Credidit Cratzius tam juſtè ſe è Weiſſenburgo capere obſides cives, & Concionales præcones, quàm Landishuti & Monachij ceperat Rex Guſtavus.

Cratzius potitur Weissenburgo.

Subinde Cratzius hoſtem Fridbergâ & Landſpergâ ſubmovit menſe Julio, multis cæſis, haud paucis captivis: verùm, cùm neutra ſtatio adverſus vim majorem tuta ſatis eſſet, utramque deſeruit. Deſertam Fridbergam hoſtis flammis exuſſit, recepit Landſpergam, quam bidui obſidione Otto Henricus Fuggerus 15. Cal. Septemb. eidem deditione extorſit, non multò pôſt amittendam. Pari propè ratione, Rhaina à Comite Montecuculio prid. Cal. Septemb. recuperata, duodecimo pôſt die redijt in hoſtium manus.

LVI. Legio Alta-Empsii cæsa. Dum res in eo eſſent, Wilhelmus Weinmarius, cui militiæ in primâ Sueviâ procuratio erat à Guſtavo Rege demandata, Annibalis Alta-Empſij Legionem ad Brigantiam (præſidium eſt in capite lacûs Brigantini) nihil tale metuentem, eóque ſegniùs vigilantem, oppreſſit, multis in veſtigio cæſis, multis captis, inter quos ipſe Tribunus. Ad Wingartum, non procul à lacu, quinque ſigna equeſtria victor Cæſarianis eripuit. Dein cùm fratri ſuo Bernardo Duci Weinmario ſuas copias, Guſtavi juſſu, transſcripſiſſet, profectus in Turingiam, militem iſthic agentem, ad opem Regi in tempore ferendam luſtravit,

In Franconiâ hæc rerum facies. Joannes Georgius Marchio Brandeburgicus, Paulus Kevenhüllerus, Truchſeſius, & alij adjuti ab Ordinibus acatholicis Orbis Franconici, primo vere, Forchemij vicina inſederant. Dux verò Coburgenſis & Culmbacenſis Marchio, adulto jam Martio, ijſdem cum Tribuno Haſvertio acceſſerant. Occupato Forchemij ſuburbio ſecunda videbantur initia: ſed cùm ad Cronachum progreſſis crebra tormentorum fulmina cœpiſſent eſſe terrori, Coburgenſes plerique ab aratro collecti, quos iſtarum tibiarum concentus non delectabat, cœperunt ſigna deſerere, gregatim aufugere, miſſas facere ſtationes, ipſarum machinarum cuſtodiam deſtituere, quarum ternæ ceſſerunt

Cronachum fruſtra obsidetur ab hoste.

LVII. Cronacenſibus. Eadem ſors fuit Tribuni Muffelij ab agreſtibus Culmbacenſibus deſerti, & binis majoris modi balliſtis, unóque mortario multati. Nunquam profuit, lepores galeatos ad bellum coëgiſſe. Nihilo tamen minùs ex ijs, qui obſeſſis auxilio diverſis vijs ac vicibus ſatis inconſultè mittebantur, quaterni manipuli & ſuâ paucitate & hoſtis vigilantiâ fuêre profligati. Verùm ubi è Palatinatu ſuperiore Bavarici, in ditione Culmbacenſi, accenſo Pegnizio oppido Brinckenium

nium legionis Legatum profligârant, Joannes Georgius Marchio & Haſuertus
territi obſidionem ſolverunt.

Bambergenſibus adverſus Joannis Georgij Brandenburgici ſtationem minùs BAMBER-
proſpera fuit expeditio. Ex ejus equitatu multi quidem à ſupervenientibus fuê- GENSES CLA-
re cœſi, ſed cùm Kevenhüllerus laborantibus auxilio veniſſet, Bambergenſes fu- DEM PASSI.
ſi, fugati, amiſſo uno tormento, deſiderato bono ſuorum numero, coacti ſunt pe-
dem referre.

Inter hæc, Rex Sueciæ Norimbergæ metuens, quòd eam Maximilianus
Elector cum Fridlando petiturus nuntiabatur, cogitatione ſubigendi Bavariam
tantiſper ſepoſitâ, curas ad amicæ civitatis tuendam ſalutem convertit. Rem an- LVIII.
tequam expliceem, paucis exequar Fridlandi in Bohemiâ, & Pappenheimij in ſe-
cundâ Saxoniâ res geſtas. Acatholici Suecis fœderati, Turgavij Comitia ha- COMITIA
buerant, veriti, ne dum Guſtavus Bavariam premeret, ipſi à Fridlando & Pap- TURGAVI-
penheimio, quorum vires jam erant formidandæ, opprimerentur. Ergo iere ENSIA.
in eam ſententiam, ut novis delectibus firmarent Saxoniæ Septemvirum ad ſubi-
gendam omnino Bohemiam, utque belli iſthic inque Boicis ſede conſtitutâ, ſic
occuparent Catholicorum exercitus, ut ipſi interim tutâ quiete fruerentur. Ve-
rùm (ut fit, cùm res aguntur diverſorum imperijs) lentiùs longè facta, quàm con-
ſilia proceſſêre, delectibus languidè inſtitutis.

Fridlandus contrà nihil cunctatus cum viginti, ut minimum, millibus, Znamio FRIDLAN-
movet in Bohemiam ſub Aprilis initium, occupatóq; de viâ Launo, Slano, aliiſq; DUS SAXO-
oppidis in Moraviâ, adulto Aprili Pragam deditione receptam, mœnibus hinc NES EIICIT
inde reparatis, novis circummunit operibus; Litmarizium, Egram, alia loca expu- E BOHEMIA.
gnat, eijcitque Saxones totâ Bohemiâ.

Nec erant Pappenheimio res minùs ſecundæ in inferiore Saxoniâ. Cùm PAPPENHEI-
enim Bañerus & Todius inde cum Suecico milite ſe ſubduxiſſent, Pappenheimius MII PRO-
juſſu Maximiliani, collecto ex univerſis præſidijs præcipuo Boicarum copiarum GRESSUS
robore, movens in Bremenſium fines, quicquid iſthic locorum Sueci occupârant, CONTRA
recuperavit. Bremenſes ex adverſo, atque Luneburgicæ legiones, tametſi nu- SUECOS IN
meroſæ, ſic erant ſuæ virtuti diffidentes, ut, relictâ Niemburgenſi obſidione, me- INFERIORE
tu veterani hoſtis, in tutiora receptæ, ſui copiam facere detrectarent. Quare SAXONIA.
Pappenheimius liberum nactus campum, cunctáque latè depopulatus, ex iſtis LIX.
regionibus, prædæ ac pecuniæ tributariæ vim collegit non contemnendam:
Lembgoa contulit octies mille quingentos Ferdinandicos, Hervorda quindecies IN WEST-
mille, Bilefelda aliáque oppida grandem ſummam, quâ Pappenheimius maluit PHALIA.
recreare militem, quàm debilitare exercitum præſidijs hinc inde relictis. Et
fuêre in Weſtphaliâ oppida, quæ, cùm immodicas Haſſiæ Landgravij exactiones
horrerent, ultro ſe Pappenheimio permisêre. Subegit idem Einbeccam, Haſſo
& Luneburgico ſuppetias nequicquam ferre molientibus, indéque magnam an-
nonam & opima ſpolia Hammeliam avexit. Pòſt ſolo æquavit Erichsburgum.
Roſæ legionem profligavit ad Hœxariam, duas præterea, quæ Roſanis ſubſidio ve- HASSIA.
nerant, cecîdit, Hœxariam ab Haſſis deſertam recepit, per Haſſiam graſſatus eſt LX.
populationibus & incendijs: ſenas equitum centurias, quaternas peditum, à Du-
ce Georgio miſſas Haſſo in auxilium, duobus ab Hanovera milliaribus, fudit, fu-
gavit: Rotenbergenſem obſidionem disjecit: haud procul Zellâ aliquot Lune-
burgi vexillationes profligavit; à Stadâ ſubmovit obſidium pulſo Todio, qui no-
vem millia auxiliariorum adduxerat: Lohuſium tribunum rejecit Buxtehudam:
mille quingentorum recentem delectum ijs locis oppreſſit, quorum plurimos in-
teremit, cepit alios, vexillis omnibus potitus. Per vim occupavit Hornebur-
gum, quicquid ſupremis, quibus poterant, viribus, Sueci, Haſſi, Luneburgici, con-
trà niterentur, & ea quidem omnia tam felici celeritate, ut in iſtis Provincijs
Boica fortuna priſtinæ gloriæ prorſus reſtituta videretur.

Verùm inter hæc rebus Colonienſibus à Suecis non erat quies: Hi enim ex
Brunovicenſi Ducatu effuſi, Ubiorum fines habebant infeſtos. Arma igitur Pap-
penhei-

penheimius vertit in Brunſviciam, quò Suecos ad ejus tutelam à Colonienſibus averſos exciret: quæ res, occupatis jam aliquot civitatibus, Suecorum conſilijs magnopere interceſſit.

XXI. Urgebat ſimul Guſtavum Regem Maximiliani cum Fridlando, quam ille deinceps prohibere non poterat, deſtinata conjunctio. Quamobrem, luſtratâ Memmingâ, per Auguſtam reverſus Monachium, contracto quicquid Landishuti, Friſingæ, totâque Bavariâ copiarum habuit, Rhainam, indéque Danuwerdam plenis caſtris contendit, tantò celeriùs, quòd ſperaret, ſe Weiſſenburgo laboranti in tempore adfuturum: ſed Cratzius loco erat potitus ante Guſtavi adventum.

CONIUNCTIO CÆSARIANORUM ET BOIORUM.

Sub id temporis, Maximilianus è Palatinatu ſuperiore, Dux Fridlandus è Bohemiâ, Egram, quæ ſociandis copijs conſenſu erat delecta, convenerunt. Guſtavus verò tantam vim non immeritò veritus, ſe, quibuſcunque potuit rebus, firmavit, retentis etiam legionibus, quas Saxoniæ Septemviro ſuppetias deſtinaverat, Sulzbaco inſuper, locisque alijs, nudatis omni præſidio.

Füeſſen.

TIROLIS PERICULO ERIPITUR.

LXII.

Ea Cæſariani & Bavarici exercitûs conſociatio Tiroli ſaluti fuit. Weinmarius enim id temporis Fuſſiaco potitus, & Reitenſi propugnaculo, jam vim parabat Erenbergicæ munitioni, quæ Tirolis fauces clauſtráque præmunit. Quo ſucceſſu præfidens, Archiduci Leopoldo, qui adverſus accurrerat, nuntiare eſt auſus, ſe die poſtero, qui Julij poſtremus erat, illum coràm ſalutaturum. Certè eo loci creperæ erant res Tirolenſium, nec procul ingenti diſcrimine, ob acerrimas Weinmarij incurſiones, & metum, defectionémque Tiroliorum, quibus propugnaculi defenſio erat demandata; cùm ecce, Deo, optimi Archiducis votum de publicis D. Ignatio procurandis, totâ Tiroli, ferijs, ſi periculo eriperetur, approbante, Weinmarius per citatiſſimos curſores à Guſtavo Rege, ut, ſine ullâ prorſus morâ, ad exercitum quàm celerrimè properet, mandata accipit, & omiſsâ Tiroli, Norimbergam verſus contendit. Guſtavus enim fretus amplæ civitatis ſtudijs, annonǽque & copiâ bellici commeatûs, quæ iſthic ipſi futura erant in promptu, caſtra proximè urbem validè munire ſtatuerat, hoſtísque adventum opperiri. Eò priusquam accederet, aliquantulum ſubſtitit Hersbruci; quo ex loco Buridanum Hungarum miſit ad Ragozium Tranſſylvanum, eâ ſpecie, quaſi legaretur ad componendas ſororis Gabrielis Bethlemi viduæ, cum Ragozio, controverſias, re autem verâ, ut, ſi quà poſſet, Tranſſylvanum ad capienda adverſus Cæſarem arma, Guſtavi verbis concitaret: atque exinde proficiſceretur Conſtantinopolim, ſimile quid tentaturus apud Turcam; exploraturus ſaltem, quid de Suecico bello, rebúsque à Guſtavo geſtis Turca ſentiret. Utrobique verbis verba reddita, Deo frenos Turcæ, immani Catholicæ fidei hoſti, injiciente.

LEGATIO GUSTAVI REGIS AD RAGOZIUM ET TURCAM IRRITA.

CROATÆ CÆDUNT 400. SUECOS EQUITES.

Croatica.

LXIII.

Neumarck.

Sub exeuntem Junium, Croatæ (quod me loci nomen extra lineam admonet) miſſi exploratum ſtationem Suecicam, quæ pro Hersbruco excubabat, ceciderunt, ducentis obtruncatis, fuſis, fugatísque cæteris, extra captivos, quos etiam denique contra datam fidem mactârunt, eo obtentu, quòd Liburna gens atrociùs cæteris haberetur à Suecis, qui nullam vitæ veniam ſolerent Croatis impertiri. Luêre iſtud facinus Croatæ ad Palatinenſe Neoforum. Nam cùm Maximilianum atque unà Fridlandum Rex Sueciæ comperiſſet Neoforum tendere, Tubadelio Chiliarchæ dedit in mandatis, ut cum quatuor ſelectis alariorum turmis, unâque equitum ſclopetariorum legione, eorum motum exploraret. Is, cognito, tormenta Neoforum præmitti, primum iſtud agmen conſtituit aggredi. Prima ipſi fuit cum Croatis conflictio, eáque ſecundo eventu, quatuor enim ſigna momento in fugam avertit, multóſque ex eo numero delevit. Verùm, cùm illum rei proſperè geſtæ fiducia longiùs provexiſſet, undique à circumfuſo hoſte oppreſſus, captus ipſe pleroſque è ſuis internecione deletos, vel captos amiſit: quæ clades Guſtavo vehementer doluit, tum ob virorum fortium jacturam, tum quòd ipſe ad ferendam opem ſubſecutus, accepto rei infeliciter actæ nuntio, ex medio itinere, ſpei irritus, in caſtra redijſſet.

CROATÆ CLADEM PASSI. TUBADELIUS VICTUS, CAPTUS.

Ergo

Ergo motis à Neoforo caſtris 6. Id. Julij, ductus trans Rednizium amnem, Steinij, haud procul à Norimbergâ, uterque Catholicorum exercitus, tribus circiter paſſuum millibus à Suecorum vallis, in loco edito, civitati aſpectabilis, ducto circùm aggere, conſtitit. Fuêre unà ad quadraginta armatorum millia. Is erat caſtrorum ſitus, unde Suecis annonæ & pabulationis facultas accideretur. Quam ad rem valebat Forchemij, Neofori, & Suabaci propinquitas, numeroſo Maximiliani milite inſeſſa, tum perpetes alariorum excurſiones, ad Suecos intra valla continendos, unde jumenta ad jejuna præſepia, magno indies numero abſumebantur. E civitate, ob moletrinarum paucitatem, parcos militi cibatus, qui eſuritores malignè aleret, non in caſtris modò, ſed etiam intra ipſa mœnia, quò turba ingens agreſtium confugerat.

Castra ad Norimbergam.

Fames in Gustavi castris.

LXIV.

In caſtra Catholica, ex vicinis circà regionibus, annonæ affatim convehebatur, non à caſtrenſibus modò propolis, ſed ope quoque duodecies mille curruum, quos Maximiliani provida liberalitas continuò rebus neceſſarijs, maximè cibarijs onuſtos, ſuppeditabat è Bavariâ. Pabulum, quod in arenoſo Norimbergenſium ſolo vix tenuiter provenit, è longinquo erat petendum.

Difficultas pabulationis.

Quotidianæ interim velitares fiebant conflictus, validæque excurſiones; fortunâ, ut amat fieri, variante. Tria Croatarum ſigna adulto Julio malè accepta: quartum in Caſtellenſi Cœnobio exciſum: exinde Jeſuita unus conjectus in vincula; alter, dum ſibi fugâ conſulit, caſu delatus in ſubjectam rupem, corporis vinculis ſolutus eſt, attritúſque.

Croatæ cæsi.

E diverſo ad Hambacum Sueci ſic vapulârunt, ut ne nuntius quidem luculentæ cladis ſuperfuerit. Incidêre etiam in Croatarum inſidias nonnulli Altorfenſes litterati, prope Visbacum, cum quibus, manſuetiorum Muſarum reverentiâ, actum benigniùs, ut pecuniâ libertatem redimerent. Rurſus deinde ad Feuchtam & Rotenbachum Croatarum ſeſqui-centuria profligata. Croatæ viciſſim Suecicam cohortem, excubias Furto & Steinæ objectas agentem, ex improviſo oppreſſam unà cum centurione concidêre.

Sueci cæsi ad Hambacum.

Altorfenses Academici capti.

Non multò pòſt ad Hambacum, Sueci, qui Cæſarianos inceſſiverant, non ſine ſuâ clade fuêre retuſi in caſtra. Id dedecus Rex ipſe ulciſci voluit eodem loci, ubi poſt acrem conflictum, Cæſariani dati fuêre in fugam, occiſi centum quinquaginta, captiq; nonnulli. Id damni repoſuêre in Suecos pabulatores, malè acceptos ad Furtum, & Lauffam, jumentis (inter quæ equi aliquot Regij) curribúsq; non paucis exutos; quamquam Rex, ſubmiſſo in Croatas validiore equitatu, regia jumenta recuperavit.

Croatæ cladem rursus accipiunt et reddunt.

LXV.

In obſidione numerum quoq; fecêre Norimbergenſes cives in viginti quatuor cohortes diſtributi totidem Alphabeti litteris diſtinctas. Uſui erant ad tuenda caſtrorum tutiora, Rege ſic poſcente, tum ut hoſpitibus parceret, tum ne ſuam ſalutem committeret promiſcuæ multitudini.

Inter hæc Lichtenavium deditum non mediocriter turbavit Regis Sueciæ conſilia, quàm enim iſtud oppidum Norimbergicum Catholicis exercitibus futurum erat ad annonæ vecturam opportunum, tam importunè Sueci eo commodo deinceps erant cårituri. Sed Catholicis viciſſim obfuit jactura commeatûs, qui è ſuperiore Palatinatu, ex agro Eiſtettenſi locíſque finitimis delatus Freiſtaffelam, dum neglectim defenſores agunt excubias, à Suecis per muros & diruptam inſititio tormento portam oppidi perrumpentibus, unà cum oppido flammis fuit corruptus: cæſi ſimul propugnatores omnes. Secuta non multò pòſt Spatrij vigiliarum Magiſtri clades & captivitas ad Wendelſteinam, poſt acrem dimicationem, in qua Sueci cecidêre complures, in quibus Tribunus Rieſius, Cratzenſteinius, alij non vulgaris notæ. Sparrius in palude latens periculum evaſerat, niſi fuiſſet à ſuo morione proditus. E Cæſarianis peditibus occiſi magno numero, equites fugâ ſibi conſuluêre.

Suecis ereptum Lichtenavium.

Catholici cæduntur, vicissim et cædunt.

LXVI.

Hæc dum aguntur ad Norimbergam, Rex, quicquid habuit copiarum in univerſis imperij ſtativis, juſſit convenire in Franconiâ, indéque iter Norimbergam

Gustavus copias contrahit in castra Norimbergensia.

gam maturare. Eam ob rem Ochſenſternius Sueciæ Cancellarius profectus Herbipolim, Legiones, quas Chriſtianus Birckenfeldius è Rheni confinio adduxerat, accepit: Wilhelmus Weinmarius è Turingiâ & Magdeburgico Archiepiſcopatu; Bannerus & Bernardus Weinmarius à Danubio vires non exiguas Kitzingam traxêre. Adfuêre etiam Wilhelmi Haſſiæ Landgravij auxiliares. Saxoniæ Septemvir, aliquid ſuppetiarum addixerat: ſed quicquid urgeret Rex, ipſéque Brandeburgicus Elector ſuaderet de faciendâ generali conjunctione Proteſtantium, communíque omnium ad bellum apparatu, adduci Saxo non potuit, ut iret in Regis ſententiam; videbat enim, Regem de ſubigendo Imperio, vel perpetuando bello potiùs, quàm de quiete & Germanorum libertate cogitare.

LXVII. MORS AUGUSTI SULTZCENSIS. Auguſtus Sultzbacenſis Regis internuntius, Wintzheimij paulò pôſt vivere deſijt. Ex tot tantíſque ſubſidijs, Kirzingæ contracta fuêre quindecim legionariorum, equitum verò novem millia, grande Suecici exercitûs incrementum. Hi Mœno trajecto, Winsheimium, inde Neoſtadium ad Aiſcham, denique per Bruckam ad Regis caſtra pervenêre. Crevêre Succis, ex tanti roboris acceſſione, animi, ſed crevit ſimul rerum, pabuli præſertim, inopia.

PUGNA VELITARIS. Ergo Guſtavus recentibus utendum ratus, prid. Cal. Sept. pro caſtris aciem inſtruit certus manus conſerere. Verùm res ſtetit intra velitationem, Cæſarianis pugnam detrectantibus: quippe quibus viſum tutius, hoſtem cum fame morbíſque, qui jam tum in Guſtavi caſtris, & in ipſa civitate graſſabantur, committere. Ex eâ velitatione Bannerus, trajecto glande plumbeâ brachio, diu æger decubuit. Nocte inſequente Guſtavus octodecim muralium machinarum ſuggeſta conſtruxit.

GUSTAVUS OPPUGNAT CASTRA MAXIMILIANI. Mox ubi diluxit, cœpit Maximiliani caſtra loco paulò editiore ſita fulminare. Pilas majores projecit ut minimùm octingentas ſine noxâ, quieſcentibus intra valla Bavaris.

Quare Guſtavus deſperatâ, ex eâ parte, caſtrorum expugnatione, exercitum in Furtenſem agrum transferre conſtituit. Sed dum in eo eſt, ipſi adfertur fama, Catholicos exercitus diſceſſum moliri, paucóſque, qui reſiſterent, à tergo eſſe relictos. Exploratores fefellerat aliqua caſtrorum mutatio, quorum ſpatium fuerat aliquantum contractum. Rex ergo eâ deceptus denuntiatione, fidenter ad valla quaſi deſerta progreſſus, vim jubet parari, Succóſque ad ſuperanda munimenta ſpe ſecuritatis accendit.

ACRE CERTAMEN. Regis errorem valida pro aggeribus propugnatorum manus detexit. Certamẽ diſſuaſêre Regi ductores, ſed ſeriùs: utpote cùm jam nec tutus ei videretur receptus, nec honeſtus. Dies erat tertius ante Nonas Septembres. Acerrimus ergo exoritur conflictus, cœptus abs ſcloporum procellâ eousque horrendâ, ut cælum terráque pariter miſceri viderentur. Conſtat ex Succorum diario, ipſos in eo certamine ad ducenta plumbearum glandium millia jaculatos. Catholica caſtra munitiora reddebat loci acclivitas. In primam Succorum impreſſionem fortiter extra vallum, à Maximiliano juſſi incurrere equites Bavarici, cepêre primo ſtatim incurſu Leonardum Torſtenſonium, Ericum Handium Chiliarcham lethali vulnere ſauciatum, & gregarios magno numero deleverunt. Et jam Succorum ordines inclinabant ad fugam, cùm Rex ipſe conflictum inſtauravit, ductis, quæ per vices in pugnam ſuccederent, legionibus. Perſeveravit pugna horas omnino decem, facto ab horâ ante meridiem octavâ initio.

LXVIII Erat ad Rednizium fluviolum lucus non magnâ planicie à Catholicis caſtris diremptus. Per eam planiciem erumpebant Catholicæ legiones. In eo luco ſtatuerat in ſubſidijs Guſtavus ad ſeptingentos ſclopetarios & nonnihil equitatus, qui Catholicorum erumpentium latera impeterent. Equites Sueci, Tribunô, qui iſthic curabat, ſecundùm tibiam transfoſſo, mox ſtationem deſeruêre: verùm fugientes reduxêre ad certamen Finnones auxiliares: utrique rurſus acti in fugam, ab auxiliari Tribuno collecti, ſeſe fortiter in Bavaricos infuderunt,

JACOBUS COMES FUGGERUS OCCUMBIT. quibus laborantibus commodùm adfuit Jacobus Comes Fuggerus Chiliarcha Bavaricus. Hîc certamen recruduit incredibili pertinaciâ, donec Succi malè multati pedem retulêre: Fuggerus inſtans fugientibus, dum ingenti animo invehitur in ſclopetarios, ictus glande lethiferâ, delatúsque in manus hoſtium, ex ho-

honeſtiſſimo vulnere generoſam efflavit animam. Ergo, cùm nec Suecus Catholicos è caſtris, nec Catholici Suecos è campo, juſto prælio ſubmoverent, datum ſignum receptui. Memorant nonnulli, in eo conflictu quater mille Suecos cecidiſſe: alij cladem minuunt medio numero: vulneratorum multitudo occiſorum calculum longè ſuperavit. In demortuorum cenſum venêre è Suecis Boëtius ſupremus ordinum Magiſter, Burtius Tribunus, legionum Legati duo. Vulnerati Roſteinius Chiliarcha, quaterni item Comites, Erbacenſis, Eberſteinius, Caſtellenſis, Turrianus. Occubuêre è Catholicis, præter Jacobum Fuggerum, Ferrandus Carrafa, aliquot minoris nominis ductores, manipulares non pauci. Joannes Baptiſta Chieſa, Salisburgi, vulnus acceptum curans, fato conceſſit. Mirum dictu, quanto animo atque induſtriâ ſapientis imperatoris partes egerit Maximilianus, toto iſto certamine, ſubmittendis, ubi res urgebat, ſubſidijs, ſtationes obeundo, medias inter pilarum procellas partiendo legionibus imperia.

Nocte, quæ proximè ſecuta eſt, munijt Guſtavus ſua caſtra novis operibus. LXIX. Dies exinde ſequentes nihil habuêre memorabile, præter miſerorum direptiones, quibus Sueci, ne amicis quidem parcentes, ad ipſos uſque Norimbergæ hortos ſuburbanos, armentis rebúſque cæteris abripiendis erant valde infeſti. Premebat videlicet prædatores cibariorum ingens inopia, & ventris eſurientis latratus, qui omne vetantis Regis imperium ſuperabat.

In nova iſta caſtrorum Furtenſium ſtatione cùm ad uſque 14. Cal. Octobr. Guſtavus perſtitiſſet, poſtquam acceptæ clades, morbi, ejus copias inſigniter minuerant, refixis tandem ſignis, ſuorum jacturâ mœſtus, acie explicatâ, ſpectante utroque Catholicorum exercitu, movit ad Aiſcenſe Neoſtadium. *Gustavus a Norimberga discedit.*

Mirabitur poſteritas, Catholicos usque eò fuiſſe ſuæ ſtationis retinentes, ut neque juſtâ acie, cùm liceret, decernere, neque hoſtilibus caſtris vim inferre, neque ullum omnino, qui abeuntium poſtremos ſaltem carperet, vel interciperet tardiores, emiſerint; cùm tamen, uti poſtea hoſtes ipſi profeſſi ſunt, numero diminuti, & fame ſemineces, in caſtris ante auxiliariorum adventum facilè obrui, & tandem trepidi ac confuſi in ſuo abitu debellari potuiſſent. Finxêre aliqui, Catholicos veritos eſſe abeuntium inſidias: ſed quas illas in patenti planicie? Alij, timuiſſe vim apertam: certè tanta fuit virtus, tanta multitudo & alacritas fortiſſimi militis, ut nihil magnopere à diſcedentibus, qui pro ſemivictis habentur, eſſet metuendum. Quid ergo? obſtitit Fridlandi cerebroſa obſtinatio adverſus Maximiliani & Tribunorum ſententiam. Eo invito, non expediebat Maximilianum quicquam moliri in præſens, neque erat tutum in poſterum, ut ne offenſus, captâque, quam meditabatur, ſui ulciſcendi occaſione, belli ſocietatem prorſus abrumperet. Non defuêre, qui ex tanto rei benè gerendæ neglectu colligerent neſcio quam ipſius cum hoſte colluſionem. Certè in ipſis caſtris à Galliæ Legato fuerat Maximilianus admonitus, ne nimiam fidem haberet Fridlando, clandeſtina cum Sueco conſilia agitanti. Et mirum fuit, illum pati noluiſſe, ut auxilijs ex Imperio ad Suecica caſtra venientibus ullus obex moráve objiceretur. Has ſuſpiciones vehementer firmabant haud dubia ſigna animi adhucdum exacerbati in Maximilianum, & nuperæ offenſæ veſtigia, perpes propè rebus in omnibus judicij repugnantia, inhumanitas, contemptus barbaricus, & tam frequens quidem, ut è caſtris reducem Maximilianum audierim Oetingæ veteris dicentem duobus, qui felicem ipſi reditum gratulabantur. *Ego verò* (verba ſunt ipſiſſima) *à Fridlando bene mortificatus redeo.* Iſta videlicet fuit ſacra, ſi Dîs placet, anchora, ad quam calumniator noſter ſcribit Maximilianum profugiſſe. Et anchora quidem, quæ navim non præſtaret in portu ſecuram, ſed in medijs tempeſtatibus fluctuantem moraretur, & fortè conaretur demergere. Quicquid tandem rei fuerit, invito ac reclamante Maximiliano, Fridlandus hoſti diſcedenti quatridui ſecuras concedi voluit, conceſſitque reipsâ, inducias, quò tutiùs ſe ille periculo ſubduceret, hoc etiam lætus, quòd tantorum exercituum tantos labores ſumptúſque deluſiſſet.

Cur Catholici prælium detrectarint: hostem non fuerint insectati? LXX. LXXI.

A Norimbergenſibus, poſt ipſius abitum, petivêre Catholici deditionem; ſed ſtetit res intra minas & repulſam. Cùm enim Rex civitati Kniphuſium cum quater mille quingentis legionarijs, & aliquot turmis equitum impoſuiſſet, nihil præter obſtinatæ cum hoſte ſocietatis reſponſa, potuit impetrari, eò maximè quòd Rex ſpopondiſſet ſe majora ſubmiſſurum auxilia, ſi quid gravius in urbem tentaretur.

Catholici abeunt a Norimberga. Maximilianus reverſus in Bavariam. Fridlandus movet in Saxoniam.

LXXII. Quare ne, dum iſthic temporis jactura fieret, hoſti ſpatium pro arbitrio graſſandi concederent, 9. Cal. Octob. incenſis caſtris, vaſtatóque circùm Norimbergenſium agro, Cæſariani unáque Bavarici junctis agminibus diſceſsêre. Coburgo occupato, & arce fruſtra tentatâ, diverſis caſtris ſejuncti, Maximilianus quidem reverſus eſt cum Boicarum copiarum parte ad Danubium, Fridlandus verò per Miſniam fineſque Bohemiæ movit in Saxoniam. De viâ Lauffam ad deditionem, Suecicum verò præſidium adegit ad ſigna Cæſaris, & lytrum obſidéſque civitati imperavit: Greiffenbergam, auſam contumaciùs obſiſtere, ferro, direptione, denique flammis excidit: Veldam & Hersbrucum intercepit. Sulzbaco cives aliquot abduxit, juſſis cæteris, quod ipſis adhuc ex ſuperioribus cladibus rerum ſupererat, Ambergam convehere: tandem per Weidenſem & Egrenſem agrum pervenit in Saxoniam. Eò jam præceſſerat Galaſſus cum aliquot armatorum millibus, & bellicarũ machinarum juſto apparatu. Is, ſub ineuntem Octobrem, Wonſidelâ & Rebnizio igne vaſtatis, Zwickaviam, Holckij operâ ſubactam, deditione ſubegit. Altenburgum mox dedit manus, admiſſo Cæſariano præſidio, emptáque direptionis immunitate: ſed inde pòſt paulò cùm præſidiarios avocâſſet, licentiâ militari diripuêre ſuburbia, & aliquas oppidanorum domos.

Galaſſus Freibergam occupat.

Galaſſus exinde accitis Holckij copijs, Freibergam domuit. Cùm enim Lœſerius, qui locum tuebatur, muri parte jam æquatâ ſolo, actíſque cuniculis, vim ad oppugnationem paratam advertiſſet, Idib. Octob. ad vitandum civitatis, quod Galaſſus fuerat interminatus, ultimum excidium, pactâ avehendorum impedimentorum licentiâ, vexillis armíſque ſuperioribus depoſitis, cum bis mille ferè peditibus & ducentis equitibus, diſceſſit. Civibus, ne expilarentur, centies mille Ferdinandici; Septemviro, ne avorum ſepulchra, quæ iſthic ſunt, violarentur, octogeſies mille, lytri nomine impoſiti. Secundum hæc Cæſariani ad Albim verſi, Miſnam omni præſidio vacuam invaſerunt: omnémq; latè regionem prædis incendiiſque vexavêre. Subinde Fridlandi acceſſione grandiora mala inundârunt Saxoniam. Neoſtadium ad Orlam diripuêre Croatæ: Kala pariter fuit expilata, Salfeldæ concremata ſuburbia, incolis paſſim diffugientibus.

Saxoniæ calamitas.

LXXIII E diverſo Arnheimius in Sileſiâ Saxoniæ Septemviri Legatus rem adhuc proſperè geſſerat, occupatâ per nocturnam irruptionem Gloggoviâ, unde fuêre pulſi trans Viadrum in ædem principem & propugnacula Cæſariani, coactíque paucis pòſt diebus facere deditionem. Iidem Steinacum amiſêre, quod paulò pòſt recepêre. Succeſſit Steinacenſe prælium, in quo Saxones, Tubadelij Suecico auxilio, victores, Cæſarianos Preslaviam verſus fugavêre, non receptos tamen à Preslavienſibus, quòd Suecorum partibus apprimè faverent. Glaza exinde, Oppela, omníſque propè Sileſia, Cæſarianis fuit erepta.

Sileſia a Saxonibus ſubigitur.

Arnheimius redit in Saxoniam.

Verùm cùm Saxonia viciſſim premeretur, Elector, cui ſalus domeſtica potior erat calamitate exterâ, Arnheimium unà cum legionibus aliquot revocavit in Saxoniam, juſsítque minorem copiarum partem ſub juniore Daniæ Principe & Tubadelio in Sileſiâ relinquere. Atque ad eum quidem modum, Cæſareus exercitus Saxonis Provincias, Saxonicus Cæſarianas atterebant, dum exteri, in alieno graſſantes, ex alieno diteſcerent, & perinde ex amicorum atque hoſtium detrimentis ſuos fines ſtuderent proferre.

Guſtavus invadit Rainam et Landspergam.

LXXIV. Sueciæ Rex interea, partito Winsheimij exercitu, Bernardum Weinmarium amandavit in Franconiam: ipſe verò cum reliquâ copiarum parte movit in Bavariam, & trajecto per Donawerdam Danubio, Rainam nuper à Bavaris recuperatam,

tam, cæſis aliquot Croatarum Centurijs, ſub Octobris initium, Landſpergam verò 17. Cal. Novemb. deditione recepit.

Maximilianum inter hæc conabatur Fridlandus pellicere in Saxoniam, quaſi Suecus diſceſſu Maximiliani à Bavaricis finibus foret avertendus. Verùm hic, Fridlandi fidem moresq; ſatis expertus, maluit ſuis ditionibus, ſiſtendo hoſtium arma, opem adferre, eo præſertim tempore, cùm Auſtriæ ſuperioris agreſtes rurſus ſpectantes ad rebellionem, facilè Boicam inferiorem poſſent infeſtare. Egit igitur cum Fridlando, ut, quò firmior foret in Guſtavum Regem expeditio, tantum Cæſariani militis mitteret in Bavariam, quanto ipſe, nullo Cæſaris incommodo, in Saxoniâ poſſet carere. Sed ille, re moroſè expensâ, id duntaxat in ſpeciem conceſſit, ut Aldringerus, qui totus ex ipſius Fridlandi nutibus, geniòque pendebat, cum aliquo numero Maximilianum comitaretur in Boicam, & eâ quidem lege, ut Pappenheimius cum valido exercitu, eòque formidando, ad Fridlandum accederet, omninóque ipſius ſubeſſet imperijs. Conditionem accepit Maximilianus, ſervavitque cum fide, juſſo Pappenheimio ad Fridlandum iter maturare: verùm quàm malignè, fraudulentérque contrà egerit Fridlandus, palàm eſt ex ijs, quæ ſecuta fuerunt. Nam poſt id pactum, cùm Bavaricæ copiæ Palatinatum ſuperiorem jam attigiſſent, mox vetuit Fridlandus Aldringerum cum Cæſariano milite traijcere Danubium, quod perinde erat, atque ſi vetaret opitulari Bavariæ. Paruit Aldringerus. Eo factum, ut nihil memorabile tentatum fuerit adverſus Comitem Palatinum Birckenfeldium, graſſantem in Boicâ. Et iſta quidem fuit prima fraus: ſequitur altera. Priori mandato obtenderat Fridlandus, quòd nondum ipſe Pappenheimium haberet ad manum, ac proinde pacto adhuc non teneretur. Adfuit cum ſuis Pappenheimius maturato, quantùm licuit, itinere. Ergo, cùm jam is foret in Fridlandi auctoritate, Maximiliano ſcribit, poſſe eum deinceps pro arbitrio, Aldringero imperare. Quis de iſtâ denunciatione niſi malignè potuiſſet ambigere? Jam ergo credebatur res proceſſura. Agit ergo Maximilianus cum Aldringero Neoſtadij, jubétque cum copijs ad ſe adverſus hoſtem properare: vix juſſerat, cùm Fridlandi litteræ Aldringero redduntur, quibus eum jubebat, retrò cum copijs ſe confeſtim Egram referre. Morem geſſit Aldringerus. Tandem, ut ternarius numerus doli abſolutionem impleret, Fridlandus tertium comminiſcitur: Cùm jam rei bene gerendæ tempus eſſet elapſum, hoſtiſque damna ingentia rei Boicæ attuliſſet, jubet, Aldringerum reverti in Bavariam; id agebat videlicet, non ut opem ferret, ſed Boicam Cæſariani militis hibernis perinde atque hoſtis exhauriret. Demum venit Aldringerus, hoſpes futurus, non adjutor, qui tamen reijci non potuit, ne hoc ipſo Fridlandus ab omni prorſus ferendi auxilij cogitatione, ſe per talem repulſam dejectum fuiſſe oſtenderet. — FRIDLANDI MALIGNITAS. LXXV.

LXXVI. Inter hæc Chriſtianus Birckenfeldius, latè Monachio vicina deprædatus, clade aliquot Bavaricis centurijs ad Landishutum illatâ, decimo calendas Novembris, litteras per tubicinem miſit in urbem, quibus denunciabat fore, ut, niſi brevi reliquum addictæ nuper redemptionis pretium repræſentaretur, ipſe Regis juſſu, majore vi exigeret, ſtatueretque geminum exemplum excidij Magdeburgici, quæ minæ erant Suecis familiares, ſi quando ſuprema malorum per cædes atq; incendia denunciabant. Poſt iſtas minas adduxit ſuas copias in civitatis conſpectum ad civium terrorem, qui tam atroci denunciatione ad majorem animorum & conſiliorum conjunctionem adducti, cùm alioqui ad obſiſtendum eſſent tenuiter admodum inſtructi, confugêre ad Cœlitum Regiham, patronam tutricémq; urbis, voto nuncupato, cives ſupplices ejus honori annuam obituros ad ædem Oetinganem peregrinationem, ſi præſenti periculo eriperentur. Mox remiſſo ad Ducem tubicine, incumbunt in conficienda pro mœnibus jam affecta propugnacula, atq; in eum ſtatum communi operâ ac ſedulitate erigunt, ut Birckenfeldius irritus, Auguſtam diſcedens, legiones ad Hœchſtettam, equitatum verò Lechhuſij juſſerit habere ſtativa. Is, antequam veniret Monachium, — BIRCKENFELDIUS VEXAT BAVARIAM.

 legio

legio Tribuni Hiſpani in primores ipſius phalanges incidit prope Pfaffenhovium: pagus eſt alterâ à Monachio leucâ: poſt acre certamen, cùm reliquus Birckenfeldij exercitus immineret, Hiſpanus numero nimiùm quantùm impar tantæ multitudini, coactus eſt ſignum dare receptui. Aicham recepêre Bavari, exacto Suecorum præſidio: Rainam admotâ obſidione tentârunt: ſed hiemis rigore prohibiti, ſimul deſerti ab Aldringero, quem Fridlandus poſt Luzenſem cladem ad ſe citârat in Bohemiam, re infectâ diſceſsêre.

LXXVII. Bavari fruſtra Rhainam obſident. Landspergam, Ginzburgum, Caufburam occupant. Maximilianus venit Oetingam.

Iidem Landſpergam, Suecis ſeſe victorum arbitrio dedentibus, gregarijs ad Boica ſtipendia receptis, datisq; in cuſtodiam ductoribus, recuperavêre. Inde transmiſſo Lyco delati in Sueviam, Ginzburgum, inſigne Ulmam inter & Auguſtam præſidium, prætereaq; Kaufburam redegêre in ſuam poteſtatem.

Tandem tempeſtate ad hiemis rigorem exaſperatâ, Maximilianus Elector, copijs in hiberna diſtributis, ſub exeuntem Novembrem, Oetingam veterem conceſſit, Deiparæ patronæ ſuæ votivam gratiarum actionem pro incolumi in Boicam reditu ſoluturus.

Illuc Eliſabetha Maximiliani Conjunx, ipſo S. Catharinæ feſto, præceſſerat. Ipſa, per octo circiter menſes Salisburgi, dum Maximilianus in caſtris bello daret operam, tota ſeſe effundebat in comprecationes & cætera officia religioſæ pietatis, affectâ licèt, ex recurrente identidem febri ephemerâ, valetudine. Binas plerumque, ternas, aliquando quaternas horas ante meridiem, niſi febris ægram lecto affigeret, dabat orationi: à meridie rurſus ſe abdebat in ſacrarium aſſiduè pro mariti ſalute ſollicita.

LXXVIII.

Per id temporis, mirum eſt, quanta ſinceræ in Deum religionis documenta dederint Salisburgenſes non modò cives verè ad optima quæque proclives ac cerei, ſed etiam regio circùm univerſa. Eorum virtutem accendebat præſentia prodigioſæ D. Virginis ſtatuæ Oetinganæ, quam Eliſabetha ab Oetinganis Canonicis commendatam, ſecuritatis causâ, eò detulerat. Primùm illam, frequentiſſimâ ſupplicantium ſerie ſplendidóq; apparatu ex Æde Metropolitanâ Paris Archiepiſcopus inter ulnas, Collegio Archiepiſcopali aulâq; cum inſigni reverentiâ comitante, detulit eo cultu ac veneratione, qui permultis veras pietatis lacrymas excivit. Ducta fuit ſupplicatio ad templum Patrum Ordinis Eremitarum D. Auguſtini, quod eſt in Mulheimiano Salisburgi ſuburbio, reductáq; eâdem celebritate in ædem Principem, ubi ad uſque ſeneſcentem Novembrem manſit cultui publico expoſita. Eam celebravit frequentiſſimus totius Provinciæ concurſus etiam ex locis remotioribus, unde ducti fuêre innumeri propè ſupplicantium ordines. Ingens fructus extitit in ſacris tribunalibus peccata expiantium, & ad divinam menſam animos reficientium; cùm nemo propè eſſet, qui non cœleſti epulo paſtus domum reverteret, ita ut totos propè dies omnia Confeſſariorum ſubſellia in Principe etiam templo obſiderentur à pœnitentibus, vixq; fieri poſſet ſatis tantæ multitudini. Tandem cùm Eliſabetha Oetingam repeteret, Paris Archiepiſcopus, pro conſtanti ſuo in Deiparam affectu, ejusdem Iconem, Oetingam, quantâ fieri potuit magnificentiâ & veneratione, eſt proſecutus. Ipſa quoq; Electrix Eliſabetha ejuſce pompæ pars magna eſſe voluit, quam ex urbe diſcedentem, & Lauffâ, ubi pernoctârat, civium agmina feſtiviq; tormentorum fragores, quos Burghuſini fuêre æmulati, egregiè honeſtârunt.

Salisburgenſium pietas in Deip. Virginem.

LXXIX.

Atque ad eum quidem modum ſacra iſta effigies ipſo VII. ante Cal. Dec. die, in priſtinam ſedem cum ingenti populorum, qui Oetingam confluxerant, gaudio & gratulatione fuit reſtituta. Eòdem, uti jam dixi, pòſt paulò redux Maximilianus, votis perſolutis, ineunte Decembri, cum Eliſabethâ totâque Aulâ Brunovium, firmum ad Oenum flumen Bavariæ præſidium, conceſſit.

Hiſpanorum expeditio in Palatinatu inferiore.

Dum in ſuperiore Germaniâ res eo, quo recenſui, modo gererentur, Hiſpani, ſe poſt Regis Sueciæ à Rheno diſceſſum pronam rei bene gerendæ occaſionem nactos arbitrati, è Belgio, cum tredecim circiter millium exercitu, & novem machinis curulibus, ductu Embdani Comitis, aperto jam Vere, Moſellam trajecti,

Kir-

Kirchbergam in Obrincanis, pòſt Simmeram, deinde Boppardiam ad Rhenum, ſuperiorémque Weſaliam recuperavêre. Franckenthalenſes ſuorum propinquitate atque progreſſu animoſiores Neoburgum ſubegêre.

Sueciæ Rex, non ferens ſe Rheni poſſeſſione eijci, per ſuum Cancellarium, cui provinciæ iſtius procurationem cum ſummâ poteſtate demandaverat, evocato Chriſtiano Birckenfeldio, qui tum adverſus Oſſam laborabat, peditatum juſſit in Moguntinis munitionibus, equitatum verò, quò foret ad excurſiones promptior, extra urbis mœnia collocari.

Primus utrarumque copiarum congreſſus ad Ulmam inferiorem (oppidulum eſt duarum horarum à Moguntiâ itinere) Hiſpanis adverſus fuit. Lucas enim Caierus, qui Suecos eo loci incogitantes opprimere ſtatuerat, cùm incidiſſet in paratos ac vigilantes, cum clade conjectus fuit in fugam. Eâ in fugâ quatuor equitum centuriones cecidêre, captus Antonius Aleurius Cajeri generalis adjutor, unà cum duobus alariorum præfectis, & ſex ſignis equeſtribus.

Verùm Hiſpani novis aucti copijs, quas Philippus de Sylvâ Franckentalio, & Philipſburgo ſubmiſerat, reſumptis animis, Spiræ Nemetum obſidionem eâ celeritate admovêre, ut interclufis Suecorum ſuppetijs, ineunte Majo, Hervertum urbis gubernatorem, ad deditionem compulerint, nullâ civium factâ in pactis mentione. Hinc fuit ſecuta ſuburbanorum direptio & vaſtitas, veniâ civitati factâ, ſi octoginta Imperialium talerorum millia in vicem expilationis atque incendiorum ſolveret. Ad eam pecuniam Hiſpanis acceſſit magna rerum, à vicinis in urbem velut in aſylum comportatarum, præda. Iſthic loci menſem unum, per otium, quieverunt.

Interea Princeps Auriacus in Batavis validum exercitum eduxit in Belgas: quo factum, ut non Embdanus modò à Rheno, ſed Corduba etiam à Treviris, ad quos jam venerat ſuppetias, ad Belgij auxilium revocarentur.

Accidit etiam, ut ſub id temporis Argentoratenſes, pro eo atque Reitingero ſe facturos oſtenderant, in Sueciæ Regis protectionem concederent, pacti, ſe cum nullo Guſtavi hoſte commercium, tractando, agendòve, habituros: ſuis impenſis ſuſtentaturos Argentinæ præſidium: adjuturos Regem, quantum res civitatis paterentur: militi Suecico per pontem, pérque ipſam urbem manipulatim tranſitum permiſſuros: omnia urbis Argentoratenſis præſidia, loca, aditus, exitus, Succis fore omnino aperta: recepturos etiam, ſi res poſceret, à Rege præſidium: pretio daturos Succis annonam etiam ex penu urbicâ, ſi à privatis ære comparari non poſſet: miniſtraturos arma certo numero, menſtruámque ad bellum collectam: & belli quidem omne imperium ductúmque fore penes Regem. Quò verò ipſe haberet pignus ſtudij obſervantiæque in ſe ſingularis, per Joannem Nicodemum, qui fœdus iſtud conciliaverat, miſère Guſtavo, ſi Cluverio credimus, tres turmas equitum, unicam alij memorant. Iſta verò erat Germanica civitatis auguſtalis nullis preſſæ anguſtijs in Imperatorem Romanúmque Imperium fides. Contigêre hæc ſub menſem Junium.

Fœdus Argentoratensium cum Suecorum Rege. LXXXI

LXXXII.

Paulò antè meminimus, quâ causâ ad Fridlandum Pappenheimius juſſus fuerit à Maximiliano accedere. Juvat nunc ipſius in inferiore Saxoniâ hujus anni expeditiones revocare in memoriam. Huc uſque præcipua aliqua Provinciarum præſidia retinuerat, ex quibus cætera regionum haberet in poteſtate. Inter illa, Stada, à quâ depulerat nuper obſidionem. Sed cùm finitima omnia civitáſque ipſa gravi annonæ penuriâ premerentur, jámque hoſtium vires eouſque excreviſſent, ut, ſi quæ confligendi occaſio naſceretur, copijs in diverſa diſtractis præſidia, impar hoſti eſſet futurus, ſi ad ſupremam aliquam dimicationem adigeretur; paſſus eſt Maximilianus eum Stadam miſſam facere, & quidem, ſi quâ fieri poſſet, tradere Regi Daniæ, ne veniret in Suecorum manus. Verùm Danus, ne ſe bello involveret, oblatam Stadæ curam cum gratiarum actione recuſavit. Ut igitur Pappenheimius gratum civitati faceret, ſub naſcentem Majum, Senatui, pro tam longi contubernij officijs atque humanitate gratias

Pappenheimius Stadam deserit.

tias

tias habuit, ſimul condonavit quina Ferdinandicorum millia, quæ antè, velut diſceſsûs ſui honorarium exegerat: excuſavit etiam, quam ex Cæſarei edicti præſcripto inchoârat id loci religionis emendationem: tandem redditis Senatui urbis clavibus, commendatiſque civium charitati debilibus, quos ob ægritudinem ſecum nequibat abducere, quaſi intra menſem rediturus, acceptâ unicâ ex civitatis armamentario murali machinâ, cùm aliquas oppilatas oſcillâſſet, cum univerſis copijs atque impedimentis, per Werdam & Rotenburgum diſceſſit.

WOLMARSAM, MINDAM, &c. INVADIT.

Bremervordam cum aliquâ ſuorum jacturâ fruſtra tentavit: Wolmarſæ & Mindæ, quas Haſſi, ejus adventu territi, deſeruerant, præſidia impoſuit: delectus Haſſicos, & quicquid unà erat veterani militis, Drengelburgi, Witzenhuſij, Alendorfij & Pſchwegæ profligavit.

LXXXIII.

Ex Haſſiâ iter intendit per Eichsfeldiam, ubi Duderſtadium invaſit, indéque converſus ad Viſurgim, ſociatis Comitis Gronsfeldij copijs, Volcmarſæ, quam oppugnabant Haſſi, conatus ferre ſuppetias, ſeriùs, urbe jam deditâ, adfuit: adfuit tamen tempeſtivè, ut urbis victores acie vinceret. Eodem enim propè momento, quo illi civitatem occupaverant, cùm adhuc in proximo campo conſiſterent potiſſimæ cohortes, univerſim quatuordecim, comperto imminere Pappenheimium, præmiſſis, quantâ potuêre celeritate, impedimentis, in colle ad ſylvæ marginem inſtruxêre aciem, & primum quidem Pappenheimiæ phalangis impetum excepêre fortiter, ſed virtute & numero longè ſuperati, fugam cepêre per ſylvam. Fugientes morata eſt ducta per ſaltum foſſa, quâ factum, ut centurijs aliquot ab inſequentibus oppreſſis, captis permultis, cæſis longè pluribus, ſex tormenta, novem vexilla, venerint in manus Pappenheimij. Qui cladi ſuperfuerunt, refugêre Caſſellas. Exinde movit Calenbergam, quam Sueci, ductore Baudiſio, id temporis coronâ cinxerant. Fuerat huic arci antea conatus auxilium adferre Gronsfeldius; ſed nonnullis è quatuor, quas ducebat, legionibus, deſideratis, repulſus à Suecis pedem retulerat. Pappenheimius ergo ſolvit obſidionem, hoſtibus, qui tum quidem octo legionariorum, quatuor alariorum millia ſub ſignis habebant, Hildeſium ſe recipientibus. Eos Pappenheimius eveſtigio ſecutus, è Mauritiano ad Hildeſium monte vim aliquam oſtentavit, ſed quia caſtrorum Suecicorum, & tantæ civitatis expugnatio multum temporis exigebat, poſt unicam cum Finnonum equitatu velitationem, ducentis circiter amiſſis, caſtra movit Gronaviam. Cùm parùm iſthic ad rei ſummam facturus videretur, ſi Calenbergam præſidio munitam retineret, milite inde evocato, arcem juſſit ſolo æquari.

HASSOS PROFLIGAT.

SUECOS PELLIT A CALENBERGA.

QUAM SOLO ÆQUAT.

Sub idem tempus Gleenus Chiliarcha ex caſtro Peinenſi centum quinquaginta præſidiarios Wolfenbutam deduxit, quibus Luneburgicus ſucceſſit in caſtrum. Steinbrucum pari modo relictum Sueci occupârunt.

LXXXIV.

TRAIECTO FERT SUPPETIAS.

Porrò Pappenheimius, trajecto ad Pollam Viſurgi, in agrum Colonienſem, atque inde ad Hiſpanorum caſtra Trajectenſia duxit ſuppetias. Trajectum præclaram ad Moſam Belgij civitatem Batavi, Principis Henrici Friderici Auraici auſpicijs, arctâ premebant obſidione. Incommodum acciderat, quòd Henricus Comes Montanus id temporis ab Hiſpanis defecerat, eo quidem obtentu, quòd ab ijs contemptim haberetur. Hinc nata inter ductores Hiſpanos & Germanos æmulatio, intérque ipſos manipulares ſimultas, cùm non eſſet, qui pro poteſtate & gratâ utriſque authoritate rebus præeſſet, nec facilis unius Archiſtrategi, quem utrique optarent in tam diverſo nationum ſtudio, delectus. Marchio Sancrucius aliquoties Batavos ab obſidione dimovere in caſſum tentaverat: & Belgij plurimùm intererat, ſervari tam egregiam, tantique momenti civitatem. Ad hoc opis & operæ, magnis Iſabellæ Hiſpaniarum Infantis promiſſis Pappenheimius inductus, Maximiliani Electoris injuſſu (quippe qui nunquam bellum augere, Batavos laceſſendo, voluit) hanc ſuſcepit expeditionem. Prima illi contentio adverſus Hiſpanorum invidiam, tantæ rei decus extero & adſcititio homini oblatum iniquè ferentium; ſecundus labor in Batavos, tot obvallatos propugnaculis

gnaculis & aggeribus, ut propè eſſent inſuperabiles. Ipſe nihilominus, mox ut caſtra Hiſpanorum attigerat, gemino ponte Moſam ſternere, utrique defendendo adijcere munitiones, annonam Batavis, commeatúmque ſtringere. Ardua prorſus viſa eſt, Hiſpanis præſertim improbantibus, hoſtilium caſtrorum expugnatio: ne tamen quicquam ſineret intentatum, conſtituto, ut Hiſpani ad oppugnationem præeunti ex adverſo caſtrorum ſuccederent, ipſe à fronte, Comitis Stirumij ſtationem cum duabus primùm legionibus, deinde cum univerſo Bavarico peditatu, quem firmabat equitatus à tergo, tantâ vi eſt aggreſſus, ut Batavi intra loricas compulſi, Pappenheimio ſuam ſtationem perinviti cederent. Etjam ſpes erat eos planè profligandi, ſi pari fortitudine Hiſpani ſimul in hoſtem impreſſionem feciſſent. Sed maluerunt eſſe tragici certaminis ſpectatores, ídque cum Pappenheimianorum amaro ludibrio ſarcaſmísque, inclamantes Germanico idiomate pecuniam, pecuniam, quaſi Pappenheimio mercenariam operam exprobrarent. Ergo Batavi, visâ Hiſpanorum ceſſatione, copias ijs reprimendis deſtinatas duxêre in Pappenheimium, qui ab Hiſpanis deſertus, ſuperatúsque Batavorum multitudine, deſperatâ loricæ duplicis expugnatione, coactus eſt ſignum dare receptui, amiſſis ſupra mille quingentis; quâ in dimicatione fuit & ipſe glande majuſculâ ſecundum ventrem perſtrictus. Faſſi fuêre Hollandi, quòd ſi juſtâ acie, in patente campo, cum Pappenheimio manus conſeruiſſent, futurum fuiſſet, ut ille reportaret non dubiam victoriam. Ergo Trajectenſes, rebus deſperatis, ſeſe hoſti permisêre, pactâ Catholicæ religionis libertate. LXXXV. *Gelr, Gelr.* Cladem accipit.

Pappenheimius igitur fruſtratus ſuâ ſpe, cum rei fortiter actæ gloriâ diſcedens è Belgio, Rheno transmiſſo, Baudiſium à Padebornæ primùm, deinde ab Hœxariæ obſidione depulit, Wolfenbutenſibus miſit ſubſidia per Merodium, qui Georgij Ducis Luneburgici copias ad Wolfenbutam luculentâ ſimul clade affecit, multis occiſis, captis octingentis, detractis ſex vexillis, & duobus modi mediocris curulibus machinis. Hac erectus victoriâ Pappenheimius redijt Hildeſium. Baudiſius urbi, tametſi vaſtæ, exiguum præſidiariorum numerum reliquerat, ratus, Pappenheimium recentis repulſæ memorem nihil porrò moliturum ad ejus expugnationem: ſimul multum ſpei collocârat in civibus ferocis alioquin & pugnacis ingenij. Et illi quidem ſe oſtendêre initio ad propugnandum alacres; verùm ubi reportata de Luneburgicis ſigna conſpexêre, cùm nulla foret, aut longinqua ſpes tempeſtivi auxilij, Baudiſio gemino ſolutæ obſidionis dedecore perculſo, ſeſe permiſere Pappenheimio, pactâ ducenties mille Ferdinandicorum redemptione, Lutheranorum ſacrorum incolumitate, contubernióque bis mille Bavaricorum præſidiariorum. Juſſi præterea cives, pro modo facultatum, collectam pendere, montem Mauritianum reddere priſtino ſtatui, Monaſteria reparare, Monachis damna, Jeſuitis ſua bona, Canonicis proventus reſtituere, Waldam munitionem inſtaurare, annonam ad Wolfenbutenſes avehendam præbere. Cædit Luneburgicos. Occupat Hildesium. LXXXVI.

Ex eâ rerum Hildeſij mutatione magni in Saxoniâ ſecundâ motus exorti, pleriſque metuentibus, ne ſimili fortunâ, quæ tam bellè militi Bavarico arrideret, tandem & ipſi premerentur. Eam ob rem Hanoverenſes, factâ conſpiratione, ſeſe ad ultima quæque comparantes, edicto caverunt, ut, ſi quis de admittendis Boijs vel mutiret, is ilico capitis ſupplicio lueret: ut ſuburbana ædificia, horti, ſepimenta, diſijcerentur: præſidium urbicum equitum & peditum juſto numero compleretur: Brunſuicenſes, mille quingentos; Magdeburgenſes jam velut redivivi, quot nimirum ſatis forent ad ſuam defenſionem, intra mœnia reciperent. Tantus erat terror Boici exercitûs. Interior Saxonia trepidat.

Verùm Pappenheimio jam res non erat neque conſilium de occupandâ ſecundâ Saxoniâ, ſed de Miſniâ, quò à Maximiliano jubebatur Fridlando feſtinare ſuppetias. Ergo Hildeſienſi provinciâ Comiti Gronsfeldio commendatâ, duxit in Eichsfeldiam, inde Mulhuſium, quod ipſum coegit ad deditionem: Longam Salzam cum ingenti rerum eò comportatarum prædâ invaſit: Thenſtadio abduxit ternos conſules: expilavit Crucibergam, cúmque Merſburgi Salam trajeciſ- LXXXVII. Pappenheimius invadit Mulhusium. Loca alia.

ſet, Bavaricas copias Fridlando fortunæque deinceps adverſæ ſociavit, poſt tot palmas, & rerum ſecundo Marte geſtarum ingentem gloriam.

Fridlandus Lipsiam invadit.

Ejus auxilio Fridlandus firmior, Lipſiam Cæſarianorum juxtà ac Bavaricorum cladibus memorabilem, obſedit ſub Novembris initium, occupavitque ijs legibus, ut ſalvo, quod ipſa deberet Saxoniæ Electori, obſequio, Cæſariano militi deinceps non obſiſteret; ipſa viciſſim, ubi primùm arx feciſſet deditionem, omni Cæſariano præſidio nudaretur. Ergo ſupererat arcis, quam Saxonicus miles tuebatur, expugnatio. Eâ paucos intra dies ad deditionem compulsâ, Lipſienſes juſſi arma tradere, pendere lytrum quinquagies mille talerorum Imperialium, referre in indicem, quicquid Norimbergenſes, Auguſtani, aliæ civitates Suecicarum partium, in mercibus aliiſque rebus, ob ſolennium nundinarum mercatum Lipſiæ valde celebrem, haberent depoſitum. Miles interea Fridlandicus in Miſniâ & Saxoniâ ad Albim liberè graſſabatur. Hallenſes præſidio omnique propugnationis ſubſidio nudi, Pappenheimio in manus venêre, arce Mauritianâ, quæ civitati eſt adſita, deditionem detrectante. Ejus expugnationem jam parabat Pappenheimius, cùm de properandis Fridlando auxilijs mandata accipit.

LXXXVIII.

Gustavus Rex contendit in Saxoniam.

Rex enim Guſtavus, relictâ Bavariâ, & ope Suecis, qui velut obſidione premebantur, Lauffam ſubmiſsâ, per Norimbergam & Sylvam Turingicam progreſſus, junctis Arnſtadij cum Bernardo Weinmario copijs, poſt captam bidui quietem, Non. Novemb. motis caſtris, cùm Erfurti Reginæ conjugi, velut eam poſtremùm in hâc vitâ viſurus, vale feciſſet, Naumburgum ingreſſus ſine vi, 5. Id. Novemb. ad Altenburgum Salam cum equitatu transmiſit, peditatum per Keſſeranum pontem trajecit. Dehinc, cognito Fridlandum tendere Lipſiam; per Weiſſenfelſam 17. Cal. Decemb. Luzam pervenit, ubi Fridlandum aſſecutus, locum fecit cruento prælio poſteris memorandum. Eodem iſto die cùm cognôſſet ex captivis Croatis, Pappenheimium cum aliquot legionibus diſceſſiſſe à Fridlando, non expectato duce Luneburgico, quem ſemel, iterum ad ſe feſtinare juſſerat, pugnæ copiam facere inſtituit.

Prælium Luzense.

Fridlandus viciſſim, comperto, Guſtavum id loci conſtitiſſe, ad pagum Rippacum inſtructâ acie ſe comparavit ad conflictum. Res eo die ſtetit intra velitationem ad usque noctem concubiam, utriſque de Rippacenſi ponte contendentibus. Noctem uterque exercitus egit in acie, ut mox albeſcente cœlo pugnam integrarent. Interceſſit denſa nebula, quæ antemeridianum ſolem obnubens, mutuum aſpectum pugnaturis ademerat. Fridlandus arbitratus Sueciæ Regem ante Luneburgici ſubſidij adventum non conſerturum manus, Pappenheimium tantiſper à ſe dimiſerat. Verùm comperto rem in eo eſſe, ut confligeret, citatis equis Pappenheimium de totâ re monitum, juſſit absque morâ cum Bavaricis omnibus ad caſtra feſtinare. Nebula Fridlando ſpatium dedit, quantum ſatis eſſet ad inſtruendam aciem ad Luzæ dextram in aperta planicie. Vertit in ſuum commodum viam regiam foſſis hinc & hinc impeditam, arboribúſque

LXXXIX.

ſecundum margines conſitam: quà Lipſiâ itur in ſuperiorem Germaniam. Dextrum aciei cornu tredecim tormentis, regiæ viæ marginem ſeptenis communivit. Utraque acies erat in binas alas, & agmen medium diviſa. Fridlandus Luzam, ne ex eâ parte à Suecis peteretur, flammis dederat. Prælij ſeriem narrant variam, prout cuique relata. Ne accuratè omnes eandem referrent, vetuit ingens præter morem caligo ex denſâ nebulâ, quæ mutuum etiam conſpectum legionibus reddebat ita obſcurum, ut vix ſe niſi è propinquo internoſcerent. Referam, quæ viſa ſunt ex conſentientibus plurium commentarijs vero propiora. Primum, idque peracre certamen fuit ad viam regiam, quam tuebantur protecti à foſſa Fridlandici ſclopetarij, quibus denique pulſis, Sueci ſeptenis machinis potiti ſunt. Inde vi adverſus ſiniſtram Cæſarianorum alam conversâ, duæ phalanges loco motæ, tum à tertiâ & quartâ ſuſtentatæ, Suecos cum clade non mediocri retuderunt, recuperatis, quæ paulò antè amiſerant, ſeptenis tormentis. Tredecim,

quas

quas dixi, Fridlandicæ machinæ, ad velarem moletrinam ex editiore loco fulminantes in Suecos, phalangem unam malè multatam cum ſtrage loco moverunt. Reſpondebant viciſſim Suecicæ fulminationes. Viæ regiæ foveæ arboreſque, impreſſiones Suecorum reddebant lentiores, & laxabant interdum ordines. Suos ut ad ſuperandum id obicis exemplo Rex traheret, ipſe phalangem duxit in hoſtes, repreſsitque obſtantes: verùm dum ſuâ manu confligit, vulnus in lævo brachio grave accipit, & copioſo perfuſus ſanguine animo penè linquitur. Memorant adfuiſſe Saxonem Albertum Lauenburgicum, qui nuper à Cæſare ad hoſtem tranſierat; & ſolum prope Guſtavum conſtitiſſe, petijſſe verò Regem, ut extra pugnam educeretur. Id moliente per fumum nebulámque Alberto, eductóque Rege paulùm extra ordines, incidiſſe in equitum Cæſarianorum manipulum, qui in utrumque invecti, Regem ignotum duplici vulnere, altero per medium pectus, altero per caput confectum ſtratúmque confecère. Alij volunt ante prælium occiſum, unà cum uno prætoriano equite; alterum verò ſtipatorem lethali vulnere ſauciatum, tantiſper ſuperfuiſſe, dum Regis caſum referrer, cujus indicium Regis equus cruentus in aciem recurrens, jam antè Bernardo Duci Weinmario feciſſet. Fertur autem Prætorianus, antequam expiraret, retuliſſe, Regem duobus equitibus duntaxat ſtipatum proceſſiſſe extra ordines, ut coràm Fridlandi aciem inſpiceret, & ab Cæſariano equite fuiſſe interfectum. Quiſquis tandem mortis ipſius modus, authórue fuerit, Bernardus Weinmarius aciei regendæ munus ſuſcepit. Tantùm porrò abeſt, ut ex vulgatâ Regis nece dejecti fuerint Suecorum animi, ut etiam dolore ac furore velut amentes accenſi fuerint ad vindictam. Ergò, incrudeſcente pugnâ, ſiniſtrum Cæſarianorum cornu fuſum à Suecis & Finnonibus. Hos rejecère ad uſque impedimenta Croatæ: qui & ipſi ab incumbentibus Weinmarij, Bulachij & Golſteinij ſubſidijs ilicò fuère repreſſi. Inter hæc, ſigna reliqua acriter committebantur. Cæſarianos tredecim tormentis ad velarem moletrinam exuit Bernardus Weinmarius, Kniphuſius reliquis ſeptenis fuit potitus, quibus omnibus in Cæſarianos libratis ſtragem edidêre. Denique Fridlandi acies cœpit fluctuare. XCI.

Pappenheimius à Fridlando juſſus adeſſe, cùm ſuos, qui ante acceptum mandatum in prædas erant effuſi, contrahere omnes nequiret, quotquot habuit ad manum quantâ valuit celeritate, ſecum traxit ad pugnam, cùm victoria jam propè eſſet deſperata. Eorum adventu erecti Cæſariani, integratis ordinibus, in hoſtem invecti, amiſſa tormenta recuperant, & hoſtilibus aliquot potiuntur. Protractum fuit prælium ad ipſam uſque noctem tanto utrinque ardore, ut cùm jam tenebræ diſcrimen amici atque inimici tollerent, plurimis hinc atque illinc cadentibus ancipiti victoriâ, demum cædibus fuerit abſtinendum. In poſtremo iſto congreſſu Pappenheimius, inter magnos ſui ſæculi heroës meritò referendus, pugnans generoſiſſimè pilâ è minore tormento ad renes ictus, ex vulnere, poſt horam mediam, in rhedâ, quâ Lipſiam erat vehendus, intellectâ Regis Guſtavi necce, plenus gaudij mortem oppetijt, quæ præcipua cladis acceptæ pars fuit, ſpéſque ingentes rei Catholicæ intercepit, ſublato bellatore in paucis forti, felici, ſapiente, imperterrito, centenas ut minimum palmas promerito, qui totidem, ex vulneribus pro ſalute communi acceptis, habuit in corpore cicatrices. Fridlando datum eſt culpæ, quòd eum, tanto impendio, labore, periculo, & ſalutis publicæ detrimento, tam procùl evocatum, cùm jam Sueci in vicino eſſent, à ſe amandârit. Nec ſuâ notâ apud cordatos caruit, quòd idem iſte, cùm nihil prorſus urgeretur, campo cedens victoriam hoſti, rei communi ingentia damna, Cæſari juſtas iraſcendi cauſas reliquit. XCII. PAPPENHEIMIUS OCCUMBIT.

Cæſa hâc die novies mille utrinque referuntur. Abbas Fuldenſis fuit ex eorum numero, ſed pugnæ innoxius ſpectator. E Cæſarianis Tribuni tres Foüeſius, Lanius, Weſtrumius, totidem legionum legati Taxheimius, Lambertus, Camerhoſius. Ex vulneribus poſt pugnam deceſsêre Comites Berchtoldus Wallenſteinius, Brunerus ſenior rei tormentariæ ſupremus Magiſter, & Comargus Chiliarcha: plures addunt aliqui. Sauciorum magnus fuit numerus.

E Suecis præter Regem cecidêre Uslarus ordinum Magiſter, Geſtorffius, Wildenſteinius, Nicolaus Brahe Chiliarchæ, Erneſtus Princeps Anhaltinus, Turrianus, Schlickius, Winckelius, Wellius, alij.

XCIII. Amissa Lipsia. Noctis beneficio Fridlandus cum ſuis ſe recepit Lipſiam, atque inde Zwickaviam. Senatui Lipſienſi civitatis claves reddidit Holckius, paucis præſidio relictis: Pleſſenburgi defenſioni ducenti fuêre attributi. Non longè pòſt, Sueci ſtratagemate Lipſiam ingreſſi, quicquid iſthic Cæſariani militis remanſerat, trucidârunt. Pleſſenburgum, adulto Decembri, cùm ad eam diem fortiter reſtitiſſet, Saxoniæ Septemviro fuit redditum. Sub anni ſequentis initium, Bernardus Weinmarius, poſt arctam obſidionem, à Barone Suiſſæo honeſtis conditionibus Zwickaviam expreſſit.

Fridlandus, copijs ad hiberna dimiſſis, Pragæ ſeveram de ſuis exercuit quæſtionem, qui cladis Luzenſis auctores fuiſſe credebantur, è quibus undecim capitis affecti fuêre ſupplicio. Eam ſeveritatem quidam fuêre interpretati, quaſi Fridlandus ſuam culpam alieno ſanguine expiâret.

Werthius rem feliciter gerit in hostem. Joannes Werthius, adulto Autumno, cùm Suecorum aliquæ copiæ à Danubio ſe ad Rhenum reciperent, Ochſenſternij Sueciæ Cancellarij turmam ſic cæcîdit, ut octo duntaxat ex ea equites cladem evaſerint. Idem Comitem Hohenloum ab obſidione Herriedenſi depulſum, menſe Novembri luculentâ clade affecit. Hoſtem deinde rurſus ante diluculum 17. cal. Janu. ad Herriedam aſſecutus, magnam vim equitatûs, multis in veſtigio obtruncatis, captis permultis, decem ereptis ſignis militaribus, cum magnâ jumentorum & ſarcinarum prædâ, duobúſque tormentis, profligavit. Tres quoque equitum vexillationes, unà cum tribus peditum cohortibus, Norimbergâ Anſpachium moventes, delatæ poſtridie in diſpoſitas à Werthio inſidias, à paucis fuſæ, Anſpachium uſque fugatæ cum clade fuerunt, duobus centurionibus, totidémque vicarijs in captivitatem abductis. Werthius continuato per inſequentem noctem itinere, cum equitatu & aliquo peditum numero, fugaces inſecutus, XIV. Cal. Janu. tres legiones unámque turmam equitum ad deditionem coëgit.

XCIV. Benfeldæ, Colmariæ, Hagenoæ, Selestaii, Franckentalii deditio. Ad hunc annum ſpectat jactura Benfeldæ egregij in Alſatiâ præſidij, quod poſt longam obſidionem Guſtavus Hornius ſub Novembris initijs in Suecorum poteſtatem redegit. Similem ſortem ſubijt Seleſtadium, circa medium Decembrem. Colmarienſes præſidio Cæſareo partim necato, partim capto, eodem menſe ſe Suecis dediderunt. Hagenoa, rebus ad obſidionem repellendam neceſſarijs deſtituta, ijſdem manus dedit XI. Cal. Janu. Franckentalium item ab Hiſpanis ineunte Decembri deditum.

Obitus Leopoldi Archiducis in Tiroli. Sigismundi Regis Poloniæ. Friderici Com. Palatini. Leopoldus Auſtriæ Archidux, Princeps togatâ prudentiâ, fortitudine militari, zelo religionis, inſignique in Deum pietate verè magnus, hoc anno, Idib. Septemb. magno Tirolis mœrore & orbis Chriſtiani luctu, rebus humanis fuit ereptus. Eum ſecutus eſt ad vitam immortalem Sigiſmundus Poloniæ Rex V. Decemb. ſincerè pius, felix, magnanimus, rebúſque pro Regno & religione geſtis clariſſimus. Fridericum Palatinum Comitem proſperis adverſiſque in paucis exercitum, malignus morbus III. Cal. Decemb. Moguntiæ ſuſtulit.

BOICÆ

BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS III.
LIBER XVIII.

An. M. DC. XXXIII.

Ingolſtadij grave periculum : Ratisbona à Duce Bernardo Weinmario occupata : Briſacum obſidione liberatum : variæ clades exercitûs Bavarici : Landſperga expugnata, direpta.

SUecorum potentia, quam Regis morte plurimi credebant inſigniter minuendam, evaſit hoc anno ex Proteſtantium & fœderatorum conſociatione, non Germaniæ modò, ſed finitimis etiam Principibus formidanda.

Res bello geſtas priuſquam aggrediar, paucis exequar, quæ de pace fuerunt agitata. Ejuſce ſtudium conciliationémque in ſe ſuſcepit Daniæ Rex Chriſtianus, interpres inter partes medius, tantò creditus fore impetrabilior, quantò ſe præbebat concordiæ, cum Cæſare nuper initæ, obſervantiorem. Minùs ſuſpectum Suecis reddebat ſacrorum ſocietas; Cæſari verò non improbabilem, inveterata cum Suecis de finibus diſſenſio, & nonnulla æmulatio. Ille igitur ſcriptis ad Cæſarem litteris oſtendit, libenter ſe conciliatoris partes acturum, ſi quidem Sac. Cæſ. Majeſtati ita videretur. Eodem argumento ſcripſit ad Saxoniæ & Brandeburgi Septemviros, & Oxenſternium Sueciæ Cancellarium, cui à Regno demandatum erat pacis, bellíque arbitrium. Placuit Imperatori Ferdinando Regis conſilium, nec videbatur diſplicere Oxenſternio, ſi tamen priùs Principes, Ordinéſque fœderati, rebus cum Franciæ Rege communicatis, de pacis legibus deliberarent. Huic deliberationi dictus eſt menſis Martius, locus Hailbrunna. Eò confluxêre frequentes Proteſtantes, unáque Manaſſes Comes Baſſæus Feſquerius Regis Galliæ Legatus, & Cancellarius Ochſenſternius. Miſêre etiam ſuperioris Auſtriæ Acatholici ſuum Oratorem, qui conſcientiæ (ut vocabant) preſſuris, quibus ſe angi querebantur, à Comitio peteret laxamentum. Ochſenſternius, in primo congreſſu, multa de Guſtavi Regis in Germaniam meritis, próque vindicandâ Germanorum libertate exantlatis laboribus, præfatus; cohortatus eſt Principes atque Ordines, capeſſerent ſolida de firmando inter ſe fœdere conſilia, ne- I. Comitium Proteſtantium Hailbrunnæ. II.

que paterentur ſe à communi defendendæ libertatis conſpiratione divelli, niſi reſtitutis in integrum Principibus, Imperij legibus ad uſum revocatis, & repræſentatâ Succicæ Coronæ ſatisfactione: ſtatuerent etiam, an non è re publicâ foret, Cæſarem, ejúſque fœderatos, hoſtes declarare, & habere, donec Ordinibus, quos affeciſſent injurijs, ipsíque Sueciæ Coronæ feciſſent ſatis. Ne porrò præterirent curam, conſultationémque de exercitu comparando, de ſtipendijs, annonâ, armorum directione, militari diſciplinâ, ceteróq; belli apparatu. Tandem, ſi quidem Sueciæ Corona de cætero videretur in belli ſocietate retinenda, decerneret ejuſce belli cancellos, qui ut minimùm includerent obligationem mutuæ defenſionis, præſertim, ſi quæ vis nova adverſus Sueciam oriretur. Cudebantur videlicet non finiendi, ſed proferendi belli conſilia. Hæc ſuâ ſuffragatione inſigniter promovit Feſquerius, quaſi Proteſtantium interitus jam foret in foribus, niſi voluntatibus, viribúsque conſociatis, ſuæ ſaluti fortiter ac maturè proſpicerent. Eapropter cogitandum etiam atque etiam de novis delectibus, de Legionibus complendis, fovendis, ſtringendíſque arctiore nexu antehac initis, atque in primis cum Sueciæ Regno, fœderibus, quorum ope hoſtis ad pacis æquas conditiones non ineundas modò, ſed etiam conſtanter ſervandas, adigerentur; quam ad rem Rex Chriſtianiſſimus eſſet potens auxilium collaturus. Poſt multos conſeſſus, résque ultro citróque agitatas, Idib. April. colligatur novis vinculis belli ſocietas, renovatur fœdus cum Coronâ Sueciæ, defertur belli imperium Oxenſternio, additis ex circulorum voluntate & præſcriptis Legibus, certis Conſultoribus, quos ipſe in rebus maioris momenti in conſilium adhiberet. Super hæc proſcripsêre omnes privatos cum hoſte tractatus citra fœderatorum conſenſionem ſuſceptos, qui ſecus faceret, pro hoſte eſſe habendum. Dictavêre etiam rationes conſcribendorum, alendorúmque exercituum, reſtituendæ diſciplinæ militaris: denique decrevêre Sueciæ Coronæ communi operâ aſſerendam omnium, quæ occupâſſet, poſſeſſionem, donec júſta ipſi ſatisfactio præſtaretur: ad extremum ali debere bellum, quamdiu læſis Principibus damna non ſarcirentur. Ad hoc fœdus, & ferenda auxilia, invitârunt tum Daniæ Regem, tum Saxoniæ & Brandeburgi Septemviros.

III.

Eodem loci 5. Id. April. Franci, renovato ad finem uſque belli, quod Anno M. DC. XXI. cum Guſtavo Rege inierant, cum Chriſtinâ deſignatâ Sueciæ Reginâ, fœdere; ſumptibus belli Germanici addixêre annua librarum Turonicarum decies centena millia, Idib. Maij, & 17. Cal. Decemb. pro Reginæ optione, Pariſijs, vel Amſtelrodami perſolvenda. Caverunt art. VI. ut ne Succi quicquam in locis occupatis ſibi ſumerent, in negotio religionis, citra leges & conſtitutiones Imperij, útque Catholicæ Religionis exercitium ſanctè retineretur, ubicunque in uſu foret repertum, néve perſonis, rebúſve Eccleſiaſticis ulla fieret injuria, quantum præſens rerum conditio pateretur. Art. VIII. fore liberum Regi Chriſtianiſſimo, urgere Ducem Bavariæ, & fœderis Catholici ſocios, ut in Imperio Romano medias partes, diſſidentibus ex æquo amici, retinerent, relictâ tamen libertate Reginæ Sueciæ, ejúſque fœderatis, decernendi in hac causâ, quod pro temporis ratione viſum foret opportunum.

IV.

TURINGIÆ COMITIUM.

Erfurti Turingiæ Ordines ſua quoque habuêre Comitia, in quibus Succorum legato adpromiſerunt, præter ternas legiones & auxilia ſelectorum provincialium, magnam vim pecuniæ, & delectus ad legionum ſupplementa.

V.

FRANCOFURTENSIS CONVENTUS

Finito Hailbrunnenſi Conventu, Oxenſternius Francofurti, coacto ſuæ factionis concilio, egit de conciliandæ pacis legibus: de aggerandis tributis; ſi quæ jam erant indicta, non forent bello paria: quo loco in poſterum eſſet habendus Lotharingiæ Dux, qui videretur moliri hoſtilia. Egit item de Trevirenſis Electoris Neutralitate, de tractatu cum Georgio Landgravio, & Wetteraviæ quibuſdam Comitibus habendo. Verùm, cùm legatorum plerique hiſce de rebus mandata non haberent, rejectæ fuerunt ad Francofurtenſia Comitia anni inſequentis.

In Au-

In Auſtriâ ob Religionis emendationem aliquid fuit diſceptationis; Acatholicis bellum Catholicorum ſacrorum ſanctitati præoptantibus, quo factum, ut è ſuperiore Auſtriâ nongenti circiter ſolum verterent.

Fridlandus formidabilem rurſus exercitum contraxerat: videbatúrque tum in Imperio, tum in Sileſiâ, ubi Suecos atque Saxones armis ſociatis habebat oppoſitos, res magnas geſturus; cùm ipſe, Imperatore inconſulto, Arnheimium, publicâ fide ad caſtra invitatum pellectúmque, de pace compellans, conditiones ſuo Marte atq; ingenio fictè an verè procuſas, propoſuit, ad quas Cæſar, Septemviri, aliíque Principes benignitate vel armis adigerentur. Atque illas quidem memoriæ produnt fuiſſe hujusmodi. Privilegia omnia de integro debere confirmari, exulibus reſtitui poſſeſſiones: condonari damna præterita: Jeſuitas pelli ex Imperio: de præſtandâ Suecicarum expenſarum compenſatione agi oportere: eóſque tantiſper, dum illa repræſentetur, in ditionibus occupatis retinendos, additâ etiam Regum Franciæ & Angliæ ſecuritatis ſponſione: denique exercitus è Rom. Imperio adverſus Turcam eſſe educendos. Ferunt etiam quædam ipſum addidiſſe, quæ ipſius perſonam privatim ſpectarent: videlicet, ſi eum contingeret Bohemiæ Regno potiri, fore ut omnes exules poſtliminio priſtinis redderet poſſeſſionibus, ſanciret Religionis arbitrariam optionem. Comitem Palatinum, quâcunque demum ratione, ſuo patrimonio dignitatíque reſtitueret: ſe verò loco Megapolitani Ducatûs, Moraviæ Marchionatum libenter accepturum: Maximilianum, velut authorem præcipuum nuperæ ſuæ abdicationis, ſe hypothecâ atque pignore, quod ipſi Cæſar in vicem reſtituendarum expenſarum obligârat, prorſus exuturum: ſe denique, ſi utrique exercitui præficiatur, Cæſarem volentem nolentem, ad pacis propoſitæ confirmandas conditiones adducturum.

VI. *Helvic. lib. 22. ad ann. 1633. Lottich. p. 2, lib. 6. c. 1. §. 3.* FRIDLANDI COLLOQUIA CUM ARNHEIMIO.

VII.

Hæc, ajunt, inter Fridlandum, Arnheimium, Borgdorffium tribunum, & Felſium Suecum agitata, propoſitáque Saxoniæ & Brandeburgico Septemviris, reſponſum tuliſſe, in has leges: *Cæſar omnem militem ex Imperio educito: Magdeburgenſi juxtà & Halberſtattenſi Epiſcopatui pro ſe ſuóque filio nuntium remittito: à ſuis Provincijs atque Conſilijs Ieſuitas removeto: Fæderati Catholici ſumptus omnes Coronæ Suecicæ refundunto: Saxoni & Brandeburgico Electoribus, loco impenſarum & damnorum, tota Sileſia conceditor: Religio eſto libera: Cæſar Regni Bohemici parte octies centenûm millium aureûm Saxoni debitorum nomen eluito.*

Verùm, ubi ad rem propiùs ventum erat, Fridlandum, ſcribunt, ultrà tractare recusâſſe, niſi ante omnia Preslavienſis, Schweidnicenſis, & Gloggovienſis Principatus ſibi permitterentur, eóque iſtas deliberationes abijſſe in ventos. VIII.

Hoc ipſo anno Ludovicus XIII. Franciæ Rex Legatos aliquot miſit in Germaniam: unum Viennam, qui Cæſarem hortaretur ad pacem cum Suecis, Electoribus, & Principibus Germaniæ ſanciendam; alioqui Regem Chriſtianiſſimum illorum rebus ope conſilióque conſulturum. Alterum allegavit ad Succiæ Cancellarium, ad Suevici, Rhenenſis utriuſque, & Franconici Orbis Proceres, quibus conſtantem animorum conſenſionem commendaret. Tertio mandata dedit, de quibus ageret cum Saxone & Brandeburgico Electoribus. Quartus Hagam Comitis profectus, fœderatis Belgij Provincijs diſſuaſurus Hiſpanicas inducias: quam ad rem in belli ſubſidium addixit non ordinariam modò, ſed duplam etiam æris Gallici penſionem, auxiliúmque ad reſtituendos Comites Palatinos.

LEGATI REGIS GALLIÆ AD CÆSAREM, SUECOS, ELECTORES SAXONEM, BRANDEBURGICUM, BATAVOS. *Hiſt. de Miniſt. Card. Richel. lib. 10. cap. 2.*

Atque iſta quidem de belli, paciſque conſilijs: redeo ad intermiſſas armorum expeditiones. Faciam à Werthij rebus initium, quas, quia ſeorſim varijs geſſit expeditionibus, ſimul hîc referam, ne narrationis ſeriem alibi interrumpant. Is annum ineuntem auſpicatus à ſtrage hoſtium, annonam cæterúmque commeatum ad Weiſſenburgenſes deducentium. Jam ex Oetingâ inter Colenbergam & Rotenburgum pervenerant, cùm eos Werthius oppreſſit, quingentis peditibus in loco cæſis, captis quadringentis. Seneſcente Januario, aliquot Sperreuteri vexillationes, quæ in agro Elwacenſi hibernaturæ, & novos habituræ delectus ſubſtiterant, profligatas ad inſignem redegit paucitatem. Paulò pòſt legionem

IX. *Litt. data 7. Ian.* RES GESTÆ A WERTHIO

Litt. data 22. Ian. gionem Schaffmanicam ex Bohemis ferè conflatam, Remlingæ, haud longè à Nordlingâ delevit, uno duntaxat Centurione, & Vicario unico vitâ donatis. Adulto Februario, rurſus hoſtem ad Pogum clade luculentâ affecit.

Sub ineuntem Martium Lœwenſteiniam legionem & Brandenſteiniam, quarum hæc ſeptem turmis, illa quatuor conſtabat, paucis admodum fugâ elapſis, *Litt. dat. 8. Martij.* ad Aurbachum cecîdit. Inde, dum adhuc à cæde caleret, cum ducentorum equitum manu, cæteris confeſtim ſequi juſſis, Ebermanſtadium advolans, ex Ducis Weinmarienſis equitatu ſedecim gravioris armaturæ, levioris ſex turmas, acri prælio cæſas, omnibúſque impedimentis, & quingentis equis exutas, egit in fu*Litt. dat. 3. Octob.*gam. Eidem menſis October ferax victoriarum fuit. Primam retulit de Sperreutero, quem Boicis ſpolijs onuſtum, Kaufringæ cum decem equitum vexillis, X. & mille quingentis legionarijs pernoctantem, non ſine cruento certamine devictum, fugâque per paludem, cætero equitatui imperviam, abactum, amiſſis quatuor tormentis cum neceſſario inſtrumento, plurimis tum ductoribus, tum manipularibus occiſis captíſque, devicit. Victori ceſſêre impedimenta omnia, & *Litt. dat. 12. Octob.* magnus equorum numerus. Secundus ipſi adverſus eundem Sperreuterum conflictus fuit circa Octobris diem undecimum. Sperreutero adhuc ſupererant triginta, partim alariorum, partim legionariorum cohortes, quæ à nuperâ pugnâ abfuerant. Eæ ſparſæ per pagos Almoni vicinos conſederant, reparaturæ vires ſociorum auxilijs. Werthius, ne ipſis reſpirandi ſpatium daret, nihil cunctatus, eas putavit primo quoque tempore ex iſta ſtatione movendas. Non latuit hoſtem ipſius conſilium, ſed ad delendam, paulò antè acceptam ignominiam, inſtructâ acie, venientem excepit. Coortâ pugnâ, haud paucis utrinque cadentibus, victoria penes Werthium ſtetit, detractis Sperreutero novem vexillis, ſarcinis omnibus, occiſo Tribuno Steinio, ejúſque Legato, tribus Centurionibus, uno ordinum ſupremo præfecto, & plerisque ductoribus. Unus Legionis Legatus, tres hipparchi, multíque è præfectis minoribus, vivi venêre in Werthij poteſtatem. E Werthianis Tribunus Manteuffelius, qui primores ordines in hoſtem duxerat, unus cohortis vicarius, paucíque gregarij fuêre deſiderati.

Litt. 22. Oct. Vigeſimâ primâ ejuſdem menſis Werthio palmaris fuit. Obſidebat juſſu XI. Maximiliani arcem Aichſtatenſem ab hoſte dudum occupatam. Per id tempus Tubadelij ſuppetiæ in Spaltæ mœnia ſeſe abdiderant, iter poſtridie proſecuturæ. Eâ de re Werthius per exploratores factus certior, cum non magnâ ſuorum manu, reliquis cum Schnetero Tribuno in obſidione relictis, eò contendit. Cùm remiſſiores eſſent Tubadelianorum vigiliæ, per malè cuſtoditam portam in oppidum irrumpens ſub mediam noctem, tredecim exceptis, qui ex muro præcipites evaſerunt, omnes ad unum partim ferro delevit, partim fecit captivos. Fuêre univerſim quatuor turmæ equitum, quarum vexilla Maximiliano curavit offerenda. Secuta exinde Arcis Eiſtadianæ, vigeſimâ ſextâ Octobris, deditio, quæ omni circùm regioni non parùm ad ſecuritatem attulit adjumenti.

Litt. 7. Decemb. dat. Sub ineuntem Decembrem, nova clades hoſti illata. Werthius quindecim turmas, haud procul à Danubio, in nocturnâ ſtatione cecîdit: Breda Colonellus in pago vicino totidem, reliquum equitatum, qui laborantibus ſubſidio accurrerat, ijdem junctis cum Ullefeldo viribus, malè multatum fuderunt. Hinc regredior ad ordinem.

Dum Fridlandus Pragæ in novis delectibus deſudaret, contractâ jam maximâ copiarum parte, Hornius & Bannerus Suecici Ductores, conſociatis viribus, moverunt in Noricum, ubi Aldringerus, accepto ad Bavaricum exercitum ter mille peditum & bis mille equitum, quos Montecuculius adduxerat, auxilio, res gerebat non improſpere. Etenim, recuperatâ Landſpergâ ad Lycum, Memmingam etiam citra vim ſuo deditam arbitrio receperat, exceptâ duntaxat Religionis libertate. Campidonæ deinde ſex armatorum millia admoverat, cæteris copijs in Hornium & Bannerum, qui cum ſedecim millibus Biberacum, lateri fœderatis civitatibus ſuppetias, advenerant, deſtinatis.

Campi-

Campidonam propugnabant Sueci ducenti, unáque cives tantis animis atque pertinaciâ, ut citra vim ultimam ſubigi non poſſe viderentur. Ergo ſub naſcentem annum tormentis muralibus cœperunt verberari mœnia, injici pilæ punicæ, edi juſta muri ſtrages ad portam, quam vocant Monaſterianam, cives præſidio permixti è contrà validè obſiſtere, ipſæ fœminæ viriles indutæ animos, ſaxis, aquâ fervente ſeſe armare. Et jam geminæ turres continuâ arietatione corruerant, cùm Idib. Jan. gravis fit ab obſidentibus impreſſio, quæ cœpta meridie, ad noctem uſque, repreſſis propugnatorum fortitudine ternis inſultibus, producta, tandem cum immani cæde, direptione, & tectorum multiplicibus incendijs finem accepit. Feruntur ad quater mille in eâ expugnatione occubuiſſe.

Hornius è diverſo, Biberaco validâ auxiliariorum manu firmato, caſtra trans Illeram amnem, pugnæ copiam facturus, poſuit. Duobus à Campidonâ milliaribus 14. Cal. Febr. venit in Aldringeri conſpectum, & duas equitum catervas, quæ ſe extra vallum effuderant, cum nonnullorum internecione, fugavit. Aldringerus caſtra foſſâ & aggere ſic communierat, ut impune ab hoſte invadi non poſſet. Quare, eo omiſſo, Hornius Mindelheimium citra vim, Kauffburam verò tormentis verberatam, occupavit. Et jam Campidonæ, poſt bidui arietationem, parte muri ad inſultum proſtratâ, obſeſſi vim ſupremam expectabant, quando cognito, Aldringerum ſeptem à Fridlando legionum acceſſione firmiorem, Lyco trajecto, rectâ tendere in Wirtenbergiam; mutato expugnationis conſilio, properat Aldringero obviam, tum ut eum à Wirtenbergiâ arceret, tum ut ab Rhenenſibus & Franconicis auxilijs medius dirimeret. Ad Lauteram cum primo Suecorum agmine Bavarici, ſine Ductoris imperio, velitari conflictu concurrentes, eorum ordines jam disjecerant, cùm ab Hornij ſubſidio repreſſi, ſeſe recepêre in caſtra. Utrinque dehinc ſolis tormentis certatum, nullo præterea prælio. Hornius inde caſtra movit Zwifaltam verſus & Pfullingam. Aldringerus partem equitatûs miſit ad Lacum Brigantinum, ipſe cum reliquis copijs receſſit in vicina Bavariæ. XIII.

Hornio interea ex Alſatiâ aliiſque locis ſub naſcentem Martium ſuppetias adduxit Rheni Comes. Ex Aldringeri milite per Danubij confinia agebant aliquæ Legiones, velut omni curâ metúque ſolutæ, ſparſimque palantes. Quæ res cùm Hornium advertiſſet, turmis aliquot per Ditfurtum in adverſam Danubij oram transmiſſis, Hiſpanij Legionem oppreſſit, ipsúmque Hiſpanium cum pleriſque ductoribus fecit captivum. Ad Erbachum pariter ſex Bavaricas cohortes, omnibus propè impedimentis exutas fudit, fugavit. Aldringerus viciſſim, copijs trans Lycum contractis, Rainam recepit: iſthic curabant Sueci quadringenti, qui ſubito Bavaricorum adventu territi oppreſſíque, vallis jam occupatis, pars per averſam portam, Donawerdam fugêre, pars, qui reſtitêre, internecione deleti.

Clades Bavaricorum

Rheina ab Aldringero recipitur.

Secundùm hæc Aldringerus cum univerſo exercitu arma vertit ad Lacum Brigantinum, ut Ferienſi Duci ex Italiâ venienti ſeſe adjungeret. Cardinalis Hiſpaniarum Infans Savonam cum quindecim triremibus, quibus vehebantur tria Hiſpanorum millia, magnáque vis ſtipendiorum, appulerat, per ſuperiorem Germaniam Belgio iturus ſuppetias, rebúsque iſthic, cum demandatâ à Rege Catholico poteſtate, præfuturus. Hunc præcedebat Ferianus Dux, ut venienti Alpium clauſtra, aditúmque Germaniæ aperiret.

Bavaricus Exercitus iungendus Feriano Hispanico.

XIV.

Aldringero ad lacum profecto, latè hoſtibus patuit Boica Hornij excurſionibus, quibus plurimi agreſtium rebus omnibus fuêre ſpoliati, plurimi in vinculis abducti. Interea Hornius & Bernardus Weinmarius Donawerdæ collocuti, ſtatuerunt, ſociatis copijs invadere Bavariam, quò Aldringerum è regione minùs patente retraherent in planiorem, & detrectantem ad pugnæ aleam adigerent. Quare Hornio Rainam contendente, Aldringerus jam redux in Boicam, eodem ad avertendum iſtius munitionis diſcrimen iter intendit. Ad eum juſſit Maximilianus Elector Joannem Werthium è ſuperiore Palatinatu cum nonnul-

lo equitatu properare. Aldringerus, comperto, Hornianos Weinmarienſibus ſociatos cum magno bellici inſtrumenti apparatu Lycum trajeciſſe, Monachium, futurus urbi præſidio, & caſtra ſub mœnibus habiturus, ſeſe recepit. Hoſtis è veſtigio ſecutus, non paucos, fatigatione & impedimentorum ſarcinis tardiores,

XV. oppreſſit, laceſſivitque recedentem Aldringerum aliquot velitationibus. Cùm verò juſti prælij copia non fieret, Hornius Landſpergæ expugnandæ provinciam demandat Torſtenſonio ſupremo rei tormentariæ Magiſtro, qui paulò antè è captivitate, in quâ per annum eóque ampliùs Ingolſtadij egerat, fuerat reverſus.

LANDSPERGA A SUECIS INVADITUR.

Ad 15. Cal. Majas manè cis Lycum centeni equites, à meridie, alij atq; alij trans Lycum in Landſpergæ conſpectum ſe dedêre. In eâ curabant centum alarij, trecenti legionarij, exiguum adverſus magnam vim præſidium. Cives nihilominus erant ad defenſionem probè animati. De eorum ſententiâ tubicini, deditionem poſcenti, reſponſum militariter. Quamobrem hoſtis, nocte ſequente, exteriora munimenta, quæ per propugnatorum infrequentiam retineri non poterant, ad Orientem & Septentrionem occupat, auctúsque novis ab Hornio ſubſidijs, ad primam lucem, tormentis murum arietat, jacit globos igniarios magno numero, ſed citra noxam. Obſeſſi ad ultima conjurati, noctu erumpentes, oppreſsâ Schlammerſtorfij ſtatione, cæſis excubijs, hoſte contrà frendente, prædâ onuſti redeunt. Qui in caſtris erant Auguſtani Acatholici, modis omnibus urgebant expugnationem. Quare tantâ diritate cœpêre mœnia concuti, ut in

XVI. colle, quâ parte civitas petebatur, nemini extra hypogæa liceret innoxiè ſubſiſtere. Creſcebat in momenta ardor oppugnantium, remittebant paulatim animi propugnantium. Cives opulentiores ſuadebant deditionem, diſſuadebat miles, & qui inter oppidanos fortunæ tenuioris, quibus nullus ex rei domeſticæ periculo metus. Litem diremit curator pyrij pulveris, cauſatus, ejus inopiâ propugnationem non poſſe continuari. Mittuntur ergo ad hoſtem caduceatores, qui mox reverſi, ab irato Torſtenſonio iniqua omnia referentes, populum militémque vehementer accenderunt: cùm vix ſe abſtineret plebs à temerando Magiſtratu, concurritur rurſus ad arma. Id nonnemo de Magiſtratu conſpicatus, ut erat temulentus, adequitans minaci vultu, ſub pœnâ capitis mandat, armis poſitis, cives ſe domum conferant: ſic nudatam civium ſtationem hoſtis, nocte intempeſtâ, nullo negotio occupat, portas perrumpit, ínque civitatem infuſus trucidat obvios in veſtigio, nullâ ætatis aut ſexûs differentiâ. Matronarum corpora primùm violata, deinde conciſa. Horrorem exaggerârunt tenebræ, pereuntium quiritatus, truculenti ferientium clamores. Duravit laniena ad octavam: dehinc itum in prædam, expilationem, ſcelera omnia. Puellæ aliquæ de alto præcipites evasêre caſtimoniæ diſcrimen: aliquæ, in ſummâ licèt conſternatione, pugnis depulêre milites: aliquæ viros mentitæ induêre arma: aliæ vultus deformavêre ſordibus, aliæ, poſitâ herili ſtolâ, in ſordidis lacernis & centonibus, abjecta obeuntes ſervitia, procorum oculis impoſuêre. Inter reliquas Virgines una eminuit, neque ferro, neque minis, nedum illecebris tractabilis. Hanc cùm

CAPITUR. HOSTIS SÆVITIA.

INSIGNIA CASTIMONIÆ EXEMPLA.

XVII. in eâ ſolicitandâ operam perdidiſſet hoſtis Acatholicus: *Moriendum*, inquit, *tibi eſt, amens puella.* Illa: *Attigiſti votum meum.* Subjicit ſicarius: *Catholicáne es an Lutherana?* exclamantem, *Catholica*, enſe tranſadigit, ferróque intra præcordia condito immolat caſtitati. Quatuor dies tenuit depopulatio: demum portis quà incenſis, quà confractis, propugnaculis disjectis, vitiatis magnam partem turribus, verſa eſt in lugubrem faciem totius forma civitatis.

Movit deinde Hornius Neoburgum. Qui ex Bavaris loco erant impoſiti, aliquot pontis ſublicii, quo Danubius illic ſternitur, jugis poſt ſe dejectis, rati, ſe temerè facturos, ſi civitatis defenſionē obſtinarent, ſeſe hoſti ſubduxêre. Itum ſub hæc Aichſtadium. Civitate potiri non fuit operoſum: in ſubigendâ arce, quæ ſedes eſt Epiſcopi perelegans & munita, in colle, è regione civitatis, plus fuit ponendum operæ. Obſeſſa illa, & per decem ipſos dies æneis concuſſa machinis, fecit deditionem & annonæ non exiguæ jacturam. Tota Provincia, graviſ-

BAVARICI NEOBURGUM DESERUNT. AICHSTADIUM CUM ARCE HOSTI DEDITUR.

graviſſimis cōcuſſionibus ac tributis, prædis denique & expilationibus, colonis profugientibus, redacta propè eſt in vaſtam ſolitudinem.

Per id tempus, Ingolſtadium perfunctum eſt non exiguo periculo, quod varios deinde dedit ſermones. Joannes Philippus Cratzius Comes Scharpffenſteinius rerum bene geſtarum famâ illuſtris, à Maximiliano Electore Gubernator præcipuo iſti Boicæ præſidio erat impoſitus, eò quòd ille invidiâ Fridlandi oppreſſus, alibi uſui eſſe non poſſet, niſi cum manifeſtâ æmuli ſui indignatione, & aliquo rei Bavaricæ incommodo: tametſi nobiliorem exercendæ virtutis campum in caſtris fuiſſet habiturus, vir fortis & ad egregia quæque facinora expeditus. Verùm obſtabat implacabile Fridlandi odium, qui fatali in ipſum æmulatione ejus incremento, quâcunque valebat arte, obſtruebat. Simultas ortum habuerat ex Cratzij quibuſdam in Fridlandum, nondum ad ſupremam fortunam evectum, verbis liberioribus, & ſpecie quâdam contentioſæ altercationis & contemptûs. Hæſerat id dedecus altius Fridlandi animo, quàm ut aliquot annorum diſſimulatione oblitteraretur: neque latebat Cratzium malevolentia, quæ creſcente Fridlandi potentiâ, indies magis magiſque veniebat in apertum. Ergo Maximilianus, ut Cratzij incolumitati, Fridlandi verò quieti conſuleret, cenſuit tantiſper, dum fors rem componeret, utriuſque divortio litem eſſe ſopiendam. INGOLSTADIUM PERICLITATUR. FRIDLANDI IN CRATZIUM ODIUM.

XIX. Cratzius lubens volens Ingolſtadio præfectus, paulatim faſtidire muneris ſui anguſtias: quiritari, ſe injuſtè premi Fridlandi inſectationibus, ſuam fortunam intra unius munimenti valla compingi: circumſpicere modos emergendi. Certè poterat, quocunque ſe conferret, cum dignitate occupari. Videri tamen voluit ad Regis Poloniæ obſequia aſpirare: nec obſtitiſſet Maximilianus, niſi ſecuta illius ad hoſtem defectio id propoſiti corrupiſſet. Dum ergo ſuam ſortem ægro verſat ac reverſat animo, Weinmarius Danubium cum exercitu transmiſſus, creditus eſt ducere in ſuperiorem Palatinatum. Habebant id temporis ex ejus copijs aliquæ Neoburgi ſtationem. Cratzius ſive ſeriò, ſive ex ficto eas cogitaret ex improviſo opprimere, duos curſores emittit quaſi accerſiturus ab Aldringero, qui exercitui cum poteſtate præerat, auxilia, ad ſubitam aliquam impreſſionem. Poſterior è curſoribus Cratzij tubicen, pridie Pentecoſtes, quæ decimaquinta Maij agebatur, ſub veſperum paulò antequam portæ clauderentur, conſcio ac jubente Cratzio, egreſſus eſt. Is inſcius an volens, venit in manus Weinmarij. Nocte concubiâ, non procul ab Ingolſtadio, viſi ſunt caſtrenſes foci collucere, ſignum militis vicini. Hinc ſuſpicio hoſtilis molitionis. WEINMARII EXPEDITIO. ACTA INQUISITIONIS INGOLSTADIANÆ.

XX. Jam hora poſt mediam noctem ſecunda labebatur, cùm ad Ingolſtadij portam adſunt bini equites, renuntiantes adeſſe à Comite Aldringero, qui & ipſe mox venturus ſit unà cum Ridbergio Comite, petitas ſuppetias quinque legionum, quas oporteat per civitatem in adverſam Danubij regionem ponte urbico transmitti, atque Neoburgum properare: & adeſſe quidem Comitis Cratzij tubicinem cum ipſis legionibus. Quâ de re Cratzius factus in arce certior, traditis portarum clavibus, jubet exactè equites examinari, & tubicinem intra mœnia recipi. Emiſſus cum tribus ſclopetarijs manipuli decanus, diligenter ſciſcitatur, qui, & unde ſint, aut quorſum velint. Illi quæſtionem longiorem indignati, reſpondent, ſe eſſe Cæſarianos à Comite Cratzio accerſitos adverſus hoſtem, id teſtaturum Cratzij tubicinem. Tubicen confeſtim vocatus, hoc ipſum affirmat. Interim Weinmarianæ legiones in propinquo ſubſtiterant. Gliſcebat inter excubitores rumor nec vana ſuſpicio fraudis & hoſtilitatis. Tubicen cùm gnaviter ſuam perſonam ageret, poſceretque Cratzium vocari ad Aldringeri & Ridbergij colloquium; alij adderent, properè ſe recipi debere in tutum, eò quòd à tergo premerentur ab hoſte: Weinmarianos enim infeſtis ſignis imminere, & jam cladis aliquid intuliſſe, tandem ab excubiarum præfecto juſſi ſunt iſti collocutores, ipſéque tubicen recipi in extimam vigilum ſtationem, & diſtineri, donec aliud Cratzius ſtatueret.

XXI. Id ubi tubicen notavit, equo in gyrum ducto ſeſe cum ſocijs ab Ingolſtadio avertit; cúmque è vallis vigilum ad arma concurſan-

tium fremitus audiretur, & quidam dicerent, videri adeſſe hoſtem, tormentíſque petendum; tota Weinmarij agmina, diductis in laxum ordinibus, quò minùs paterent ictibus machinarum, paulatim diſpalata ſunt. Geſta hæc ipſo die Pentecoſtes, antequam diluceſceret. Eo ipſo die Cratzius ſcripſit ad Maximilianum, ſe heſternâ die, cognito, hoſtem cum equitatu movere in ſuperiorem Palatinatum, à Comite Aldringero Campiductore binis litteris aliquot ſclopetarios equites, recuperando Neoburgo, petijſſe. Et miſiſſe quidem priores litteras per equitem. Cùm verò præter ſpem nullum reſponſum acciperet, amandâſſe ſuũ tubicinem cum epiſtolâ ejusdem exempli, ut alter ſaltem nuntius perveniret ad Aldringerum. Et hunc quidem prope Meringam interceptum: haud dubiè ex ijs, quas deferebat litteris, hoſtem cepiſſe occaſionem cum aliquo equitatu & peditatu, nocte præteritâ, per Danubij marginem veniendi in conſpectum mœnium Ingolſtadienſium, & petijſſe in urbem admitti, eo commento, quaſi à Comite Ridbergio mitteretur, ipſe verò Comes Feldkirchij, nonnihil quietis capturus ſubſtitiſſet, brevi tamen ſecuturus. Quò probabilior foret ſtratagemati ſpecies, hoſtem adduxiſſe ad portas Cratzij tubicinem, admotóque ad tergum ſclopo adegiſſe, ut diceret, adeſſe militem Aldringeri. Ergo ſe petijſſe mitti in arcem, ad ſe ſcriptam mandati militaris ac legitimæ miſſionis teſſeram, & à ſe reſponſum expectari, moris enim non eſſe, ne amicis quidem arces, niſi oſtenſis mandatis, noctu aperire. Hoſtem cùm nihil ejusmodi præſtaret, ilicò abijſſe. Viſos porrò eſſe ignes nocturnos, qui indicio ſint, nondum hoſtem moviſſe in Palatinatum. Se ſanè, ſi inimicorum conſilium habuiſſet aliquâ ratione perſpectum, eoſdem ſic fuiſſe excepturum, ut de cætero iſtiusmodi tentamenta eſſent omiſſuri.

Litt. Cratzij ex Cancell. bellicâ.

XXII.

Inter hæc paſſim per urbem (ut ſunt ſuſpicioſa hominum ingenia pronáque ad ſequiores interpretationes) gliſcebant diverſa colloquia de genere periculi, quod tanti momenti munitio evaſiſſet, de forma ſtratagematis, de auctoribus, de reſponſis, & modo excubiarum, tandémque etiam de ſuſpicione alicujus cum hoſte intra ipſa mœnia colluſionis. Admiſcebantur vera falſis, certa ambiguis; verbo, Ingolſtadium ſcatebat rumoribus, nec dubium erat, quin de re totâ exacta quæſtio juſſu Maximiliani foret habenda. Ergo Cratzius, vigeſimâ quartâ Maij, dat ad Maximilianum litteras, ſe rebus neceſſarijs adigi ad rogandam honeſtam miſſionem, primùm quidem, ut ſibi in Bohemiam ad ſua bona liceat proficiſci, illa enim intolerabilibus exactionibus exhauriri, ſe luce clariùs advertere, ſuam fortunam de induſtria ab æmulis vexari, eâ de causâ, quòd Maximiliano eſſet auctoratus: deinde ſibi fixum eſſe, ſi quidem in caſtris uſui eſſe non poſſit, aleam tentare in Poloniâ, atque illic eas comparare dotes, quibus inſtructior, Deo dante, ad Maximiliani ſervitia poſſit reverti: ſe enim ſatis agnoſcere, ſuâ causâ exercitum Maximiliani à Cæſariano non poſſe ſeparari. Rogare ſe quàm demiſſiſſimè veniam ponendi commiſſam gubernationem, & cum gratiâ abeundi.

Eiuſdem litt. ex Cancell. Bellic.

XXIII. Quartâ poſt die, quæ fuit Maij vigeſima octava, non exſpectato, ad priores, Maximiliani reſponſo, alteras dat in hanc ſententiam. Sperâſſe ſe quidem tantum ſuperfuturum temporis, ut poſtulari poſſet reſponſum ad nuperas de licentiâ abeundi in Bohemiam. Rebus tamen cogentibus urgeri ſe, ut maturet iter, ob graves præfectorum & ſubditorum concuſſiones, quæ in ſuis poſſeſſionibus per manuum injectionem, aliáque ſeverioris executionis pericula indies invaleſcant, niſi ipſe coràm idonea remedia adhibeat. Cùm igitur in morâ ſit periculum, ſe confidere, fore ut Maximilianus non ægrè accipiat, ſi ipſe profectionem uſque eò neceſſariam, nondum acceptâ abeundi licentiâ, feſtinet: eò præſertim, quòd nihil tum ab hoſte eſſet Ingolſtadio metuendum, ubi omnia jam eſſent redacta in eum ordinem, ut nihil defuturum eſſet vigiliarum induſtriæ & defenſionis, ſi quis caſus incideret.

De

De ſuâ miſſione egiſſe ſe cum Haimbhuſio Septemviralis ærarij conſiliario, & rogâſſe, ut Maximiliano referret, ſe, ſi in caſtris occupari nequeat, ſperare non fore Electori ingratum, ſuæ ut fortunæ in Poloniâ proſpiciat, donec ad Maximiliani caſtra rebus omnibus inſtructior, poſſet reverti, & ſervitia quàm poſſet optima præſtare.

Maximilianus penultimâ Maij reſpondit ad priorem epiſtolam, ſperâſſe ſe, fore ut Cratzij operâ diutiùs in ſuo obſequio uteretur, illéque tantiſper præſentis conditionis ſortem toleraret: nolle ſe tamen denique obſtare, quin alibi quærat ſuæ fortunæ incrementa, id tamen habere perſuaſum, Cratzium eò uſque Ingolſtadij in ſuo munere & diligentiâ perſeveraturum, dum proximo quoque tempore, idoneus iſtius munitionis Præfectus in ipſius locum ſubmittatur. XXIV.

Verùm quicquid tandem Cratzium ſtimularet ad deproperandum abitum, cùm nihil ad ſuas reſponſi accepiſſet, Maij vigeſimo nono, primo mane, cùm res potiſſimas convaſâſſet, miſiſſétque Ratiſbonam; ſecundo Danubio navi piſcatoriâ ſub ſextam veſpertinam ad Ratiſbonæ ſuburbium devectus, nullâ interpoſitâ morâ, citatis equis, aſſumpto per viam, alibi nomine Legati Bavarici, alibi fratris Ducis Saxoniæ; in Bohemiam, inde ad hoſtem ſe recepit, ſuámque fortunam, anno ſequenti in Nördlingano conflictu captus, vitam verò Viennæ, Anno M. D C. X X V. ſecuri percuſſus, peſſumdedit, finem meriturus meliorem, ſi militiæ poſtrema prioribus reſpondiſſent.

Ejus famæ obfuit, injuſſu Maximiliani, Ingolſtadium deſeruiſſe: obfuit miſerabile transfugium. Suſpicionem prævij cum hoſte commercij flagrantem reddidit, quòd Aldringerus negavit ſe quicquam de expeditione Neoburgicâ à Cratzio accepiſſe, tametſi ſingulis propè diebus litteras ab ipſo accepiſſet: quòd hoſte ad Ingolſtadij mœnia progreſſo de ſpecie aliqua periculi monitus, ſe è ſtrato non moverit: quòd intempeſtâ nocte juſſerit portam Tubicini aperiri: quòd ſuos curſores miſerit ex eâ Danubij regione, in quâ paſſim hoſtis graſſabatur, eóſque captivitatis periculo expoſuerit: quòd ex eadem parte, quæ prorſus fuit intuta & hoſtili ſtratagemati opportuna, exſpectanda eſſe ab Aldringero auxilia dixerit, neglecto transdanubiano itinere, quod erat extra omne periculum. XXV. Eiusdem litteræ ad Maximil.

Cæterùm ſuſpicionem adverſam haud parùm eliſit, quòd juſſerit haberi eâ nocte, quâ hoſtis Ingolſtadio adfuit accuratas, vigilias, militem externum non admitti prope munitionem, neq; ante claram lucem: eum peti tormentis, ſi hoſtilis eſſe videretur: accuratè voluerit examinari præcurſores: augeri excubias eâ parte urbis atque in arce, ubi præcipuè erat impreſſio metuenda: verbo, poſt auditos ſupra quadraginta teſtes nihil præter non firmiſſimas conjecturas repertum, quòd Ingolſtadij proditionem argueret. Interea hoſtis ſuâ ſpe deluſus, dolorem ultus eſt agri populatione, omnique in miſeros colonos genere vexationis.

Hoc anno Clerus Auguſtanus (exceptis S. Udalrici & S. Afræ religioſis) cùm, quicquid opum habuerat, in Suecos effundere fuiſſet, contra pacta conventa, coactus, pulſus eſt in exilium iſto obtentu, quòd Coronæ Sueciæ ſuam fidem adverſus Imperatorem obligare noluiſſet. Clerus Auguſtanus agitur in exilium.

Bernardus Weinmarius unáque Hornius caſtra validis operibus ad Neoburgum muniverant, ut illinc ad omnem motum Boici exercitûs eſſent attenti, hoc ipſo Boicæ infeſti, quòd, frenato Danubio, clauderent navigationem, haberéntque liberam paſſim graſſandi facultatem. Quare, quò haberentur arctiùs, imperavit Maximilianus Aldringero, ut in vicino caſtra haberet. Id dum exequitur, copias ad utramque Danubij ripam agmine compoſito jubet incedere. XXVI.

Hornius cum præcipuâ ſui parte exercitus hæſit eorum veſtigijs, unde poſtremum agmen aſſecutus in municipio, quod Reinardi-Vicum nuncupant, carpſit nonnihil equitatum, oppreſſitque Croatas non multos, qui tendebant Ingolſtadium, quò etiam reliquum exercitum ducebat Aldringerus. Is ubi pervenit in Neoburgi viciniam, inſtructâ acie, quaſi ſui facturus copiam, loco peropportuno *Reinhartshoffen.*

tuno conſtitit. Hornius viciſſim, Danubio per Neoburgicum pontem tranſmiſſo, ſe comparavit ad pugnam. Verùm, cùm Aldringerus aciem loco opportuniore haberet, quàm ut iuſto Marte poſſet oppugnari, res ſtetit intra velitationes, & tonitrua tormentorum. Ergo Aldringerus dejecto, qui interlabentem amnem jungebat, ponte, exercitum imperturbatum duxit ſub Ingolſtadij mœnia.

XXVII. Ex quo Hornius moverat ex Alſatiâ, Cæſariani jam liberiores, Badenâ, Altkirchio, Rœtelâ, Suſſenburgo, aliiſque paſſim locis potiti, delectus habebant in eâ provinciâ, per Baronem Soyenſem, qui Maſmunſterij ad ſexcentos pedites, & quinquaginta equites collegerat. Eò miſſi duo Comites Rheingravij, datâ mœnium ruinâ, omnes, ſalvis ſarcinis, coëgere ad deditionem. Rheingravio acceſsêre à Marchione Durlacenſi quatuor armatorum millia, tandémque Cæſariani, poſt conflictus aliquot velitares, Briſacum uſque fuêre rejecti.

Heidelberga occupatur a Birckenfeldio.

Idib. Maij Birckenfeldius, qui cum auxiliarijs copijs Baudiſio ad Rhenum ſuppetias proficiſcebatur, Heidelbergam, tranſcenſis mœnibus ſubegit, & arcem muralibus machinis verberatam coëgit ad deditionem, demiſſo cum quingentis præſidiarijs Gubernatore Metternichio.

Zella fruſtra tentatur a Cæſarianis.

Zellam ad lacum Conſtantienſem tentaverunt Cæſariani ductu Kœnigkii, ſed poſt plures incurſiones fruſtraneas, cùm obſeſſi Gallorum aliquot centurias in ſubſidium accepiſſent, cum aliquâ jacturâ ſolvêre obſidionem.

Hornius Pappenheimium oppidum, Neoforum item ſubigit.

Dum res in eo ſunt, Hornius Donawerdâ diſcedens cum parte exercitûs, Pappenheimio oppido per vim occupato, 9. Cal. Quintil. ipſam arcem deditione accepit. Inde ducens in ſuperiorem Palatinatum, Neoforum, poſt concuſſa mœnia, dejectámque turrim primariam, ſubegit, præſidiarióſque ad Suecica ſigna coëgit.

Rheni Comes ad Briſacum clade afficitur.

Per id tempus Rheni Comes, ad Briſacum, à Montecuculio malè fuit exceptus. Credebat ille, ſe improviſâ irruptione firmiſſimo iſto propugnaculo poſſe potiri, eóque cum expedito robore movebat, quando cognitâ ejus profectione, Montecuculius obviam movens, ducentis interfectis, cæteros avertit in fugam. Quâ in dimicatione ipſe ſecundùm tibiam vulnus, tametſi victor, accepit.

XXIIX.

Civitates Sylvaticæ ad Rhenum, a Rheni Comite occupatæ.

Exinde Rheni Comes Rheinfeldâ, Walshutâ, Lauffenburgo & Seckingâ, quas civitates ad Rhenum vocant ſylvaticas, ſubactis, ſuo patrueli Joanni Philippo id dedit negotij, ut Briſacum laxâ obſidione circumſideret. Nec multò pòſt Ranzovius, geminis ad pontem Briſacenſem propugnaculis ſolo æquatis, duas inde æneas machinas ad caſtra reduxit. Id temporis Schmidbergius Philippopolim coronâ cinxerat, ex Trevirenſis Electoris voluntate, qui eam munitionem Cæſarianis exactis, ex pacto cupiebat tranſcribi in Regis Galliæ poteſtatem. Bambergerus Tribunus, qui iſthic curabat, Cæſaris juſſu, bis mille peditum, ac quingentorum equitum præſidio, ad ſupremam loci propugnationem erat comparatus. Schmidbergerus, quò fieret cinctus arctior, proximam moletrinam invaſit, duxit vallum è propinquo, & demum, Julio ineunte, Cronaco cum magnâ vini, cæteræque annonæ penu eſt potitus.

XXIX. Eodem iſto menſe Birckenfeldius obſidebat Hagenoam; cùm Lotharingiæ Dux collecto ſex legionariorum, duobus alariorum millibus, quibus per vices alternas præeſſe juſſerat Florinvillæum & Gatinæum, ad Tabernas Alſaticas, quas à Cæſare unà cum Tachſtenio tutandas acceperat, caſtra mandavit locari, eo potiſſimùm conſilio, ſuos ut fines tueretur. Verùm Sueci iſtam expeditionem mox habuêre ſuſpectam. Quamobrem cùm aliquot Lotharingicæ cohortes ad Luzelſteinium, quod eſt in Alſatiæ finibus, conſtitiſſent, Sueci, pro ſuo ingenio, interpretati eam Lotharingorum manum tendere ad Hagenoæ ſubſidium, in eos majore longè numero invecti, pleroſque internecione delerunt, inſigni prædâ potiti. Quâ laceſſitus injuriâ Dux Lotharingiæ, auxit novi militis acceſſione exercitum, rebúſque omnibus ad bellum egregiè inſtructus, in Alſatiâ caſtra fixit ad Pfaf-

ad Pfaffenhovium, Hanoviæ Bufweilerianæ oppidum. Sub veſperum imanis imbrium ventorúmque orta tempeſtas noctem proximam habuit adeò infeſtam, ut videretur fieri non poſſe, ut diem noctémve ſub dio quiſquã exigeret, nedũ arma tractaret. Eodem nihilominus veſtigio exercitus duravit per noctẽ. Die poſterâ, ſub horã, ante meridiem, octav ã, Lotharingi, miſſo æneatore petivêre Pfaffenhovij deditionem, negatámque à Præfecto, cœpêre per vim velle extorquere. Quâ de re in caſtris ad Hagenoam nunciatâ, è veſtigio Birckenfeldius, omiſsâ obſidione, cum univerſo quatuordecim circiter millium exercitu, venit in Lotharingorum conſpectum, die jam ad veſperum inclinante. Ergo, Lotharingi inſtructâ in colle acie, Birckenfeldij adventum opperiuntur, certi manus conſerere. Præcipuum fuit inter alas certamen, in quo tantâ fortitudine Lotharingorum equitatus Birckenfeldiano incubuit, ut momento Birckenfeldius cum alarijs fuſus, citatâ fugâ ad decem milliaria profugeret. Jam poterat videri ſtare victoria penes Lotharingos. Verùm Succicæ legiones adhuc infractæ cum Witzthumio tormentis aliquot munitæ ſtabant in ordinibus. Hæ Lotharingas turmas partim adverſus Birckenfeldium effuſas, partim dimicatione fatigatas, víxq; è luto, quod imbres creaverant, eluctantes, disjecerunt. Cecidêre è Birckenfeldianis quadringenti, in quibus Ruppæus & Schulteiſſius rei tormentariæ magiſter ſupremus; è Lotharingis propè ſexcenti. Dux gravi morbo impeditus, à prælio abfuit. Hoc ſaltem Lotharingi ſunt aſſecuti, ut, ſolutâ Hagenoæ obſidione, haberent, quò ſuam cladem aliquantum ſolarentur.

XXXI. Lotharingi ad Pfaffenhovium in Alsatia cæsi.

Verùm longè gravior inde orta tempeſtas, quæ plusquam internecina multorum annorum bella produxit. Rex Galliæ, cauſatus, Ducem Lotharingiæ pactæ Neutralitatis fines egreſſum, quando Succos Galliæ fœderatos bello petijſſet Tabernenſi nuperâ expeditione: in quâ tamen Lotharingi ſe clade ad Lutzelſteinium à Succis illatâ laceſſitos querebantur; Lotharingiam invadere inſtituit. Accedebat non dubia Regis indignatio, ex Ducis Aurelianenſis fratris ſui cum Margaritâ Ducis Lotharingiæ ſorore nuptijs, & nonnullâ de Barrenſi Ducatu, quaſi Franciæ beneficio, controverſiâ. Ergo Rex, adſcitis Ottonis Rheni Comitis auxiliaribus copijs, Nancium Lotharingiæ Ducum ſedem nobiliſſimam cum viginti armatorum millibus arctè obſedit, tandémque à Duce depoſiti lege ad certos annos certiſque conditionibus accepit.

XXXI. Franci obsident, et depositi lege accipiunt Nancium.

Sub id temporis Villinga, nobile non tam amplitudine & munitione, quàm invictâ civium virtute oppidum, à Duce Wirtenbergiæ coronâ cingebatur: ſed cùm adverſus egregiam oppidanorum fortitudinem nihil proficeret, Degenfeldij & Schaveliſci auctus copijs, impetratiſque à Sueciæ Cancellario ſeptingentis equitibus, graviùs cœpit urgere obſeſſos. Aldringerus è diverſo, volente Maximiliano, Villingenſibus ter mille tum gravioris tum levioris armaturæ equites miſit auxilio: hi in hoſtium caſtra invecti, oppreſſis aliquot cohortibus, Degenfeldium ad Tutlingam, quatuor horarum conflictu, cæſis in loco ſexcentis, profligaverunt.

Obsidio Villingensis.

In vicem hujus cladis, Succi Lichtenaviam cum bellici inſtrumenti & annonæ inſigni apparatu, redegere in ſuam poteſtatem.

XXXII.

In Inſubriâ habiti fuerant, pro vindicanda Germaniâ & Belgij defenſione, decem millium armatorum delectus. Ex his quater mille, ductore Oſsâ, per Tirolim penetrantes, cùm ſe ſociâſſent Montecuculij copijs, videbantur Villingenſibus laturi auxilium. Ex adverſo Weinmarius ex millibus octodecim, quæ ad Donawerdam conſtiterant, Hornio miſit quantum ſatis legionum, quarum ope Italicis copijs obſiſteret. Verùm Hornio conſilium erat, priùs ſubigere Conſtantiam ſitam ad lacum Podamicum. Ab obſidione prohibebatur Rheno interfluente. Ergo trajectum per Steinæ (quod Tigurinorum eſt oppidum) pontem aggreditur. An Tigurinorum occulta conſpiratio fictáque in Hornium indignatio, an vera vis interceſſerit, varijs ſermonibus fuit in utramq; partem agitatum. Quicquid in re fuerit, Hornius, oſtentatis copijs, à Steinenſi conſule, per pontem ipſum-

Delectus in Insubribus.

ipſúmque oppidum tranſeundi facultatem impetravit, ductóque per Turgoviam exercitu improviſus caſtra metatus eſt ad Conſtantiam. In urbe fuit conclamatum ad arma, & in Helvetiâ paſſim magni extitêre motus, præſertim apud plebem, quæ à centum annis tantum externi militis ſub ſignis, hoſtilia molientis, non viderat, nec probabat Steinenſium in eo admittendo facilitatem.

XXXIII. Obsidio Villingensis solvitur.

Hæc dum in eo ſunt, Dux Ferienſis, cum reliquo exercitu, ex Inſubribus, per Tirolim ingreſſus Germaniam, acceſſit ad Bavaricas copias ſuppetiáſque Cæſaris, quibus præerat Aldringerus. Ergo re probè expenſâ, probatâque ab Electore Maximiliano, viſum eſt arma vertere in Hornium Conſtantiæ imminentem, eóque ſubmoto, ſubigere Wirtenbergiam, tandem Villingæ, Briſaci, & Philippopolis, eâdem expeditione, obſidiones ſolvere. Catholico exercitui mox ceſſêre Neoburgum, Kauffbura, Bibracum, quod priùs non dedit manus, quàm mœnium verberationem & pilarum punicarum pericula toleràſſet.

Hornius Constantiam frustra obsidet.

XXXIV.

Conſtantia ad lacus oſtium, in Gallico Rheni littore cœpta 6. Id. Sept. obſideri. Hornius nihil intermiſit artis aut violentiæ, quâ crederet Conſtantiam poſſe ſuperari. Labefactatis turribus, muro diverſis locis horrendâ machinarum æneanum arietatione aperto, quotidianis propè incurſionibus, ignearum pilarum, quas per multos dies plurimas jaculatus eſt in tecta, terroribus, lacûs infeſtatione, ſubſidijs Wirtenbergicis, verbo, ſupremis quibúſque conatibus, hoc duntaxat obtinuit, ut unà cum Duce Wirtenbergiæ, qui in obſidione fuit aſſiduus, corruptis, per innumeras diſploſiones, omnibus machinis muralibus, irritus meréńſque ſuas clades & laceratum exercitum, è ſuis pulſus propugnaculis, relictis aliquot minoris modi tormentis, 5. Non. Octob. qui fuit vigeſimus quintus obſidionis dies, vaſa colligere ſit coactus, cùm Cæſareus, Bavaricus, & Ferianus miles jam Uberlingam appuliſſet, eſſétque periculum, ne Hornius, ſi tantillam adhuc moram traheret, ab eo opprimeretur. In iſtâ obſidione eminuit Maximiliani Wilibaldi Trucſeſsij Conſtantiæ Gubernatoris, Franciſci Mercij, cujus frater vir in paucis magnanimus iſthic occubuit, aliorúmque ductorum, gregariorum item militum, & civium generoſa virtus, quam tanti fecit Maximilianus Elector, ut eam Bavarico militi, qui ſub hujus anni exitum Ratiſbonæ à Weinmario obſidebatur, per litteras proponeret ad conſtantis propugnationis exemplum.

Solutâ igitur obſidione, Hornius viam, quâ venerat, per Helvetiorum fines relegens, Rhenum rurſus Steinæ tranſmiſit. Res eò videbantur inclinare, ut ſigna tandem conferrentur. Et verò hoc ipſum Dux Ferianus urgebat conſtanter: etenim rebatur non expedire, tantos exercitus otioſè trahere ad brumam jam imminentem, & nullo præſtito operæ pretio, agere ſub pellibus, aut infeſta habere ſtativa: ita enim perinde periturum militem, atque ſi clade quâpiam vinceretur. Eum paulatim averſaturum labores, quos videret inutiles, & ipſam militiam nullo memorabili facinore glorioſam. Nec Hornius ipſe pugnam detrectâſſet, ratus in hoſtico vincere majoris eſſe gloriæ, vinci verò minoris detrimenti. Verùm Aldringero longè alia erant vota & conſilia, tum ſuo, tum Fridlandi ingenio, cujus nutibus omnino ſerviebat. Sed nec temere fides habenda famæ, quæ tum erat, nec præfractè neganda. Certè memorat ſcriptum eâ de re in vulgus poſt id temporis editum, Fridlandum unà cum miſſo in Bavariam tantillo auxilio, ſimul occulta mandata miſiſſe, ne illo Aldringerus niſi ad coactam defenſionem uteretur, cùm interea palàm profiteretur Cæſari, ſe Aldringerum ex aſſe Bavariæ Electoris arbitrio tranſcripſiſſe: ſed alia prorſus tum veniſſe in apertum, quando per Galaſſum Aldringero diſertè denuntiavit, ſe neglecti ſui imperij culpam nunquam ipſi condonaturum, tametſi Cæſar ipſe condonaret. Et conſtanter aſſerunt Commentarij, Fridlandum Ducis Feriani & Italicarum copiarum adventum in Germaniam, modis omnibus improbâſſe, conatúmq; impedire: & ad eam quidem rem, antea quàm Dux Mediolano moviſſet, Fridlandũ in Italiam miſiſſe Tribunum Deodatum, qui Cardinali Infanti autor eſſet, copias Ferianas in Italiâ retinendi, & ſi hoc non impetraret, conteſtaretur, fore ut per

XXXV. Fridlandi occultæ molitiones.

eam

eam expeditionem pax, quam Fridlandus jam haberet velut in manibus, diſturbaretur. Atque hoc quidem agebat, cùm ipſe inutilibus colloquijs, Saxonicis ductoribus illudens, æſtatem conſumeret, præberétque Hornio & Weinmario opportunitatem graſſandi in Bavariâ, Aldringero pugnam continuò detrectante. Addixerat quidem, cùm Bavaria Aldringeri diſceſſu nudata hoſti pateret ad ictum, ſe Galaſſum cum duodecim armatorum millibus eò miſſurum, & reipsâ Galaſſus earum copiarum indicem ad Maximilianum miſerat, pollicitus, ſe primo quoque tempore adfuturum; ſed cùm ipſe jam eſſet in procinctu, Fridlandus eum pedem movere prohibuit; quo factum, ut Weinmario in manus daretur expugnatio Ratiſbonæ, (uti mox recenſebitur) Straubingæ, Chambi, aliorúmque locorum cum incredibili Bavariæ reíque communis detrimento. His artibus corrupta fuit rei bene gerendæ occaſio. Non feriabatur hoſtis interea, ſed carpebat Aldringeri copias, ubi ſe res dabat. Haud procul à Schongaviâ, Sperreuterus tres cecidit Croatarum turmas, quam tamen cladem mox ultus eſt Joannes Werthius, oppreſſo ſub mediam noctem, haud procul Auguſtâ, Sperreutero. XXXVI.

Ergo cùm, adverſante Fridlando, Italicæ copiæ Cæſareis ſuppetijs & Bavarico exercitui ſociatæ ad Rhenum moviſſent, tres è civitatibus Sylvaticis, dilapſo inde Suecico præſidio, ultrò dedêre manus: Rhenifelda non ſine ſanguine fuit expugnata. Per id oppidum & Lauffenburgum exercitus Catholicus triginta propè millium, adulto Octobri, ſub Baſileæ mœnibus juſſus progredi, in agro vicino ſtativa habuit. Ejus adventu mox ſoluta fuit Briſacenſis obſidio, tametſi obſeſſi liberi non eſſent à ſupremo diſcrimine. Jam Sueci, collectis omnibus copijs, ſe comparârant ad pugnam. Otto Rheni Comes, omiſsâ Hagenoâ, ſe Ranzovio junxerat: advenerat è Wirtenbergiâ aliquid ſubſidij: Hornius & Birckenfeldius traducti per Argentorati pontem, auxilio acceſſerant: jámque eò creverant animi, ut caſtris Catholicis ad Sulzam, foſſis, aggeribus, locíque opportunitate firmatis, inſtructâ acie inſultarent totum diem, continente tormentorum diſploſione, nihil veriti, quòd ſtarent loco longè quàm Catholici iniquiore: ut verò prælio decerneretur, Dux de Feria ab Aldringero nullis argumentis potuit impetrare. Quamobrem Sueci, expirante Octobri, velut ovantes diſceſſêre. XXXVII. Magno Catholicis ſtetit iſta Aldringeri cunctatio. Ex eâ enim proceſſit non Hiſpanici modò, ſed Bavarici etiam militis ex morbis, fame, nuditate, frigore, funeribus, grandis clades, & Alſatiæ propè univerſæ, ſi Briſacum excipias, jactura, tantáque Ducis Feriani mœſtitia, ut, ægritudine contractâ in Bavariam cum lacero exercitu delatus, vivendi finem fecerit.

Rheinfelda expugnatur.

Hostes Duci Feriano et Aldringero insultant acie instructa.

Dux de Feria moritur.

Subſtiterat interea Bernardus Weinmarius in Ballingæ confinio, expeditionis Alſaticæ eventum opperiens, quo comperto, mox retrò flexit Donawerdam, cùm à Kaggio Sueco Chiliarchâ quinque ſelectorum militum millia, ab Ulmâ verò naves, machinas æneas, cum cætero obſidionali inſtrumento acceſſiſſet. Tum ſecundum Danubium progreſſus, Aichſtadium, Neoburgum, aliáq; loca à Bavaris recepta, quaſi per tranſennam ſuæ poteſtatis fecit. Porrò ex utroque Danubij littore tendens Ratisbonam, Kelheimium expugnatum diripuit, & Donaſtauffio infra Ratisbonam oppido atque caſtro ſubactis, Danubium ſupra infráque Ratisbonam frenavit. Venit deinde ad ipſam obſidionem. XXXVIII. Ei propugnandæ datus à Maximiliano Electore Joannes Troibrezius Tribunus cum mille quingentis ſeptuaginta peditibus, & exiguo numero equitum, quorum ope par hoſti futurus erat, & verò à Maximiliano juſſus nihil de dedendâ urbe, ante Fridlandicarum ſuppetiarum adventum, cogitare, ſe extrema tentaturum ſpoponderat, quod & præſtitiſſet, niſi intra mœnia cives averſos, extrà hoſtem prævalidum, & fallacia Fridlandi promiſſa è longinquo habuiſſet. Quare, quod noſter calumniator aſſeverat, omnino vanum eſt, imminutum fuiſſe Ratisbonæ præſidium, ut ſumptibus, qui exigui ex præſidio Ratisbonenſi in Maximilianum redibant, parceretur.

Ratisbonæ obsidio.

XXXIX. Bavariæ tuendæ ſupererat Joannes Werthius cum exiguo longéque impari numero: cùm Aldringerus Bavarici exercitûs robur in Alſatiam duxiſſet. Præviderat quidem Maximilianus hanc tempeſtatem, & vetuerat ſuos ire trans Rhenum, quò forent ad omnem eventum Weinmario propiores: ſed antequam ejus mandata ad Aldringerum, alióſque Ductores perferrentur, jam Rhenum trajecerant, nec in tempore poterant ad Ratisbonam reverti: immo periculum erat, ne, ſi à Cæſarianis & Ferianis Bavarici diviſi redirent, ab hoſte, medio itinere profligarentur.

Lit. Maxim. ad Fridl. Brunov. Addixit quidem Fridlandus, idque Cæſare mandante, ſe adducturum auxilia, immo ſcripſit, ſe jam eſſe in procinctu, & omiſſis tormentis ac ſarcinis properare: ſed fidem præſtitit more ſuo. XL. *Litt. Fridl. ad Maxim. ex caſtris.* Etenim primùm quidem oſtendit litteris ad Maximilianum datis, Weinmarium duntaxat hinc inde vagari, ut nanciſcatur occaſionem irrumpendi in Bohemiam; tandem rejecit culpam in ductores, quaſi cauſarentur, ſe iſtâ anni tempeſtate, cùm pabulatio, annona, & pecunia deficeret, deſertâ Bohemiâ & provincijs Cæſaris hæreditarijs, iſtam profectionem ſuſcipere non poſſe. Sic erat in fatis, ut, Ratisbonâ ſubactâ, Bavaria grave vulnus acciperet. Hoc tamen non debet præteriri ſilentio, quòd Fridlandus Comitem Strozzium cum viginti quinque equitum, & quinque celerum catapultariorum ſignis ad Bohemiæ & Bavariæ confinia miſerit, ſed adduci nunquam potuerit, ut is ſe Joanni Werthio ſociaret.

Weinmarius igitur, cùm nihil eſſet, quod magnopere metueret, pridie Non. Novemb. Ratisbonam cœpit ex utraque Danubij regione coronâ cingere. Ipſis Nonis, cùm in monte vitifero bis mille equites fuiſſent conſpecti, cives ſuburbij Bavarici, quod ponti Ratisbonæ contiguum eſt, unà cum præſidiarijs, loco prorſus infirmo diffidentes, refugêre in urbem. Troibrezius ante hoſtis adventum, ædificia ſuburbana, quæ hoſtem poſſent tegere, corruperat. Idem, hoſte jam in XLI. ducendis vineis ſudante, 8. Id. Novemb. quò minùs in ponte defendendo operæ poneretur, ejuſce partem nitrato pulvere diſrupit. Die inſequenti, ferrariã, ærariam, aliáſque officinas in Danubij arenarijs concremavit. 6. Id. Nov. Sueci irruptione factâ, portæ orientalis propugnaculum occupârunt: ſed cùm crebrâ jaculationum & lapidum ſupernè emiſſorum procellâ à proximâ turri peterentur, & arcerentur cataractis infernè demiſſis, clade non levi acceptâ pedem retulêre. In eo conflictu Comes aliquis ex Lichtenſteinijs perijſſe ſcribitur. Poſtridie ejus diei, Weinmariani vallum Prepprunenſe invaſerunt. Algebat jam bruma, & cura Weinmarium inceſſerat, ne tandem obſeſſis aliquæ ſuppetiæ mitterentur: quamobrem ille 4. Id. Novemb. cœpit muri ruinam feſtinare continuâ æneatum machinarum tempeſtate, fecítque, circa horam noctis decimam, tergeminam in totidem propugnacula impreſſionem, quas omnes egregiâ virtute propugnatores depulerunt, ſed cum fatali damno. Nam Troibrezius, dum manu, voce, boníque ductoris exemplo, ſuos adverſus hoſtem animat, ſecundum cervicem glande vulnus accipit, quod non ipſi quidem, ſed civitati iſtâ vice lethale fuit. Labefacta eſt eo caſu non mediocriter cæterorum ductorum conſtantia. Subinde cùm hoſtis foſſas propius mœnia promoviſſet, Bavarici deſerto S. Petri munimento aliiſque extimis, ſeſe intra anteriorem muri cinctum recepêre. Idib. Novemb. continenti totius diei fulminatione, ad Petribrunnenſem portam luculenta muri ſtrages fuit edita. Ea res perculit obſeſſos, ut de deditione conſilia agitarent. Tractationem differri voluit Troibrezius. Poſtridie Id. Nov. ante diluculum tempeſtas in mœnia ad maturam uſque lucem recruduit: ſimul ductis ad foſſam uſque vineis, id duntaxat erat reliquum, ut veniretur ad manus.

XLII. RATISBONA DEDITUR WEINMARIO DUCI. Hærebat lecto ex vulnere Troibrezius. Præſidio tot dierum vigilijs, ac nunquam interrupto labore fatigato, deſperatíſque auxilijs, tandem ſeriò actum ac conventum de deditione, dictæque conſenſu leges honeſtæ; ſed quæ ab hoſte fuerunt inſuper habitæ. Tertio enim ab ingreſſu urbis die, omnis Clerus, armatâ militum manu, ad aulam Epiſcopi, qui & ipſe aderat, evocatus, & pòſt paulò ad

lò ad ædes Friſingenſis Antiſtitis deductus, cenſus fuit à Weinmario ducentis Talerorum Imperialium millibus, debuitque mox de centum millibus præſtare cautionem. Comportandum undique fuit è templis factum infectúmque argentum, ut quinquagies mille poſtridie numerarentur. 4. Cal. Decemb. Religioſi ſuis ædibus juſſi excedere compacti fuerunt in monaſterium PP. Dominicanorum, iſthícque durè admodum & arctè à moleſtiſſimis exactoribus habiti. Poſtero die denuntiatum eſt, exceptis ſingulorum Ordinum Primoribus, omnibus urbe eſſe excedendum, cùm reliquorum Eccleſiaſticorum parte majore. Cauſas exilij varias invenêre. Annonam, ajebant, ab iſto hominũ genere conſumi, quæ aliàs ingenti militum numero accenderetur. Clericorum pleroſque eſſe robuſto corpore ac lacertoſos; ab ijs poſſe timeri ſeditionem. Inter Cleri vexatores nomen præcipuum obtinuit Chemnitius Commiſſarius, qui non modò virgâ magicâ è corylo, terræ viſcera, ſed etiam ſecuribus ac ligonibus ſepulchra, loca ſacra ac profana perſcrutans nullum quærendi finem faciebat, cúmque nihil præter demortuorum oſſa & ſpectatorum riſus effoderet; ut ſannas ac ludibria vitaret, onerabat famam innocentium; theſauros videlicet eſſe quidem reconditos, ſed incantatos, qui foſſoribus jam jam tenentibus ſubducerentur. Tales venditabat fabulas ipſe ſuorum factus fabula. Addita miſeris nova ludibrij ſpecies. Viri religioſi aleâ certare juſſi ſunt: quem jactus infelicior damnâſſet, tradebatur Præfecto rerum capitalium tamdiu detinendus, donec reliqui reſiduum Lytrum repræſentâſſent: id cùm ex ſacro peculio fieri nequiret, eo jam exhauſto; ex univerſo obſidum numero duo fuêre deligendi, qui per urbem regionatim & oſtiatim reliquum pecuniæ conquirerent. Commovit ad lachrymas non modò Catholicos, ſed etiam Lutheranos; quòd avaritia nondum ſatiata, poſtquam miſerorum opes devoraverat, etiam conquiſititiâ ſtipe paſci deberet. Tandem cùm nihil ampliùs eſſet reliquum, quod inferretur in ſpoliarium, juſſi fuêre Clerici, qui adhuc in urbe ſuperfuerant, abire in exilium. Abeuntibus defenſores attributi, non qui tutos præſtarent, ſed in itinere ſpoliarent ultimis vitæ ſuſtinendæ reliquijs. Dirè interea rapinis atque incendijs per agrum Ratiſbonæ propinquum miles Weinmarienſis graſſatus, omnia latè deformata redegit in extremam ſolitudinem. Cladem aggeravit Chambum in ſuperiore Palatinatu, Weinmario à civibus ultrò traditum non exiguo damno rei communis. In partem calamitatis venit etiam Straubinga, nobilis ad Danubium Boicæ civitas. Eam Weinmarius, exeunte Novembri, coronâ cinxit. In eâ curabant ſexcenti Bavarici, quibus vim placuit experiri. Ergo Weinmarius, tormentis in PP. Capucinorum ſuburbano Monaſterio (quod deinde Maximilianus in mœnia voluit transferri) locatis, juſtam ad irrumpendum muri ſtragem edidit, compulitque præſidiarios ad deditionem, & eâ quidem lege, ut abirent inermes; Permiſſi fuêre eo modo diſcedere: ſed poſt breve iter, retracti fuêre in cuſtodiam. Civibus ingens ad redemptionem pecuniæ ſumma fuit imperata.

Cleri vexatio.

Eiectus in exilium.

XLIII.

Arx Donaſtauffenſis diruta.

XLIV.

Chambum Weinmario deditum.

Straubinga capta.

Deckendorffium opportunum ad ſtativa oppidum victas quoque manus dedit. Jam erat proximum, ut Weinmarius, Auſtriæ ſuperioris Acatholicis opem laturus, Paſſavium deſcenderet; verùm ea profectio, quæ mirum quantum nocuiſſet, rebus poſcentibus, Deo ſic providente, fuit interverſa.

Deckendorffium occupatum.

Cæterùm Werthius, qui cum quatuor circiter armatorum millibus circa Vilshovium curabat in Boicâ, Oehmij Suecici legionem nocte intempeſtâ ad Straubingæ mœnia, incenſo ſuburbano, oppreſſam, omnibus propè impedimentis exuit, damno civium majore quàm hoſtis. In Neoburgico Palatinatu, per eos dies, Burglengenfelda munitio non ignobilis à Roſa tribuno Suecicarum partium per ſtratagema fuit occupata, & firmata præſidio.

XLV.

Aldringerus deſertâ Alſatiâ, Rheno per pontem Briſacenſem tranſmiſſo, Keuzingæ, velut oppugnationem aggreſſurus, adſederat. Verùm comperto Hornium Argentoratenſis pontis beneficio imminere, motis eveſtigio caſtris, Briſacum refugit. Agmen ejus poſtremum, & qui Rugelæ, Eichingæ & Balingæ conſtite-

Aldringerus a Keuzingæ obsidio refugit Briſacum.

ſtiterant, à Suecis nonnihil cladis accepêre. Hornius arcem Liechtenecam egregiè à natura & arte munitam, & Regis aulam coëgit ad deditionem. *Königshoffen.*

Venio ad Rhenum inferiorem & Viſurgim. Baudiſius Suecorum in Ubijs Dux, anno ſuperiore, ex oppido Tuitienſi, quod in Germanico Rheni littore, è regione Coloniæ Agrippinæ, inſederat, depulſus, occupato Mulhuſio, locatiſque in Ubiorum agro hibernis, gravis infeſtúſque ei regioni incubabat. Ubij contrà legêre militem, acceptíſque à Rege Catholico copijs auxiliaribus, ut permoleſtum incubatorem aliorſum diverterent, Antonacum obſedêre. Ea civitas tunc à Suecis tenebatur. Verùm Baudiſius acceptis à Birckenfeldio & Vicethumio ſuppetijs, obſeſſis opem maturans, adventûs ſui famâ Ubios ab obſidione removit. Pòſt, educto inde præſidio bellicóque inſtrumento univerſo, Sainam & Engeram invaſit. Montaburam Trevirenſi Electori, qui ſuo illam milite deinceps tueretur, reſtituit, nec priùs ex Ubiorum finibus exceſſit, quàm agentibus Batavis, volente Colonienſi Electore, Catholici fœderis miles ex ijſdem excederet.

Andernach. BAUDISIUS SOLUTA OBSIDIONE ANDERNACENSI, SAINAM ET ENGERAM INVADIT.

XLVI. DUX LUNEBURGICUS MINACES SCRIBIT LITTERAS.

Georgius Luneburgicus collecto exercitu, quem auxit acceſſione Kniphuſij Suecorum auxiliariorum ductoris, trajecto Viſurgi, adulto jam Februario, Vilhuſio, Heſtelerâ, Meppenâ, Verdâ, Vechtâ, ipsâ adeò Oſnabrugi ditione permultíſque alijs locis in ſuam poteſtatem redactis, litteras dedit ad vicinos Proceres in hanc ſententiam: ſibi eſſe reipsâ compertum, iſtius Provinciæ Ordines Cæſarianas partes, hactenus ſtativis, annonâ, pecunijs, aliíſque belli ſubſidijs foviſſe adverſus Evangelicarum partium fœderatos, eóque promeritos, ut hoſtium loco habeantur. Verùm, ſe mitiora belli ſeveritati cupere anteferre, eóque monere ſingulos, ut medias partes ſequantur, communem ſervent amicitiam, Evangelico fœderi æquam pecuniæ vim contribuant, nî malint armorum damna experiri.

Magnos interea progreſſus faciebat Wilhelmus Haſſiæ Comes Provincialis per Weſtphaliam: Dortmundâ, Dorſtonâ, Coſfeldiâ, aliíſque oppidis ſub jugum miſſis: ſupererat Monaſterienſis civitas, quæ ſuam libertatem, ut ſemper, fortiter etiamnum tuebatur. Pro fœdere Catholico, iſti provinciæ dabat operam

XLVII. Comes Gronsfeldius, cum legionibus aliquot & nonnullo equitatu. Is cùm haberet in mandatis, ut magnam Wolfenbutæ rationem haberet, ne quà veniret in hoſtium, qui eo velut freno retinebantur, poteſtatem; tanti momenti præſidio de annonâ cæteriſque rebus ad defenſionem idoneis cupiens eſſe proſpectum, collectis triginta equitum vexillationibus, adjunctóque Hildeſienſi milite, machinas æneas Hildeſij relictas educens, movet Wolfenbutam. Dux Luneburgicus rem ſubodoratus, quàm poteſt celerrimè contracto exercitu, primum agmen ductore Kniphuſio mittit Rintelam. Conſilium erat, Gronsfeldij impedimenta ſaltem, & iter ad Mindenſes & Hammeliam intercipere. Sed impedimenta, Baurio ductore, Suecis præverterant. Pedem nihilominus Rintelæ figit Kniphuſius, & cùm Viſurgis nuſquam tum eſſet vadoſus, eò quòd ſolutis in aquam nivibus tumefactus, conſuetum alveum excederet, pontem nauticum aggreſſus eſt conſtruere. Gronsfeldius ejuſce rei conſcius, nocte intempeſtâ Rintelæ majora tormenta admovet, ſimul infeſtat operas in ponte ſtruendo laborantes, ducto ad fluminis uſque marginem aggere, quo hoſtem trajectu prohiberet. Accurrit interea Luneburgicus cum cætero exercitu, excitatóque è regione tormentorum ſuggeſtu, reciprocâ jaculatione Gronsfeldium jubet fulminari. Præter hæc commodùm accidit Luneburgico, quòd homo agreſtis loci apprimè peritus, ſinuoſum vadum ad objectum littus, noctis ſilentio ſudibus infixis, Gronſ-

CLADES MILITIS GRONSFELDICI AD RINTELAM.

XLVIII feldij excubitoribus vel inobſervatus ob tenebras, vel oſcitantiâ neglectus, deſcriberet. Viam ad vadum obtegebant ſalices. Agreſtis ductorem ſe præbuit quater mille equitibus, qui deni per ſingulos ordines, vehentes à tergo ſingulos ſclopetarios, ſummo manè, antequam diluceſceret, evadentes ad objectum littus, momento quatuor turmas Horſtianas proximè excubantes fundunt fugántq;

Mox

Mox invehuntur in vallum proximum, quo, cùm nemo obſiſteret (tanta erat trepidatio) ſed armis abjectis, vitæ duntaxat veniam quiſque militum precaretur, potiti, tormenta captivóſque Gronsfeldianos trahunt Rintelam. Hinc progreſſi in caſtra Gronsfeldij, equitibus effusâ fugâ dilapſis, impedimenta unámque muralem machinam aſſequuntur. Abfuit ab iſtâ fugâ Gronsfeldius, Bœnninghuſius, qui ejus agebat vices, ex equo effuſus, Deo fortunante, evaſit hoſtium manus. Fertur ea clades mille ducentorum fuiſſe. Eam ſecuta eſt Padebornæ deditio, facta Haſſiæ Landgravio, poſt aliquot dierum obſidionem. PADERBORNA HASSO DEDITUR.

Adulto jam Martio, Dux Luneburgicus Hameliam, urbem egregiè munitam, numeroſo cive, annonâ, bellico inſtrumento opibúſque potentem, caſtris ad utramque Viſurgis oram poſitis, obſedit. In urbe curabat Schelhamerus legionis legatus cum ſex peditum, duabus equitum centurijs, qui, alternante fortunâ, acres & frequentes fecêre eruptiones. Cùm longior oppugnatio tandem, nî ſuppetiæ venirent, ad nimiam paucitatem eſſet redactura præſidium, & verò etiam Gronsfeldij copiæ, nuperâ clade imminutæ, hoſti forent impares, jubetur Gronsfeldius Catholici fœderis militem è vicinis præſidijs educere, & juſtum conflare exercitum. HAMMELIÆ OBSIDIO. XLIX.

Luneburgicus viciſſim ſuum auget aliquot millibus. Infauſtæ expeditioni præluſit clades Aſchenburgij tribuni, qui in primore Gronsfeldij curabat agmine. Ille ab agricolâ Luneburgico proditus, ad pagum Willingshuſium oppreſſus eſt & profligatus. Eâ cæde cætera acies debilitata Monaſterium ſe retulit. Nonnullam vicem repoſuêre Catholici Falckenbergio vigilum Magiſtro in caſtello Bergenſi, quem nocte concubiâ aggreſſi, muro aſcenſu ſuperato, ceciderunt, multis in veſtigio trucidatis, multis captis, alijs abactis in proximum nemus. L. ASCHENBURGIUS OPPRIMITUR. FALCKENBERGIUS CÆDITUR.

Gronsfeldiani, ut paulùm ſe à geminâ, quam dixi, clade collegerant, pontem impoſuêre Viſurgi, obſeſſis ad recipiendas ſuppetias perutilem. Immiſêre aliquas tum Epiſcopus Oſnabrugenſis, tum Bœnninghuſius. Sub hæc acriter dimicatum haud procul à Monaſterio. Jam victoria ad Catholicos inclinabat, cùm ſubitò mutata, venit Luneburgicis in manus. LUNEBURGICI CATHOLICOS CÆDUNT.

Interea Hamelia indies magis magíſque premebatur, & jam non modò labefacti muri rudera foſſam complebant, ſed hoſtes etiam per procurrentium vinearum obliqua tecti, ſubiverant propugnaculum fatalis portæ, per quam olim maleficio abducti pueri Hamelienſes viſi nuſquam deinceps fuiſſe memorantur: ab iſto egreſſu porta nomen retinuit. Propugnaculo ſuperato, hoſtis portam aggreditur tormento indutili, quod dum catapultarius foribus inſerit, ſaxo in terram eliſus proteritur: Centurioni, qui ducebat manipulum, tibia glande tormentariâ diffringitur: centurionis vicario gravi vulnere debilitato, cogitur miles gregarius ſeſe ſubducere extra teli jactum. Eodem tempore Uſſelerus ſummus excubiarum Magiſter expugnârat gemina pontis propugnacula; verùm ab obſeſſis, acceptum dedecus non ferentibus, ejectus, receptui canere coactus eſt. Mirum quanta obſeſſi fortitudinis exempla in iſtâ obſidione ediderint. Hoſtis, rupto aggere, à mœnibus Viſurgim averterat: molem reparârunt illi, & flumen reduxerunt in priſtinum alveum. Tot repulêre aggreſſiones, ut viderentur eſſe inſuperabiles. HAMELIENSES SE FORTITER TUENTUR. LI.

Sed cùm nihilominus indies arctiore cinctu premerentur, Comes Merodius auxilio Septemviri Colonienſis, Moguntini, aliorúmque ſacri Ordinis Principum, mirâ celeritate collecta aliquot armatorum millia duxit trans Ruram, id agens, ut ſociatis cum Bœnninghuſio viribus ad Hammeliam liberandam contenderet. Illi igitur, Succis fruſtra obnitentibus, 4. Non. Iul. Comiti Gronsfeldio ad Witlochium conjuncti, per Mindenſem pontem prid. Non. Jul. Oldendorffium appellunt. Kniphuſius verò Melandrum Haſſi legatum Rintelæ convenit, & trajecto iſthìc Viſurgi, caſtra movit Oldendorffium, quod triplici incurſione fœderati Catholici fruſtra tentârant. Venitur igitur ad Hameliam. Sylva eſt civitati propinqua, quam ad ſui præſidium Melander ducentis ſclopetarijs commi- LII.

 ſerat.

ſerat. Octavus Id. Jul. fuit pugnæ decretorius. Primum certamen fuit ad Sylvam, quam efflictim ſibi aſſerere Catholici, Melander mordicus ſubmiſſis alijs atque alijs ſubſidijs retinere, nitebantur. Idem motus ſuorum alacritate, ſex Haſſicorum alariorum legiones, junctáque Finnorum auxilia invehit in Gronsfeldicos, per callem anguſtum, munítque inobſervatum Catholicis aditum ponè ſequenti Duci Luneburgico, qui ipſe aderat, & Cniphuſio. Tum concurrêre acies.

Pugna ad Hammeliam Gronsfeldius ſuperatur. Dimicatum utrinque acerrimè; ſed utrâque Catholicâ alâ everſâ, cùm ſtarent adhuc deſertæ legiones, tota hoſtium moles in eas incubuit, tantâ vi, ut fuſæ tandem ac profligatæ cruentam victoriam hoſti concederent. In eo prælio Comes Merodius fortiſſimè pugnans, unâque quatuor ſelectiſſimorum virorum millia cecidêre, bis mille venerunt in victorum manus. Capta item Comitis Merodij Conjunx ſtipata nobilium fœminarum comitatu. Quadraginta præterea peditum, ſex equitum ſigna, æneæ machinæ quindecim, univerſa impedimenta, tabularia Gronsfeldij, Bœnninghuſij, Merodij, ingens manubiarum copia amiſſa. Ex hoſte vix occubuêre trecenti. Qui cladem evaſerunt Catholici, Mindæ habuêre receptum. Quamobrem Schelhamerus, qui ad eam diem ſe ſpe adfuturi in tempore auxilij ſuſtentârat, Hammeliam prid. Cal. Auguſt. honeſtis conditionibus Luneburgico dedidit.

Hammelia hoſti deditur.

LIII.

Deditur item Oſnabrugum. Pirmontiū, Calenberga, Ahuſiū, Heldeſium, amiſſa. Huiuſce cladis auctarium fuit Oſnabrugum, quod à Guſtavo Guſtavi obſeſſum, pòſt arctiùs preſſum à Luneburgico, unà cum arce Petrina, prid. Id Octob. militari lege manus dedit, civibus ad lytrum quinque ſupra quinquagies mille Ferdinandicorum numûm damnatis. Secuta deinde eſt reliquorum præſidiorum jactura. Pirmontium arx egregiè munita, Rhena, Ahuſum, Calenberga, amiſſa. Obſeſſum Hildeſium, pòſtque Suecis deditum. Iſta fuit hoc anno Boicæ & Boicorum armorum ſors improſpera: ſupereſt Fridlandicam Cæſarianorum fortunam memorare.

In Sileſiâ cùm Arnheimius, ductore Tubadelio, accepiſſet Suecorum auxilia; Cæſariani ad Olaviam duas Saxonicas legiones fuderunt, fugârunt. Perinde feliciter Gœtzio cecidit Brigenſis expeditio. Ille poſtulato, ut Briga, ſedes Principis Georgij, recepto præſidio, commeandi libertatem faceret, repulſam tulit; ſed paulò pòſt Princeps, veritus, ne inſtructis jam ad incurſandum ordinibus obrueretur, ſexcentos admiſit intra mœnia, de cætero futurus Saxonicarum partium.

Duæ Legiones Saxonicæ profligatæ.

Minùs ſecunda fuit Cæſarianis Oppelenſis propugnaculi generoſa licèt acriſque oppugnatio. Res illis fuit cum mille quingentis defenſoribus, quorum tanta fuit in reprimendo oppugnatore fortitudo, ut Cæſariani, deſideratis trecentis, à cœpto deſtiterint.

LIV. Schaffgotſchio res magis ceſſêre ex ſententiâ. Strelam deditione, Reichenbacum armatâ manu, cæſis trecentis, occupavit. Eam felicitatem intercepit Arnhemius, qui luſtrato ad Uratiſlaviam viginti quinque millium exercitu, ad Strelam Cæſarianos egit in fugam, ipsámque Strelam, interempto omni præſidio, recepit. Non multùm abluſit ſors Crotcaviæ, à quâ Cæſariani, ne à Saxonibus numero longè ſuperioribus opprimerentur, ſeſe tempeſtivè ſubduxêre, relicto in civitate ſexcentorum præſidio, qui poſt unius diei obſidium, ſeſe Saxonum arbitrio permiſerunt. Subinde Neuſium, ubi ſe Cæſariani firmis operibus munierant, Saxones, intercluſo omni commeatu, circumſedêre.

Cæſariani ad Strelam fugati.

Crotcaviæ deditio.

Poloni domum remeant. Subtriſtis ea rerum facies Polonos auxiliares, ab Annibale Donæo adductos in Sileſiam, ſic affecit, ut diras omnes ſuo Ductori imprecati, domum remigrantes, alios, qui jam erant in procinctu, à bello Germanico abſterruerint. Quibus rebus Fridlandus excitatus, ut res in Sileſiâ inclinatas erigeret, Galaſſum cum numeroſo milite præmiſit, qui per Sylvam Bohemicam, exciſis hinc inde arboribus, agreſtium operâ, viam ad traducendas copias, bellicúmque apparatum expediret. Eum paulò pòſt ipſe ſecutus, militem, quem in Bohemiâ copioſum

LV. legerat, diviſit in duo agmina: minus demandavit Holckio, quem Bohemiæ impo-

poſuit: alterum longè potentius duxit ipſe in Sileſiam, ubi conflatus ex Saxonibus, Suecis, & Brandeburgicis exercitus, ad viginti quinque expeditorum armatorum millia numerabat. Caſtris igitur ad Neuſium poſitis, Fridlandus ſub ſignis habuit ad quinquaginta millia, formidandum robur hoſtibus, qui altero tantò erant pauciores, ſi Dux ipſe ſeriò hoſtis eſſe voluiſſet. Et jam Preslavienſes, rerum aliquam converſionem metuentes, præter ſolitum negabant annonam Saxonibus, & ſtatuerant de conſuetis proventuum ac tributorum præſtationibus, Cæſari nihil detrahere. Neuſij præterea Cæſariani ingentem frumenti, cibariorúmque penum inſtruxerant. CASTRA AD NEUSIUM.

Hoſtes nihilo ſeciùs, occupato monaſterio Henrichavio, cum non contemnendâ annonâ auſi movere in Fridlandum ad Munſterbergam loco peropportuno ſedentem, eúmque velitaribus prælijs ad juſtam pugnam laceſſere. Atque is quidē locus eſt, in quo interceſsêre, quas ſuperiùs recenſui, ſeu fictæ, ſive ſeriæ Fridlandi cum Arnheimio, ad rem componendam, collocutiones. Iis abruptis, Fridlandus in caſſum obſedit, & arietavit Schneidnizium, à quo ſolo hoſtium, inſtructâ acie advenientium, aſpectu ſubmotus, poſt aliquas velitationes ad montana digreſſus, in Schneidnizij, Reichenbaci, & Brunæ confinijs caſtra cōmunivit. Eum Saxones inſecuti, loco tam propinquo tetenderunt, ut unico duntaxat balliſtæ majoris jactu, immo longè minore ſpatio, caſtrorum loricæ dirimerentur. FRIDLANDUS A SCHEIDNIZII OBSIDIO DIMOVETUR. PUGNAM DETRECTAT.

LVI.

Hæc dum gererentur in Sileſiâ, Holckius, poſtquam aliquantum inter Pilſnam & Egram hæſerat, movens in montana, Annæbergâ, Mariæbergâ, Schneebergâ, Altenburgo, Ronenburgo, Gerâ, Pegâ, & Lutzâ potitus, pleraque direptionibus & militari licentiæ conceſſit. HOLCKIUS VARIA OPPIDA SUBIGIT.

Inde arma vertit in Lipſiam, quam uſque eò preſſit tormentis, incendijs, punicis miſſilibus, incurſionibus, ut ſubactum non modò ad ducenties mille, & quod ſupra eſt, Imperialium taleforum lytrum compelleret, ſed aliquas etiam urbis regiones à milite ſineret expilari. Tandem educto è Lipſiâ milite, cùm Halæ quindecim Imperialium millia imperâſſet, & diripuiſſet Zwikaviam, in caſtris peſtiferâ lue corruptis, contracto ex contagione veneno, fuit extinctus. LIPSIAM OCCUPAT.

In Sileſiâ interim, dum tempus pacificis in ſpeciem, re autem verâ fruſtraneis Fridlandi cum Arnheimio congreſſibus teritur, frequentes erant conflictus inter utriuſque partis excurſores. Mille quingenti Croatæ ab hoſte ſemel fuſi ad ducentos amiſerunt in fugâ. E diverſo Cæſariani, transmiſſo Viadro, prædas agebant, donec inter Fridlandum & Arnheimium unius menſis induciæ convenerunt, eâ lege, ut tantiſper utraque partium à bello, quod in Imperio fervebat, abſtineret. Iſti pactioni navavit operam Ulricus Dux Holſatiæ Regis Daniæ filius, qui, dum ad caſtra revertitur, glande trajectus, paucis pòſt diebus diem obiit. Scripsêre aliqui, hanc illi necem à Fridlando, cujus ille facta candidiùs perſtrinxerat, fuiſſe adornatam. ULRICUS REGIS DANIÆ FILIUS OCCIDITUR.

LVII.

In iſto induciarum otio, quidam Aſtronomus fertur ex ſiderum aſpectu vaníſque conjectationibus Fridlando impreſſiſſe Bohemici ſceptri, ſive arte, ſive vi, cùm jure nequiret, invadendi confidentiam. Si vera fama eſt, Fridlandus cogitabat Suecos, quos ejuſce Coronæ rivales ſe credebat habiturum, ſuperare bello: Germaniæ Principes, ſi poſſet, alienatos à Cæſare ſibi adjungere, quos non poſſet, opprimere: exercitûs Cæſarei ductores ſuis partibus devincire, quod credebat tam facilè obtineri poſſe ab ijs, quos avaritia corruperat, quàm difficulter perſuaderi integris, quos ſi pro poteſtate ab exercitu dimitteret, nihil erat, cur magnopere timeret. Et jam videbantur erumpere aliæ ſuper alias non ſcintillæ modò ambitionis, ſed & ignes luculenti, qui viris in Cæſaris fide immotis incurrebant in oculos. Iſti, hominis iras veriti, non audebant quidem creſcenti indies veſaniæ ire obviam, clàm tamen Cæſarem mali gliſcentis admonebant. In his molitionibus Piccolominius, & Marchio Granæus, obtentu petendæ à Cæſare honeſtæ miſſionis, Viennam profecti, tantum apud Cæſarem invenêre fidei, ut jam de Fridlandi artibus, & propoſitâ defectione vix quicquā dubij ſupereſſet, CONSILIA FRIDLANDI DE CORONA BOHEMICA.

Cùm

LVIII. Cùm, finitis jam Saxonicis inducijs, rejectísque ſpetatæ pacis, quas & Fridlandus antè propoſuerat, & Dreſdæ probatas retulerat, conditionibus, denuo omnia ſpectarent ad arma; Fridlandus, vaſis ſubitò conclamatis, fingit, ſe de invadendâ mox Saxoniâ cogitare. Proceſſerant novem milliaria ad fines Saxoniæ, cùm Arnhemius, Schweinizio, Reichenbaco, aliiſque Sileſiæ locis relictis, Comiti Turriano atque Tubadelio Sileſiam commendat, ipſe verò citatis itineribus properat in Fridlandum. Id ubi Fridlandus comperit, converſis eveſtigio caſtris, feſtinus revertit in Sileſiam, Schaffgotſchio, quem in Sileſia reliquerat, juſſo per Viadrum, qui tum ob tempeſtatis ſiccitatem erat vadoſus, properè advolare. Is, ubi primùm adfuit, citatis, quoad ejus fieri potuit, agminibus, contendit ad Steinavenſem pontem, & acie, quam ſeptuaginta majoris formæ tormenta firmabant, inſtructâ, Suecos illic undique ex improviſo circumventos, & ſubinde ad leviora certamina promicantes, reijcit in ſuos quaſi carceres. Quid facerent in iſtis anguſtijs, numero nimium quantum impares? Decernere prælio, fatale ac temerarium: penetrare per diſpoſitam aciem, factu nimis arduum. Ergo dedunt ſe Fridlandi arbitrio, qui mox gregarios omnes Cæſarianis legionibus permiſcet, Turrianum verò, Tubadelium, cæteróſque ductores captivos amicè habet ac familiariter. Scribunt, eum tunc ſeſe expectoraſſe Turriano, & conſilij, de invadendo Bohemiæ dominatu, feciſſe participem. Brevis comiſſque fuit iſta captivitas: Turrianum enim liberaliter, citráque omne lytrum, paucis pòſt diebus; Tubadelium non multò pòſt, libertate donatos dimiſit: quæ res varios ſermones ſuſpicionéſque dedit apud ſerios rerum æſtimatores, tametſi fructus aliquis extitit ejuſce victoriæ, Gloggoviâ majore, Lignizio, aliiſque Sileſiæ munitionibus à Fridlando recuperatis. Sedebant interea Saxonicæ copiæ, nihil auſæ tentare memorabile, in Dresdæ confinio. Hâc uſus occaſione Fridlandus, Goltbergâ occupatâ, pòſt Sagano, Croſsâ, aliiſque paſſim oppidis, Francofurtum in Viadrum, quod, dejecto ponte, Gubernator civiúmque præcipui, annuente Brandeburgico Septemviro, Cuſtrinum profugi, deſeruerant, invaſit, & reſtituto trajectu, ſe recepit Lanſpergam. Subegit deinde totam propè Marchiam, ipſámque Pomeraniam, Sandaviam, Cæponicum, ipſum adeò Berlinum, quod Gubernator omni præſidio nudatum reliquerat. Schaffgotſchius Olaviam deditione recepit. Tentavit quidem Preslaviam, Brigam, & Oppelam, ſed ſtetit res intra vota occupandi.

Fridlandi stratagema.

Suecos opprimit.

LIX.

Gloggoviam recuperat, aliaque loca Silesiæ. Francofurtum ad Oderam, Lanspergam, Marchiam, Berlinum, alia invadit.

LX. Hoc anno, juſtis funebribus Sigiſmundo III. Poloniæ Regi magnificè perſolutis, ejuſce filius Uladislaus IV. qui Varſaviæ, anno ſuperiore, Ordinum Regni ſuffragijs Rex dictus fuerat, regni inſignia 7. Id. Febr. auſpicatò ſuſcepit. Regnandi primordia inſigni de Moſcovitis reportatâ victoriâ, ſolutâque Smolenski obſidione, nobilitavit. In Sueciâ Chriſtina Regis Guſtavi filia, legitima ipſius hæres fuit renunciata.

BOICÆ

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS III.

LIBER XIX.

Fridlandi interitus: Ratisbona ſubigitur: Landishuta ab hoſte capta funeſtè diripitur: Sueci vincuntur ad Nœrdlingam: Sereniſsimæ Mechtildis Bavar. Duc. pius obitus. An. M. DC. XXXIV.

Comitium inferioris Saxoniæ. I.

SEcundæ Saxoniæ Ordines Conventum Halberſtadij, ſub naſcentem hunc annum, habuêre. Jam ſatis ſupérque expertis utriuſque fortunæ vices obverſabantur. Circuli miſerè dilacerati, calamitas illata ab amicis perinde atque ab hoſtibus, per ſummam belli inclementiam, quæ tam corripit (ut fit in incendijs) tecta, in quibus naſcitur, quàm aliena, ad quæ propagatur. Capita conſultationis erant de belli tum finiendi, tum gerendi rationibus.

Litteræ Saxoniæ Electoris ad Comitium.

Saxoniæ Septemvir, expirante Januario, ad Comitium dedit litteras egregiè pacificas, quibus belli civilis mala & afflictam Germaniæ ſortem præclarè deſcripſit. Enimvero jam eò ventum eſſe, ut ſalus publica externorum ferè conſilijs & arbitrio committi debeat. Et illos quidem, ſi res contingant proſperæ, cuncta vertere non ad incolumitatem patriæ, ſed in ſua commoda: ſi contingant adverſæ, redundare in publicam perniciem. Eo fieri, ut exteri ſuam magnitudinem augeant imminutione fortunæ alienæ. Diſcerpi interim Imperium, à majoribus tantâ olim ſapientiâ, tot periculis laboribúſque fundatum: amplectenda potiùs æqua, atque ex rebus præſtabilibus, ſana pacis conſilia, cum aliquo etiam rei privatæ incommodo, quod bono publico omnino ſit poſthabendum: dandam operam etiam atque etiam, ne patria libertas, externorum fœderum vinculis adſtricta, in ſervitutem degeneret potiùs, quàm in genuinâ conditione ſervetur. Id verò monere ſapientum voces & priſcæ gubernationis exempla. Eam ob rem Majores divino nutu atq; inſtinctu, unico capiti, certis legibus Imperij ſummam putâſſe eſſe committendam: præcipuam quoque nominis & gloriæ Germanicæ, Imperijque ſanctionum habendam eſſe rationem: animorum conſenſionem, ſuavem voluntatum & votorum concordiam, eſſe vincula

tò ipſius conſilia non fuerint eo habita numero, quo res ipſæ poſtulâſſent, quódque ijs ſepoſitis, ſuperiorum Circulorum Ordines, cum Coronâ Suecicâ fœdere conjuncti, Francofurtenſe hoc Comitium inſtituerint, id verò aliorum Electorum judicio relinqui. Nihilo tamen minùs, hujusce legationis non exiguas eſſe rationes. Et primùm quidem id ſtudij exegiſſe fidem Electoris, & officium in Sac. Romanum Imperium, cujus neceſſitas atque diſcrimen poſtularet, ut, quando etiam exteri Principes de ipſius ſalute ſolliciti, pacis procurationem, velut malorum remedium, in ſe velint recipere, multò magis Imperij Principes eò ſua ſtudia conferant, quò tandem Germanici ſanguinis profuſioni finis imponatur. Deinde eam eſſe nunc conditionem Romani Imperij, ut, tametſi eſſet acerbioribus conſilijs & iræ indulgendum, tamen gerendo deinceps bello ſit impar, rebúsque neceſſarijs deſtitutum. Periculoſum verò ac labile eſſe, belli molem in Principum exterorum auxilijs reponere. Tandem etiam attendi debere, quòd bellorum exitus ſunt incerti, fallax inconſtánſque fortuna, infinitæ blandientis ſortis inſidiæ, quibus nemo ſapiens publicæ rei ſupremam ſalutem committat. Denique pacem ac concordiam omnium Ordinum tutelam eſſe & Imperij fundamentum. Ad extremum, nihil ante hæc Evangelicis magis fuiſſe in votis, quàm ut, ſublatis diſſenſionibus, quietè frui poſſent pace Religionis. Ipſum Sueciæ Regem eo conſilio arma contuliſſe, atq; hoc litteris ad Galliæ Regem An. M. DC. XXXI. datis, fuiſſe conteſtatum; nihilo ſeciùs eſſe aliquos, qui credant, auræ ſecundæ Favonijs eſſe utendum ad opprimendam Catholicorum potentiam, ad invadendas Eccleſiarum fortunas. Sed enimvero eas res periculoſæ & difficilis adhuc eſſe aleæ: non defore Principes externos Romanæ fidei addictos, qui tametſi Evangelicis aliquam exhibeant ſpeciem benevolentiæ & humanitatis, tamen ejuſmodi conſilijs ſint interceſſuri, & novas excitaturi flammas in Imperio. Eapropter longè videri conſultius, quod ſolent ſuadere ſapientes, pacem inire, dum arridet fortuna, & invitat occaſio rerum ſecundiorum, quâ neglectâ, facilè poſſit ſuccedere longa malorum ſeries, & inextricabilis bellorum injuria. Atque hæc quidem non eò tendere, quaſi Statibus Evangelicis eorum memoria debeat refricari, ſed ut conſtet, quibus rationibus Saxoniæ Elector fuerit adductus ad ſuadendam pacem, & hodiéque adducatur. Eundem Anno M. DC. XXXII. per Auguſtum Comitem Palatinum Guſtavo Sueciæ Regi ſignificâſſe, ſe ad generalem pacem ſemper inclinâſſe, cum bonâ ſpe, fore ut Principes Imperij atque Ordines eodem inclinarent, ſed non eſſe ſatis, ſi concipiantur pacis vota, niſi partium conſenſu ejuſdem conciliandæ rationes ineantur idoneæ, atque hujuſmodi publicis malis remedia adhibeantur, quæ ijs perſanandis ita ſint accommodata, ut medicina non evadat ipſo morbo deterior: ſi rationes curandæ Reipub. nimis altè colliment, id duntaxat obtinere, ut, quo intenduntur magis, magis itidem à ſcopo aberrent. Eam ob rem in gravaminibus tam publicis, quàm privatis, dextrè & cum certâ differentiâ eſſe procedendum. Septemvirum mandare ſuis, ut Principibus & Statibus Evangelicis ipſius Electoris ſententiam de pacis rationibus candidè explicent, ſi viciſſim illi ſuam mentem aperuerint: ad hoc non parùm lucis adferre poſſe capita nuperi Conventûs Francofurtenſis. Ante omnia verò, de pace videri eſſe capienda conſilia. V. VI.

De coronæ Sueciæ ſatisfactione Septemvirum id ipſum revocare in memoriam, quod Anno M. DC. XXXII. jam fuiſſet agitatum menſe Julio, cùm Rex ipſe declarâſſet, nihil eſſe, quod ampliùs ab Electore deſideraret. Et eam quidem declarationem Electorem id temporis ratam habuiſſe, & etiamnum habere, ſimul exiſtimare, coronæ Suecicæ meritis, quibus nullum præmium poſſit æquari, referendam eſſe dignam remunerationem: ſed quia haud dubiè aliqui ſint ejus ſententiæ, quaſi illius referendæ cura ex aſſe Catholicis debeat relinqui, Electorem autem magnopere dubitare, quid hac in re tandem ſit ſtatuendum, velle tamen hac in parte deferre Conventui, & pro reducendâ pace, in omnibus ſuam operam accommodare: ſperari tamen, Coronam Suecicam tam mode- VII.

rata poſtulaturam, ut ne modum excedere, ſed aliorum Principum exemplo gloriam potiùs, quàm commodum præſtiti Reipublicæ auxilij (quemadmodum ipſe Rex in ſuo apologetico diſertè fuiſſet profeſſus) ſpectâſſe videatur, eò vel maximè, quòd expeditionem Germanicam, non ad nocumentum Imperij, ſed ejus ſalutem, ſuſcepiſſet.

VIII. Ad iſta cùm Conventus reſpondiſſet, Saxonici Legati prid. Id. Jun. de privatis Electoris cauſis variâ fuêre conqueſti, videlicet de præcipuis Dynaſtijs Magdeburgici Archiepiſcopatûs, & Epiſcopatûs Halberſtattenſis, cum damno filij ipſius Electoris, in alienas manus per donationem translatis: de præſtandis per Ordines ad alendas Saxonicas copias belli ſubſidijs, quæ nulla hactenus Evangelici præſtitiſſent: quòd Ordines peregrina potiùs inſtituta ac fœdera, quàm Imperij ac Circulorum leges reſpicerent, atque hoc ipſo impedirent, ne inter Imperij membra concordia coaleſcat, diſſoluto nexu benevolentiæ & mutuæ charitatis.

Interfuit huic Conventui Feſquerius Regis Franciæ legatus, qui totus in eo fuit, ut Saxoniæ utriuſque binos circulos nondum ſatis ad ſociale fœdus propenſos, cum utroque Rhenenſi, Suevico, & Franconico adverſus Cæſarem, Catholicóſque Cæſari addictos uniret. Quod ita fuit aſſecutus, ut denique Idib. Sept. ſex Circuli fœdere cum Suecis inito, & omnibus, quæ ad proferendum bellum pro Religionis Acatholicæ libertate & ſpolijs Eccleſiæ retinendis facerent, conſtitutis, implorarent Daniæ Regis operam, quâ ſequeſter pacis eſſe vellet, pacis videlicet, quâ res Catholica & Domus Auſtriaca, ſi quâ fieri poſſet, opprimeretur.

IX. *Cæsar Daniæ Regi pacis conciliationem committit.* Hæc tametſi Cæſari, Catholicisque Principibus non eſſent incomperta, ne tamen pereñes Germaniæ turbas fovere voluiſſe viderentur, de eâ tranquillandâ Daniæ Regis medias partes non recusârunt. Ipſe Maximilianus Elector, pro perpetuo ſuo ad publicam tranquillitatem affectu, tametſi non ambigeret, quin Dani conſilia in Proteſtantium potiùs (propter ſacra communia) quàm in Catholicorum emolumenta inclinarent, tamen per ſuum Cancellarium Cæſari ſignificavit, videri iſtam, etiam tali ſequeſtro, pacis tractationem non eſſe reſpuendam. Verùm cùm, Suecis ſtimulantibus, Proteſtantes proſperis elati rerum ſucceſſibus, nihil modicum cogitarent, mirum non eſt, ejuſce pacificatoris conſilia fuiſſe diſturbata.

Fridlandi molitiones. Laborabat interea Romanum Imperium duplici periculo. Foris imminebant ab hoſte publico pugnæ, intus ex Fridlandi molitionibus timores. Referam, quod ipſa rerum eventa, & ſcriptores alij docuerunt. Ambitionem hominis cæteroqui faſtuoſi inflaverat ingens potentia, & armorum Cæſareorum abſoluta poteſtas. Regnandi cupiditatem accendebant deliramenta conjectoris Aſtronomi, qui coronam, ſceptrum, regnum Fridlando ſomniabat: animos faciebat pecuniæ vis immanis, quam tum è ſuo, tum ex immenſis Provinciarum collectis congeſſerat. Non poterat ad rem adeò ſublimem eniti ſine exercitu & Ductorum conſpiratione, quam tandem miris artibus, ſed minimè tamen celatis ob plurium conſcientiam, quæ infida eſt arcani cuſtos, moliebatur.

X. De eâ fuit tempeſtivè tum Cæſar monitus, tum Elector Maximilianus, quem mirè ſollicitum habebant iſtæ machinationes, cùm non poſſet ignorare, quas clades Imperio eſſent daturæ, ſi homini impotenti ex voto ſuccederent. Et jam antè nôrat, quas Fridlandus iras coqueret in ſuæ abdicationis ſuaſores, quas minas jactaret in Bavariam. Referebatur dixiſſe, ſe Bavarum ſic redacturum in ordinem, ut nomen, dominatum, censúmque à tenui aliqua dynaſtiâ mutuaretur.

Iloum in fraudem inducit. Ergo Fridlandus conceptum facinus exorſus eſt à conciliandis Cæſarei exercitûs Ductoribus, atque in primis ab Iloo Tribuno, hoc ordine. Primò Iloum apud Cæſarem arcanis delationibus infamat, deinde eidem author fit, ut, quandò ad majora adſpiraret, Cæſari ſupplex fieret pro impetrandâ Comitis dignitate

dignitate, ſe pro eo fore interceſſorem. Nihil minùs Iloo tum adhuc incorrupto veniebat in mentem, quàm ut à Fridlando ſupplantaretur in Aulâ Cæſaris, à quo fuerat in ſpem honoris erectus. Sed albam mentem fefellit Fridlandus, ipſéque rei eventus. Occultis enim nuntijs egit apud Cæſarem, ne Ilous voti compos fieret, quaſi plures, de Cæſare perinde atque Ilous bene meriti, paria, ejus exemplo, ſint poſtulaturi, quæ Cæſar conceſſurus non ſit, nî velit dignitatum gradus, familiarum æſtimationem, virtutum præmia, malè locare. Cæſar aſſenſit Fridlando, differendo Iloum in tempus aliud. Ergo petitionis irritus & æger animi ſe refert ad caſtra. Reducem inter epulas rogat Fridlandus, quaſi iſtius repulſæ ignarus, ecquid à Cæſare beneficij retulerit? Refert, ſe nihil impetrâſſe. Tum, ſimulatâ Fridlandus irâ; iſtáne, inquit, tot mearum dimicationum, tot laborum ac periculorum merces, ut ne tantillam quidem gratiam amico à Cæſare ego impetrare potuerim, nec tu me deprecatore conſequi? ſupinæ vecordiæ eſt, domino beneficiorum uſque eò immemori opes, ſanguinem, vitam impendere. Certè deinceps (ita juro) non impendam, ſed, quoad vivam, faciam ut Auſtriaci ſentiant me ſibi adverſantem. Ilous, quem jam turbârat repulſæ dolor, nihilo moderatiora locutus cum Fridlando conjurat: mox Fridlandus ſibi adjungit Adamum Erdtmannum Terskium affinem ſuum, eúmque devincit officio ſummi Magiſtri equitatûs, & præfecturâ quinque legionum, quibus fidebat maximè. Tentat deinde animum Comitis Iſolani, qui Liburnis equitibus imperabat, & hoc quidem pulſat commento. Præfecerat Cæſar Palfium copijs recens ſcriptis in Hungariâ: Fridlandus fingit id feciſſe Cæſarem eo conſilio, ut, exauctorato Iſolano viro innumerarum propè palmarum, Palfium Croatis etiam præficiat, & verò ſe jam Cæſari per Queſtenbergium denuntiâſſe, ſe, ſi Iſolanus miſſionem accipiat, ab exercitu diſceſſurum. Tum, quò hominem immotæ fidei ſibi obligaret, addicit Dynaſtiam ex bonis, quæ fiſco Cæſar eo primo quoque tempore fierent obnoxia; cúmque nulla adhuc eſſent in promptu, Terskius facit Iſolano optionem, unam, quæ tantidem ſit, ex ſuis poſſeſſionibus eligendi. Ad corrumpendos cæteros Chiliarchas, ad III. Id. Januar. eos jubet Pilsnæ convenire, idque Cæſare inſcio, diſſito de induſtriâ rumore, velle Fridlandum Archiſtrategi officio decedere.

Corrumpit Terskium. XI.

Tentat Isolanum.

Cæteros Ductores Pilsnam convocat.

Capita conſultationis hæc fuêre: Cæſarem per Queſtenbergium, & ſcripto etiam mandato jubere, copias, quæ in ſuperiore Auſtriâ hibernabant, & earum partem, quæ agebat in Bohemiâ, ire Bavariæ Electori ſuppetias: flagitare præterea Hiſpaniarum Cardinalem Infantem ſex equitum millia, quæ ipſum ſecuritatis causâ deducant in Belgium. Nomine Fridlandi Ilous aderat conſultationi. Quærit igitur verbis Fridlandi, videatúrne citra incommodum poſſe fieri, ut ex hibernis, extráque provincias Cæſaris hæreditarias miles educatur: Item sitne conſultum, hieme ſæviente, obſidere nuper amiſſam Ratiſbonam, & ſexies mille equites, à cætero Cæſaris exercitu disjunctos mittere in Belgium? Jam antè quàm conſultaretur in commune, Fridlandus ſeorſim vota Tribunorum prenſaverat per ſuos emiſſarios: ergo omnium vox fuit horum nullum conſultò poſſe fieri, ſalváque Republicâ. Sententiam Tribunorum ilico Fridlando renuntiat Ilous, & reverſus in conſilium, refert, Fridlandum, iſtiusmodi mandatis Cæſareis offenſum de abdicandâ Generali Præfecturâ jam obfirmâſſe animum: viderent ipſi, quid in poſterum ab aulâ Cæſareâ poſſent expectare, quid ſperare ab ipſo Cæſare? Fridlandum certè ſibi adverſa omnia ominari, niſi tribus iſtis poſtulatis eveſtigio pareat. Hiſpanorum in vota jam tractos eſſe miniſtros Cæſaris, ídque agi modis omnibus, ut Cæſar Hungariæ Regem exercitui præficiat, cujus deinde authoritate Hiſpani abutantur ad opprimendam Germaniæ libertatem, & uſurpandam Romani Imperij velut hæreditariam poſſeſſionem. Eò enimvero ſpectare diſtractionem exercitûs, ut, enervato Fridlando, nemo ſit reliquus, qui hujusmodi Hiſpanorum molitionibus obſiſtat. Cæſaris Conſiliarios corruptos avaritiâ, pecunias ad militum ſtipendia ab Ordinibus deſtinatas in

Figmenta Fridlandi.

XII.

ſuam naſſam trahere, & militum ſudore ac ſanguine delibutos inhiare abſolutæ dominationi. Fridlandum interea, talibus artibus, everti facultatibus, quibus deinceps exercitui proſpiciat. Hactenus ex publicatis criminoſorum opibus fuiſſe, quo remuneraret bene meritos, ſed has etiam invadi à miniſtris Cæſaris. Ergo ipſi certum eſſe abire ab Archiſtrategi munere, deſerere exercitum, ſubducere ſe invidiæ, dare operam affectæ valetudini, non præſtolari geminatam, ut nuper, detractæ dignitatis ignominiam. Eſſe ſatius abjicere ſponte honorem, cùm poſſis, quàm invitum exui, cùm nolis. Nihilo tamen minùs, ne quid agat præcipiti animi deſtinatione, vel clam amicis, voluiſſe ipſum hæc animi ſui ſenſa ductoribus & commilitonibus ſuis aperire, eorum audire ſententiam, quóque ſenſu ſui Imperatoris pericula & injurias accipiant. Videant tamen etiam atque etiam, quænam ipſos ex Fridlandi diſceſſu incommoda maneant. Eorum pleroſque, Fridlandi hortatu, ſuo ære legiones ſcripſiſſe, ſuſtentâſſe: iſtos ſumptus abituros in auras; eorum ſervitia omni mercede, nedum præmio caritura, quo futurum ſit, ut, redacti ad inopiam, vitam trahant ignobilem. Profectò, addebat Ilous, longè foret honorificentius, ſi quà poſſit fieri, Fridlandum ab iſto abdicationis conſilio revocare. Igitur palàm exauditæ voces, Fridlandum non debere deſeri, ſed rogari, ut immotâ conſtantiâ dignitatem munúſque ſuum retineat ac tueatur. Mittuntur proinde, qui, omnium verbis, hanc Tribunorum mentem Fridlando renuntient. Ille verò detrectare primùm, averſari monentes, & differendo eorum accendere deſideria, donec repetitâ legatione rogatus, reſpondit denique, ſe tantiſper adhuc retenturum faſces, dum appareat, quidnam ſtipendiorum tandem, quid ſuſtentationis à Cæſaris aulâ proveniret. Hæc cùm ad cœtum legati retuliſſent, & Ductorum pars è Senatu abijſſet, Ilous ijs, qui nondum finitis colloquijs in loco reſtiterant, explicavit, juſtum videri, ut, quando ſe Fridlandus exorari paſſus eſſet ad retinendum exercitûs imperium, ídque pro ipſorum ſalute ac commodis, ipſi ſe viciſſim Fridlando obligarent: ſimul protulit formulam obligationis, quam Niemannus, conſiliorum Fridlandi particeps & miniſter adornârat, eámque voce elatâ prælegit. Ejus erat hoc argumentum: Fridlandum tum ob varias, quibus fuiſſet affectus, injurias & faſtidia, tum ob periculoſas æmulorum machinationes, & eò maximè, quòd neceſſarijs ad bellum ſtipendijs ſubſidiiſque deſtitueretur, prorſus deliberatum fixúmque animo habuiſſe, ut, exutis armis, vitam privatam indueret, ſed motum tamen Ducum precibus, cauſis ſibi jam conſtitutæ abdicationis poſthabitis, mutatâ ſententiâ, velle adhuc aliquo tempore humeros ſuo muneri accomodare, nec niſi conſcijs ac volentibus ducibus ſubtrahere, eâ tamen lege, ut viciſſim ipſi omnes & ſinguli jurati promittant, ſe pro eo, ac viros decet fidos ac honeſtos, fore Fridlando conjunctos, neque admiſſuros, ut ullâ ratione ab ipſo divellantur, in ijs præſertim, quæ ad ipſius ſalutem, & incolumitatem exercitûs pertinerent. Tandem etiam in ipſius gratiam opes omnes ac ſanguinem liberaliter profuſuros: demum, ſi quem aliquando ſecus facientem, aut ab eâ ſocietate diſcedentem compererint, eundem omnes ac ſingulos, publicè ac privatim, velut perjurum perfidúmque inſectaturos, ſumpturóſque ex ejus bonis, corpore, & vitâ vindictam. Addita quidem erat in iſtâ formulâ hæc conditio, iſta promitti, & ſervatum iri, quamdiu Fridlandus Sac. Cæſ. Majeſtatis commodis conſuleret: ſed iſta ſtudio ante meridiem acta fuêre, & ante epulum, quod Ilous inſtruxerat, ut, dum menſa protraheretur, eâdem omiſſâ clauſulâ, prælecta conſpirationis formula deſcribi poſſet. Menſis remotis, cùm plerique mero egregiè maderent, repetitur formula. Notârunt aliqui eſſe mutilatam. Hinc ortus fremitus quiritantium abeſſe verba, quæ minimè omnium oporteret obduci; illa etenim pertinere ad fidem Cæſari devinctam, & obſequia, quæ ab omnibus deberentur. Tum Ilous; Cæſaris in ipſo formulæ limine fieri mentionem, nihil opus eſſe eam repeti, nec tanti eſſe debere trium verborum lituram. Terskius audacior, non dubitavit voce elatâ eos proclamare perfidos & nebulones, qui cum Fridlando

XIII. Forma coniurationis.

do non ſentirent. Illi, quòd crederent, nec locum, nec tempus eſſe reclamandi, nihil ultrà fuêre conqueſti. Ergo ſubſcribunt formulæ. Ilous & Terskius primi, cæteri ſuo ordine. Poſtridie Fridlandus queſtus eſt de heſterno tumultu, finxitque, ſe velle, abdicato magiſtratu, abire militiâ. Quamobrem Ductores, ut hominem placarent, heſternam ſubſcriptionem in alterâ chartâ confirmârunt adſcriptis ſuâ manu nominibus paulò, quàm heri, nitidiore charactere. Nam ſive ex deſtinato, ſeu temulentiâ ſic ſcripſerant, ut nomina vix legi poſſent. XIV.

Qui nam abfuerunt a conjuratione.

Non interfuêre conjurationi Galaſſus, Aldringerus, & Coloredus. Eos Pilſnam vocavit Fridlandus. Adfuit Galaſſus, rogatúsque, num ſciret, quæ gererentur? reſpondit, ſe audiſſe quidem, ſed credere nondum potuiſſe. Quo reſponſo Fridlandi quæſtionem ſic eluſit, tenuítque ſuſpenſam, ut neque fidei conſtantiam adverſus Cæſarem læderet, neque Fridlandum irritaret: Aldringerus varijs protelationibus abſentiam excuſavit.

Coniuratos mittit ad exercitum.

Simul ac coaluerat iſta conjuratio, Fridlandus Schaftenbergium ablegavit ad copias, quibus Aldringerus præerat, Schafgotſchiũ verò in Sileſiam, cum mandatis, ut, quæ eſſent iſtis locis legiones, traherent in partem conjurationis, reddeféntque ad omnem nutum promptas & obſequentes. Miſit item Piccolominium in ſuperiorem Auſtriam, juſſum Salisburgenſium fines occupare, itáque munire, ut inde ſuppetiæ Italicæ poſſent ab Auſtriæ aditu prohiberi, ratus, cæteros Germaniæ ingreſſus ab hoſte ſic poſſe claudi, ut ex illis nihil eſſet, quod metueretur. Imperaverat quoque Piccolominio, ut, ubi primùm conjuratio in vim apertam erupiſſet, manus injiceret Aldringero, exercitum adduceret in partes, vel armis opprimeret, auxilio Schaftenbergij. Si quem Tribunorum notaret Fridlandi res averſari, eum loco moveret, alio, qui probè afficeretur, ſubſtituto. Conſilium erat, Paſſavium, Linzium, Crembſium, totum denique Danubium habere in ſuâ poteſtate, in Cæſarem arma vertere, Viennam invadere. Schafgotſchij partes erant, ubi legiones pellexiſſet ad defectionem, occupare Troppaviam, Neuſium, Lignizium, Gloggaviam unà cum armamentario; advigilare delectibus Hungaricis, eos diſſipare, denique eſſe expeditum ad omne Fridlandi imperium: poſtremò, in commune vetuerat, ulli Cæſaris mandato, cui ipſe non ſubſcripſiſſet, morem gerere.

Imponebat interim Aulæ Cæſareæ, ſpe pacis, quam vel capitis ſui periculo certam pollicebatur, petito à Cæſare, quò ſpecioſiùs fucum faceret, tractationum Collegâ. Ut verò aliquod honeſti ſimulacrum ſuæ perduellioni obtenderet, popoſcit à Cæſare, 1. ſibi mox repræſentari quadraginta Imperialium nummûm millia. 2. Debita jam olim militi omnia ſtipendia. 3. Ducatûs Megapolitani clientelarem aditionem: res videlicet, quas nôrat vel præſtari non poſſe, vel Cæſarem ex parte ſaltem negaturum. XV.

Addunt aliqui, voluiſſe ipſum cum hoſte paciſci, concedere in partes Regis Franciæ, & ad prima Veris ſigna, aperto Marte, Cæſarem ipſum & Regem Hungariæ invadere.

Detegitur coniuratio

Qui hæc improbabant, Galaſſus, Piccolominius, aliíque Duces, communi conſilio decreverunt totam conjurationis ſeriem aperire Cæſari, & re ipsâ aperuerunt. Acceſsêre varijs ex locis ejuſdem argumenti nuntij, ut, cùm jam Cæſar de Fridlandi facinore, déque ſuo periculo nihil dubitaret, denique mandata dederit ad præcipuos ſuæ militiæ Præfectos, ut, quâcunque demum fieri poſſet ratione, Fridlandum, Iloum, & Terskium in ſuam poteſtatem redigerent, dicturos cauſam eo loco iiſq; judicibus, quos Cæſar decerneret: id ſi nequiret fieri, è medio tollerent. Ne verò exinde in exercitu vel Imperio, Cæſariſve ditionibus motus aliquis oriretur, diplomate 13. Cal. Febru. dato, omnibus Tribunis, legionum legatis, aliiſque ductoribus edixit Fridlandi abdicationem, eóſque omni erga Fridlandum obligatione exolvit, ſimul mandavit, ut Galaſſo parerent. Adidit, non latere, quoſdam ex ductoribus, undecimâ die Januarij, longiùs eſſe progreſſos, quàm par fuiſſet, ſed quoniam hoc alicui incogitantiæ potiùs & alienæ frau-

Edictum Cæsaris in coniuratos.

XVI.

næ fraudi, quàm meditatæ aberrationi videatur eſſe adſcribendum, Sac. Cæſ. Majeſtatem id omne, cujus tandem cunque modi ſit, clementiſſimè condonare omnibus, præterquam Fridlando, duobúsque alijs conjurationis authoribus. Cæteroqui Sac. Cæſ. Majeſtatem velle omnibus eſſe perſuaſum, eam nihilo, quàm antè, benigniùs eorum in remunerandis obſequijs, in ſtipendijs, annonâ, cæteríſque rebus, quoad ejus fieri poterit, accuratam eſſe habituram rationem.

Cæterùm Fridlando vehementer erant ſuſpectæ Aldringeri comperendinationes: ergo ejus ſive demerendi, ſive explorandi negotium dat Galaſſo, ratus, ad hoc multùm valituram utriuſque neceſſitudinem & affinitatem. Quare juſſus ad Aldringerum proficiſci, de viâ convenit Baltaſſarem Marradium, monétque de ſtatu rerum ac periculis: pòſt eodem argumento prolixum miſcet ſermonem cum Aldringero: ex legionibus, quotquot poteſt, alligat partibus Cæſaris, Budwiſium, Thabor, Cæſari aſſerit: demum mittit Edicti Cæſarei exemplar de abdicato Fridlando quoquoverſum: denique præſidio Lintzij poſito, ſuſpectos conjuratóſque legionum Tribunos tamdiu ſecum habet in comitatu, donec eos, juſſu Cæſaris cauſam dicturos, Viennam mitteret.

Aldringerus Fridlandum vitat. Galassus Cæsaris edictum vulgat.

XVII. Ergo, cùm neque ſe Aldringerus ſiſteret, nec rediret ad Fridlandum Galaſſus, Piccolominius, ut occaſionem haberet elabendi, Fridlando ſuggerit, non vacare periculo, quòd Galaſſus non compareat; timendum eſſe, ut ne ipſi Aldringerus, qui ſe ſat apertè oſtendat averſari partes Fridlandicas, inſidiosè moras injiciat. Quare Fridlandus per Terskium mandat Piccolominio, quamprimum iter feſtinet ad exercitum, & legiones omnes ex hibernis in unum contractas, adigat in verba Fridlandi. Nec mora, Piccolominius profectus Linzium ad Galaſſum, ab ipſo protinus cum ter mille equitibus, & Bredanâ legione remittitur, juſſus unà cum Barone Suiſſæo vicina Pilſnæ, ipſámque Pragam Cæſari devincire.

Piccolominius a Fridlando discedit.

Cùm igitur Fridlandus ſentiret, non modò ſe ab Aldringero, ſed etiam à Galaſſo & Piccolominio deſeri, & noſſet Deodatum Tribunum clàm profectum per Pilsnam, ſe inſalutato, ſuóque injuſſu legionem duxiſſe extra hiberna; ſimul acciperet indies nuntios, ex quibus facilè colligebat, ſuas machinationes veniſſe in apertum, fabámque aliquam in caput ſuum cudi à Cæſaris conſilio, mandata ſparſit per omnem exercitum, quibus vetabat omnes ac ſingulos quicquam deferre Aldringeri, Galaſſi, & Piccolominij imperijs: jubebátque, ut ſibi duntaxat, Iloo ac Terskio morem gererent, ſimul mandabat legionibus, ut confeſtim Pragam omnes feſtinarent adverſus hoſtem, qui Bohemiæ immineret: & ſe iſthic quidem ad VII. Cal. Mart. futurum. Verùm cùm Galaſſus id conſilij jam prævertiſſet, cogitavit Fridlandus de adeundâ Sittaviâ, unde, Arnheimio propior, haberet receptum ad ſuas dynaſtias & viciniores legiones, quæ hibernabant in Sileſiâ, quas omnes ſibi ex aſſe credebat eſſe addictas.

Fridlandus advertit sua consilia esse prodita.

XVIII. Franciſcus Albertus Dux Saxo-Lauenburgicus noctu, XII. Cal. Mart. cum teſſerâ ſecuritatis, quam Fridlandus dederat, profectus eſt ad Bernardum Weinmarium, oſtenſóque Fridlandicæ conſpirationis exemplo, ipſi conatus perſuadere, ut cum univerſis copijs moveret in Bohemiam, ſéque ac cæteros Suecorum Duces Fridlando conſociaret. Sed Weinmarius, ratus Lauenburgico à Fridlando illudi, nullam habuit fidem ejus conſilijs, cùm nullis rationibus adduci poſſet, ut crederet, tot támque præclaris viris veniſſe in mentem, ut tam fœdæ in ſuum Dominum conjurationi nomen darent.

Weinmarius invitatur ad Fridlandi partes.

Eodem tempore, quo Dux Lauenburgicus Pilſnâ diſceſſit, Wenceslaus Rubenhauptius Bohemus nobilis à Kinskio miſſus eſt ad Oxenſternium & Feſquerium Regis Galliæ legatum, cum litteris ac teſſerâ liberi commeatûs, quibus Feſquerius ipſe, vel cum ipſius mandatis alius quiſpiam Pragam invitabatur.

Ad XI. Cal. Martias, Antonius Schliffius abijt in Sileſiam ad Schafgotſchium cum litteris Coloredo inſcriptis, & patente diplomate, quo jubebatur equitatum è Marchionatu Brandeburgico & Luſatiâ, laxandorum hibernorum obtentu, educere in Sileſiam, atque iſthic Schafgotſchij imperijs prorſus eſſe obnoxius.

Litteræ interceptæ indices conspirationis.

noxius. Litteras addiderat Lauenburgicus ad Preslavienſe & Oppelenſe præſidium, quibus monebantur præfecti, eos tutò cum Schafgotſchio poſſe communicare conſilia: quæ litteræ unà cum Schliſſio fuerunt Pragæ interceptæ.

XX. Ductores ſecundo Pilsnæ conveniunt.

Convenerant interea Pilsnæ ex militiæ Præfectis aliqui, quibus X. Calend. Mart. Fridlandus revocavit in mentem, ſe nuper eorum precibus inductum, ut perſtaret apud exercitum: & tunc quidem conveniſſe, ut ipſi ſuo ære legionum ſupplementa ſcriberent, ſe verò refundendæ impenſæ factum eſſe ſponſorem. Res interim eſſe mutatas: Aldringerum ex Imperio profectum in Auſtriam, eàrum regionum collectas avertere, è Styriâ nihil eſſe exſpectandum: ſe profectò ægrè laturum, ſi ſuis promiſſis & ſponſioni deeſſe cogatur. Eam ob rem illos eſſe convocatos, ut agant cum Iloo de rationibus expediendæ pecuniæ, & cavendi, ne quid ipſi capiant detrimenti. Aldringerum quidem Pilſnam eſſe vocatum, ſed obtentu curandæ valetudinis Frauenburgi ſubſtitiſſe. Ad hunc iviſſe Galaſſum, ſed hunc etiam, incertum quâ ex causâ, emanere. Fortaſſe utrumque adhuc venturum. Deinde, Deodatum cum ſuâ legione abijſſe: quò abierit, neſciri. Famam eſſe, multos ex eorum numero nuperum conſultum ſic interpretari, quaſi ipſe adverſus Cæſarem & religionem aliquid moliatur. Id verò à ſuâ fide & ætate eſſe perquam alienum. Multa nihilominus ex Cæſaris Aulâ poſtulari, quæ Romano Imperio probari nequeant. Ergo ſibi eſſe conſtitutum pacem componere, pro ſalute publicâ: Iloum ejus componendæ conditiones pluribus explicaturum: ad ejus tractationem ſe ſemper uſurum aliquorum Tribunorum conſilio, ſperare idcirco, ipſos ope ſuâ perinde præſtò futuros, atque ipſe cupiat eorum commodis viciſſim adeſſe. Ijſdem, illo ipſo die, oblatus fuit novus codicillus conſpirationis, cui ſua nomina ſubſcriberent. In hoc diſertè cavebatur, nolle ipſos adverſus Cæſarem aut religionem Catholicam, cui plerique eſſent addicti, quicquam admittere. Ex conceptis ejuſce libelli verbis jurârunt omnes: ſed reſtabat adhuc nodus, an videlicet pax, quam præ ſe ferebat Fridlandus, an ſtipendiorum exactio forent adverſus Sac. Cæſ. Majeſtatem, aut religionem, quarum rerum interpretationem ſibi uni Fridlandus reſervabat. Quamobrem iſtâ cautione, apud cordatos non evaſit ſuſpicionem cogitatæ defectionis; ſed eos pupugit, quòd velut fidei ſuſpectos adigeret ad novum juramentum. Soluto cœtu, aliqui Pragam, Terskius ad ſuas legiones, quæ cis Moldavum ſtativa habebant, ut eas Pilsnam adduceret, ſe contulerunt. Terskius vix pervenerat Rocazanum, cùm accipit litteras, quibus fiebat certior, Suiſſæum copias, quæ circa Pragam agebant, traxiſſe in partes Cæſaris, & ipſam Pragam occupâſſe præſidio. Iſthic vulgatum eſſe Cæſaris decretum, quo damnetur Pilsnenſis conſpiratio, & Fridlandus perduellionis reus habeatur: præter hæc Litmarizium conceſſiſſe in fidem Cæſaris. Quibus compertis, Terskius curriculo redit ad Fridlandum, admonet de ſingulis, perſuadet de adeundâ Pragâ mutare conſilium, &, Pilsnâ Bernardo Hamerlio commendatâ, Egram proficiſci, ubi curabant meri exteri ex Terskianâ legione, quos ſibi præ omnibus fidos arbitrabatur.

Novæ Fridlandi pedicæ, nova commenta.

Nova forma coniurationis.

XXI.

Ergo miſſis ad legiones mandatis, eas jubet properè ad IV. Calend. Mart. Egræ adeſſe: denique cum familiari comitatu, cum paucis conjuratis, novem turmis, & Terskianâ ac Lauenburgicâ legione, ducentíſque ſclopetarijs, raptim & fugienti ſimilis, ſe Egram proripuit ſine bellico inſtrumento, quod Pilsnâ, in eâ feſtinatione, evehi non potuit. Id ne poſtea Spaarius rei tormentariæ Magiſter aveheret, prohibitus fuit à Galaſſo, qui omnia circùm jumenta Pragam, jam ante Spaarij adventum, agi juſſerat.

Leslæo ſe expectorat.

Gordono legionis Vicario, qui Egrenſi præſidio præerat, venêre à Fridlando litteræ, quibus jubebatur Leslæum vigiliarum Magiſtrum Fridlando venienti obviam mittere. Leslæus VI. Calend. Martias, eundem Fridlandum Planâ Egram deduxit, & ſub veſperum civitatem ſimul eſt ingreſſus. In itinere Fridlandus, præter morem, Leslæo multa dixit de Pilsnenſi Comitio, de Cæſareo edicto,

tandémque de ſua defectione. Se verò citra Cæſaris opem ſat in ære habere, quo conſcribat exercitum, & ſi vel careret exercitu, alios non defuturos, qui ſuam cauſam non deſerant; multos eſſe Tribunos, qui larvâ poſitâ, brevi ad ſe cum legionibus ſint acceſſuri. Arnheimium & Franciſcum Albertum Lauenburgicum unà cum ſuo milite, ad nutum futuros: intra menſem habiturum ſe ſub ſignis tantum exercitum, quantum ad eam diem non habuerit. Ad extremum ſe moturum in Auſtriam, & Cæſari demonſtraturum, ipſum Hiſpanorum & Fœderatorum conſilijs deceptum, in Fridlandum fuiſſe nimiopere iniquum.

XXII. Egram ubi appulit, ex Joachimi valle locíſque finitimis evocavit omne præſidium, ut nemo eſſet, qui auxiliarijs venturis quicquam moræ faceret.

Butlerus cum sociis conspirationis deliberat. Fridlandus Leslæo se totum aperit.

Cæſaris judicium & tot defectionis argumenta fecêre, ut Butlerus Tribunus, Gordonus & Leslæus, capita inter ſe clàm conferentes, deliberarent, quid in tantâ rerum perturbatione tandem foret ipſis agendum. Primò viſum, dare Fridlandum in vincula. Sed cùm nocte concubiâ veredarius appulíſſet, Fridlandus Leslæum accerſit, jubétque habere portas civitatis apertas: mox lecto Cæſaris edicto, quod curſor attulerat, revocato in conclave Leslæo diſertè aſſerit, ſublatam eſſe ſpem omnem gratiæ apud Cæſarem reconciliandæ: proinde ſibi certum eſſe hoſtem, atque inprimis Birckenfeldium, qui advolabat cum bis mille alarijs, & mille peditibus immittere in Bohemiæ viſcera: per Iloum item, Cronacum & Forchemium invadere, arcem Blaſſenburgicam habere pro receptu. E Sileſiâ ſe à Schafgotſchio accepturum quatuor equitum millia & bis mille legionarios: Coloredum brevi fore in cuſtodiâ.

XXIII. Eâdem iſtâ nocte allatæ ſunt à Lauenburgico litteræ, quibus nuntiabat, Weinmarium omnibus Fridlandi poſtulatis tandem annuiſſe: id duntaxat eſſe reliquum, ut cum ipſo de ſociandorum armorum ratione conveniat: miſit etiam Fridlandus Eltzium ad Marchionem Culmbacenſem, acturum de modo ac loco habendi cum ipſo colloquij: útque Marchio Egram mitteret Muffelium, ex Fridlando cogniturum, quidnam cum Weinmario, non multò pòſt adfuturo, eſſet conventum. Habebat idem Eltzius in mandatis, ut, poſtquam Fridlandus cum Culmbacenſi foret collocutus, adiret Oxenſternium Sueciæ Cancellarium, & Galliæ Regis legatum, ut ab ipſis conſilia capeſſeret.

Butlerus, Gordonus, Leslæus coniurant in Fridlandum.

Leslæus ergo in eâ rerum deproperatione ratus nihil eſſe cunctandum, è veſtigio in Egrenſem arcem convolat ad Butlerum & Gordonum, perlectóque, quod Butlerus à Galaſſo acceperat, Cæſaris edicto, quia intra biduum Fridlandus cum propinquante hoſte copias erat conjuncturus, re probè expenſâ, judicârunt, nullam ſalutis publicæ rationem eſſe reliquam, niſi violentæ manus inferentur perduellibus. Ergo, datâ fide mutuâ, conjurant, ſe vitam potiùs in Cæſaris gratiam, quàm tam pulchrum conatum in opprimendâ perduellione poſituros.

XXIV. *Eos sibi devincire nititur Fridlandus.*

Ilous 5. Cal. Martias Fridlandi verbis Butlero, Gordono, & Leslæo addixit, fore ut non modò, quæ debebat Cæſar, ſtipendia accipiant, ſed etiam ad ſplendidiores præfecturas evehantur, ſi ſe totos Fridlando adjungant. Illi ad hæc, ſe quidem eſſe fortunæ militaris alumnos, atque illi facere ſtipendia, veruntamen retineri vinculo præſtiti juramenti. *Vos verò* (inquit Ilous) *Fridlandus ſupremus ductor iſto vinculo exoluet.* Illi, quaſi nutantes, popoſcêre breve admodum deliberandi intervallum. Die poſtero Fridlandus Egrenſem Senatum, civéſque in ſua verba adegit.

Tandem tres conjurati, rurſus conſulentes in medium, ſtatuunt, rei bene gerendæ modum fore, ſi Gordonus Iloum, Terſkium, Kintzkium, & Niemannum unius turmæ centurionem, qui in conjuratione Pilſnenſi Cancellarij partes egerat, ad cœnam invitaret. Invitavit: condixerunt. Sub horam quintam veſpertinam Geraldino Butlerianæ legionis ſupremo vigiliarum præfecto ſuum conſiliũ conjurati aperiunt, inducúntque in conjurationem. Tum ei dant negotium ſeligendi ſex notæ fortitudinis milites, qui conſilium exequantur. Pòſt, tres centurio-

turiones, è Butleri legione, adſciſcunt in ſocietatem juſſos iſtâ nocte habere in arce excubias. His ita diſpoſitis, ſub horam ſextam, quatuor invitati veniunt ad cœnam. Jam aſſederant menſæ, cùm triginta è Butleri gregarijs inducuntur in arcem, atque inter eos ſex illi ad executionem deſignati, qui in conclave cœnationi proximum ſeceſſerunt, cæteris præ foribus cœnaculi excubantibus, ne à rebellium famulitio quicquam moveretur. Hi inter cœnandum compellare Fridlandum non jam Cæſaris legatum, ſed ſuæ ſpontis dominum, qui nullius ſubſit imperio, & ſcyphos more gentis libare in orbem, pro ipſius ſalute. Jam erant menſæ ſecundæ bellaria appoſita ſub horam ſeſquiſeptimam, cùm Leslæus clàm jubet attolli pontem arcis ſubductarium, ſibi omnes portarum claves adferri, pérque adoleſcentem Geraldino indicari, jam nihil eſſe cur moretur. Mox ſex milites ſtricto ferro cœnationem ingreſſi exclamant: *Vivat Ferdinandus*! Ad eas voces tres pro Cæſare conjurati arma corripiunt, quaterni verò hoſpites momento conficiuntur. Cæde patratâ, Leslæus eveſtigio convolat in forum, exploraturus, eſſétne illic quicquam turbæ aut tumultûs. Egredientem ex arce conſpicati vigiles, cùm crederent unum eſſe è rebellibus, binos ſclopos in ipſum ſolvêre, tamen citra noxam. Iſto fragore excitatos in foro excubitores, & ad arma convolantes Leslæus bono jubet eſſe animo, &, narratâ Fridlandi defectione, perſuadet, ut ſublato proditore, venire velint in clariſſimi facti ſocietatem: apertâ deinde civitatis portâ immittit ex Butlerianis unam equitũ centuriam, qui vicos obequitantes, caveant, ne quid factionis oriatur. His de rebus Butlerus factus certior, cum Geraldino deſcendens ex arce, anticas fores diverſorij, in quo Fridlandus noctem agebat, & poſticas ex adverſo, quindenis hinc & illinc militibus demandat, immittítque in ædes Deverouxium natione Hibernum, cum ſex alijs haſtatis. Perrumpunt illi ad Fridlandum, qui excubiarum ſtrepitu excitatus, ſolo tectus induſio, exploraturus quid rerum ageretur, ad feneſtram conſtiterat. Sic ſtantem Deverouxius compellat his verbis: *Túne ille, qui hoſti exercitum jungere, & Cæſarem diademate ſpoliare voluiſti? Iam jam morere*; Ictum nihilominus diſtulit, ſi quæ fortè verba à Fridlando ultima acciperet, ſimul ſpatium ſe ad mortem comparandi concederet: ſed cùm Fridlandus nullâ voce editâ, ſtans brachijs explicatis, corpus vulneri objeciſſet, impactâ in medium pectus haſtâ, miſerum proſtravit. Atque is quidem fuit viri magni exitus, quem glorioſum potuiſſet nanciſci, ſi modicus eſſe ſuſtinuiſſet.

Ilous, Terskius, Kinskius et Niemannus ultimum coenantes.

XXV.

Interficiuntur.

Fridlandus occiditur.

XXVI.

Ejus tabularium mox ab ipſius nece fuit obſeratum, ſupellex relata in indicem, cadaver rhedâ vectum in arcem, & compoſitum cum funeris ac facinoris ſocijs. Monuêre ſubinde extemplo tres cauſæ Cæſareæ vindices, de totâ re, per citatos curſores, omnes legiones, útque ſibi ab hoſte, qui in procinctu eſſet, caverent. Leslæus ipſe rei geſtæ nuntius ivit ad Galaſſum, à Galaſſo ad Cæſarem. Moſerus Centurio cum equitum manu obviam à Butlero miſſus Duci Lauenburgico, à Weinmario, quicum egerat de armorum conſociatione, revertenti, ut eum, ſi quà poſſet, captivum Egram adduceret, Turſchenreutæ cognovit jam adfuiſſe hoſpitiorum metatores, & die poſtero ſecuturas aliquot hoſtium legiones. Pòſt paulò Lauenburgicum, necis Fridlandicæ adhucdum ignarum, cùm familiariter de Fridlandi defectione, de hoſtili ipſius in Cæſarem animo, de hoſtium adventu recenſentem audiſſet; juſſum arma ponere, & magna præmia, ne captivus fieret, pollicentem, Egram ſecum abduxit. Schafftenbergius ſecundum hæc Viennæ fuit datus in vincula, cui Cæſar vitam donavit, uti & Henrico Julio Duci Lauenburgico & Schliffio. Pilſnæ ſedecim, tum Tribuni, tum inferiores ductores, militari judicio, capitis ſupplicio fuerunt addicti, unà cum octo ſenatoribus Pilſnenſibus.

Lauenburgicus intercipitur.

Aliquot rebellium supplicia.

Schafgotſchium, qui Cæſarianis copijs in Sileſiâ præerat, unum è præcipuis Fridlandicæ factionis, Coloredus Olaviæ captum exarmatúmque, Glazium curavit abducendum. Quo cognito, Schafgotſchij Vicarius, qui cum mille octingentis curabat Troppaviæ, milites & cives Troppavienſes jurejurando obſtrinxit

XXVII.

Schafgotschius datur in vincula.

 adtuen-

Eius Protribunus res novas molitur in Silesia.

XXIIX.

ad tuendam Evangelicorum unionem, útque haberet, quos pro Schafgotſchij libertate permutaret, Cæſaris Commiſſarios attinuit in cuſtodiâ. Ad idem ſacramentum adegit Liebſchutzienſem & Jagerndorfenſem Senatum atque populum, captis omnibus, qui id locorum Cæſaris gerebant negotia. In his fuêre Comes Metichius Principatûs Oppelenſis & Ratiborini Capitaneus cum univers â ipſius familiâ: Opperſtorfius item, Dietrichſteinus, Donæus, Bœſius, Schlickius, Eberſteinius, Segerus Preslavienſis, Cæſari à conſilijs. Periculum erat ne talibus initijs nova aliqua factio conflaretur in Cæſarem: Duces exercitûs Cæſarei, quorum erat integra fides, Sac. Cæſ. Majeſtatem rogavêre, ut quamprimum ductores illos, qui juràrant in verba Fridlandi, ſive ij jam capti eſſent, ſive adhuc liberi, ab exercitu dimitteret, Hungariæ Regem copijs omnibus præficeret, penderet militi trimeſtre ſtipendium, deinde mitteret, quò vellet in hoſtem. Quam ob rem in Auſtriæ ſecundæ Comitijs decreta fuit collecta quadringentorum milliũ florenorum, qui Cæſari repræſentarentur, ſimul indictum, ut Provincia daret ſtativa aliquot legionibus.

XXIX.

In Bavariâ, Aldringerus exercitui præerat: Pilſnæ curabat Piccolominius, Lintzij Galaſſus, qui in omnem partem erat intentus, ne uſpiam novæ turbæ orirentur. Plurimùm rebus Catholicis obfuit iſta Fridlandi defectio, quam Sueci vertêre in ſuum commodum, & non contemnendos progreſſus. Pro ijs Ratisbonæ curabat Comes Turrianus ſenior. Bernardus Weinmarius, jam ſolutior metu Cæſariani militis nondum ſatis à Fridlandicis motibus compoſiti, à Cronacenſibus poſtulavit deditionem: verùm juſſus aliam quercum excutere, & memor eſſe cladis ad eam munitionem acceptæ, voti irritus, vertit iras in Donaſtauffium, arcem Bavarici imperij altero infra Ratisbonam milliari, quam, ut anno ſuperiore recenſui, deditione acceperat: eam ſuffoſſam nitrati pulveris incendio redegit in rudera. Guſtavus Hornius præſidium Bavaricum exegit Kaufburâ, Bibracum ad deditionem peracri obſidione compulit, Campidonam expugnavit: occupavit arcem, in quam obſeſſi refugerant, ob præfecti ignaviam, qui Reutæ poſtea capite luit culpam factæ deditionis. Sub hæc obſedit Memmingam auctus Ulmenſium & Ducis Wirtenbergiæ ſuppetijs, eámque 17. Cal. Majas, poſt egregiam in eâ propugnandâ à Comite Archenſi præſtitam operam, & fruſtra tentatam à ter mille Bavaricis equitibus depellendæ obſidionis expeditionem, redegit in ſuam poteſtatem.

Bernardi Weinmarii progreſſus.

Memminga ab Hornio capitur.

XXX.

Wilzburgum, Anſpacenſis ditionis egregium præſidium, quod à Bavarico milite tenebatur, id temporis in magnis erat annonæ & pabulationis anguſtijs. Tantâ præterea laborabat lignationis inopiâ, ut, cùm urgeret frigoris aſperitas, præſidiarij horas ab excubijs vacuas domi corporibus fovendis in lectis conſumerent. Accedebat aquationis ingens difficultas, eò quòd hoſtis eam prohiberet. Obſidebantur arctè, nec erat facile obſeſſis ſubvenire, itinere per ſylvam, quà omnino erat penetrandum, decuſſatis arboribus, admodum impedito. Plurimùm tamen intererat, ad Palatinatûs ſuperioris defenſionem & Bavariæ munimentum, eam arcem ſervari. Ergo Maximilianus Elector Schnetterum Tribunum, Ingolſtadij Præfectum, jubet cum delectâ armatorum manu arci importare annonam, ſimul experiri, poſsétne ab ejus obſidione hoſtis dimoveri. Ejusce expeditionis primus eventus ſucceſſit ex ſententiâ, cui ſecundus minimè reſpondit. Invexit enim Snetterus, hoſte nequicquam obſiſtente, commeatum in arcem, viâ per agreſtes expeditâ: verùm redeunti fortuna ſe præbuit inclementem. Hoſtis enim, uno circiter ab Eichſtadio milliari, eundem illum & Haslangum Tribunum non modò impedimentorum parte quatuórque vexillis, ſed etiam libertate exuit, cum alijs ductoribus & permultis gregarijs. Hanc cladem ſecuta eſt miſeranda prorſus Aichſtadij deflagratio.

Bavarici Wilzburgo annonam inferunt.

Redeuntes ab hoste profligantur.

XXXI.

In ſuperiore Palatinatu Birckenfeldius Weidam invaſit, muniítq; firmis operibus. Occupavit Neoburgum ad ſylvam Bohemicam & Sulzbacum: Tubaldus ſubegit Neokirchium, Eſchelium, Chambum, unáque cepit non exiguum annonæ & ni-

Birckenfeldius quædam

& nitrati pulveris apparatum. Secundum hæc, conatus eſt Bavaricos à Furtenſi obſidio depellere: ſed cùm, factâ jam deditione, propiùs acceſſiſſet, majoris tormenti globo ictus, brachio à corpore revulſo, mutilatus abſceſſit. LOCA IN PALATINATU SUPERIORE OCCUPAT. TUBALDUS BRACHIO MUTILATUR.

Ambergenſes præſidiarij cùm viciſſim vi ſubitâ, cæsisque, qui eò loci curabant, Suecis, Sulzbacum recepiſſent, Vilſecum caſtrum aggreſſi, à propugnatoribus cum aliquot ſuorum cæde fuêre rejecti. SULZBACUM RECIPITUR A BAVARICIS: VILSECUM FRUSTRA TENTATUR.

Cæteroqui magna æſtatis pars, nullo memorabili operæ pretio, à milite Catholico fuit conſumpta, dum rebus armiſque per Fridlandum turbatis, opportunè proſpiceretur. Agreſtes in Bavaria bellorum pertæſi, cùm nullum adhuc ſuarum calamitatum viderent exitum, ad Oeni confinia tumultuantes, ad arma concurrêre. Tumultus hic importunus magis fuit, quàm difficilis aut diuturnus. Ipſo propè initio, qui trans Oenum ejuſce fuerant authores, dati in vincula & ſupplicia, ſocijs, ad repetendas rei domeſticæ curas, documento fuêre. Cis Oenum, ſub annum ineuntem, confluxerat non exigua turba, ad ulciſcendas, & deinceps arcendas militum injurias, nullo hoſtis amicíve diſcrimine. Quicquid rationum ad pacandos animos adhiberetur, incurrebat in ſurdos cœcóſque acceptorum damnorum dolore. Ebersberga, municipium D. Sebaſtiani cultu inſigne, quinto à Monachio diſtat milliari. Eò convenerant agricolæ admodum ſeptingenti. His tela fuêre ſudes, bidentes, ſecures, omne, quod ira porrexerat, furoris inſtrumentum. Ex Ebersbergenſibus pauci ſe furentibus junxerant, ſed quia in eorum ſolo res gerebatur, cæteris fuêre habiti inclementiùs. Milites non magno numero ad 15. Cal. Febr. ad terrendos potiùs, domúmque retrudendos impetus (ita enim diſertè Maximilianus imperaverat) quàm ad obterendos miſeros, advenerunt. Auſi coloni, velut juſtam pugnam commiſſuri, municipio excedere: at ubi ordines adequitantes conſpexêre, territi tormenti campeſtris fragore, fugam arripiunt. Pars ferro cæſi in fugâ, pars in ruſticanis domibus. Alijs ſaluti fuerunt pedes, ſylvæ & paludes, in quibus latuêre, donec ira militis deferbuerat. Ignis injectus in ædes, hujus tumultûs anteſignanum, cum viginti duobus alijs, exuſſit. Iſta carnificina Maximiliano vehementer diſplicuit. Supplicium non evaſiſſent authores, niſi mitigâſſet ſententiam peccantium multitudo, ira laceſſita, & furor Martius, qui, ubi ferrum ſtrinxit, ſævit ſine modo, nec eſt ampliùs compos ſui. COLONI BOICI AD OENUM TUMULTUANTUR. XXXII. EORUM CLADES.

Stratagema in Auguſtanos meditatum, juſtóque diutiùs dilatum, cùm fama vulgâſſet, abijt in fumum, Suecis, tempeſtivè advocato majore præſidio, auctísque vigilijs, oſtendentibus, ſi qui Lycum jam tranſmiſerant Bavari, venirent propiùs, eos cum conſcijs & paratis certamen habituros. IRRITA MEDITATIO STRATAGEMATIS IN AUGUSTANOS.

Otto Rheni Comes, repetitâ obſidione, Sulzium coëgit ad deditionem non ſine ſuorum ſanguine: idem, Rubeaco ſubacto, præſidiarios tradidit cuſtodiæ, agricolas, qui eò refugerant, internecioni. In captivis fuerunt Baro Liechtenſteinius, multi centuriones, equitum magiſtri, & Vicarij. XXXIII. OTTO RHINGRAVIUS SULZIUM INVADIT, SÆVIT RUBEACI.

In Alſatiâ collegerant Cæſariani quinque circiter armatorum millia. Ex ijs ducebat Comes Salmenſis mille legionarios, trecentos alarios. E Lotharingis ſub ſignis erant nongenti. Mercius ex vicinis præſidijs legerat quingentos, cætera turba conſtabat ex colonis.

Otto Rheni Comes, in eos ducens longè majori numero, ſtantes in acie ad Watwilam, Martio jam adulto, poſt breve certamen fudit, cæſis nonnullis, capto Salmenſi Comite, Mercio Tribuno, Marchione Baſſompetrio, aliíſque tum ductoribus, tum gregarijs & impedimentis. Watwila deinde victori ceſſit, Senna, Thannæ, Enſisheimium, Befortum, & Huningenſe propugnaculum; quo amiſſo, res Briſacenſium factæ ſunt anguſtiores interceptâ Rheni navigatione. Bruntrutum denique & Altkirchium venêre in Suecorum manus. Cùm Neoburgenſes præſidiarij unam hoſtis incurſionem fortiter repreſſiſſent, fugâ elapſi, oppidum deſeruerunt: verbo, in Alſatiâ Cæſarianis erant adverſa omnia, Suecis ſecunda. CÆDIT CÆSARIANOS. OCCUPAT OPPIDA ALSATICA.

XXXIV.

Rheinfelda obſidetur.

Hi fortunæ ductum ſecuti, Waldshutâ & Lauffenburgo ſubactis, ductore Joanne Philippo Rheni Comite Rheinfeldam coronâ cinctam tormentis graviter arietârunt. Oppidum propugnabant Franciſcus Baro Mercius & Schmidius Chiliarchæ, viri in paucis fortes & bellicoſi, qui generoſæ propugnationis memorabile ſpecimen ediderunt. Oppugnationem exaſperavit cædes cujuſdam à Petrâ legati legionis, qui glande caput trajectus occubuit. Erat ille charus in primis Rheni Comiti: ergo novis machinis & globis punicis è Neoburgenſibus caſtris adduci juſſis, ultima quæque minari, omnem paciſcendi ſpem adimere, pontem obſidere, ne obſeſſi in oppoſitam Rheni ripam evaderent. Mercius contrà obfirmare animum ad quæque extrema, nihil non velle pro gloriâ & Cæſare experiri.

Collegerant per id tempus Wilhelmus & Hermannus Badenſes Marchiones mille quingentos circiter ex Watwillana clade ſuperſtites, quos Briſaco laboranti ſuppetias ducerent: verùm adversâ fortunâ, haud procul à Beforto oppreſſi, in Ducatum Luxenburgenſem ſeſe receperunt.

Rheingravius Friburgum Briſgoiæ occupat.

Friburgum Briſgojæ per idem tempus manus quoque dedit Rheingravio. In ſuburbio centum quinquaginta ruſtici auſi reſiſtere, ejus juſſu fuêre conciſi. Inde reverſus ad Rheinfeldam, acrem fecit adverſus obſeſſos impreſſionem. Verùm propugnatorum virtute repreſſus cum clade, ſenſit ſe in viros fortes incidiſſe. Ea fuit tam militum, quàm civium alacritas, ut Rheingravio Mercius renuntiârit, ſe illi ultrò ad colligenda ſuorum cadavera trihorarias inducias indulgere. Perſeveravit hæc obſidio ad uſque inclinantem Auguſtum. Mirum quanta egerint & ſint perpeſſi propugnatores, donec tandem deſtituti annonâ rebúsque alijs, & accisâ ſpe omni ſuppetiarum, poſt longam famem, perhoneſtas, quas hoſtis antè negârat, conditiones pacti, Conſtantiam abire ſunt permiſſi. Quacumque illis iter fuit, fuêre excepti tot honoribus, ut pluribus non poſſent, ſi vel reportatâ de hoſte memorabili victoriâ, vel lauro & opimis onuſti exuvijs, devicto hoſte triumphâſſent.

XXXV.

Rheinfelda deditur

Fœderati Catholici Hœxariam obſident.

In Weſtphaliâ Fœderati Catholici collectum diverſis ex locis exercitum, ad Tuitium è regione Ubiorum, luſtraverunt, ut Bœninghuſianis ſociati, caſtra moverent ad Viſurgim. Copijs univerſis cum poteſtate præerat Gleenus. Igitur XVII. cal. Majas Hœxariæ obſidionem admovent, muróque ad impreſſionem aperto, paratis jam ad inſiliendum legionibus, Gleenus oppidanos monet de faciendâ tolerabili deditione. Quatuor Suecorum, quæ præſidio erant, cohortes, & ſpes adfuturi in tempore auxilij, ſuasêre ſequiora. Lubuit ergo venire ad extrema. Quare Gleenus, ſigno ad incurrendum dato, jubet ire in obſeſſos. Id tantâ alacritate præſtitum, ut ſuperatis mœnibus & defenſoribus, miles irrumpens in oppidum, omne præſidium, civéſque penè omnes arma auſos induere, trucidaret, & victor obvia quæque diriperet.

Expugnant, diripiunt.

XXXVI.

Gleenus Haſſos cædit.

Gleenus potitus Hœxariâ, Bracheliam verſus contendens, X. Cal. Majas, Dalwicum ſupremum exercitûs Haſſici Vigiliarum Magiſtrum, & Wendenum Tribunum, cum duabus legionibus, totidémque Melandrinis cohortibus, habuit obvios. Eos undique circumfuſos, paucis fugâ elapſis, pleroſque ferro delevit, vel fecit captivos. In numerum captivorum venit Dalwicus graviter ſaucius, & Cratzenſteinius Chiliarcha. Melander, inopinatâ clade perculſus, copias reliquas traxit Hervordiam.

Vehlenius Beckumum invadit.

Eodem iſto die Baro Vehlenus, duabus ante ſolis ortum horis, improviſus Beckumi portam inſititio tormento perrumpens, irruit in oppidum. Concurrêre ad arma tum cives, tum præſidiarij; ſed oppreſſi, magno numero periêre. Direpto oppido, qui cædi ſuperfuerant ex tribus Haſſicis cohortibus, ad ſigna victricia fuerunt adacti.

Hamma. Luna hoſtibus erepta.

Arma inde verſa in Hammam & Lunam, (firma ſunt ad Lippam in Monaſterienſi Epiſcopatu præſidia) quæ deſperato auxilio ilicò dederunt manus. Lunenſibus decem millium Philippeûm, Hammenſibus alterum tantum & quatuor

tuor

tuor æneatum machinarum lytrum fuit imperatum. Venêre item in Catholicorum manus quadragena Philippeûm millia, quæ eodem loci Haſſicus quidam quæſtor depoſuerat. Harum civitatum fortunam aliæ ſunt amplexæ.

XXXVII. Georgius Dux Luneburgicus, ut hos rei Catholicæ progreſſus ſiſteret, quicquid potuit militis ab obſidione Hildeſij, quod ipſe tunc arctè cingebat, abeſſe ſine noxâ, duxit in Weſtphaliam, & cum Melandro conjunxit. Copijs utriſque haud procul à Sœſtena luſtratis, recenſiti duodecies mille pedites, & equitum centum viginti vexillationes, quibus acceſſerunt, ductore Beckmanno, quatuor legiones. Habuerunt ſimul triginta machinas curules cum idoneo apparatu.

Gleenus Hammam valido præſidio munijt, póſtque Lippâ trajecto, reflexóque in agrum Lunenſem itinere, caſtra habuit in vicino colle; tum, Lunâ numeroſo defenſore munitâ, Hammam ſe recepit. Eum cùm Haſſi feſtinando non poſſent aſſequi, Lunam tormentis verberatam coëgerunt ad deditionem, móxque Hammam verſus caſtra promoverunt, atque inde Weſtphalorum Monaſterium, ſub cujus mœnia Gleenus ſe receperat. Hammam intereà recepit Luneburgicus, indéque progreſſus, duxit in Gleenum, ut vel ad pugnam eum pertraheret, vel opprimeret circumſeptum. Verùm cùm Gleenus annonam, quam octogena plauſtra in Luneburgici caſtra vehebant, intercepiſſet, hic eſculentorum inopiâ coactus eſt ab incœpto deſiſtere, ſubacto Ludviſhuſio arce perquam munitâ. *Georgius Dux Luneburgicus Hammam recipit.*

XXXVIII. In Marchia Brandeburgicâ Sueci, ductore Comite Eberſteinio, Lanſbergam ad Viadrum Comiti Schlickio honeſtâ deditione eripuerunt, cùm Finckium Tribunum, obſeſſis ſuppetias euntem, antè cecidiſſent. Iiſdem minùs ſecunda res fuit ad Iretſchium. Eò venerant, ut, loco in ſuam ditionem redacto, Viadrum univerſum Cæſarianis adimerent: verùm repulſi cum clade, votorum irriti abiêre. *Lansberga ad Viadrum Suecis reddita.*

Tubadelio in Sileſia Mars fuit proſperior. Preslaviâ enim cum juſta armatorum manu digreſſus, Oelſium ſubitâ irruptione oppreſſit. Iſthic è Cæſarianis multi occubuêre, multi fuêre capti, exutíque non ſpernendis manubijs. *In Silesia Tubadelius et Goetzius rem gerunt.*

E diverſo Gœtzius Libſchutzium & Jagerndorffium in Cæſaris poteſtatem, Troppaviam verò in arctum redegit.

Inter hæc Maximilianus Elector Aldringerum juſſit Straubingam coronâ cingere. Civitatem tenebant Sueci octingenti, quibus imperitabat Borchauerus magnis animis, certus, non cedere, niſi magnâ vi cogeretur. Ergo mœnibus decem machinas admovit Aldringerus, tantámque ruinam edidit, ut, viâ apertâ, omnia ſpectarent generalem impreſſionem. Cùm nihil eſſet propius, quam ut miles ad eam duceretur, remiſêre Suecorum animi. Petunt igitur paciſcendi inducias, impetrántque, ut vitâ incolumi cum ſarcinis & armis, abſque tamen jumentis, abire liceat. Erant inter Suecos trecenti, qui nuper à Bavaricis ſignis defecerant. Horum cùm nulla in pactis eſſet mentio, agniti ad Bavaros rediêre. Illos cæteri manipulares ſecuti. *Straubinga recuperatur.*

XXXIX. In Superiore Palatinatu Bavarici ex Ambergenſi præſidio Naburgum, trucidatis excubitoribus, aliáque loca hoſti eripuêre, jámque cœperant Birckenfeldio eſſe formidini. Quamobrem ille, retentâ dunraxat Weidâ, Kemnato, & Auerbachio (quod Comitis Wahlij juſſu Schnabelius centurio ex improviſo, cæſo præſidio, recepit) totâ iſtâ Provinciâ deceſſit. Per id temporis Zweifelius unius turmæ præfectus, ductu Wahlij, memorabile facinus edidit decimo nono menſis Junij. Pridie ſub noctem, haud longè ab Hersbruco, Wahlius inſidias hoſti locavit. Ut aliquid de eo certi cognoſceret, quem dixi Zweifelium, cum ſexaginta levis armaturæ equitibus, miſit exploratum, tentatúmque, an quatuor Tubadelicæ legionis turmas, quæ haud procul inde aberant, ad inſidias poſſet prolicere. Illæ ad fluvium prope Herſbrucum excubabant, ponte, ne quà opprimi poſſent, dejecto. Ut primo diluculo venit in earum conſpectum *Recuperantur pleraque in Superiore Palatinatu.*

Zwei-

Zweifelius, finxit ſe amicarum eſſe partium, & cùm annonâ, quam Herſbrucum inveheret, adeſſe: properarent proinde reparare pontem, & commeatum recipere in tutum. Dictis habuêre fidem albæ mentis homines. Mox operi adhibere manus, Zweifelius ipſe adlaborare, urgere tardiores, pontem perficere. Potiſſima pars hoſtilium equitum omni metu curâque ſoluta, ſtabat ad lucentes focos. In eos Zweifelius per pontem ſubitò cum exiguâ ſuorum manu invectus, paucis exceptis, quos fuga ſervavit, omnes vel ferro concîdit, vel fecit captivos. Vigiliarum Magiſter, qui turmis præerat, unus centurio, aliique ductores in loco occubuêre. Equi plerique, ſigna equeſtria, venerunt in Zweifelij manus, qui, trajecto rurſus amne, pontéque deſtructo, ad ſuos ſe victor recepit. Tanti fuit ingenio ſimul & Marte valuiſſe.

Zweifelii Bavarici nobile ſtratagema.

XL.

Dux Wirtenbergicus arcem Hohenzolleranam fame expugnat.

Wahlius temporis uſus opportunitate, ſub exeuntem Auguſtum, vnicâ non multorum dierum expeditione, Kemnatum, ubi ducenti curabant, Barreitam & Vellenam, ejectis præſidijs, in Maximiliani Electoris poteſtatem redegit. In Sueviâ arx Hohenzollerana, poſt annalem propè obſidionem, fame domita, venit in Georgij Julij Ducis Wirtenbergiæ poteſtatem unà cum inſigni rei bellicæ apparatu.

XLI.

Hornius Uberlingam fruſtra obſidet.

Memmingâ, uti paulò antè recenſui, domitâ, Hornium inceſſit cupido acceptam in Conſtantienſi obſidione ignominiam adverſus Uberlinganos ulciſcendi. Stat Uberlinga in lacus Conſtantienſis angulo: cives in eâ fortes & animoſi, præſidium mediocre, magna in vicinis civitatibus fiducia, quæ ſanè obſeſſos egregiè adjuvêre. Conſumpſit in iſtâ obſidione Hornius, quicquid habuit virium & induſtriæ; ſed in caſſum, obſeſſis ſe acerrimè tuentibus tum ſuo Marte, tum Lindavienſium, Conſtantienſium, aliorúmque lacui finitimorum oppidorum auxilio, qui, Suecis nequicquam frendentibus, non annonæ modò, ſed armatorum etiam & bellici commeatûs continuè ſubſidia, per lacum civitati inferebant. Produxit quidem Hornius aduſque urbis umbilicum, per ſubterraneas ſuffoſſiones, igniarios furnulos, ita ut mediam propè in ſua manu habere videretur; ſed obſeſſi ſingulos vicos tot aggeribus ac foſſis interciſos munierant, ut, quicquid ignium erumperet, tutum adhuc haberent receptum. Tot fecêre támque ſecundas in hoſtem eruptiones, ut cæſis aliquot centurijs, evaſerint obſidentibus formidandi. Tandem fatigatus Hornius, Majo jam adulto, relictis quatuor legionibus, quæ circumſederent oppidum, cum reliquo exercitu diſceſſit.

XLII.

Gœrliziū, Bauzium, recuperantur a Saxoniæ Septemviro.

Saxoniæ Septemvir primis caſtris Bauzium juſſit obſideri. Golzius, cui loci cura erat demandata, ſuburbio ignem ſubjecit: cùm verò aura in tecta civitatis flammas intuliſſet, univerſa propè conflagrârunt. Golzius nihilo ſecius honeſtis conditionibus eſt abire permiſſus. Gœrlizium, à Principe Lobcowizio deſertum, Septemviro ſine vi patuit. Jam caſtra pervenerant Oſternizium, cùm accepto de Cæſarianorum in Voigtlandiam adventu nuntio, Majo ineunte, converſo itinere, miſſóque in Sileſiam Arnheimio Septemvir domum revertit.

Freibergerus Fridlandicus captivus Viennæ cauſam dicit.

Gœtzius Oelſam occupat.

Pugna ad Sittaviam victi Cæſariani.

In Sileſiâ Gœtzius Freibergero Schafgotſchij legato Troppaviæ obſeſſo, ſpe veniæ à Cæſare impetrandæ, perſuaſit, ut rediret ad priſtina obſequia. Vix ille Troppaviâ exceſſerat, cùm, Viennæ cauſam dicturus, venit in cenſum captivorum. Gœtzius ſub hæc Oelſam cum aliquâ ſuorum clade obſedit: verùm, repetitâ paulò pòſt cum quatuor armatorum millibus obſidione, civitatem atque unà arcem, quam Sueci quinquaginta inſederant, ſuæ ditionis fecit, captivúmque fecit præſidium. Oppelam deinde cum ſuorum luculentâ jacturâ fruſtra obſedit. Binas Suecorum cohortes per Croatas, alióſque levis armaturæ equites ad Preslaviam oppreſſit, & incendit Preslaviæ ſuburbia. Arnheimium à Sittavienſi obſidione Lignizium verſus rejecit. Hîc juſtâ acie cruentum prælium eſt per tres omnino horas commiſſum, pari ferè utrinque ſtrage & ancipiti victoriâ, donec tandem Cæſariani, pedem referentes, Lignizium ſe recepêre, amiſſis tribus tormentis, & Tribunis aliquot, qui venêre in manus Saxonum.

Poſt

Poſt eam victoriam, Arnheimius confeſtim, occupato Stenavienſi propugnaculo, è quo Cæſariani ponte dejecto profugerant, ponte reſtituto, movit Gloggoviam, eique admovit obſidionem. Invaſit deinde Nambslavienſe præſidium, expugnavit Oelſam & Bernſtadium. Francofurtum ad Viadrum ſubegêre Sueco-Brandeburgici, præſidiarijs, vitâ incolumi ſalvíſq; ſarcinis, abire permiſſis. VARIA LOCA CÆSARIANIS EREPTA. XLIII.

In Bavariâ fiebant per æſtatem magni ad bellum apparatus. Quamobrem Suecos, qui Ratisbonam occupabant, impendentis obſidionis ſolicitudo invaſerat, quam auxêre litteræ quædam interceptæ, quibus nuntiabatur, Maximilianum ad Ratisbonam recuperandam animum adjeciſſe, ut exinde demum hoſtis Bavariam infeſtare deſineret. Quamobrem Kaagio Gubernatori curæ fuit, annonam, pabulum, réſque ad defendendam obſidionem neceſſarias, ex agro vicino importare. Cùm ad eam rem centum quadraginta currus, additis quadringentis defenſoribus, in Straubingenſem agrum miſiſſet, Straubingenſes præſidiarij, cùm manu expeditâ in eos miſſi, tam feliciter rem geſsêre, ut cum vecturis & magno captivorum numero, multis in loco oppreſſis, domum redirent. CLADES SUECICORUM PABULATORUM IN AGRO STRAUBINGANO.

Cæſar in Bohemia & hæreditarijs Provincijs ingentem exercitum conſcripſerat, cui Ferdinandum III. Hungariæ Regem, cum ſumma poteſtate, magnâ omnium ſpe & approbatione, præfecit ſub ineuntem Junium. Recenſito in Bohemiâ milite, adſcitíſque tribus Hungarorum millibus, magnâ in Boicæ finibus annonæ copiâ comparatâ, Rex movet in ſuperiorem Palatinatum, quò ſibi ad Danubium Bavaricas copias adjungeret, cúmque his Ratisbonæ obſidium admoveret. Primum Regis agmen ducebat Galaſſus, in Bavariâ curabat Aldringerus. CÆSAREUS EXERCITUS SUB REGE HUNGARIÆ.

Weinmarius, luſtratis copijs viginti millium (octodecim alij ſcribunt) movit Kelheimium, & ſtructo ponte per Danubij confinia ad Auſtrum, deſcendit Ratisbonam, ut primùm quidem trecentis equitibus augeret urbis præſidium, deinde, ſi copia fieret, cum Bavaris confligeret. Verùm hi ponte, quo Danubium ſtraverant inter Ratisbonam & Donaſtauffium, Straubingam translato, in adverſam Danubij ripam caſtra moverant, neglectâ (quod Maximilianum malè habuit) pugnandi occaſione. XLIV. WEINMARIUS REDIT IN BAVARIAM.

Incidêre interea in Weinmarij præcurſores Croatæ, & pauci alij Bavarici equites, qui manibus collatis, trecentis quinquaginta deſideratis, fuſi fugati fuerunt. Bloſcovizius Croatarum tribunus captivus Ratisbonam ductus eſt. EQUITES ALIQUI CÆSI A WEINMARIANIS.

Weinmarius in collem vitiferum, qui eſt è regione Ratisbonæ, quadringentos ſclopetarios, & aliquot catervas equitum, ultra verò Reginum amnem, qui prope Ratisbonam in Danubium influit, ducentos equites, totidémque pedites immiſit, qui Cæſarianas ſtationes ſubinde carperent. Id tentaverunt quidem, ſed nullo operæ pretio. Sueci dehinc, tormentis in vineto collocatis, caſtra Cæſariana, quæ in monte ſtabant exadverſum, cœperunt petete, ipsíque viciſſim peti à Cæſarianis, nullâ propè noxâ, niſi quòd Corvillæus ſupremus apud Weinmarium vigiliarum præfectus, miſſili globo confectus, malum ſuis omen præbere viſus eſt. Quare Weinmarius, motis ex iſto clivo caſtris, ſe recepit in urbem. Inſtauraverant inter hæc Bavarici pontem infra Donaſtauffium, per quem copiarum partem traduxerunt, ut ex utrâque Danubij ripâ Ratiſbonam cingerent. Ergo clivo, qui à meridie urbi vicinus eſt, occupato, triginta æneis machinis in adverſum propugnaculum horrendùm tonare cœperunt. Weinmarius, cognito, Bavaros ex eo colle, in quo caſtra foſſis & aggere apprimè munierant, deturbari non poſſe, ne ipſe, frugibus per tantam ſuorum multitudinem fruſtra conſumptis, annonam flagellaret in urbe, relicto quatuor millium præſidio, cum cæteris copijs diſceſſit in Franconiam. CASTRA AD RATISBONAM.

Exinde Bavarici majore, quàm antè, vi inſtiterunt verberando mœnia, diem propè integrum fulmina continuare, nullâ tamen ferè muri labe. Fecêre nihilominus tergeminam impreſſionem, ſed cum inſigni ſuorum clade. Cives nihilo quàm milites erant ad militaria munia minùs expediti, ſed eò nocentiores, quòd ſtriatis ſclopis tela certiùs deſtinabant ferè ſemper noxia. Interemêre viros for- XLV.

ros fortes permultos, & in ijs Crivellium legionis Bavaricæ legatum. Adulto Junio ad caſtra Regis Hungariæ, quæ Borealem Danubij ripam occupabant, acceſsêre quatuor Hiſpanicæ legiones. E caſtris Bavaricis acriter civitas urgebatur non tormentis modò, ſed etiam foſſione ſubterraneâ;, cui diſcutiendæ obſeſſi graviter inſudabant. Regij in verberando ponte multum operæ poſuêre nullo propè emolumento. Omnem Nabi fluminis oram caſtráque tam validis operibus Rex protexerat, nullæ ut ad obſeſſos ſuppetiæ ex ea regione poſſent penetrare, nemo è civitate citra præſens periculum efferre pedem.

XLVI. Bavarici recipiunt Kelheimiũ. Kelheimium interea, quod à Roſa Ductore Suecico, tertio ſupra Ratisbonam milliari, tenebatur, Danubij navigationem & commeatum claudebat obſidentibus, aperiebat obſeſſis. Ergò è caſtris Bavaricis expedita ſex militum ſelectorum millia, qui Roſam inde ſubmoverent: ſuſtinuit ille brevem obſidionem, ſed eo eventu, ut ad deditionem compulſus, traditis quatuordecim vexillis, cum ſexcentis militibus diſceſſerit 6. Cal. Julij. Hòc remoto obice, acriùs indies obſeſſi premebantur. Ad pontem nauticum, qui Danubium jungebat infra civitatem, additus eſt alius, qui ſuprà jungeret. Per utrumque impune citráque periculum ultro citróque commeabant exercitus. Nulla erat obſeſſis ab ignibus miſſilibus, nulla ab arietatione quies ab utriſque caſtris, unde non tecta modò, ſed etiam mœnia turréſque lacerabantur.

Maximilianus venit ad castra. Mox ubi Maximilianus venit in caſtra, cœpit ipſe opus urgere, inſtare operibus, obire valla, luſtrare aggeres, & vineas (quæ lentè adhuc proceſſerant) ad ipſum urbicæ foſſæ marginem promovere, ita ut excubiæ mutuas voces utrinque audire poſſent & intelligere. Statim, ubi novus oppugnantium fervor obſeſſos advertit, conjecêre, adeſſe Maximilianum, & verò etiam conſpexêre obequitantem inter tela, quibus eum ex comitatu obſervatum, petebant non ſine præſenti periculo, eo præſertim die, quo unus ex ipſius ephebis, commoti ab emiſsâ majoris tormenti pilâ aëris impetu, ex equo decuſſus, propè à morte abfuit.

Cæsariani expugnant propugnaculum. Hungariæ Rex, qui magno animo & alacritate ſuos etiam urgebat, per id temporis propugnaculum ponti urbico adſitum, retruſis intra mœnia defenſoribus, cruentâ impreſſione expugnavit.

Weinmarius premit Forcheimium. Dum iſta gererentur, Weinmarius Forchemium foſsâ & aggere, additis quinque propugnaculis, ſic circumſepſit, ut rivo, quo agebatur Forchemienſis molectrina, aliorſum averſo, circumſeſſis non levem moleſtiam adferret. Subinde auctus decem millium copijs, quas Hornius in Bavariam infuſus, Aichâ occupatâ

XLVII. Redit in Bavariam. & pene exciſâ, ad ipſius caſtra duxerat, conſilium cepit de ſolvendâ Ratisbonæ obſidione. Deliberatum inter duces, magíſne conveniret, rectâ movere in hoſtem, an, ſuſceptâ in Bavariam expeditione, hoſtis vires diſtrahere. Primum viſum eſt glorioſius, ſecundum tutius. Ergo feſtinato per Friſingam & Mosburgum itinere, 13. Cal. Auguſt. Landishutæ nobili Boicæ civitati caſtra admovet,

Landishutam obsidet. miſsóque tubicine liberum tranſitum poſcit & lytrum, quod cives, anno abhinc tertio, Guſtavo Regi addixerant, cum aliquo etiam fœnore. Negata poſcenti omnia. Igitur indictâ mox oppugnatione, jubet imminentium collium ſupercilia occupari: ipſe ſibi ſumit arcem, Hornio committit civitatem, eodem tempore, expugnandam.

Maximilianus, ſoli natalis amore, Regiſq; conſenſu, ſub Aldringero mittit obſeſſis duodecim milliũ auxilia. Arrecti civium animi, conſpectis in proximo trans Iſaram flumen tantis ſuppetijs, quibus per pontẽ tutus erat in civitatem acceſſus. Credebatur res ſpectare diuturnã obſidionem: ſed aliud erat in fatis. Dum quatiuntur arcis & urbis mœnia, Aldringerus cum aliquot centurijs urbem ingreſſus, de propugnatione conſultabat, cætero exercitu extra mœnia rei eventũ inſpectante. Suppetiæ intra muros receptæ hoſtiũ multitudini prorſus erant impares.

XLIIX. Expugnat expilat. Inter hæc Weinmarius ad arcis juxtà & civitatis latera tergeminam muri ruinam ediderat. Agebatur dies D. Mariæ Magdalenæ ſacer, cùm ſigno ad oppugnationem dato, Weinmarienſes arcem aggrediuntur. Obſeſſi primùm trabes in ſubeuntes

euntes provolvere, telorum ac ſcloporum procellam opponere, multos obterere, tum ardorem remittere paulatim, denique obrui multitudine irrumpentium. Inter hæc à propugnatoribus an ab hoſte, incertum, grande ortum eſt prope arcis mœnia incendium, quod hinc metum, illinc attulit audaciam. Ergo hoſtis duplici aditu in arcem enixus, ferro, ſanguine omnia miſcere, proterere, fugare obſtantes; exinde, torrentis inſtar per montis declivia, pérque ſinuoſas vias in civitatem ruere, præſidiarios paulatim pedem referentes cædere, obruere, propellere ad pontem, qui cedentibus patebat ad receptum. Milite ejecto, quaquaverſum ſævitum eſt in cives, plateæ ſtratæ cadaveribus, incendium in urbis meditullio excitatum aliquot ædes redegit in parietinas. Effugium interea, ídque turbatiſſimum per Iſaræ pontem à promiſcuâ turbâ confertim quærebatur: hærebat viro puer, eques pediti, ipſa ſingulorum feſtinatio omnium exitum morabatur. Ex fugientibus pars compreſſi, pars eliſi, vel calcati, plures ducentis in ſubjectum flumen à confertâ multitudine è ponte excuſſi, & hauſti vorticibus. Jam ultima clades ad Aldringerum pervenerat, eáque interfectore incerto. Memorant aliqui à ſuis duplici globo trajectum: alij evaſiſſe in pontem, atque in fugâ ſauciatum à cive, & equo effuſum, exanimatúmque rhedâ fuiſſe avectum. Fuit Comes Aldringerus patriâ Luxemburgenſis, per omnes militiæ gradus evectus ad Comitis & caſtrorum Ductoris generalis dignitatem, Cæſari charus & fidus. Illum adverſantis fortunæ & æmulorum ictibus viſa ſunt fata tempeſtivè ſubduxiſſe. XLIX. ALDRINGERI MORS. PATRIA, NATALES.

L. Hoſtes interea victoriam per omne diritatis genus exercuerunt. In æde ſacra D. Martini oſſa S. Caſtuli cum alijs Divorum Lipſanis confuſa, projectáque per pavimentum ſparſêre, thecas argenteas vertêre in prædam. In homines ſacros, tametſi nihil armorum attigiſſent, atrox fuit exercita crudelitas: trucidati aliqui intra domeſticos parietes furore & odio religionis: cæſorum cadavera projecta in flumen. Aliqui fune ducto circum tempora, & in arctum coacto gyrantium manibus, excruciati, ut gazæ latentis indicium facerent. Alij infusâ per vim aquâ, & è ventriculo à calcantibus tortoribus egurgitatâ (Suecam potionem id tormenti genus vocant) horrendum vexati. Extorta à privatis quibuſdam lytri, quod nullâ ratione præſtari poterat, nomine totius civitatis per aliquot dierum immanem direptionem jam prorſus exhauſtæ, violenta promiſſio, pro quâ obſides in longam & præduram vexationem abducti. Atque hæc quidem rudis eſt, ſed vera Landishutanæ calamitatis effigies, quam nullus ſtylus ſatis poſſit exarare. SÆVITIA VICTORUM.

LI. Dum obſideretur Ratisbona, Joannes Werthius aliquot ſtipatus turmis equitum, omnem latè regionem, ipsóſq; fines Norimbergenſium, in quibus ſe Weinmarius id temporis continebat, juſſus fuit explorare, atque ad omnem hoſtis motum eſſe intentus. Ille prope Rhainam catervam unam ex Hornianis aſſecutus, cum clade in caſtra, quæ ad Fridbergam Hornius locaverat, repreſſit.

Cæterùm Ratisbona, quæ alterum jam ferè menſem premebatur, ad extrema devenerat. Vix tantum ſupererat pyrei pulveris, ut vel duabus impreſſionibus foret ſatis: nulla audiebatur fama, ſpésve venientis auxilij, Weinmario alibi occupato. Et jam fornaculæ ſubterraneæ minabantur murorum ruinam. Ergo non civibus modò, ſed etiam præſidiarijs viſum, animos adijcere ad mitiora & propiora ſaluti. Quare, impetratâ à Rege Hungariæ tractandi, & ultro citróque commeandi facultate, conventum tandem eſt in leges deditionis. Atque hic quidem finis fuit longæ, cruentæ, ac ſumptuoſæ obſidionis 7. Cal. Auguſti. Sub id temporis trecenti pedites cum parvâ catapultariorum equitum manu, Forchemio Bambergam miſſi à Tribuno Friderico Schlezio, ut inde annonam ab hoſte relictam reveherent, à Weinmarianis in urbe circumventi, centum exceptis, qui fugâ Forchemium evaſerunt, cæſi captíque. Georgius Marchio Brandeburgicus in Bambergenſi ditione ſeptendecim templa, arces undecim, ſeptem oppida, multos pagos, ad quater mille domos flammis exuſſit. RATISBONA DEDITUR.

Weinmarius, compertâ Ratisbonæ deditione, Bavariâ relictâ, cum Hornio trajecit Danubium. Sub ineuntem Auguſtum Kaufbura, excubitoribus ex improviſo oppreſſis, fuit Suecis erepta & expilata, captis vicenis quinis ſupra centum præſidiarijs, & quinque civicis Senatoribus.

LII.

Regis Hungariæ progreſſus.

Ferdinandus Hungariæ Rex, Ratisbonâ in ordinem redactâ, ſolutâque Forchemij obſidione, caſtris adverſo Danubio motis, Wendlingâ ſubactâ, paucis pòſt diebus Donawerdâ Suecos pepulit, quingentos è Schlamerſtorfianâ legione Comes Strozzius, decimâ ſextâ Auguſti, partim cecîdit, partim cepit. Tum Rex Lavingâ, Gundelfingâ, Heideckâ, Gunzenhuſio, alijs circùm locis potitus, movit in Vindelicos. Nœrdlinga, quam olim Aras Flavias dictam, & à Veſpaſiano Imperatore conditam Latini ſcriptores volunt, militi ex rerum ſucceſſu, & nonnullâ refocillatione ad magnas ſpes erecto, objecta eſt, quæ coronâ obſidionali cingeretur.

Nœrdlingæ obſidio.

Dux Lotharingiæ copiis Bavaricis imperat.

Maximilianus Elector ſuis copijs Carolum Ducem Lotharingiæ cum ſummâ poteſtate præfecerat, & Ferdinandus Hiſpaniarum Infans Cardinalis, adducto per Rhætiam & Tirolim ex Inſubribus exercitu, Bavariam ingreſſus, contendebat in Belgium, futurus, ſi res poſceret, rei Catholicæ in Germaniâ auxilio.

Adventus Ferdinandi Hiſpaniarum Infantis.

Sueci, contractis Weinmarij & Hornij legionibus, ſtatuerant omni ope adeſſe Nœrdlinganis, quibus, cum certâ ſpe majoris ſubſidij, trecentos auxiliares, Cæſarianis nequicquam obſiſtentibus, immiſerant. Fervebat nihilominus obſidio, & jam incipiebat Nœrdlinga periclitari, cùm Cardinalis Infans cum ſuo exercitu ad regia caſtra pervenit.

LIII.

Primo conflictu Cæſariani cladem accipiunt.

Weinmario igitur viſum, diſſentiente licèt Hornio, nihil cunctari, quò minùs obſeſſis iretur ſuppetias. Advenêre in tempore Wirtenbergica ſubſidia, Cratzianæ copiæ, & quicquid armatorum à Cagio aliiſque potuit contrahi. Ergo Nonis Septembris, Sueci caſtra metati ſunt in monte Arenbergio. Illic aliquot Cæſarianæ turmæ eorum adventum opperiebantur. Ab his Cratzius & Satlerus primo impetu fuêre rejecti: ſed ijdem mox firmati ſubſidio, occiſo Duce Aldobrandino, qui fortiſſimè pugnabat, Cæſarianos ſui ductoris caſu perculſos, ſeptem vexillis potiti, ex iſtâ ſtatione depulerunt. E Suecis occubuêre Ohemius & Hofkirchius: Pandorfius verò vulneratus. Prima hæc ubi Weinmarianis proſperè ceſſerant, promovêre aciem ad ſylvam per montem Arenbergium, cujus ſupercilium, in quo ſe modicus campus aperiebat, quadringenti Hiſpani inſederant. In hos immiſſa à Weinmario ſclopetariorum manus, repreſſa pedem retulit: ei juſſus ſuccedere Vicethumius, perinde repulſus fuit die jam ad tenebras inclinante.

Hoſtem deinde reprimunt.

Ergo cùm nihil tum ultrà tentari conſultò poſſet, noctem ſub dio, inſtructâ acie, Cæſariani juxtà ac Sueci egêre: & hi quidem ad ſylvæ marginem, ſubmoto priùs, ex ſtatione proximâ, trecentorum Cæſarianorum præſidio. Die poſterâ ventum eſt ad ſupremam dimicationem, cœlo albeſcente. Rex Hungariæ juſſerat Galaſſum ordines habere tempeſtivè in acie diſpoſitos. Primus conflictus fuit adverſus Hiſpanos, quos omnino Weinmarius decreverat è colle ſubmovere, ratus, in eo ſtare momentum victoriæ. Cùm enim inde, velut è propugnaculo, ſubjecta vallis quaquaverſum patens poſſet infeſta reddi jaculationibus, credebat nihil tutò infrà poſſe tentari, dum iſte locus foret in Regis poteſtate. Sed eam ſtationem, ſuaſu Ducis Lotharingiæ, qui locum inſpexerat, non modò tribus in gyrum parmis, curulibus machinis, & aggere, ſed etiam recenti milite Regij per nocturnum otium firmaverant.

Iuſtum prælium ad Nœrdlingam.

LIV.

Sueci, ubi paulùm diluxerat, ad iſtud faſtigium ordines ducere inſtituunt. Eò motum dextrum aciei cornu, in quo curabat Hornius, per iter anguſtum & confragoſum. Subeuntibus, magnis animis obſtabant Hiſpani, nec arduum erat, in iſtis viæ anguſtijs, à paucis ingens agmen ſuſtineri. Rectâ nihilominus progreſſi fuêre Sueci pedites, equitatu per ambages invecto. Succeſſêre tormenta, quæ in Hiſpanos librata, cæperunt fulminare. Vices reponebant Hiſpani cum Sueco-

Suecorum luculentâ ſtrage. Concurrerunt initio, hinc Burgundica, inde Wizlebij legiones. Hæc à Burgundis ſubmota, duobus vexillis exuitur. Hornius ſubmiſſo duarum catervarum ſubſidiò, duas parmas triaque tormenta invadit, pulſis è loco duabus legionibus, & interempto utriuſque Tribuno Comite Salmenſi, & Wurmio. Exinde ſuperato vallo, Sueci Hiſpanicis permixti, propugnaculo potiuntur. Sed quæ mira Dei providentia, dum incauti huc illuc Succi feruntur, ſcintilla ex nitrato funiculo in pyreum pulverem illapſa, ingenti fragore atque impetu, non modò Suecorum quammultos disjectos diſtractóſque ſuſtulit, ſed perculit omnes tanto terrore, ut dati in fugam, nullâ vi aut cohortatione potuerint ad propugnaculum reduci. Sic Hiſpani & amiſſa tormenta & propugnaculum recuperârunt.

Hæc dum in eo ſunt, ala ſiniſtra, quam ducebat Weinmarius, medio inter ſylvam & urbis planiciem ſpatio, cum Lotharingiæ Duce manus conſerebat. Pugna hîc acerrima pariter & cruenta, nutans victoria, donec everſo Weinmarij equitatu, viſa eſt ad Ducem inclinare: ut enim fuſi alarij, ad laterâ montis Arenbergenſis ſeſe receperant, legiones periculum cœperunt æſtimare. LV. *Ricc. p. 600.*

Turrianus cum flavâ Suecorum legione Hornianis ſubſidio venerat; ſed ab Italicis legionibus malè fuit exceptus. Equitatus in colle manus ſæpe conſeruit, ſorte Suecis ſemper adversâ. Et jam recentes ex Hiſpanicis catervæ in collem ſubierant, cùm tandem Succi, permultis amiſſis, ne ampliùs tormentis paterent, ad ſuas ſe machinas retulerunt, quas ad pagum Hirnheimium locaverant. Iſthinc, reſtitutâ acie, enituntur in vicinum montem cum aliquot machinis. Verùm læva Weinmarij acies ſuperata tandem, laxatiſque dilapſa ordinibus, ſimul traxit Hornianum equitatum in fugam, legionibus, impedimentis, tormentiſque deſertis. Ergo totâ prælij mole in Suecicas legiones incumbente, fractæ, confuſæque cædentium ferro patuêre. Omnes propè ad internecionem deletæ, ijs duntaxat ſervatis, quibus victorum ira, ſpe lytri, pepercit. Weinmarius cum parte equitatûs, deſperatâ victoriâ, ſe periculo tempeſtivè ſubduxit. Cecidêre eo prælio ut minimùm duodecim millia, quatuordecim aliqui numerant. Sex millia venerunt in victorum manus. In ijs Guſtavus Hornius, Comes Cratzius, Roſteinius, Schavelitzkius, alij inferioris notæ ductores quamplurimi. Junior Marchio Fridericus, Zerotinus, Scheidewinus, Witbergerus, complures alij tum Tribuni, tum vicarij, occubuêre. Plurimi, è quibus Hofkirchius, ſauciati. Capta octoginta tormenta, quatuor curruum millia, equi mille ducenti, ſigna militaria trecenta, quæ miſſa ad ſummum Pontificem, in Vaticano aliiſque templis Romæ pependêre. E Cæſarianis & alijs deſiderati mille ducenti, in quibus Achatius Chiliarcha inter Regem & Infantem Hiſpaniæ glande proſtratus, Dux Aldobrandinus, Picolominius Junior, Billæus, San-Martinius. Ràrò aliàs tantâ contentione dimicatum: octo horas pugna tenuit cum incredibili ardore animorum. Si conſilium Ducis Lotharingiæ, de hoſte cum parte copiarum eveſtigio proſequendo, locum habuiſſet, poterant hoſtiles reliquiæ haud operosè deleri: cunctatio ſpatium dedit Weinmario, ad Hailbrunnam ſuorum fugam colligendi: & demum ad Francofurtum novum formandi exercitum, in quo fuêre octo millia equitum, qui ſtipendiorum defectum cauſati, tumultuantibus ſimiles, populationibus, aliiſque militaris licentiæ exemplis, Francofurtenſes ad pendenda multa Imperialium talerorum millia, & ſuſcipiendam intra muros legionem, adegerunt.

Vicethumius recenti subsidio Hispanos in propugnaculo rursum aggressus.

Nœrdlingenſes, iſtâ ſuorum calamitate perculſi, cùm nulla ipſis, niſi in Regis clementiâ, ſpes ſalutis ſupereſſet, cum libello ſupplici, quo ſuam perfidiam profeſſi, culpam deprecabantur, exorârunt, ut in Cæſaream protectionem receptis, admiſſæ perduellionis veniam à Cæſare impetrarent, eâ lege, ut fœderibus omnibus, quæ Cæſari adverſarentur, novo ſacramento damnatis, mox Regi portas aperirent. Præſidio armis inferioribus accincto indulta eſt facultas cum ſarcinis abeundi. LVI.

Nœrdlinga Regi Hungariæ deditur.

 Victo-

Victoriæ nuntium ad Maximilianum Electorem, Brunovij ad Oenum agentem, juſſu Ducis Lotharingiæ, tulit Marchio Baſſompetrius ipſo natæ Virginis feſto. Deo victoriæ authori gratiæ, quantâ fieri potuit celebritate, redditæ, & pijs occiſorum manibus fuit parentatum.

Cardinalis Hiſpaniarum Infans cum exercitu laureato contendit in Belgium, ubi, triumphantis in modum, à gratulantibus fuit exceptus.

Rex Franciæ Suecos erigit.

Viſa fuit Catholicorum fortuna, quam tot antè clades afflixerant, caput extuliſſe, Proteſtantium audacia remittere, deprimi Suecicorum armorum exiſtimatio, quam Rex Franciæ in præmium Philipsburgi ſibi à Suecis dediti, miſſis in Lotharingiam, Baſſignium, in agrum Metenſem, Tullenſem ac Virodunenſem, Duce Forcæo, viginti armatorum millibus, ad novas ſpes excitavit. Eo factum, ut Fœderati Acatholici, Francones, Haſſi, Turingi, alij, qui Wormatiæ de re communi convenerant, novos delectus decernerent, & miſſo ad Saxoniæ Septemvirum legato, ipſum in partes cauſámque communem trahere niterentur.

Wormatiæ conventus Protestantium.

LVII.

Progressus Catholicorum.

Catholicorum exercitus Rotenburgum ad Tuberū flumen, Schweinfurtum, & Herbipolim recepit, ſubegit totam propè Wirtenbergiā alteram velut Capuam, ubi reperta paſſim magna rerum ad vitam neceſſariarum copia. Dux Wirtenbergiæ ſeceſſit ad Mediomatrices. Boicus miles, ex Ducis Lotharingiæ imperio, nihil feriatus, egregiam locavit operam in colligendo augendóque fructu Nordlinganæ victoriæ. Sub vigeſimum Septembris, Werthius novem hoſtiles equitum catervas, duas peditum cohortes, quæ ſe è fugâ collegerant, ad Calbam, adultâ nocte, aſſecutus, cæſas profligatáſque, quatuor ſignis militaribus, ſex æneis machinis omníbúſque impedimentis exuit. Idem Spiram recepit, &, ſæviente jam hieme, Rhenum glacie conſtrictum trajecit.

Werthius a Rheni Comite repellitur

Rheni Comes Kizingæ, tum adhuc obſeſſæ, conſtituerat ire ſuppetias cum exercitu duodecim millium armatorum, è quibus agmen unum incidit in Joannem Werthium non procul ab Offenburgo. In eos invecti Croatæ Martem ſenſerunt faventem; ſed cùm, acie reſtitutâ, hoſtis certamen integrâſſet, fuſi, & majore ignominiâ quàm damno affecti Werthiani, pedem retulerunt.

LVIII.

Rheni Comes periculum evadit

Rheni Comes interea, miſſis in tutum per Argentoratenſem pontem impedimentis, copias, quas præmiſerat, ſubſecutus, duodecim admodum ſtipatus equitibus, à viâ aberrans, neſcius incidit in turmam hoſtilem, quam ſuam eſſe ipſe credebat. Hic ab uno quopiam agnitus jubetur dare manus: ille verò ſe dare in fugam: cúmque ab inſtantibus vehementer premeretur, nec alia ſalutis expediendæ ratio foret reliqua, cum duobus de ſuo manipulo, ſe è ripæ crepidine præcipitem agit in amnem Cynthium, vehitúrque equi tranatu in adverſam ripam. Hanc cùm nimis arduam equus ſuperare non poſſet, exilit in pedes, & arreptis manu fruticibus ſalvus evadit in planum inter glandium miſsilem procellam. Per campum ab hoſte paſsim infeſſum, ignotóſque calles ductus ab agricolâ, pervenit ad ſuos incolumis. Capti deni ejus ſtipatores retulerunt Duci Lotharingiæ, Rheni Comitem eſſe illum, quem propè in manibus habuiſſet. Nihil tamen ille opis attulit Kizingæ, quæ denique ſeſe victori permiſit. Sueci, Colmariâ & Rubeaco retentis, ſponte ceſsêre Enſisheimio: aliæ minoris notæ civitates Alſatiæ ſe Regis Galliæ protectioni ſubdidêre.

Auguſtam Vindelicorum in ſuâ poteſtate retinebant Sueci, ſudem videlicet in oculo Bavariæ, quam proinde Maximilianus, intercluſo omni commeatu atque commercio, diſpoſitis circùm præſidijs, juſsit per Comitem Wahlium, ineunte Autumno, obſideri. De longâ iſtâ obſidione anno ſequenti redibit ſermo.

LIX.

Agro Coburgenſi magna per eos dies fuit illata vaſtitas, eò quòd Coburgum, ſuis fretum munimentis, petitum in belli ſumptus collatitium ſubſidium denegâſſet. Id demum, menſe Octobri, à Lambojo cæptum obſideri, anno ſequenti manus dedit.

Oſsa Commiſſarius, nomine Cæſaris, Ulmæ obſidionem oſtentavit. Sed cùm Ulmenſes, prædis circum ſuos fines actis, revectíſque nuper ſex minoribus, de

de Cæſarianis, dum ſegniter vigilarent, tormentis animoſi, reſectis circum mœnia felicibus arboribus, æquatiſq; ſuburbanis, ſeſe ad defenſionem ſtrenuè compararent, fruſtra fuit vim oſtentâſſe. Hailbrunna, poſt toleratam obſidionem, ignibus miſsilibus & machinarum arietatione domita, perinvita venit in Cæſarianorum manus. CÆSARIANI HAILBRUNNAM OCCUPANT.

Comes Wahlius, juſſu Maximiliani, ejecit Suecos Culmbacho. Cives, ſolutis viginti quinque Ferdinandicorum millibus, depopulationem anteverterunt. Eslinga, Biberacum, aliáque Sueviæ oppida in Cæſarianorum deditionem rediêre.

Weiſſenburgum, deſperato auxilio, à Vilzburgi præſidio diu vexatum, cogente cibariorum penuriâ deditum: inde dimiſſi fuerunt præſidiarij cum impedimentis ſigniſque explicatis, qui, pars ad Catholica ſigna, pars ad Norimbergenſia ſtipendia conceſsêre. Auracum, Aſchenperga, egregiæ Wirtenbergiæ arces ſubactæ: pleraque Suevia redijt ad Cæſaris obſequium. Schorndorfium punicis ignibus vaſtatum ad eandem ſortem eſt adactum. Heidelberga bis recepta, toties relicta, eò quòd ſeſe arx pertinaciter tueretur, haberétque in vicino, à Francis & Weinmario parata auxilia. Stradâ montanâ receptâ, Cæſariani è ſtativis, quæ ad Darmſtadium protenderant, liberas habuêre excurſiones ad uſque Francofurtum. SUEVIAM RECUPERANT.

LX.

Bannerus inter hæc ad decem armatorum millia in agro Erfurtenſi collegerat, quibus ſociatæ Guilielmi Weinmarij, aliæque legiones, ad viginti quatuor millia excreverant. Contrà Piccolominius aſſociatus Forgatſchio, copijs ad Smalcaldam recenſitis, occupato Comitatu Hennebergico, itineribus, quæ coloni, cæſis per ſylvas arboribus, reddiderant invia, patefactis, in Turingiam profectus eſt, ut coërceret Erfurtenſes, qui ad Suecos defecerant. Huic venienti Bannerus miſit obviam aliquot millia, quæ dum incautiùs movent per ſylvam Turingicam, devenerunt ad Piccolominij inſidias. Illis præerat Guilielmus Weinmarius. Ergo deprehenſi in arcto atque oppreſſi, cum luculentâ clade, fuſi, fugati ſunt, amiſſis bis mille peditibus, quatuordecim equitum centurijs, & quater mille ſclopis modi mediocris. BANNERII COPIÆ. BANNERIANI A PICCOLOMINIO CÆSI.

LXI.

In regionem Fuldenſem magno ſe numero infudêre Cæſariani. Eorum viciniratem veriti Catti Meliboci, Bannero ſe ad Hirsfeldam jungere ſtatuerant. Id cùm Hatzfeldius rei tormentariæ Magiſter reſciviſſet, eam conjunctionem prævertere, ac diſſociatos invadere ſtatuit. Cùm ergo pleno agmine ad Hirsfeldam eſſet progreſſus, Bredanicus equitatus, denſæ nebulæ beneficio, inobſervatus in Haſſos invectus, bis mille cecîdit in veſtigio, captivos fecit octingentos. HASSI A BREDA CÆSI.

In Sileſiâ Saxones Sittaviam occupârunt, portis effractis ſuperatiſque mœnibus. E præſidio Cæſariano centum ſexaginta trucidârunt, & ſexcentos ad ſua ſigna adegerunt. Inde progreſſi in Bohemiam, Baltaſarem Marradium, qui Litomarizij curabat, cum quinis equitum, tribus peditum legionibus, poſt velitarem conflictum rejecêre in propugnaculum trans Albim, ponte à tergo disjecto. Saxones porrò extemporaneo alio ponte ad Melnicum, quod de viâ invaſerunt, excitato; copijs trajectis, caſtra locârunt in albo monte ad Pragam, hoſtis adventum, & prælij occaſionem fruſtra opperientes. SAXONES SITTAVIAM INVADUNT. MARRADAM FUNDUNT. CASTRA LOCANT IN ALBO MONTE AD PRAGAM.

Minda jam quadrimeſtrem ferè obſidionem, & quicquid infeſti à Georgio Luneburgico inferri potuit, perpeſſa, cùm fame vehementer laboraret, nec appareret ulla ſpes auxilij, feſſa fractáque malis & oppugnatorum conſtantiâ, animos, totâ obſidione infractos, tandem remittens, ne ultima quæque experiretur, XII. Cal. Decembr. præſidio nongentorum, cum ſarcinis, accenſis funiculis, duabus curulibus machinis, expanſis vexillis, Warendorpium abeunte, ſe Luneburgico permiſit. MINDA DEDITUR DUCI LUNEBURGICO.

Eâ tempeſtate Philippus Comes Mansfeldius, in Ubijs, opitulante Colonienſi Septemviro, aliiſque præſulibus, inſignem militum numerum legit, junctúſque A PHILIPPO COMITE

Furſten-

MANSFELDIO PRO CÆSARE DELECTUS EXERCITUS, NEGLECTIM HABITUS MAGNAM PARTEM PERIT.

Furſtenbergio & Gleeno, Antonaci per nauticum pontem, tranſmiſſo Rheno, ducens per Wetteraviam, Eſpachij quadraginta duas legiones luſtravit. Non reſpondit tantæ multitudini & expectationi eventus. Etenim (cujus culpâ, mihi incertum) certum tamen eſt, magnam iſtius militis partem fame aliiſque miſerijs, nullo hoſte conſpecto, perijſſe.

LXII.

SERENISSIMÆ MECHTILDIS OBITUS. ASSIDUÆ EIUS PRECES, ET EXIMIÆ VIRTUTES.

Tranſtulit hic annus è vitâ mortali ad immortalem Cal. Junij Mechtildem Bavariæ Ducem, è Landgraviorum Leichtenbergiorum illuſtriſſimâ ſtirpe, Alberti Bavariæ Ducis conjugem, Principem lectiſſimam, in arce Lauffenſi, quæ eſt Saliſburgenſis imperij, quò ſe ipſa cum Sereniſsimo marito extra belli tumultum, & graſſantem paſsim in Bavariâ peſtilitatem receperat. Erat divinis rebus mirum in modum addicta. Totum mane tribuebat orationi, tempus pomeridianum, ab horâ uſque quartâ ad cœnam, in eâdem collocabat: à cœnâ, ubi animum honeſtis cum marito collocutionibus paulùm relaxârat, ad orationem ſe referebat, nec ſe dabat quieti, quin horam unam, ut minimùm (frequenter addebat alteram) cum Deo ſupplex egiſſet. Morbum, qui illi ſupremus fuit, ſibi conſcivit ex labore, quem ipſa, tametſi ex diuturna ægritudine apprimè debilis, pedibus incedens in publico ſupplicantium ordine, obire voluit, non ſecus ac ſi orationi divinóq; cultui vellet immori, & partem vitæ ultimam religioſè illi reddere, à quo benigniſsimè totam accepiſſet. Ferebatur eadem ſingulari in egentes charitate, quam non modò miſeri, quorum paupertatem levabat, ſed aulæ quoque ipſius famulitium lachrymis & ejulatu ſunt abunde conteſtati, ubi ſe tam clemente liberalitate deſtitutos viderunt. In eorum ſinum abſcondebat theſauros, quos miſericordia in cœlum deportaret. Dici vix poteſt, quanto fuerit in Sereniſsimum maritum amore & reverentiâ, quantâ curâ & providentiâ in Sereniſsimis liberis probè educandis, quantâ animi fortitudine in rebus adverſis, quâm abſolutâ ad divinæ voluntatis nutum inclinatione, præſertim in ægrotationis quatrienni moleſtiâ, & demum in ipsâ morte libenter pro Deo obeundâ. Cùm ad extremam lineam tenderet, hæ erant ipſius voces: *Deus, quod ipſi viſum fuerit, de me ſtatuat, ne per quartam quidem horæ partem, citra ipſius voluntatem, cupio ſupereſſe. In vitâ & in morte ſit nomen Domini benedictum.* Sic animata & cum ſuo Creatore conjuncta, proſcripto omni prorſus rerum humanarum amore, mortem æquiſsimo animo opperiebatur. Sereniſsimis filijs, tribus ante ſupremam lineam horis, amantiſsimè valefecit, & præſente Sereniſsimo marito, placidiſsimâ morte in amantiſsimo divinæ bonitatis ſinu conquievit. Oetingæ Veteris in Sacello D. Virginis, quam, quoad vixit, ſtudioſiſsimè fuerat venerata, nacta eſt ſepulchrum, quo nullum optare potuiſſet honorificentius.

MORBUS PESTILENS.

Atrox fuit hoc anno in Boicâ peſtilitas, quæ Monachij ad quindecim hominum millia ſuſtulit. Alijs locis paſsim graſſata, innumera propè dedit funera.

BOICÆ

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS III. LIBER XX.

Obitus Sereniſsimæ Eliſabethæ Bavariæ Ducis & Electricis: Pax Pragenſis: Philippoburgum recuperatum: Trevirenſis Electoris captivitas: Succi Moguntiâ ejecti: Varij conflictus: Maximiliani Electoris cum Mariâ Annâ Auſtriæ Archiduciſsâ nuptiæ.

An. M. DC. XXXV.

I.

Funus Sereniſsimæ Eliſabethæ Bavariæ Duc. et Electricis.

AFfixit hujus anni poſtibus funebres cupreſſos mors Sereniſſimæ Eliſabethæ utriusque Bavariæ Ducıſſæ & Electricis, Duciſſæ Lotharingiæ & Barri, quæ fato conceſſit prid. Non. Januar. horâ ſeſquiſecundâ pomeridianâ, Ranshovij, quò cum Maximiliano Electore marito, ad vitandam peſtilitatis contagionem ſeceſſerat. Exinde ejus funus delatum Monachium, conditum fuit 20. Cal. Maij inſequentis, in hypogæo templi S. Michaëlis, ad ſiniſtrum aræ latus. Vixit annos ſexaginta unum: marito amiciſsimè convixit annos triginta novem, menſes decem, dies viginti octo. Debetur poſteritati, ipſiúſque præſtantiſſimis virtutibus monumentum omni ære perennius, quale cùm ſtatui hoc loco nullum poſſit, delineabo ſaltem aliquod, quod longè erit infra ipſius merita. Orta fuit Eliſabetha ex celſiſſimâ juxtà ac vetuſtiſſimâ domo Auſtraſiæ, quæ, ductâ ex Franciæ Regibus origine, rerum maximarum gloriâ, ſummis totius Orbis Chriſtiani affinitatibus, & ſupremâ in ſuas Provincias poteſtate clariſſima, inter præſtantiſſimas Europæ Domos cenſetur. Sed ut hæc ſint maxima, majora tamen ſunt decora, quæ ſibi Eliſabetha ex virtutum ſplendore comparavit. Ex ijs quædam duntaxat pro modo inſtitutæ brevitatis referam, & quidem ex certiſſimâ notitiâ atque teſtificatione eorum, qui vitam ejus è proximo ſunt arbitrati, quæque nemini peregrina videbuntur, qui revocaverit in memoriam, quàm ſanctâ inſtitutione, quibus exemplis tam eximios fecerit in virtute progreſſus. Habuit ab ipſis incunabulis & curâ pientiſſimorum juxtà ac glorioſiſſimorum parentum naſcentis probitatis rudimenta, adoleſcentis præſtantiſſima adjumenta. Habuit à Guilielmo ſocero principe verè pio, à Renatâ amitâ juxtà ac ſocru, quæ Principum fuit unio, gemma (inquam) nulli ſecunda; habuit à Maximiliano

Eius natales.

marito illuſtriſſima ſapientiæ, pietatis, cæterarúmq; virtutum documenta, quæ ſuis ipſa moribus ſic expreſſit, ut ab ipſâ virtute inſtituta eſſe videri poſſet.

II. Animi demiſſio.

Animi generoſa demiſſio tantò fuit in Eliſabethâ formoſior, quò ſolet eſſe rarior inter magnos homines. Eo fiebat, ut ſortis inferioris homines non aſpernaretur, ſed benignè audiret de ſuis neceſſitatibus quiritantes, quas & ipſa magno ſtudio explorabat, non tam ut nôſſet, quàm ut ijs mederetur. Recreabatur ingenuâ eorum ſimplicitate, quam credebat eſſe filiam ſanctæ probitatis. Non dedignabatur Virginum nobilium, quas in aulâ habebat, mores ipſa formare, attendere, ne quà in urbanitatis, nedum pietatis leges exorbitarent. Eas intra modeſtiæ & reliquarum virtutum cancellos ſic continebat, ut non vixiſſe in aulâ, ſed ex præclariſſimâ virtutum ſcholâ prodire viderentur: quæ res eas non minùs, quàm dos ampliſſima provehebat ad honeſtiſſimas affinitates, ſi vellent; aut ſi nollent, ad juſtiſſimam cum Rege immortali conjunctionem. Ex eodem modeſtiæ fonte manabat odium vanæ adulationis, à quâ non patiebatur ſuis illudi auribus, aut ſuarum laudum commemoratione animo ſui deſpicientiâ inſigni quicquam imponi. Inde proficiſcebatur mira in habitu ſimplicitas, quæ intimam animi compoſitionem ſic prodebat, ut quivis facilè colligeret, in Eliſabethâ nihil reſidere levitatis.

Modeſtus corporis cultus.

Veſtium color per annos complures perpetuò fuſcus, ex materiâ admodum parabili; gemmarum, quibus ipſa abundabat, nullus uſus, niſi aliqua eáque rariſsima celebritatis neceſsitas poſceret: nullæ auri foliati tæniæ, quarum tam non erat appetens, ut ne ancillarum quidem aliquarum pompam, in hoc genere, vel tenuiter attingeret. Ubi in Bavariam primùm appulit, attulit quidem patrium domûs ſuæ cultum; ſed non multò pòſt, quaſi omnino peregrinum atque à ſe alienum, æternâ exilij lege, ad uſque vitæ exitum, ſic proſcripſit, & mutavit cum veſtis Germanicæ modeſtâ honeſtate, ut nata in Germaniâ & perpetuò educata eſſe crederetur.

III. Gravis et ſeria comitas.

Erat in Eliſabethâ, cum ſeriâ quâdam majeſtate, morum benignitas ſingularis: tametſi enim pro re natâ præ ſe ferret regiam quandam dignationem, & in erratorum reprehenſione mirè eſſet efficax, nihil tamen aſperè aut arroganter ſolebat vel per ſe agere aut loqui, vel per alios imperare: quo fiebat, ut eo temperamento dignitatis & benevolentiæ, cùm ſervaret debitam in ſuos authoritatem, tum eorum animos promptos alacréſque haberet ad omne obſequium, ſuavi quodam humanitatis nexu devinctos. Non audiebatur ullum voce inurbanâ, nedum contumelioſâ compellare, aut tractare inclementer.

Eccl. 25. v. 1. & 2.

IV. Conjugalis amor et reverentia.

Deprædicat Sapiens *rem Deo hominibúſque probatam, virum & mulierem bene ſibi conſentientes*, amorem videlicet conjugalem. Vixit Eliſabetha per annos propè quadraginta cum Maximiliano in tantâ charitate, quiete, & concordiâ, tantâ erga maritum fide & reverentiâ, ut non hominum ſocietas, ſed angelorum ſocialis amor & obſervantia utrumque divino quodam vinculo conjunxiſſe videretur. Nunquam intermiſſa ſermonum, quos miſcebant quot diebus à prandio atque à cœnâ, conſuetudo, nulla diviſa animorum relaxatio, menſa unica ſemper utrique, una omnia prodebant unam utriuſque voluntatem. Statis diebus ſimul uno eodémque tempore accedebant ad divinum epulum, ſtatis horis ſimul Miſſæ ſacrificio intererant, vacabant ſimul orationi: verbo, nihil erat unius, quod duorum non eſſet, ſi tamen duo erant, quorum unum erat cor & anima una. Id verò tum maximè apparuit, cùm morti vicina, & monita de condendis tabulis ſupremæ voluntatis, has ſolas verbo nuncupavit, ſe videlicet, quicquid relinquebat, (relinquebat autem rem opimam & dignam ipſius fortunâ & ſplendore natalium) id totum commendare Maximiliani ſapientiæ cum eâ poteſtate (quâ ipſe tamen ne ad unum quidem teruncium uſus eſt) ut ſibi ex re universâ, quod lubitum eſſet, eligeret, & ſorori Principi Catharinæ, quæ tum aderat, certam pecuniæ ſummam tribueret.

V. Solicitudo pro marito.

Explicari verbis non poteſt Eliſabethæ ſollicitudo pro Maximiliani ſalute, ſi quando ipſe infirmâ eſſet valetudine, ſi verſaretur in caſtris, ſi rebus adverſis premeretur.

merετur. Cùm Maximilianus Auſtriam ac Bohemiam ad Imperatoris obſequium reduceret, Eliſabetha vacabat publicis pro eo comprecationibus; cùm ad Norimbergam cum Sueco certaret, tot quotidie horas impendebat orationi, ut, cùm ipſa, tametſi morbo feſſa, perſtaret velut recens & invicta ante aram in ſacris audiendis, Aulici vegeto licet corpore, iſtâ precum diuturnitate penè frangerentur: nec mirum, cùm aliquando ad ternas & quaternas horas eſſet perſeverandum. Urgebat illa id temporis mariti amore conſiliarios, maturè reſponderent ad Maximiliani litteras: negotia cum ipſo communicanda ordine & tempeſtivè expedirent, ne, ſi confertim, aut confusè illa cumularent, plus juſto in ijs decernendis eſſet laborandum cum neceſſariæ quietis jacturâ, inter ipſas caſtrorum curas continuas atque vigilias. Cùm cujuſdam è conſiliarijs præcipui lentitudinem, & in extrahendis menſis longiores moras aliquando reſciviſſet, magnis precibus impetravit à Maximiliano, ut, quaſi res ipſa negligeret, acribus eam litteris incuſaret. Fecit Maximilianus: at illa litteris ad Conſultores miſſis, ſignificavit, non paſſuram ſe quicquam diligentiæ, quam ipſa adhibere poſſet, deſiderari; ſimul tacito convitio ſtimulavit conſiliorum maturationem, addito, æquum non eſſe, ut ipſa alienæ ceſſationis pœnas lueret.

In victu, temperantiâ erat admirabili. Conſtans ſemper illi cibi potûſque modus & dimenſio. Vinum modicum aquâ oppidò dilutum: præter ſtata ab Eccleſiâ jejunia, quæ ſervabat ad amuſsim, ipſi erat ſolenne, diem Sabbatinum, omnia Deiparæ feſtorum pervigilia (qui mos eſt aulæ Bavaricæ) peculiari, eâq; ſtrictâ à carnibus abſtinentiâ colere. Cùm ſuprema, quæ triennium ferè ipſam exercuit, ægritudo graviſsimâ ipſam ſiti affligeret, Medicorum ſententiam tam fuit exactè ſecuta, ut non modò ab omni prorſus vino abſtineret, ſed ne guttam quidem aquæ, ultra decretam tenuitatem, quæ tamen ſitim irritaret potiùs, quàm reſtingueret, adhiberet ad potionem: quo tandem factum, ut fauces ipſi ſic exareſcerent, ut non niſi ſenſim ac modiciſsimè potum poſſet deglutire. VI. Temperantia.

Cum eodem poſtremo iſto morbo conſpirabat ſopor vergens ad lethargum: hunc ut ſuperaret (ita enim volebant medici) non ipſa modò omnem adhibebat operam, patiebatúrque æquiſsimo animo ſe ſingulis quaſi momentis excitari, ſed jubebat etiam ſuas ancillas invigilare, ne ſibi incautæ ſomnus obreperet.

Ipſius in malis tolerandis patientiam Deus non levi manu exercuit. Vidit ipſa magnam cladem Bavariæ, cùm hoſtis ſe infeſtis ſignis in Ciſœnanas regiones infudiſſet; cùm anno ſuperiore, quaterni exercitus ſimul vaſtarent omnia: quæ ipſa tam placidè patientérque de divinâ manu accepit, ut ex cœleſtis providentiæ meditatione non ſuum modò, ſed aliorum quoque mœrorem ſolaretur. VII. Patientia.

Vidit ipſa, excepítque Nepotem ſuum Lotharingiæ Ducem chariſſimum, & dilectiſſimam ſuam ſororem Catharinam Lotharingicam ſuis ditionibus ac patriâ extorres; ſenſit acerbiſſimè omnes ſuæ Domûs propinquiores principes diſperſos in terras exteras; patriam armis Francicis oppreſſam doluit, ſed ita doluit, ut nunquam ſe extra animi moderati fines abripi doloris vehementiâ pateretur. Utebatur in adverſis, velut parmâ quâdam, recordatione Chriſti patientis, cujus memoriam ut ſibi quotidie refricaret, ſanctæ Crucis horarias precationes Chriſto perſolvebat. Quibus diebus Eccleſia eundem morientem veneratur, recitabat in ejus honorem officium hominibus ſacris ſolenne; &, quò id faceret intelligentiùs, curaverat illud ſibi in vulgarem linguam transferri. Plurimùm ipſi proderat ſingularis transſcriptio propriæ voluntatis in divinum arbitrium, quâ id aſſequebatur, ut à Deo, ne in duriſsimis quidem rebus diſſentiret unquam. Ferream ipſius patientiam potuiſſet expugnare quadraginta propè annorum in tam honorato charóque conjugio orbitas, nî ſe totam divinæ providentiæ permiſiſſet. VIII. Memoria Christi patientis.

Sapientiâ ſupra muliebrem fuit planè admirabili. Eam ſic probabat Maximilianus, ut licèt ipſi indulgeret ordinariam à curis publicis vacationem, ejus tamen conſilio in rebus gravioribus cum fructu uteretur. Ejus prudentiæ committe- IX. Prudentia.

mittebat omnem rei domeſticæ cum ſummâ poteſtate inſpectionem, moderationem, & imperium, ita ut ab ipsâ penderet totius Aulæ diſpoſitio, ſive eſſet Principibus exhibenda hoſpitalis magnificentia, ſive revocandæ ad calculum Oeconomorum rationes, ſive corrigendi errores, aut ſtimulandi oſcitantes, ſive animandi & remunerandi gnavi ac fideles.

X. MAGNIFICA FRUGALITAS. Cùm res poſcebat, nemo erat ipsâ magnificentior ad ſplendorem, nemo ad largitatem explicatior, cùm ſimul quàm ſcitiſſimè nôſſet liberalitatem maritare frugalitati, magnificentiam mediocritati, ut mirum non ſit, ſub ejus manus creviſſe opes, nec tamen quicquam deceſſiſſe amplitudini & aulicæ gloriæ ornamento. Novi hominem, cui ipſa non ſemel objecit, nihil ipſum præmij petere, atque hoc ipſo videri, non bene ſentire de ipſius in remunerandis meritis liberalitate.

MISERICORDIA IN PAUPERES. Erga miſeros nullum propè ſervabat largiendi modum, idque non de mariti, ſed de ſuo peculio. Duos habebat è famulitio, qui ejus eleemoſynas in pauperes erogarent. Eorum alteri commendabat illos, qui palàm egerent, alteri alios, quos clàm egentes arcebat verecundia à petendo ſubſidio. Et huic
XI. quidem mandabat, ſedulò ejuſmodi homines ut indagaret, referrétque fideliter, & ſublevaret eorum egeſtatem. Alebat præterea ære ſuo pueros puellásque, quos parentum orbitas, vel inopia deſtituerat. Præcipuâ charitate fovebat tum Religioſos omnes, qui ad ſui inſtituti normam exactè Deo ſervirent, tum maximè mendicantes, quos vetabat unquam petito auxilio vacuos dimitti. Inter reliquos Domûs Lotharingicæ Principes, qui ad condendum in Urbe Mediomatricûm nobile D. Franciſci Paulæi cœnobium, plurimùm contulêre, addidit ipſa liberalem ſymbolam. Quotannis Nanciano ejuſdem inſtituti aſceterio dono mittebat, ab imâ uſque Bavariâ, ſtipem ducentorum aureolorum. Magnam pecuniæ vim profudit in nationis ſuæ homines, quos adverſa belli fortuna ſuis ſedibus expulerat.

Huic commiſerationi in viventes nihil conceſſit profuſa in demortuos miſericordia. Ejuſce egregium monumentum reliquit ad D. Laurentium, in Sodalitate pro adjuvandis defunctis, cujus cùm ipſa eſſet auctor & architecta, non
XII. CURA PRO MORTUIS. modò obtinuit à Summo Pontifice, ut inſignibus prærogativis donaretur, ſed etiam à Maximiliano, ut dotaretur proventibus, quos ipſa multis auxit partibus de ſuo ære. Quamobrem iſta Congregatio eam tanquam fundatricem anniverſariâ Liturgiâ celebrat. Oſtendebat, quanti ipſa faceret pium iſtud animarum adjumentum, cùm non modò ejuſce curandi & adminiſtrandi munus ſibi, quoad in vivis fuit, reſervavit, ſed etiam ſedulò adfuit ſacris exhortationibus & funebribus officijs, quæ ſtatis temporibus Deo perſolvuntur. Curabat ſibi ſtudioſè referri ſacrorum numerum, quæ in tergeminis altaribus ad expiandas animas à ſummo Pontifice deſignatis, ſine numero fiunt à ſacerdoribus. Hanc ipſam pietatem probâſſe videtur DEUS memorabili argumento. Retulit illa viro, cui
VISUM MIRABILE. in ſacris cauſis multùm tribuebat, abſolutâ iſtâ fundatione, ſibi aſpectabili & bene notâ formâ, ſed lætâ illâ quidem & auguſtâ, Carolum Ducem Lotharingiæ parentem ſuum, diu antè fatis functum, adſtitiſſe, & his quoque auditum vocibus: *O filia, quàm ſalutare eſt opus iſtud, cujus tu author fuiſti! ô ſi nôſſes, quàm graves ſint cruciatus, qui à piorum animabus corporis vinculo ſolutis in alterâ vitâ, in pœnam nondum expiatorum criminum tolerantur!* atque eo dicto diſparuiſſe, relictâ in audientis animo incredibili conſolatione.

PIETAS IN DEUM. Præclaram ipſius in Deum pietatem prodebat aſſiduitas cum ipſo colloquendi in oratione. Ubi primùm è cubili exceſſerat (erat autem matutina &
XIII. STUDIUM ORATIONIS. ſomni perquam moderati) antequam de more veſtiretur, prima cura erat ſemihoræ ſpatium gratijs Deo agendis, petendíſque ad diem piè tranſigendum auxilijs, flexis ad deſtinatam orationi exedram poplitibus, impendere, neminem admittere ad ullum verbum, quin priùs fuiſſet cum Deo locuta. Etiam cùm valetudo affecta corpus debilitaret, animum roborabat ferventi in Deum affectu,

ne

ne iſtud orationis penſum intermitteret; quo perſoluto, binis, ut minimùm, ſacroſanctæ Miſſæ ſacrificijs, quaternis aliquando, ſeptenis nonnunquam, ſi urgeret publica, vel mariti peculiaris neceſſitas, piè dabat operam. Iis finitis, quot diebus ſacerdotem audiebat Litanias B. Virginis Lauretanas recitantem, quem morem ipſa in Aulam Bavaricam induxit, hodiéque vigentem. In audiendis concionibus, nemo illâ magis aſſidua, nemo attentior. A nullâ enim, quantumvis eſſent in Æde aulicâ frequentes, aberat: ſi quando verſabatur peregrè, eas nihilo ſeciùs volebat ſe præſente haberi: ſi vetabat ægritudo, paſcebat animum auditâ pij libelli prælectione. Horas pomeridianas ſic partiebatur, ut, conſuetâ unius horulæ collocutione ad animi relaxationem perfunctâ, expeditis, ſi quæ eſſent, negotijs, manibus aliquid fœminei laboris faceret, daret deinde operam precibus veſpertinis. Nocturnæ quieti ſe nunquam dabat, quin divino tribunali per diurnarum actionum examinationem & pœnitudinem ſtitiſſet ſe, ac prolixâ, vel ſi res non ferret, mediæ ſaltem horæ precatione Numini commendâſſet. Somnum nocturnum interpellabat oratione: ad quam ſub cervicali precarium Divæ Virginis roſarium habebat in promptu. Octiduana divini epuli refectio (ſi frequentiorem aliquod ex feſtis præcipuum non poſceret) erat illi perpetua ac familiaris. Ad eam, ut ſe majori fructu ac diligentiâ componeret, anticipabat conſuetas vigilias: ab eâ non recedebat ſine prolixâ gratiarum actione. Tanto erat in Deum amore, ut audita ſit ſæpe dicere, ſibi gratius fore ſubire quævis tormenta, quævis ludibria, & quamvis famæ rerúmque omnium jacturam, quàm Deum aliquo piaculo offendere. EXAMINATIO CONSCIENTIÆ. SACRAMENTORUM FREQUENS USUS. XIV.

Ad ſervandam animi puritatem adhibebat non modò pervigilem cuſtodiam divini timoris, citra tamen ſcrupulos, ſed etiam ſuæ conſcientiæ arbitrum; quem ut excitaret ad monendi libertatem, ſi forſan nævi quippiam aut periculi notaret, dixit aliquando; *Mi Pater, non eſt res de trivio curare Principum animas, déque ijs aliquando reddere Deo ſeveram rationem: etenim poteſt Confeſſarius ſic eſſe remiſſus aut indulgens, ut pro neglecto Principe, damnetur ad pœnas inferorum. Principem enim vel bona fides vel ignorantia apud Deum excuſat, confeſſarium accuſat neglectus monitorum, vel reſponſorum imperita malitia.* ANIMI PURITAS.

Talibus Eliſabethæ moribus vitæ exitus præclarè reſpondit. Febris Ephemera, quâ, ab ineunte Aprili Anni M.DC.XXXII. laborare cœperat, anno ſuperiore ante Naſcentis Chriſti ferias, induit faciem ſolitò longè funeſtiorem mutata in continuam. Hîc Eliſabethæ crevit animi robur, ubi corpus ſenſit ſupra ſolitum debilitari, id tantùm dolens, quòd conſueta Chriſto infanti pietatis officia publicè non poſſet reddere. Periculi admonita, tam non fuit turbata aut dejecta animo, ut in Dei arbitrium tota effuſa, profiteretur, ſe de ejus manu nec recuſare mortem, nec averſari vitæ longioris dolores. Tum ipſo Maximiliano commendare eos, qui ipſi viventi fuerant in obſequijs, & nominatim Philippum Comitem Curtium, qui ſupremum ipſius aulæ præfectum per multos annos egerat, ejúſque filium Maximilianum cum iſto elogio, ne dubitaret de eorum fide, dexteritate, & prudentiâ, quam cùm perutilem eſſet jam expertus, porrò quoque in poſterum eſſet experturus, ſi eâ uteretur: deinde ſingulis è minore famulitio certum præmium dictavit, & Mortuali congregationi aliquot millia, quibus ejus fundatio augeretur. His conſtitutis, ſepoſitâ prorſus rerum inferiorum curâ, ſe totam vertit ad parandum iter & commeatum beatæ immortalitatis. Ergo ipſo diſcipuli, quem JEſus diligebat, feſto, ſacrum viaticum mirâ cum pietate accepit, petijtque, ut, quando Confeſſario videretur, ad ſupremam luctam ſacro oleo procuraretur. Uncta fuit anno exſpirante, cùm medici vicinam mortem adeſſe cenſerent. Rogata ſæpe à Confeſſario, nunquidnam ipſius animum angeret, nihil prorſus angere reſpondit: fruebatur videlicet pacatiſsimâ conſcientiâ, quam tam exquiſitâ ſeverâque diſciplinâ ipſa per tot annos excoluerat. Nulla oratio pro dignitate exprimat, quàm ardentes in DEUM affectus, toto morbi ingraveſcentis tempore, excitârit: Noctem aliquando continua- XV. PRÆPARATIO AD MORTEM.

tinuavit his verbis; *O mi Iesu, mi amor Iesu, bone Iesu!* Aliàs, quoties à graviſſimis paroxyſmis, & linquentis animi, quæ fuêre frequentes, defectionibus, reſpirabat, quicquid reliquum erat ſpiritûs, collectum referebat ad Deum, neque ſic intra pectus poterat continere, quin erumperent in apertum per voces ſuavia Chriſti de cruce pendentis imaginis oſcula, ſigna alia, quæ prodebant animi ad Deum properantis contentionem. Affulſit, cum prima hujus anni luce, aliquid ſpei valetudinis rediturae: tum illa ſe nihilo minùs adornare ad cœleſtem patriam, Deo pergere eſſe conjuncta. Tandem prid. Non. Januar. puram, uti optima ſpes eſt, animam in Dei manus efflavit. Eam veris gemitibus luxit Aula, luxêre ſubditi, quos verè amaverat, luxêre maximè tenuioris fortunæ homines, quos juverat. Maximiliani luctus major fuit, quàm poſſit explicari.

XVI. Ab his luctibus progredior ad publica. Pacis in Imperio reparandæ ſpes aliqua affulgebat ex Cæſaris, & Saxoniæ Electoris, aliorúmque inclinatione ad quietem reddendam Germaniæ, ut tandem jactari deſineret non domeſticis tantùm Germanorum motibus, ſed etiam exterorum adverſus Domum Auſtriacam conſpiratione, quæ facilè videbatur poſſe diſſipari, ſi Principes & Ordines pro Imperij ſalute & libertate, inter ſe, & cum ſuo capite conſpirarent.

Pacis Pragensis tractatio.

Quare ſub anni ſuperioris exitum, tametſi hoſtilitatibus hinc inde gliſcentibus, Coloredus, contra mentem Cæſaris, in Sileſiâ quinque Saxonicas legiones profligaverat, de pace nihilominus cœptum erat agi, interprete Georgio Haſsiæ Darmſtadienſi Landgravio. Quam ob rem Cæſaris copiæ ex Saxoniæ finibus in Bohemiam, & Saxonicæ à Bannero ſejunctæ Camentiam in hiberna fuerant abductæ. Jacta enim erant tum Litomarizij, tum Pirnæ aliqua pacis fundamenta.

Quare Saxoniæ Septemvir annum hunc à pacis conſilijs auſpicatus, Saxonicæ nobilitati cæteriſque Ordinibus Comitia indixit, ut Dreſdæ deliberarent, an ea, quæ tam de rebus Eccleſiaſticis, quàm politicis, inter Cæſaris & Saxonis Legatos erant agitata, quæque utrinque rata haberi oportebat, eſſent ejuſmodi, quæ conſulto confirmanda viderentur. Dum hæc in commune diſcutiuntur, miſsi à Weinmarienſibus, Altenburgicis, Halsis, Anhalticis, Luneburgicis, ab Inferiore Saxoniâ; à Rheno & Franconiâ Legati Dreſdam, qui cum Electore de pacis rationibus conferrent. Eodem etiam à Cæſare allatæ fuêre litteræ, quibus acceptis, Arnheimius à Saxone miſſus eſt ad Electorem Brandeburgicum, Comitia itidem Perlini agentem de Pirnenſi tractatione.

XVII. Conventus Wormatiensis.

Conventum etiam Wormatiæ habuêre aliqui ordines factionis Evangelicæ, cui adfuit Bernardus Dux Weinmarius, & Porſchius Conſiliarius Georgij Darmſtadij, miſſus cum mandatis, ut rerum capita, quæ inter Cæſarianos & Saxonicos in eventum ſecuturæ approbationis convenerant, conventui generatim ſaltem aperiret. Conſilijs in longum protractis, cùm nihil certi ſtatueretur, unà cum primo vere, ſeſe Martis campus aperuit. Etenim in Miſnia, Cæſariani oppida aliquot militaribus exactionibus ſubjecerunt. In Weſtphaliâ, Monaſterienſes inobſervati Rhenam, tranſcenſis mœnibus, oppreſſóque ſummo manè Haſſico præſidio, recuperârunt, pauló pôſt ab Haſſis, ductore Melandro, cum pari clade & oppidi direptione indidem removendi. Oppidum Ridbergenſe, intactâ arce, Luneburgici diripuêre.

Sexto Id. Mart. inter Cæſaream Majeſtatem & Saxoniæ Septemvirum triginta dierum induciæ, quò pacatiùs de pace ageretur, excluſis Galliæ & Sueciæ fœderatis, convenêre, admiſſo ad eas ſimul Electore Brandeburgico, Guilielmo Weinmarienſi, & Georgio Luneburgico, ſi quidem eam ipſi probarent. Dux Luneburgicus illas Suecico fœderi poſthabuit. Viennæ, viginti octo diverſorum ordinum Theologi de futuræ pacis conditionibus audi-

Theologi circa pacem diſsentiunt.

ti, eas plerique probârunt, quidam improbârunt, eò præſertim, quòd uſum proventuum Eccleſiaſticorum per annos quinquaginta, & in Magdeburgenſi Archie-

Archiepiſcopatu, tres Dynaſtias Electori Saxoniæ, ejus verò filio Magdeburgenſem adminiſtrationem permitterent.

XVII. Ergo Pragam convenêre pacis tractatores, ſupremam manum controverſijs finiendis impoſituri. Sueci alto velut oppreſſi ſomno, vel ſimulabant, eorum, quæ pro pace gerebantur, ſe neſcios, vel certè verè neſciebant agi ſeriò de tollendis inteſtinis Germaniæ diſcordijs, quibus eorum factio potiſſimùm nutriebatur. Bannerus, qui Saxoniæ erat vicinus, primus fuit, qui ſcriptis ad Saxoniæ Electorem litteris, tacitè conſilia pacis vellicavit, petivitque ſibi ſignificari, quid tandem ſubſidij Coronæ Sueciæ à Saxoniæ Electore ſperare poſſet.

Pax Pragensis promulgatur. Iſtis Saxoniæ Elector nihil motus, cùm IV. Cal. Jul. pacis tabulæ in arce Pragenſi à legatis fuiſſent ſubſcriptæ, probatæ deinde Cæſari; cùm incredibili Saxoniæ gaudio pacem eſt amplexus, quam Cæſar deinde curavit evulgandam. *A Norimbergensibus suscipitur.* Eam recepêre Norimbergenſes, conſcij cum Suecis initi à ſe fœderis, & veriti, ne Hungariæ Rex, qui in Imperio Cæſaris hoſtibus erat formidabilis, delictorum ab ipſis pœnas exigeret, exoratâ à Rege veniâ, & ejecto non ſine ſeditione, præſidio Suecico. Erfurtenſes eorum exemplum ſecuti, dimiſſis honeſtè duabus Suecorum cohortibus, Eccleſiaſticas poſſeſſiones cœperunt reſtituere. Fuêre etiam alij tum Principes, tū civitates, è quibus Francofurtum ad Mœnum, qui cum pace & Cæſare in gratiam rediverunt. *Idem præstat Erfurtum.* Sueci ac Franci quemadmodum illam impugnârint, geſta ſequentium temporum oſtendent. Egit quidem Cæſar Ferdinandus cum Urbano ſummo Pontifice, ut Franciæ Regi author eſſet recedendi à Suecorum fœdere; ſed arctior erat conſiliorum & rerum ex bello Germanico ſperatarum neceſſitudo, quàm ut facili manu diſſolveretur. Sueci ergo, collectis, Gallorum auxilio, viribus, firmatiſque in ſociali fœdere quorundam Principum Germanorum animis, reparavêre bellum.

XVIII. Bernardus Dux Weinmarius, anno renaſcente, cum ſedecim armatorum millibus, transmiſſo per Francofurtenſem pontem equitatu & bellico inſtrumento, movit Gelhuſium & Hannoviam, ubi, ob tempeſtatis aſperitatem, tantiſper hærere fuit coactus. Cæſariani interea ad Dieburgum, Umbſtadium & Tuberi confinia collecti, caſtris inde ad Aſchaffenburgum munitis, aucti Croatarum turmis, ad Weinmarij motus fuêre intenti. Verùm cùm hiemis rigor nihil remitteret, ſed indies factus acerbior, Gallorum aliquot millia partim extinxiſſet, partim diſpuliſſet à ſignis, Weinmarius, relecto itinere, per Francofurtum copias duxit in vaporaria agri Darmſtadiani. *Herbipolis recipitur.* Inter hæc Sueci, qui ſub Comite Turriano in arce Herbipolenſi longam obſidionem tolerârant, cùm ſupremum ipſis diſcrimen immineret, fecêre deditionem ſub Januarium exeuntem, tametſi ipſis de annonâ in annum adhuc ſatis eſſet proſpectum. Pòſt paulò Lamboius Coburgum recepit, præſidio cum impedimentis dimiſſo Zehmio Colonello, qui præſidio imperabat cum aliquâ principis argenteâ ſupellectile retento, eò quòd induciarum tempore, tormentorum jaculatione Cæſarianos aliquot interemiſſet. Kœnigshoffio vis intentata quidem, ſed dilata ad hujus anni exitum ejus deditio. Hoſtis è diverſo expugnavit caſtrum Braunfelſium, è quo miles Catholici fœderis infeſtam habebat Wetteraviam. *Braunfelsium expugnatur ab hoste.* Comes Solmenſis ejuſce expugnationis author & ductor, ſub Februarij initium, die vix albeſcente, trucidatis externorum operum excubitoribus, portæ tubum inſititium applicuit, ſed cùm præter irritum fragorem nihil effeciſſet, fores igne ſubjecto accendit; unde tantus fumus erupit in obſeſſos, ut, tametſi acerrimè armatis reſiſterent, victi tamen ab infeſto vapore, ſe Comitis arbitrio permiſerint, rebus omnibus, ipsâque libertate exuti.

XIX. Cæterùm in recuperando Philippoburgo fortuna ſe Cæſarianis lætam oſtendit. *Philippoburgum recuperatur.* Iſtud munitiſſimum ac velut inſuperabile Germaniæ præſidium Franci anno ſuperiore occupârant operâ non difficili. Caſpar Bambergerus, qui antè ei loco pro Philippo Chriſtophoro Trevirenſi Electore præfuerat, recuperavit hoc

ſtra-

ſtratagemate. Delectos aliquot è ſuâ legione viros fortes & induſtrios, agreſti tectos habitu, armatóſque ruſticanis lignatorum ſecuribus, venalem annonam juſſit ferre in urbem, & ſingulos quidem atque ex varijs intervallis, quò minùs notarentur. Ingreſſi omnes & à nemine obſervati, pernoctârunt intra mœnia, tam dextrè ruſticorũ perſonas moréſque exhibentes, ut nemini vel levis de ipſis ſuſpicio fuerit oborta. Juſſi erant ad ſequentem aurotam attentè vigilare. Ut in civitatem receptos comperit Bambergerus, IX. Cal. Febr. ſub exitum tertiæ noctis vigiliæ, ſummo ſilentio cum validâ armatorum manu ad foſſæ Philippoburgenſis labrum progreſſus, glaciem, quâ foſſa concreverat, ſternit aſſeribus, qui tutum militi tranſitum præberent. Inde delatus ad vallum, ejus ſepimentum vacerris evulſis aperit: pòſt enixus in valli faſtigium, proximum excubitorem confodit. Cùm ſat magno jam numero vallum teneret, elato clamore ſignum dat ruſticis perſonatis, quos pridiè immiſerat. Convolant illi ex diverſorijs ad portam, proſtratíſque excubitoribus, momento fores ſecuribus effringunt, admittúntque è ſuis centum levis armaturæ equites, qui mox ſemiſopitorum Gallorum, qui ad vallum concurrerant, terga cædentes, ſtragem edidêre. Convolârunt ſimul ad arma Germani præſidiarij, & irrumpentem Bambergerum aliquantum ſtiterunt, ſed cùm multi in veſtigio ſternerentur, fruſtra eorum conatus fuit. Franci eâ clade territi refugerunt in arcem. Cæſariani urbis jam victores, confeſtim muralibus tormentis arcis quoque portam cùm disjeciſſent, impreſsione factâ, Francis quà necatis, quà vitæ exoratæ veniâ donatis, arce quoque potiti ſunt. Capri Gubernator, aliique primi nominis, quos Bambergerus miſit Hailbrunnam. Præda ingens in loco reperta. Centum viginti octo tormenta ænea, immenſa propè vis hordei & frugum aliarum, farinæ centum ſaccorum millia, quater mille dolia ſulphurei pulveris, duodecim millia vaſa ſalis, vini ingens copia, plurima gaza Ducis Wirtenbergici, res vicinorum illuc importatæ, Gallicæ pecuniæ ſedecies centena duplonum aureorum milla, duæ præterea ciſtæ auro refertæ: quæ jactura Gallorum animos mirificè commotos excitavit ad vindictæ, quam fors unquam daret, capiendæ flagrans deſiderium, Spirenſes verò movit ad mitiora conſilia. Moniti enim, poſt eam ſtatim victoriam, à Bambergero, ilicò declararent, quarum denique eſſent partium, vehementer eâ denuntiatione territi, non multò pòſt, ubi Joannes Werthius cum Bavaricorum aliquot millibus in urbis conſpectum venit, absque morâ, nullâ vi expectatâ, redivêre ad Cæſaris obſequium.

XX.

Spira redit ad Cæsaris obsequium.

XXI.

A Gallis recipitur.

Brevis fuit fructus ejuſce deditionis: Galli enim, amiſsi Philipsburgi dolore accenſi, acceptis à Bernardo Weinmario (cui nuper ad ſedandos tumultuantis militis animos pecuniam Wormatiæ numeraverant) aliquot peditum equitúmque millibus, Spiram arctâ coronâ cinxerunt. In civitate curabant Metternichius, antea Heidelbergæ Gubernator, Comes Hartenbergius, & junior Comes Pappenheimius. Tentârunt Bavarici inferre ſuppetias obſeſsis, ſed fruſtra & cum ſuâ clade: nam multi per Gallos fuêre cæſi, multi in Rhenum compulſi: ſimul obſeſſis ademêre Galli pontem nauticum, quo Rhenus ſternebatur, & omnem ſpem auxilij. Patebant jam quinis locis muri ruinæ idoneæ ad ingreſſum: tres item Franci duxerant ſub terram foſſas & fornaculas. Quare obſeſſi petiêre à Bernardo Weinmario paciſcendi copiam. Sed is, nimis diuturnam ipſorum obſtinationem cauſatus, quòd duas jam hebdomadas ipſum eſſent morati, vitæ duntaxat facultatem conceſsit. Ea conditio tametſi dura, accepta tamen ad XI. cal. Apr. ne quid durius ſequeretur. Omnis miles gregarius, mille octoginta capitum, fuit confuſus in hoſtium legiones: Metternichius captus à Gallis, Hartenbergius eâ lege dimiſſus, ut captum recens Philippoburgenſem Gubernatorem ſecum curaret commutandum. Cæteri ductores fuêre miſsi Wormatiam: immanis redemptionis ſumma à civitate exacta: Cæſareæ Cameræ aſſeſſores ſolverunt Ferdinandicorum quinque millia; Clerus quinquaginta, cives ſexaginta millia.

Eam

Eam Gallorum ac Suecorum de domitis Nemetibus lætitiam temperavit devicta tandem Auguſtæ Vindelicorum contumacia. Urbem, quæ eſt inter ampliſſimas totius Germaniæ, operibus & Suecico firmam præſidio, non ferro, ſed fame, viſum eſt Maximiliano Electori ſubigere. Anguſtè jam diu illam habuerat, utpote Boicæ contiguam, intercluſo commeatu: verùm, poſt devictos ad Nœrdlingam Suecos, longè anguſtiùs haberi voluit à Comite Wahlio, ídque ſeptem admodum menſibus, in quos Suecorum obſtinatio famem extendit. Conati quidem ſunt Ulmenſes centum curribus inferre eſurientibus cibaria, ſed territi refugientéſque, relictis in villâ intermediâ curribus, annonam omnem agricolis & Wahlio reliquerunt. Iſto obſidionis ſeptimeſtri, infinita fuerunt edita feralium epularum exempla, qualia cum horrore leguntur in veterum monumentis. Nondum ad extremum ventum erat, cùm aſinina, canina, equina, publicè in macello venirent, & equini quidem ſanguinis hemina uno Julio; inteſtina, quæ venter tegit, denis florenis; libra carnis duobus Julijs. Viſi, qui de cane mortuo & pugillo furfuris, velut pro aris ac focis pugnarent: viſi, qui albicantia oſſa è fimetis eruta avidè roderent. Finnones inſtituebant murium venationes, miro artificio, quod æluri ipſi neſciant. Objurgavit nihilominus Gubernator querulos, negans famem videri, donec ſua rheda ſalva eſſet; ejus enim coriaceo integumento pelli poſſe famem. Ergo etiam corium & humanam carnem egit in ventrem famelicorum, rabies humanitatis oblita. Conqueſti fuerunt veſpillones, ſibi mutilata cadavera tradi ad ſepulturam facili conjecturâ, quinam & ubi deſectam pulpam tumularent. Non raró uno die ducenti & plures veniebant in cenſum Libitinæ. Tolerabile viſum, cùm ſiliginis modius (ſcapham vocant) centum, imò centum ſexaginta florenis, ovum gallinaceum duodecim cruciatis potuerunt comparari: ſed intolerabile, quando nullo quantovis pretio. Ergo tandem ultimâ inediâ expugnata urbs, V. cal. April. his pactis: ut Religionis, Noſocomiorum, Orphanotrophij uſus eſſet conformis Cæſareæ reformationi Anni M.DC.XXIX. liceret tamen ex gratiâ Lutheranis, templum ſuis ſumptibus conſtruere, atque in eo audire Prædicantem, qui nihil citra Confeſſionis Auguſtanæ limites exorbitaret, populove proponeret. Haberentur bona Eccleſiaſtica, ex normâ pactorum conventorum, inter Epiſcopum Auguſtanum & Magiſtratum à Cæſare confirmatorum. Civitati manerent ſua privilegia: conſtituerentur magiſtratus ex Lege Caroli V. & Cæſarei decreti Anni M.DC.XXIX. & mox reducerentur ad eam formam, quam ante Suecorum adventum habuerant. Damna Eccleſiaſticis illata non quæſitâ vi, ſed juris ordine, ſarcirentur. Nullum prorſus lytrum, nulli obſides ab ullo Civitatis ordine præſtarentur. Gubernator omne præſidium, exceptis transfugis, more militari educeret. Æneæ machinæ ad civitatem ſpectantes eidem relinquerentur; quæ ſpectarent ad Electorem Bavariæ, illæ præſertim, quas Sueciæ Rex ex Monacenſi armamentario anno M.DC.XXXII. evexerat, unà cum raro ac pretioſo theſauro, qui fuerat ex auguſtiore rerum affabrè factarum Monacenſi promptuario ablatus: eſſet migrandi facultas omnibus, qui officio aut obſequio Suecis eſſent addicti, exceptis Sac. Cæſ. Majeſtatis ſubditis, ídque intra ſex hebdomades: par eſſet licentia omnibus civibus aliiſque, repræſentato emigrantium tributo. Gubernatorem atque præſidium civitas haberet ſuis ſumptibus, Gubernatore neſcio aut invito, nihil ageretur de re publicâ aut ſtatu militum. Cæteroqui civitas, velut immediatum Imperij membrum, nihil quicquam detrimenti in ſuis privilegijs acciperet: hoſpitiorum militarium partitio fieret ex Magiſtratûs diſpoſitione: civitas nullis ſtativis eſſet obnoxia. His pactis contenta civitas generatim renunciavit alijs. Donec hæ conditiones à Cæſare confirmarentur, non fuerunt loco moti, qui erant in Magiſtratu. Adfuêre interea Maximiliano, nondum impetratâ Cæſaris confirmatione, XVII. cal. Maj. Legati Auguſtani, rogantes, vellet pro impetrandâ aliquâ iſtarum conditio-

XXII. Auguſta ſuperata a Bavaricis.

Immanis fames.

XXIII.

d itionum moderatione apud Cæſarem patroni partes ſuſcipere. Tormenta Bavarica accuratè conquiſita, & protracta etiam quædam ex latibulis, Monachium fuêre revecta.

XXIV. Sub idem tempus civitas Trevirenſis, Gallis exactis, venit in Hiſpanorum manus. Philippus Chriſtophorus Archiepiſcopus Trevirenſis S. R. I. Elector ſe ſuáſque ditiones ſubjecerat Regis Chriſtianiſſimi protectioni: Gallicum præſidium admiſerat in arcem Confluentinam: juverat in Treviri per Gallos occupandâ. Res ingratæ Cæſari, periculoſæ Imperio, incommodæ Principum Catholicorum partibus. Sæpe igitur ſerióque actum de Francis amovendis. A Treviris factum initium. Id quò fieret tectius, negotium datum Embdano Comiti Luxemburgi Gubernatori, utpote quòd non niſi unius diei itinere à Treviris diſtaret. Ille ex vicinis præſidijs legit ſexcentos pedites, equites totidem. Hos jubet itinere terreſtri proficiſci Treviros, illos tertio à Luxenburgo milliari navigijs ſecundo Moſellâ navigare, portifragis polyclaſtis, ſecuribus, aliíſque ad ſubitam impreſſionem idoneis inſtructos. Equitatus, noctis tectus beneficio, ſiléſque in agrum ponti Trevirenſi vicinum ingreditur, pedites navibus operti ut eidem ponti adnavigavêre, inclamantur à Gallo excubitore, quis iſthâc navigaret? reſpondêre nautæ, ſe annonam vehere in urbem, non auſos clarâ luce venire, metu Hiſpanorum, qui tertio inde milliari agerent. Satisfactum iſto reſponſo vigili: ergo naves ſub ponte tranſmiſſæ perveniunt ad portam nauticam quadringentis circiter paſſibus diſtantem à ponte. Appulſis ad navium ſtationem à vigile inclamatur, quid iſthic eſſet? reſponſum idem, quod antè. Ne

Gallicum præsidium Treviris ejicitur.

XXV. quam facerent ſuſpicionem, horæ unius ſpatio omnes, quaſi diem præſtolaturi, quieſcunt, quâ elapsâ, cùm ſtrepitus aliquis ab exſcendentibus, ſéque ad faciendam impreſſionem parantibus eſſet editus, ruſus de more interrogat ſpeculator: ajunt nautæ, ſe nocturno labore fatigatos corpus modico cibo reficere: fidem habuit homo albæ mentis. Interea ſuſpenſo gradu, qui ad effringendas fores erant deſtinati, accedentes ad portam, infititiam machinam valvis applicant, portámque à cardine revulſam diſijciunt. Armis conclamatis accurrunt Galli, tantâque vi excipiunt Hiſpanicos, ut aliquot trucidatis, rejecti in naves, ad fugam inclinarent. Non longè erat res à deſperatione, cùm Maillardus Hiſpanienſis Tribunus pugnam inſtaurat, & cum ſuorum manipulo, Francis nequicquam obnitentibus, irrumpens in urbem, flexo ad meridiem, ſecundum mœnia, curſu, convolat ad urbanum pontem, effringit portarum repagula, disjectíſque à ponte excubijs, per geminæ turris, quæ ponti ſunt vicem propugnaculorum, effractas fores, admittit in urbem Hiſpanicum equitatum. Hic multiplicem tubarum clangorem edere, victoriam inclamare, ingentem, ut fit ab equitantibus, fragorem excitare, non ſecus ac ſi multæ turmæ urbem invaſiſſent. Galli, qui adhuc ſe ad nauticam portam fortiter tuebantur, rati, multa equitum millia irrupiſſe, cœpêre in foro conglobari, animis refrigeſcere, cædi ab inſtantibus, & tandem refugere in S. Gangolfi ædem ac cœmiterium, quod pone forum eſt, in

Elector captivus abducitur.

XXVI. umbilico civitatis. E foro Maillardus ocyus contendit in Archiepiſcopale palatium, atque iſthic Electorem jubet cogítque dare victas manus. Qui à cæde reliqui fuêre Galli, unà cum Buſſio, Buſſij ſenioris, qui tum aberat, filio, vitæ incolumitatem, non libertatis impetrârunt. Archiepiſcopus primò Luxenburgum, inde in Belgium, tum Linzium, ac demùm Viennam ductus, fuit in decennali cuſtodiâ. Ea res vehementer pupugit Gallorum animos, reputantium, ſuam eſſe ignominiam atque injuriam, quòd Hiſpani Principem, nomini Francico tantopere addictum devinctúmque, libertate privâſſent: quod non parùm momenti habuit, ut Rex, qui fœderatorum nomine adhuc bellum geſſerat, ſuis ipſe auſpicijs Domui Auſtriacæ indiceret. Quamobrem, prohibito omni Francorum cum Hiſpanis commercio, Hiſpaniarum Infanti per fecialem denuntiavit quæque hoſtilia, ni Trevirorum Septemvirum protinus liberum dimitteret. Infans viciſſim clari-

clarigatorem Rhemos miſit, qui infeſta omnia denunciaret, ni Rex ſervaret leges pacis Veruinenſis.

Exinde omnia utrinque ad bellum cœpta comparari. Forcæo caſtrorum præfecto ad viginti quinque millia demandati, quos Lotharingiæ Duci opponeret. Rohanus juſſus cum octodecim millibus movere in Rhætos, Crequius in Italiam cum ſeptendecim millibus: miſſa item in Arteſiam multa millia Duce Cheſnæo. Bellieuræus allegatus ad Italiæ Principes, qui eos de jure belli Francici contra Domum Auſtriacam edoceret, &, quâ valebat eloquentiâ, dexteritate ac ſolertiâ, traheret in partes. Caſtillionæus cum valido exercitu contra Hiſpaniarum Infantem miſſus ad Moſæ confinia, 14. Cal. Junij altero ab Eburonibus milliari, cum ſexaginta machinis muralibus caſtra metatus eſt. XXVII. *Leodio.*

Poſtridie ejus diei Ferdinandus Cardinalis Infans Hiſpaniarum ſelectiſſimas copias, quibus præfecerat Principem Thomam è Ducibus Allobrogum, Gallis oppoſuit ad Namurcum, ubi cum magnâ ſuorum clade, cruento prælio Princeps Thomas fuit ſuperatus à Gallis, accepto, dum fortiſſimè pugnat, honeſtiſſimo vulnere. Caſtillionæus, junctis ſubinde 3. Cal. Jun. Hollandicis triginta ferè millium auxilijs, irrupit in Brabantiam; ubi Thenis armatâ manu potitus, grandem ſtragem edidit, ferro, igne, omni exemplo bellicæ immanitatis, à quâ ne honeſtarum quidem matronarum, aut virginum corpora fuerunt immunia. Poſt Namurcenſem cladem, Belgium poterat videri tantâ hoſtium multitudine, quæ ſexaginta ferè millia recenſebat, omnino obruendum; verùm Deus (quæ ſors eſt rerum humanarum) aliò vela vertit. Vix ambigebant Franci, quin, ſimul atq; venirent in Lovanij conſpectum, vaſtâ illâ quidem & malè à munimentis tectâ civitate, quæ manſuetiorum potiùs Muſarum, quàm Martis domicilium eſt, confeſtim potirentur. Sed erant in divinâ manu longè alia. Cùm enim Ferdinandus Imperator Infanti Cardinali, bello tam periculoſo periclitanti, Piccolominium, cum magno militum robore, auxilio miſiſſet, Franci atque Batavi metuentes, ne, Demerâ flumine ab Hiſpanis clauſo, commeatus interciperetur, cùm jam fames in illorum caſtris graſſans multa virorum fortium funera ederet, nec ſegniter Lovanienſes, accepto multorum millium præſidio, eductóque in campum Martium Athenæo, ſua, quamlibet debilia, mœnia tuerentur, Franci (inquam) ac Batavi, reflexo ad Moſam itinere, Thenis deſertis atque Dieſto, cum ingenti ſuo incom̃odo & exiſtimationis non obſcurâ labe, Lovanienſi obſidione ſolutâ, ad Ruremundam & Ventonam ſeſe munimentis circumſepsêre. Venit in depulſæ obſidionis partem atque gloriam juventus litteraria Lovanienſis Academiæ, quod vertit in obſidentium probrum, quaſi Minerva & ſtudentium ſtyli, Martem & militare ferrum retudiſſent. Sanè grandis iſte, quem Caſtillionæus in Brabantiam duxerat, exercitus ad tantam recidit infrequentiam, ut Franciæ Rex non ambiguam inde prodiderit in ipſum ductorem indignationem. HISPANI A GALLIS CÆDUNTUR AD NAMURCUM. *Tirlamont.* LOVANIUM A GALLIS FRUSTRA OBSIDETUR.

Ad Rheni & Nicri confinia, ubi ſe mitior aura aperuit, Bellonæ quoque fores patuêre. Hiſpanius Tribunus, ſub naſcentem Majum, ſtativa habebat cum ſuâ legione haud procul Sundheimio. Hunc Tubadelius cum manu validâ nihil tale opinantem, ſub diei crepuſculum oppreſſit. Victoria, repreſſo primore Suecorum agmine, nutare viſa, ſed cùm unica iſta Bavarorum legio à quaternis premeretur, cedendum denique fuit torrenti. In fugâ cæſi non multi, captus vigiliarum Magiſter, cum paucis ductoribus; amiſſa tria vexilla, & nonnihil manubiarum. *Neccari.* XXIIX. LEGIO BAVARICA A SUECIS PROFLIGATUR.

Rhingaviam, vinetis felicem Moguntinenſis imperij regionem, colonorum ope nuper invaſerant Bavarici, Suecis depulſis. Inde Viſbadam, oppidum indefenſum, thermis celebre, Boici inſederant: Sueci Moguntinenſes, exploratâ eorum ſomnolentiâ, Rhingaviæ recuperandæ nacti ſunt opportunam occaſionem. Res geſta eſt adulto Aprili. Ergo principio Viſbadenſem ſtationem ſegniter excubantem invadunt, diſjiciunt, cædunt: tum aggrediuntur Waloffiam Rhinga- XXIX. SUECI BAVAROS E RHINGAVIA PELLUNT.

 viæ XXX.

viæ velut oſtium, ſuperatiſque Bavaricis, loco potiti, movent Elfeldam, eámque faciunt Suecicæ ditionis, præſidiarijs rejectis in arcem, quam ipſi Boij à ſuis evocati cum impedimentorum parte, nocte intempeſtâ deſeruêre, ne ablatis quidem octo vexillis, quæ, ſive metu, ſeu oblivione, in arce hoſti reliquerunt. Viceversâ quadringenti Bavarici hippotoxotæ 12. Cal. Majas, Suecis expulſis, Elfeldæ oppidum arcémque recuperârunt. Succi verò Ehrenfelſum caſtrum, preſſum cibariorum inopiâ, invasêre; centum admodum præſidiarios, qui ad hoſtem defecerunt, Moguntiam abduxêre.

BAVARI ELFELDAM RECUPERANT. SUECI OCCUPANT EHRENFELSAM.

XXXI. In Wetteraviâ proſperè admodum Cæſarianis res id temporis fuêre: Braunfelſenſes præſidiarij trecentos pabulatores Suecarum partium 15. Cal. Majas ad Oberquembacum malè multârunt, ſex ſupra viginti interemptis, captis quadraginta duobus, ereptis unà cum ploſtris equis ſex ſupra ſeptuaginta. Hanovienſes pariter in Cæſarianos frequentes fecêre eruptiones. Stadæ cùm inductili catapultâ portam effregiſſent, 8. Cal. Jun. Sparriam legionem primo diluculo profligârunt.

Cæterùm, ut ab his levioribus faciamus gradum ad graviora, quæ à Catholicis exercitibus varijs locis, hujus anni caſtris geſta ſunt, ordine proſequemur. Maximilianus hoc anno diviſum in varias partes habuit exercitum. Legiones aliquas adjunxit Regi Hungariæ, alias Duci Lotharingiæ, aliarum operâ, pro rerum conditione, uſus eſt Comes Wahlius, ſubactâ Auguſtâ, miſſus ad ſuperioris Palatinatûs præfecturam, qui Weidam oppidum arte & naturâ munitum, è quo Sueci regionem latè vexabant, cùm aliàs ſæpe fruſtra tentatum fuiſſet, ſuperatis mœnibus, oppreſſóque præſidio occupavit ſub Aprilis exitum. Idem Neohuſium, Herſbrucum, Neoforum, aliáque circum loca, redegit in ordinem. Erbacum caſtellum apprimè firmum ad Danubium, ejecto Ulmenſium præſidio, coëgit ad deditionem. Varia fuit copiarum, quas Dux Lotharingiæ ducebat, fortuna. In ijs fuêre è Bavarico milite ſupra ſex armatorum millia. Cùm ille pleraque circa Colmariam loca, excepto Germaræ caſtro & Hohburgo, magnâ celeritate ſubegiſſet, eo conſilio, ut Colmariæ caſtra admoveret, & jam Werthius eſſet in procinctu, copias Boicas eò ducturus, parato, ex Briſacenſi armamentario, obſidionali inſtrumento; ſubitò Franciſco Mercio & Saliſio venere litteræ, quibus jubebantur, cum impedimentis per pontem Briſacenſem in vallem Kinzingenſem properare. Quare, collectis præſidijs omnibus, excepto Rubeacenſi & Richeweierenſi, abductiſque è Senatu Turchemenſi & Cæſareomontano viris aliquot primarijs, eò quòd nuper injuſſi quoſdam è ſuis ad Galliæ Regem ablegâſſent, confeſtim trans Rhenum abiêre.

XXXII. DUX LOTHARINGIÆ VARIA OPPIDA OCCUPAT IN ALSATIA.

Dux verò Lotharingiæ ab ijs deſertus, cùm de obſidendâ Colmariâ conſilium mutâſſet, Rubeacenſem arcem ſolo ſui adventûs terrore Gallis eripuit. Arcis Præfectus, quòd in eâ dedendâ fuiſſet facilior, capitali ſupplicio fuit affectus. Motis inde caſtris, Turchemium, aliáque paſſim oppida occupavit, Monpelicardo obſidionem admovit. Inter hæc phalanx Cæſarianorum equitum, in Alſatiâ prope Revelſburgum, legionem Degenfeldicam oppreſſit.

E Bavaricis turma una curabat Dæmingæ, ad coërcendas Hochburgenſium excurſiones, ſed ſua illi infeliciter ceſſit oſcitantia; etenim Hochburgenſes inobſervati univerſam profligârunt pleriſque in loco trucidatis. Et hæc quidem præludebant cladi, 5. Cal. Jun. ad Belfortum acceptæ. Erant in exercitu è Lotharingis juxtà ac Bavaricis, ductore Joanne Werthio, duodecim millia. Cum impedimentis & bellico apparatu per anguſta viarum penetrârant ad uſque Blancam, atque iſthic in colle caſtra locârant. Galli, Duce Forcæo, è regione inſtruxêre aciem: cúmque utrique loci opportunitati fiderent, nec veniretur ad manus, ſolâ tormentorum fulminatione ipſum triduum conſumpſerunt. Lotharingis, cùm cibariorum inopiâ laborarent, viſum eſt, hoſte omiſſo, ſe per ſubjectam vallem Belfortum recipere, verùm malè ipſis ceſſit hoc conſilium. Franci e-

GALLI LOTHARINGOS AC BAVAROS CÆDUNT IN ALSATIA.

ci enim, abeuntium terga cædentes, poſterius agmen nongentorum peditum, quinque hippotoxotarum vexillationes, ipſámque Werthij legionem fuderunt, fugârunt, captis ductoribus & gregarijs quàm multis. Dum porrò inſectantur Gœtzianam legionem, ex eâdem tres cohortes profligârunt. In eo receptu multi à ſignis dilapſi, periêre multi. Tandem Dux Neoburgum, Rheinachius Briſacum, Mercius aliò, diverſis itineribus cum fatigato & malè paſto milite abiêre. Ad eum modum exercitus iſte duodecim millium clade, fame, morbis, ad quatuor ferme millia fuit redactus.

XXXIII.

Dux Lotharingiæ nihilo minùs, collecto rurſus exercitu, ad quem acceſsêre miſſæ à Maximiliano equeſtres pedeſtréſque copiæ, quas Werthius adduxit è Franconiâ, & aliquot à Galaſſo legiones, regreſſus in Lotharingiam, Spinellum, Romaricomontium, Boulaium, Charmum, aliáque Auſtraſiæ oppida recuperavit, Ramberſvillam validis firmavit operibus.

Werthius Francos cædit.

Joannes Werthius, ſub exeuntem Novembrem, duas Francorum legiones, ducentos præterea pedites, convehendæ annonæ defenſores, collatis ſignis, octodecim vexillis militaribus & commeatu exutos cecîdit, capto Tribuno, qui ipſis præerat, & quatuor centurionibus. Profligavit deinde turmam ducentorum equitum è Gallicâ nobilitate, eóſque ſic preſſit, ut non pauci fugam moliti per Moſellam, gurgitibus hauſti perierint.

Heidelberga recuperata et Dillsperga.

Ducebat Hungariæ Rex ex Cæſareo & Bavarico milite florentiſſimum quadraginta millium exercitum, quem luſtravit ad Hailbrunnam, ac deinde flexo ad Nicrum itinere, non procul à Wieblingâ, habuit in caſtris. Tantæ potentiæ famâ territus Heidelbergæ Præfectus, relictâ civitate, cum univerſo præſidio confugit in arcem, quam Cæſariani tenuêre clauſam, donec fame, morbis, & auxilij deſperatione domita, fecit Regi Hungariæ deditionem; ſimilis, eodem propè tempore, fuit fortuna arcis Dilſpergenſis. Rex, motis à Wieblinga caſtris, Nicrũ ponte junxit ad Berckenheimiũ, unde tranſmiſsâ quadringentorum manu, propugnaculum ab hoſte ex adverſo Philipsburgi conſtructũ, præſidio in fugam acto, occupavit. Sub hæc Wormatiam, duarum è Suecis legionum, & mille centuriatorum civium præſidio defenſam, recepit, oſtenſo duntaxat apparatu: nam Weinmarius, ſuis diffiſus viribus, Bipontum refugerat, ut ſe apud Mediomatrices Francis ſociaret. Ergo Galaſſus, iſtâ occaſione, Oppenheimium, Bingam, Baccaracum, Cubam, Cæſareo-Lutheram, poſt diutulam obſidionem, invaſit cæsâ Suecorum flavâ legione. Ea civitas tridui direptioni patuit: captus in illâ Tribunus Schönbeckius. Movit exinde Bipontum, ubi, cognito, Weinmarium cum potente exercitu Rhenum verſus movere, vocatis, quæ Franckentalio & Moguntiæ aſſidebant, copijs, iter Wormatiam verſus relegit. Weinmarius invaſit Rudesheimium, Bingam, præſidiarióſque in ſuam poteſtatem redegit. Jam antè Steinheimium ad Mœnum, poſt brevem obſidionem, muro ad incurrendum aperto, Rex Hungariæ ſubegerat, præſidio Hanoviam abire permiſſo. Septembri, vertente, arcem præterea Falckenſteiniam Suecis eripuêre Comitis Falckenſteini familiares juncti colonis. Obtulêre illi primùm Suecis percommodas deditionis conditiones, quas cùm ipſi reſpuiſſent, nocte concubiâ, ſcalis admotis, irrumpunt in arcem, præſidiarios armis exutos vinciunt, denique gregarios adigunt ad ſigna Cæſaris; centurione, aliiſque ductoribus, donec Comes de illis ſtatueret, retentis.

Rex Hungariæ Wormatiam domat.

Alia loca circum occupat.

Weinmarius Rudesheimium, Bingam invadit, et loca alia.

Falckensteina Suecis eripitur.

XXXIV.

Inter Moguntiam & Francofurtum diutulè conſedêre Cæſariani caſtris muniti adverſus Franco-Suecos in vicino pariter caſtra metatos. Intercelſerunt aliqui conflictus velitares, atque in his unus 18. Cal. Octob. memorabilis.

Aliqui Cæsariani profligantur.

Moguntiâ advenerat Vicethumius cum ter mille ſelectis equitibus, & mille ſclopetarijs in agrum Francofurtenſem, & fuerat aliquoties à Cæſarianis repreſſus. Tandem Francorum manu firmatus, ad Hauſenſem pagum fortunam rurſum experturus, Cæſarianos elicuit ad certamen. Concurrêre utrinque fortiſ-

Capitur Hatzfeldius.

ſime: Cæſarianos denique fortuna deſtituit: eorum permulti cecidêre: captus Comes Hatzfeldius, ſimul unus legionis vicarius, aliique ordinum ductores. Tandem cum Franco-Suecos ad Hochemium, ubi caſtra muniverant, annona defeciſſet, & miles tumultui proximus pecuniam poſceret, Duces veriti, ne, ſi quæ vis major à Rege Hungariæ inferretur, à ſuis desererentur, VIII. cal. Octob. ſignis refixis, per pontem, ad Caſſellenſem pagum, copias tranſmisêre Moguntiam, & ſoluto deinde ponte, tormentiſque è Guſtavi ad Rheni Mœnique confluentes propugnaculo avectis, Regi vacuam munitionem conceſſerunt. Secundum hæc nocturno itinere Crucinacum verſus contendentes, habuêre à tergo inſectantes Cæſarianos, qui poſtremum abeuntium agmen in Ingelheimenſi agro aſſecuti, prope Cunzenheimium egêre in fugam. Galaſſus totus in eo erat, ut elabendi modum hoſtibus intercluderet, adigerétque ad pugnam, dum adhuc longè impares eſſent inferioréſque numero, etiam cùm Gallica auxilia, ductu Cardinalis Valettani, ad Crucinacum ſeſe adjunxiſſent: verùm Francis erat propoſitum fixúmque à conflictu abſtinere, ſeſe recipere ad fines Lotharingiæ, & adverſus tam numeroſum hoſtem tueri fines Franciæ. Fecêre itaque receptum admodum impeditum, multis in itinere impedimentis, & tormentis aliquot præ feſtinatione relictis, quòd ipſis hærerent continenter à tergo atque à latere Cæſariani Croatæ, qui properantes ferè perpetuò carpebant, maximè in viarum anguſtijs.

GUSTAVOBURGUM A SUECIS DESERITUR. FRANCO-SUECI PUGNAM DETRECTANT.

XXXV.

CÆSARIANORUM CLADES.

Ad Meiſenhemium viam intercluſerant novem Cæſarianæ legiones cum valido equitatu. Nequibat hoſtis, citra ingens diſpendium immo & diſcrimen, aliorſum flectere: conſilium fuit, per Cæſarianam aciem viam vi facere. Ergo cum Gallorum globo Weinmarius movet in obſtantes, confligitur utrinque fortiter, dimoventur è ſuâ ſtatione Cæſariani non ſine clade, Benderus Tribunus capitur, capiuntur tredecim machinæ curules. Fecerant prima iſta magnos Weinmario animos; verùm ubi comperit, Galaſſum totis caſtris imminere, eo perculſus nuntio, magnâ impedimentorum parte incendio corruptâ, ne moram adferrent properanti; continenti triginta quatuor horarum itinere contendit Walderfingam Lotharingici imperij oppidum trans Saram amnem. Moleſtias itineris, & fatigationem malè paſti militis augebant continuæ propè cum inſtantibus Croatis velitationes, quæ nec reſpirandi dabant ſpatium, nec facultatem multum viæ conficiendi. Quare tandem ventum eſt ad manus, certatúmque acriter pugnâ velitari: victoriam ſcriptores fecêre dubiam. Metenſes & Argentinenſes, Gallorum juxtà ac Suecorum partiarij ſuos faciunt victores, fatentur tamen, poſtremum agmen, in quo Canofskiana, Bodendorfiana, Berckiana, Ohemiana, & Calenbergica legiones, ternæque Gallorum catervæ; fuſum, fugatum, plurimis in loco occiſis, amiſſis quinque vexillis, luculentam cladem accepiſſe. Alij quibus curæ eſt fortuna & gloria Cæſarianorum, his adſcribunt victoriam, quibus aſſentirer, niſi viri minimè vani, qui ipſi tum pro Cæſare pugnârunt, teſtes haberentur alia referentes. Quæ ſecuta ſunt, oſtendêre, Sueco-Gallos non concidiſſe animis, quando, caſtris in Cæſarianorum conſpectu munitis, auſi ſunt exercitûs adhuc valde numeroſi impetum opperiri, nec verò etiam credo victos fuiſſe Cæſarianos, aut magnâ clade affectos, qui ab hoſte perſequendo non deſtiterunt. Caſtris ergo hinc & hinc oppoſitis res inter velitationes & tormentorum fragores ſtetit. Attritus nihilominus magnam partem fuit Galaſſi exercitus, nuditate, inediâ, algore, jumentorum nece, defectu aquationis, aliiſque incommodis, ex quibus patuit non ferro tantùm, ſed alijs quoque caſibus incîdi magnas ſpes & grandium rerum apparatus. Inter hæc D. Nicolao, altero à Nancejo milliari, celeberrima tum ſtructuræ ſplendore, tum votivis peregrinationibus ſacra ædes conflagravit. Incendij authores aliqui fecêre Gallos, alij Croatas & Hungaros Galaſſianos, & eo quidem indicio, quòd in Galaſſi caſtris raptæ à militibus Sanctimoniales, aliæque Virgines San-Nicolaenſes, fuerint

XXXVI.

PRÆLIUM AD WALDERFINGAM.

EXERCITUS CÆSARIANUS GALLIS OPPOSITUS PAULATIM INEDIA ALIISQUE MALIS CONSUMITUR.

XXXVII.

TEMPLI D. NICOLAI IN LOTHARINGIA DEFLAGRATIO.

fuerint repertæ, quódque ſacrarum Imaginum tabulæ, aliáque præda è templo D. Nicolai ſublata, fuerint in iiſdem caſtris divenditæ à milite Galaſſiano, qui etiam oppidulum ipſum, alioqui dives & opulentum impune expilavit. Qui de tam atroci facinore, Ducis Lotharingiæ nomine, apud Galaſſum fuêre conqueſti, auditi quidem ſunt, ſed cùm præterea nihil obtinerent, peſſima de improſpero hujus expeditionis exitu fuêre ominati. *Litt. Com. Gronsfeldij 20. Novembr.*

Moguntiam Cæſariani & Bavarici obſeſſam tenuêre. Nono ante Calend. ſextil. ad Elfeldam trans Rhenum vecti, ſexto pòſt die, caſtris ad urbem poſitis, æneis machinis tecta verberare cœperunt. Weinmarius, adulto jam Auguſto, obſeſſis annonam intulerat. Verùm poſteaquam, domito Franckentalio, Cæſarianæ legiones, quæ ei domando operam navaverant, ad Moguntina caſtra acceſsêre, civitate jam penitus occluſâ, ne quid cibariorum inferretur, tanta fames fuit exorta, ut obſeſſos adegerit ad deditionem, poſt quadrimeſtre obſidium. CÆSARIANI MOGUNTIAM RECUPERANT.

XXXVIII.

Bobenhuſium, cùm anno ſuperiore conatu irrito fuiſſet jam tentatum, hoc itidem anno Cæſariani ſuo rurſus damno tentârunt. Jam res in eo erat, ut, pulvere nitrato ferè abſumpto, obſeſſi poſt toleratos acres impetus, manus darent; cùm obſidentes, amiſſis in poſtremâ impreſsione centum quinquaginta viris fortibus, impetratis ad eos tumulandos inducijs, vaſiſque demum collectis irriti abiêre. BOBENHUSIUM FRUSTRA AB IIS OBSESSUM.

Homburgum in Wetteraviâ captum ijdem diripuerunt, occupârunt Montaburam, Galli arcem retinuêre. Bavarici Hohenzolleram arcem, Præfecto per literas ſuppoſititias decepto, deditione accepêre calend. Novembribus. Baro Rauſchenbergius, ob fortiter defenſam Wolfenbutam, conſtantem in Maximilianum Electorem fidem, réſque fortiſsimè geſtas, annalium honeſtiſſimâ memoriâ digniſſimus, adulto menſe Octobri, Schladam arcem Hildeſienſis imperij tormentis verberatam, adegit ad deditionem, ſexaginta quatuor defenſores ad Boica ſigna haud gravatè tranſeuntes recepit. HOMBURGUM DIRIPIUNT.

In Haſſiâ res Catholicis improſpere ceſſit ad Eſchwegam. Id oppidum multùm videbatur allaturum ad res cæteras commodi, ſi eo potirentur. Ergo tres legiones cum ſuis tribunis, Forgatſchiam, Plaſcovicam, & Copæam ad eam expeditionem deſtinârunt. Credebant, ſe oppidanos extra portas pellecturos ad pugnam: quare ducentos duntaxat ex ſuis dant in oppidi conſpectum, cæteros locant in inſidijs. Id cùm Haſſos, qui bono numero curabant intra mœnia, non lateret, ſtruxerant & ipſi loco opportuno Cæſarianis inſidias. Abdiderant ſclopetariorum manipulum, ad quem traxêre inſequentes. Hîc pugna coorta tantis utrinque animis per tres omnino horas, ut, cùm à fronte atque à latere Cæſariani cæderentur, tandem, multis cadentibus, pluribus ſauciatis, deſperatâ victoriâ, pedem referre ſint coacti. Eam ignominiam Croatæ quatuordecim pagorum, quos concremârunt, cineribus, & promiſcuâ agreſtium cæde malè deleverunt. CÆSARIANI AD ESCHWEGAM CÆSI.

XXXIX.

Ad Viſurgim, Nienburgum tandem, poſt longæ obſidionis ultro citróque datâ incommoda, venit in Ducis Luneburgici manus, circa exeuntem Junium. Jam antè Neoſtadium ad Rœbenbergam, menſe Majo, eidem ſe dediderat; ita Viſurgis ad eum modum, ab omni Cæſarianorum præſidio, fuerat expeditus. NIENBURGUM LUNEBURGICO CEDIT.

Cùm Haſſiæ Caſſellenſis Landgravius pacem Pragenſem reſpueret, Bœninghuſius, menſe Julio, in Haſſiam ſe cum aliquanto equitatu infudit. Diripuit Wildingam medio ferè Julio vi occupatam: ferro paſſim, incendijs atque depopulationibus præterea eſt graſſatus: verùm ubi illum Melander Haſſici exercitûs legatus ad Heinam, poſt aliquot horarum velitarem conflictum, centum circiter manipulariorum cæde multârat, ſe recepit Hirſchfeldam. BŒNINGHUSIUS EX HASSIA DIMOVETUR.

XL.

Poſt vulgatas Pragenſis concordiæ leges, cùm Saxoniæ Septemvir ſuos ſubditos gravibus pœnis à Suecorum partibus avocâſſet, fuêre aliqui, qui Suecis deſertis, ad Saxonica & Brandeburgica ſigna conceſsêre, alij ſe addixêre Kniphuſio,

ſio, qui in Weſtphaliam, novos habiturus delectus, ſe receperat. Stativa habuit Wildeshuſij cum quadringentorum præſidio. Periculum erat, ne contractis copijs, novas in Weſtphalia turbas excitaret. Igitur Gleenus & Luterſamius conjunctis, ſub hujus anni exitum, viribus, ejus conatibus obviam ituri, conveniunt. Agebatur anni ſequentis dies quartus, cùm ex improviſo, antequam diluceſceret, Wildhuſij mœnia tranſcendunt. Principio Kniphuſiani reſtitêre fortiter, ſed numero tandem ac fortitudine obruti, pars ferro, pars captivitati ceſsêre. Kniphuſius, qui ſolâ tectus interulâ, cæterà nudus diſcalceatúſque in vallo conſtiterat, cætero amictu & ſex Ferdinandicorum millibus victorum prædæ relictis, delapſus in oppidi foſſam, evaſit in caſtrum Hundeloſenſe.

KNIPHUSIUS OBRUITUR.

Sueci, poſteaquam à Nœrdlingenſi clade ſe collegerant, pacis Pragenſis conſortes, hoſtilem in modum, nullo diſcrimine exagitârunt. Vicethumius, quibus potuit modis, Francofurtenſes vexavit ex Saxenhuſio, quod ex pacto & voluntate Francofurtenſium retinuerat, quouſque Cæſarianorum ope inde fuit ejectus.

SUECI EJECTI SAXENHUSIO.

Iidem Sueci nihilominus in Saxoniæ Septemvirum, quàm in alios fuêre æquiores. Occupaverant Saxones, expulſis Suecis, pleraque Magdeburgenſis & Halberſtatenſis ditionis præſidia: jámque Baudiſius Saxo ad Dömitium egregiam munitionem oppugnandam conſederat, cum ſeptem admodum peditum millibus, nullo equitatu: cùm Bannerus, fugato prope Altenburgum Dachno ordinum in exercitu Saxonico ſupremo metatore, Dömitio conſtituit ire ſuppetias.

XLI.

BAUDISIUS SAXO A SUECIS PROFLIGATUR.

Sub ejus adventum Baudiſius Dömitij oppidum occupaverat, cùm flamma, ex arce nondum occupatâ, conjecta in oppidanorum ædes, tantum excitavit incendium, ut Baudiſium adegerit, dimiſſo oppido, migrare in agrum. Hic à Bannero circumſeptus, ſimul ab erumpentibus ex arce petitus, poſt pugnam acerrimam, fuſis legionibus, victoriam Bannero conceſſit. Mille memorantur eo conflictu occubuiſſe, mille veniſſe in hoſtium manus, reliqui fugâ evaſiſſe.

Ad pagum Sarnavum cruenta inter Saxones & Suecos, è Boruſſiâ venientes, 5. Calend. Novemb. commiſſa eſt velitatio, in quâ multi utrinque deſiderati. Tandem, cùm in Pomeraniâ quoque & Megapolitanis res eſſent à Suecis inquietæ, Adolfus Fridericus Dux Megapolitanus tractandæ inter Saxoniæ Electorem & Bannerum concordiæ partes ſuſcepit. Verùm ubi 12. Cal. Januar. inſpicientibus atque indignantibus Suecis, Saxones cum Cæſarianis, quos ducebat Marazinus, ſuas copias ſociârant, amne Havelâ tranſmiſſo, recepêre Havelbergam; deinde trans Albim, è regione Suecorum, qui ad Botzaviam & Zedoviam tetenderant, caſtra poſuêre.

SAXONES JUNCTI CÆSARIANIS HAVELBERGAM RECIPIUNT.

De Polonorum auxiliaribus copijs, quæ, duce Nocobscoio, Novembri menſe Cæſari advenêre ad ſeptem millia, nihil hoc anno dignum memoratu, præter prædas actas promiſcuè, nullâ hoſtium amicorúmve differentiâ.

XLII.

CÆSARIANI PRESLAVIAM REDEUNT.

Poſteaquam Saxones ex pacis Pragenſis pactione, Preslaviâ exceſſerant, Sueci, Sagano relicto, ad Bannerum conceſsêre. Cæſariani ergo, loco Saxonum, in principis Preslaviæ templi propugnaculum ſuccedentes, civitatis arenariam eâ lege à civibus impetrârunt, ut unà cum Cæſareo præſidio cives, pro ponte ſubductario, quo civitas à templi arce dirimitur, nocturnas excubias agerent. Conceſsêre hoc ipſum Cæſariani ad aliquantum temporis; ſed cùm ea res difficultate non careret, civibus excubandi cura fuit detracta, atque ad eum modum Sileſia univerſa, ipſéque Dux Briegenſis ad Cæſaris obſequium redierunt. Verùm ad eam gratiam non fuêre recepti, qui ex Fridlandicâ conſpiratione adhuc tum in vinculis habebantur. Iis dicta fuit dies Ratisbonæ, quò perductis prælecta fuêre accuſationis capita, ad quæ intra dies quatuordecim per ſe reſponderent, vel per conceſſos ſingulis cauſidicos. Schafgotſchius, dictâ causâ, damnatus fuit; & 10. Cal. Sextil. in pegmate publicè capite plexus. Julius Dux Lauenburgicus, tanquam Imperij Princeps, hoc tribunal detrectans, Viennam

SCHAFGOTSCHIUS CAPITE PLECTITUR.

ſecundo Danubio vectus eſt, ut cauſam illic diceret. Sparrio Fridlandi rei tormentariæ ſummo Magiſtro, Regis Poloniæ patrocinium libertatis vitæque incolumitatem impetravit. Mohrus à Waldt Tribunus, eques Ordinis Teutonici, Eccleſiaſticæ immunitatis prærogativâ, ad ſuum judicium fuit remiſſus: cæteri proſcripti, & plerique quidem ad Hungariæ fines perpetuis addicti carceribus.

Joannes Philippus Cratzius Comes Scharpfenſteinius, non conjurationis Fridlandicæ, cujus nullo pacto fuit conſcius, ſed defectionis ad hoſtem poſtulatus, idem ille, qui Nœrdlingano prælio captus fuerat, ductúſque Viennam, è Vienenſi carcere VII. cal. April. profugus, retractúſque prid. Non. April. à Palffij Huſſaris, cùm jam viginti milliaribus à Poſonio abeſſet, militari ſententiâ damnatus prid. Non. Jul. Viennæ, clàm in curiâ civicâ, ſecuri fuit percuſſus, & ſub horam noctis decimam in templo Domûs profeſſæ Societatis Jesu tumulatus. Vir, ſi iſta defectio abfuiſſet, omnia fortitudinis encomia vel ex Pragenſi pugnâ, atque aliàs, promeritus, & dignus, qui ad ſummos militiæ gradus proveheretur, niſi eum Fridlandi inimicitia, & præcox emergendi cupiditas, ab iſtâ ſpe in ſupremam iſtam calamitatem dejeciſſet. XLIII. CRATZIUS CAPITE PLECTITUR.

Rex Hungariæ Ferdinandus, ab exercitu, ſub anni finem, Viennam feliciter revertit, Galaſſo in hibernis apud copias Cæſarianas relicto.

Urbanus VIII. Pontifex Maximus ſtudio pacis præſertim inter Cæſarem Domúmque Auſtriacam, & Regem Chriſtianiſsimum componendæ, Cardinalem Ginettum legatum à latere, miſit Coloniam, & per litteras graviſsimis verbis, diſſidentes ad reddendam orbi Chriſtiano tranquillitatem eſt cohortatus.

Annum hunc concludo auſpicatiſsimis nuptijs Maximiliani Bavariæ Septemviri, cum Maria Anna Ferdinandi II. Imper. filiâ Principe lectiſſimâ. Deo placuiſſe hanc affinitatem probavit ſecuta, quæ prima eſt in Matrimonij votis, ex duorum præſtantiſsimorum filiorum nativitate & educatione, felicitas, quam Bavaria per annos quadraginta infinitis ſuſpirijs deſideraverat. Felicitatem iſtam coronavit ſumma inter conjuges animorum conſenſio, obſervantia, & charitas perpetua. Nuptiarum celebritas fuit peracta Viennæ. Eò Maximilianus cum Alberto fratre Duce Bavariæ & Aulâ ſplendidâ, ſecundo Oeno atque Danubio, claſſe, quam Waſſerburgi adornârat, navigans, appulit Idib. Jul. ſub horam tertiam à meridie. Navigantem omnium, quas Danubius præterfluit, toto itinere, civitatum, arcium, caſtellorum, honorârunt feſtivæ gratulationes. Viennæ exſcendentem, ad Danubij ripam, excepit cum incredibili lætitiâ & veriſſimi amoris teſtificatione Ferdinandus Imperator, ſuæque rhedæ impoſitum, innumerarum rhedarum cæterique apparatûs pompâ elegantiſsimâ, deduxit in Regiam. Eodem iſto die ſub horam quartam, in Lauretano PP. Auguſtinianorum diſciplinæ ſtrictioris Sacello, in Auguſtiſsimâ Imperatoris, Eleonoræ Auguſtæ, & plurimorum Principum coronâ matrimonium contractum. Nubentibus adfuit, fauſtáque ex Eccleſiæ legibus ac ritu, meditatâ ſimul oratione eſt apprecatus Cardinalis Dietrichſteinius. Tota Aula Cæſaris, civitáſque univerſa in gaudium effuſa, tormentorum quà majorum, quà minorum celebri eáque multiplici diſploſione, civibus pulcherrimo ordine in acie diſpoſitis, aliiſque publicæ venerationis documentis, applausêre feſto Hymenæo. Demum, poſt honeſtiſsima quæque ſummæ hilaritatis invitamenta digna ſummis principibus, diebus quatuordecim Viennæ exactis, V. calend. Auguſti, Genero ac Filiæ in Bavariam diſcedentibus Imperator & Auguſta Eleonora, honoris causâ, ad Maurbacenſe uſque Cartuſianorum cœnobium, altero à Viennâ milliari, itineris comites eſſe voluerunt, ubi, poſt meridianum epulum, ſuaviſſimo ſui deſiderio utrinque relicto, ſibi valefecêre. Terreſtri XLIV. NUPTIÆ MAXIMILIANI ELECTORIS CUM MARIA ANNA AUSTRIACA.

ſtri inde itinere per Thulam; per Fanum S. Hippolyti, Amſtadium, Emſium, Linzium, Welſam, Hagam, pervenêre in Bavariam. Riedæ, quod eſt nobiliſſimum Boicæ municipium, ædificiorum claritudine ſuppar elegantibus civitatibus, primum habuêre diverſorium: ſecundum Ranshovij nobiliſsimo ad Brunovienſe præſidium aſceterio: tertium Oetingæ Veteris, ubi ſacra communione recreati, Deo & Sanctiſsimæ Virgini in ejus ſacello ſe ſuúmque matrimonium commendârunt. Quartam noctem egêre Craburgi, quintam Waſſerburgi, ſextam Eberſbergæ, atque inde prid. Id. Aug. Monachium advenêre. Toto per Boicam itinere fuit ipſis exhibitum, quicquid potuit feſtivitatis ab ingenioſa ſubjectorum obſervantiâ excogitari: in his palmam tulêre Monacenſes. Poſtridie quàm advenerant Sereniſſimi Principes, nihil priùs habuêre, quàm ut in Æde Collegiatâ Deiparæ Virginis, divino ſe Numini ſupplices ſiſterent, peteréntque cœleſtium donorum pro initâ conjunctione conſtantem affluentiam.

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS III.

LIBER XXI.

Vario Marte pugnatur: cruentum prælium ad Witſtochium: Haſſi eliminantur è Weſtphaliâ: Ferdinandus Maria Dux Bavariæ naſcitur. Ferdinandus III. Rex Romanorum creatur. An. M. DC. XXXVI.

I. TAmetſi pax inter Cæſarem & Electorem Saxoniæ conventa, à multis Germaniæ Principibus ac civitatibus probata ſuſceptáque, videbatur eſſe ejuſmodi, quæ, ſi cæteris Germanis arrideret, ab exteris quoque Regibus, qui ſe Imperij Romani libertatem ſalvam velle profitebantur, probaretur; attamen tam modica adhuc ſpes rerum pacandarum affulſit, ut acriore, quàm unquam aliàs, animorum alienatione bellum paſſim pararetur. Armabant potenter Franci; Sueci, hornæ cladis non tam obliti, quàm ſpirantes ultionem, inſtaurabant vires; Angli, Domûs Palatinæ ſtudio, Martem accendebant; Danis res erat de Bremenſi Archiepiſcopatu; Suecis fœderati Principes & Ordines, ſeu ſpe fortunæ melioris, ſive metu cohærebant. Adfuêre tamen, ſub annum exortum, Viennæ, ad Cæſarem miſſi à Rege Daniæ legati, qui ad concinnandam novæ pacis formam aliquam, quam omnibus acceptam fore crederet, Regis ſui operam offerrent. Auditi, à Cæſare prid. Cal. Majas id tulêre reſponſi, Sac. Cæſ. Majeſtatem, pacis amore, Friderico Duci Holſatiæ, Daniæ Regis filio Bremenſem Archiepiſcopatum his indulturum legibus; primùm, ut tum parens ac filius Pragenſi paci ſubſcribant, tum ut filius ex præſcriptâ ejuſce pacis normâ, Archiepiſcopatum eodem, quo præceſſores nuperi, jure teneat, poſtquam docuerit, ſe ad illum fuiſſe poſtulatum; denique, ut Catholicorum ſtatus atque conditio in iſto Archiepiſcopatu eodem ſit loco, quo fuit An. M. DC. XXVI. prid. Id. Novemb. Ejuſce legationis fructus hæſit penes Danos. Sueci enim veriti, ne Regem Daniæ à ſe alienarent, Bremenſem ditionem ejus filio ceſſerunt. *Regis Daniæ legatio ad Cæſarem.*

II. Miſerat Britanniæ Rex Comitem Arondelium, qui Palatini Comitis reſtitutionem à Cæſare exoraret. Ille paſſim magnam ſuæ legationis ſpem excitaverat: ſed cùm Ratisbonæ, per varias comperendinationes dilatus, nihil aut parùm proficeret, *Legatio Britannica ad Cæſarem.*

ficeret, Rex, eo cum indignatione revocato, in Angliâ & Scotiâ frequentes delectus edixit.

Dux Wirtenbergiæ restitutus.

Georgius Eberhardus Dux Wirtenbergiæ, adjutus vario, tum Regum, tum Saxoniæ Septemviri patrocinio, à Cæſare, menſe Majo, impetravit, ut ipſe & Wirtenbergicæ familiæ Principes, præmiſſâ decenti admiſſorum deprecatione, in pacis Pragenſis conſortium, inque ſuas ditiones admitterentur, cæteris, quæ ad propoſitæ moderationis conditiones ſpectabant, ad Comitia Ratisbonenſia dilatis. De his erit dicendi locus, ubi quædam recenſuerimus, quæ ordine temporis ſunt priora.

Ducatum Luxemburgenſem.

Comiti Sueſſionienſi juxtà ac Bernardo Weinmario conſtitutum erat in Romanduorum fines, ſub anni naſcentis initia, infeſtis ſignis movere, quod ipſis non fuiſſet admodum operoſum, niſi communi ope Piccolominius ac Werthius Ducatui adfuiſſent. Opitulatus quoque eſt Forgatſchius, qui, oppreſſis aliquot legionibus, Rheni Comitem ab invadendis Luxemburgenſibus avertit. Weinmarius viciſſim fudit ſeptem Hiſpanicas legiones ad Theodonis villam.

III.

Cæsariani in Alsatia cum inedia luctantur. Abeunt tota provincia. Galli Obernhemiū, Tabernas occupant. Hebronius occumbit. Galassus prælium detrectat.

In Alſatiâ Cæſarianorum res magnopere laborabant. Qui Seleſtadio, Dachſteinio, & Benfeldæ aſſidebant, fame magis rerúmque ad vitam tuendam inopiâ, quàm obſeſſi caſtris premebantur. Eò enim illi devenerant inediæ, ut fœda animalia, aliáque, quæ naturæ ſunt horrori, in cibos verterent. Quamobrem Cardinalis Valettanus cum octodecim millium exercitu invitantem fortunam ſecutus, quò malum obſidentium augeret, levaret obſeſſorum nullo ſuo periculo, magno Cæſarianorum incommodo, in iſtas munitiones importavit tantum annonæ, ut, deſperatâ expugnatione, obſidiones fuerint diſſolvendæ, & Cæſarianis abeundum è totâ ſuperiore Alſatiâ, ne fatiſcentes ipſorum reliquias Valettanus, auctus Ranzoviani militis acceſſione, obrueret. Exinde Obernhemium Galli expugnârunt: occupârunt Tabernas Alſatiæ, non ſine multorum ſanguine, ex quibus Hebronius campi Magiſter occubuit.

Adfuit quidem Galaſſus ad Druſenheimium cum univerſo exercitu, quaſi laturus obſeſſis ſuppetias, ſed cùm Gallo-Weinmarios, interruptâ tantiſper obſidione, vidiſſet ſtantes in acie, ſatis habuit ſe intra caſtrorum munimenta continere.

IV.

Kniphusius occumbit. Sueci Luddersenium profligant.

Varia fuit ſub hujus anni auſpicia belli fortuna in Weſtphaliâ. Dies Januarij decimus Baroni Ludderſenio, qui in Monaſterienſibus finibus cum poteſtate curabat, tam fuit inauſpicatus, quàm improſper Kniphuſio Suecorum ſtratego. Hic cum mille quadringentorum equitatu Meppenâ movens Oſnabrugum, ut alias ſibi Suecorum copias adjungeret, à Ludderſenio, qui viarum anguſta, per provincialium ſtationes occluſerat, ex improviſo ad confligendi neceſſitatem adactus, cùm jam ternas incurſiones repreſſiſſet, plumbeâ glande caput trajectus, occubuit. Eo cadente, viſa eſt victoria Ludderſenio venire in manus; ſed de eâ rurſus acerrimum eſt ortum certamen. Sueci enim, ductoris ſui caſu nihil territi, exarsêre in vindictam, tantáque vi in Ludderſianos irrupêre, ut, disjectis ordinibus, eos agerent in fugam, mille trecentos in veſtigio trucidarent, redigerent quatuor æneas machinas, cum omnibus impedimentis, in ſuam poteſtatem. In eo conflictu occiſus fuit è Monaſterienſibus Tribunus Collartius, Ludderſenius abductus à Suecis Nienburgum.

Comitis Wartenbergii et Gleeni res prosperæ.

V.

Id cladis Sueci non diu tulêre impune. Etenim Baro Gleenus Witlagenſe præſidium, Comes Wartenbergius Stocumienſem arcem invaſerunt, junctiſque viribus, haud procul à Wildhuſio, cecidêre novē Sperreuteri cohortes, captis tribus centurionibus, quatuor Vicarijs, ſex vexilliferis, aliiſque ducentis, unà cum omnibus ſarcinis, cæteróque belli apparatu. Pepulêre etiam Mindam uſque omnem Cratzenſteinij militem, occupavêre Wildhuſium & arcem Petrohagenſem. Secundum hæc Sperreuterus in partibus Cæſarianis ſupremi ordinum Magiſtri dignitatem aſſecutus, tres Suecorum cohortes profligavit.

Vene-

Venerunt etiam id temporis in belli ſortem Eburones, gens bellicoſa & amans ſuæ libertatis. Credebantur verò Francorum rebus ſtudere magis, quàm Cæſari: addixerant nihilominus ad alendas Piccolominij copias certum pecuniæ & annonæ ſubſidium: jámque erant in eo, ut fidem exolverent (niſi, quod fuêre aliqui ſuſpicati, hoſti colluſerint) cùm Franci è Trajectenſi præſidio, comperto, Leodienſium plauſtra trahi ad Piccolominium, quicquid rerum vehebatur, interceperunt. Ea, quam dixi, ſuſpicio magnas toti Provinciæ turbas concivit. Ioannes enim Werthius homo fortis promptúsque ad ſubita, injuſſu Maximiliani, cum ſexies mille equitum, & valida legionum manu, Moſâ ad Maſeccam transmiſſo, in agro Leodienſi ſtativa occupans, non ſecus atque Croatæ, Poloni, aliique, latè prædas egit ad uſque portas Leodij, & agreſtium, qui pro rerum ſuarum defenſione ad arma convolârant, quadringentorum circiter ignobilem ſtragem edidit. Acceſſerat propiùs ad urbem; ſed cùm magnus civium numerus arma corripuiſſet, quaſi ab inferendo damno repulſus accepiſſet injuriam, regreſſus ad vicina, colonos ingentibus affectos incommodis, mirè vexavit. Par non erat tantæ urbi obſidendæ, nedum ſubigendæ: denunciavit tamen ultima quæque, nî ſe Cæſaris accommodaret voluntati. Quâ interminatione cùm nihil cives moverentur, Dux Lotharingiæ, adductis è vicino tormentis & auctiore exercitu, civitatem eò uſque perculit, ut, qui civium erant opulentiores, permulti Namurcum, inque tutiora ſe réſque ſuas reciperent. Cùm nihilominus Magiſtratus, habito ex magnanimâ & numeroſâ plebe delectu, juſtum numerum armâſſet, nihílque jam eſſet, quod civitas, præter agri ac municipiorum vaſtitatem, formidaret, longam toleravit obſidionem, ſed eo ſucceſſu, ut nec juſtâ coronâ, neque memorabili aliquâ impreſſione urgeretur. Monachium ex caſtris venêre litteræ, quibus cum ſtomacho quidam è Ducibus, Maximiliano Electori accuſabat Werthij incœptum, fatebatúrque Werthium potiùs à Leodienſibus, quàm Leodium à Werthio obſideri. Dux Lotharingiæ, cui belli iſtius modus nullo pacto jam probabatur, periculo Dolanæ obſidionis, ad rem longè juſtiorem & gloriæ feraciorem fuit avocatus. Ergo, Leodio omiſſo, Dolam contendit, & eâ quidem celeritate, ut adventûs ſui famæ prævorteret. In transcurſu, Sammieli (ſic vocant Fanum S. Michaëlis) in Lotharingiâ, mille ducentos Helvetios oppreſſit. Ad Stannenſe oppidum, tertio à Viroduno milliari, Francorum globum, ſolo ſuorum domeſticorum ſtipatus præſidio, delevit; cùm eodem propè momento ipſius equitatus, in Wargavillano municipio, quingentos Gallos concidiſſet, & aliud Lotharingorum agmen, Homburgum, præclarum Sarepontanæ Naſſovicæ ditionis præſidium occupâſſet, nullâ prorſus ſuorum jacturâ, ſed ingenti prædâ rerum in arce conditarum. Homburgo proximè acceſſit Bipontum, Comitis Palatini Bipontani ſedem. Ducis Lotharingiæ ope Piccolominius juxtà ac Werthius deſtituti, cùm S. Trudonis (oppidum eſt Leodienſis imperij) cives pecuniam, quæ exigebatur, indies differrent, & Eburones crebris eruptionibus tantundem inferrent periculi ac damni, quantum acciperent, ſolutâ obſidione ab urbe diſceſsêre. Agmen poſtremum, quod ducebat Werthius, non levi manu carpsêre cives, aliqua etiam impedimentorum parte interceptâ. Edita tamen à Werthio iſtis caſtris nonnulla annalibus non indigna. In Lotharingiâ, Julio ineunte, ex ternis conflictibus, triginta ſeptem vexilla de Francis reportavit. Menſe Septembri fudit ſex legiones, Octobri totidem, cúmque undecim legionibus Franciam, Maximiliani injuſſu, ingreſſus, longè latéque prædas ſuíque terrorem propagavit, & oppida aliquot in ſuam poteſtatem redegit.

Leodienſes.

Obsidio Leodii.

VI.

Dux Lotharingiæ in Burgundam aſcendit.

VII.

Obsidio Leodii soluta.

Litt. Werthij 12. Iulij, 27. Septemb. 24. Octob.

VIII.

De Juſti Maximiliani Comitis Gronsfeldij in exercitu munijs geſtíſque, ſuperiùs aliqua meminimus. In hoc anno copias Comiti Gœtzio tranſcripſit, cui fortuna quàm deceſſori in utrâque Haſſiâ fuit proſperior. Is enim, ſociato cum Cæſarianis Weſtphalico milite, Lemgoviâ ac Bilenfeldâ potitus, diſtributis per vicina ſtativis incumbebat agro Oſnabrugenſi, non ſine ſpe ipſum Oſnabrugum in ordinem Cæſariſque fidem redigendi: id conſilij accendebant ejuſ-

Gœtzius in Hassia varia loca invadit.

ce Epiſcopatûs ordines, Lippienſium item, Ravenſburgenſium, & finitimorum commune ſtudium, qui Franciſco Wilhelmo Oſnabrugenſium Epiſcopo omnem opem atque operam, exercitui verò annonam cæteráque ad bellum prolixè addicebant, eo tamen pacto, ut omnes, nullâ nobilium differentiâ, ab effreni militum licentiâ ſervarentur immunes. Ergo interclusâ Oſnabrugenſibus omni commeandi libertate, Oſnabrugum clauſum arctiore cinctu, cœptum eſt tormentis arietari. Sed cùm Leslæus, Cratzenſteinius, & Guſtavus Guſtavi Suecorum ductores, ad arcem Nienburgenſem, Viſurgim trajeciſſent, jámque caſtris Oſnabrugenſibus imminerent, Oſnabrugum obſidione liberârunt. Cloppenburgum quoque id temporis venit in Suecorum manus.

Sueci solvunt obsidionem Osnabrugi. Cloppenburgo potiuntur.

IX.

Lansteinium subigitur.

Venio ad Rheni confinium. Lanſteinium, quod vocant ſuperius, Cæſareo-Bavarici in eas anguſtias redegerunt, ut XIV. cal. Majas manus dederit. Licuit præſidiarijs diſcedere more militari, cum ſuis fortunis, ijs exceptis, qui Cæſari aliquando aut Maximiliano ſtipendia feciſſent, cæteris, qui ultrò à Francis vellent deficere, facta, ex deditionis legibus, deficiendi libertas. Hoc cùm ex voto ſucceſſiſſet, viſum eſt arcem Hermanſteiniam poſſe deinceps arctè haberi, indéque Francos, qui regioni circùm erant permoleſti, amoveri, ſi novo ædificio, quod infra arcem, in montis radice, Philippus Chriſtophorus Elector conſtruxerat, exuerentur. Jam enim, qui Confluentiæ curabant Franci, pars in iſtud ædificium refugerant. Ergo ſubitâ impreſſione rem libuit tentare: factum id quidem, ſed oppugnatorum, quos Franci fortiter repreſſerunt, damno. Quo ſucceſſu Franci excitatiores, factâ in vallem Mulheimenſem, ipſúmque Mulheimium eruptione, aliquos circùm pagos flammis ferróque vaſtârunt. Rex Hungariæ Ferdinandus III. proficiſcens ad exercitum, IV. cal. Jun. Monachium divertit, exceptus à Maximiliano maximo honore & benevolentiâ. Venienti proceſsit obviam ad uſque virides, quas vocant, ædes; die Junij alterâ abeuntem, Dachavium uſque eſt comitatus.

Fecimus paulò antè Dolanæ obſidionis mentionem: eam juvat ab ovo repetere. Princeps Condæus Ducatûs Burgundici Gubernator, de invadendo Burgundiæ Comitatu, qui Domui paret Auſtriacæ, cogitatione ſuſceptâ, ratus, ſe voto faciliùs potiturum, ſi Dolam, quæ civitas eſt egregiè munita, & immotâ in Hiſpaniæ Regem fide, ſubigeret. Ergo VIII. Idus Junias ejus obſidendæ fecit initium, erectis circùm ſuggeſtis, quibus triginta murales machinæ locarentur. Inde cœpta civitas acriter fulminari, & illa viciſſim in obſidentes è mœnibus detonare, crebras facere eruptiones, cùm non obſcurâ Francorum clade, præſertim Picardicæ legionis aliarúmque, haud paucioribus, quàm ter mille interemptis. Exeunte Junio, in Navarræâ ſtatione obſeſsi cecidère ſeptingentos incenſis tentorijs. Attamen jam periclitabatur civitas, quando Lamboius cum decem legionariorum millibus, alarijs mille quingentis, & aliquot Croatarum, Hungarorúmque centurijs laboranti venit ſuppetias. Verùm, deſperatâ caſtrorum Gallicorum expugnatione, & ipſe intra ſua ſe valla continens, periculi ſpectator veriùs erat quàm depulſor. Inter hæc regiâ S. Eliæ ſtatione deflagrante, Condæus Fonderacum extra caſtra recepit, continuatâ nihilominus oppugnatione, in quâ Ranzovius, dum inſtat extimo propugnaculo, ſecundum malam fuit ſauciatus. Erat in urbe Biſuntionenſis Epiſcopus, qui unà cum Senatu Regio in animandis defenſoribus egregiam præſtitit operam. Demum adfuit cum ſuo equitatu Dux Lotharingiæ, cúmque delectâ Burgundionum è Comitatu centuriatorum manu: gens eſt oppidò bellicoſa, pugnax, & Francico nomini infenſa. Ducis adventus, obſeſſorum animos fortunámque erexit. Arduum fuit cum hoſte præpotente dimicare, & cum fame tam ferali, ut ex cæſorum corporibus, cùm cætera deeſſent, ſuprema neceſſitas eſcas pararet. Franci verò, velut œſtro perciti, omni metu poſito, per media ſuorum cadavera, ſolis protecti gladijs incurrebant cominus in Lotharingos & Burgundiones, tantâ aſſiduitate & pertinaciâ, ut, cùm hos pulvis pyreus glandéſque miſsiles defeciſſent, ſaxo-

Dolana obsidio a Duce Lotharingiæ solvitur.

X.

ſaxorum procellâ ad depellendos Francos fuerit denique utendum; tanta utrinque erat vincendi & vindicandi cupido. Tandem Franci, quàm multis amiſsis fracti, ſolvêre obſidionem relicto in caſtris magno belli inſtrumenro. Inter curules machinas una fuit Ludovici XIII. nomine inſignis, tertio antè anno fuſa, quæ quinque ſupra quadraginta globos librarum vomebat. Hoſte digreſſo, habuit famelicus miles, quâ ſe reficeret, ex caſtris Francicis magnam cibariorum copiam. Non feriabantur inter hæc Franco-Weinmarij in Alſatiâ. Etenim Cardinalis Valettanus cum parte copiarum, ex agro Tullenſi ac Virodunenſi collectâ, dum movet in Alſatiam, profligatis quatuor Croatarum catervis, Cæſarianos depulit ab Hagenoæ & Druſenheimij obſidione. Comes Suſæus Monpelicardi Gubernator Belfortum præſidio nudatum ſubegit.

XI. Sueco-Galli ſolvunt Hagenoæ et Druſenheimii obsidium.

Urgebatur interim, Maximiliano volente, per Truemullerum Bavaricum, Hermanſteiniæ (Ehrenbretſteinam etiam nuncupant) obſidio. Jam tubi, quibus è Rheno in arcem ſurſum cogebatur aqua, erant dirupti, unde obſeſſis difficilis aquatio, corrupto arcis puteo. Et ſatis conſtabat; Germanos præſidiarios, impatientes externi dominatûs, pro gentis genio, Gallorum imperia & conſuetudinem ferre iniquiùs. Eapropter Truemullerus, ſchedis in munimenta diffuſis, addixit omnibus, qui ex arce migrarent, non omnem modò incolumitatem, ſed in ſingula quoque capita menſtruum ſtipendium. Quare aliqui, desertâ ſtatione, ad invitantem profugerunt. Et per id quidem tempus occupârunt Bavarici Philippi (quod paulò antè dixi) infra arcem ædificium; ſed cùm iſthic continuis ex arce jaculationibus paterent, eo defetto, redivêre Confluentiam, quæ eſt in adverſa Rheni ripa, quam itidem Galli perpetuis ferè tormentorum ictibus verberatam, infeſtabant ignibus punicis: ſed & fames omni telo potentior non militem modò, ſed oppidanos etiam fatigabat. Eapropter intermiſsâ, menſe Auguſto, arcis obſidione, Bavarici aliò fuêre avocati. Hâc Franci occaſione Romerſtorſenſe Monaſterium, unâque Bibliothecam operis antiqui præſtantiâ & exquiſitiſſimorum librorum raritate nobilem, invaſerunt. De inſtauratâ Ehrenbretſteinæ obſidione dicetur anno proximo.

Obsidio Ehrenbretſteinia intermittitur.

XII.

Laboranti adverſus Suecos Saxoniæ Septemviro, ductore Hatzfeldio, è Cæſariano & Bavarico milite univerſim viginti quinque equitum juxtà & peditum legiones ivêre ſuppetias. His acceſsêre à Georgio Haſsiæ Landgravio auxilia, quæ duxit Dux Joannes germanus Georgij. Contrà Luneburgicus à Suecis oppugnandis alienus, nondum poſitâ in eos benevolentiâ, quinque legiones, quas Saxoni miſerat, revocavit, obtendens, ſe illis adverſus Electorem Colonienſem pro Hildeſij propugnatione, item pro recuperandâ Wolfenbutâ, ac defendendo Viſurgi indigere.

Saxones a Cæſarianis adiuti.

Sueci, cognitâ tantorum auxiliorum ad Saxones acceſſione, extemplo Hallenſi obſidione, lociſque alijs, quæ occupârant, deſertis, Paſſendorfo, ubi ſtativa prætoria habebant, incenſo, Magdeburgum movêre: poſterius abeuntium agmen Saxones aſſecuti, quinque exutum vexillis, egêre in fugam: Berneburgum armatâ manu occupatum excidêre: Gubernatorem, quòd geminato Septemviri edicto nihil motus, ſpretâ avocatione, Suecis adhæſiſſet, militari judicio arceſsitum, ad cæterorum terrorem capite minuerunt. Balthaſaris Marradæ Vicarius duas Suecorum legiones Curlandicam & Finlandicam oppreſſit, cæsiſque quàm multis, ducentis equis & octo ſignis equeſtribus eſt potitus, antequam Hatzfeldius cum Saxonicis copijs jungeretur.

Suecos clade afficiunt.

XIII.

Bannerus Saxonicam legionem profligat.

Bannerus, ut ſui diſceſsûs in Saxoniâ veſtigium relinqueret, Salâ trajecto, Iſavolitzkiam legionem, cœſo in pugnâ tribuno, inopinato adventu, Aprili ineunte, profligavit: expugnato deinde Lochenizio, Vetus Brandeburgum, ſtratagemate ſeptem legionum, quæ ſe Cæſarianas mentitæ, in civitatem ultro fuêre receptæ, occupavit. Eum, Magdeburgum properantem, Hatzfeldius citatis caſtris inſecutus, acie ad Herbſtam inſtructâ provocavit ad pugnam, quam detrectans

Occupat Vetus Brandeburgum. Cladem accipit ab Hatzfeldio.

ctans Bannerus, ſuum iter preſsis ordinibus eſt proſecutus. Ex poſtremis Hatzfeldius ſexcentos, nullâ cujusquam differentiâ, delevit.

XIV. Non erat futurus difficilis Bannero in Saxoniam reditus, quàm diu Magdeburgum, velut tutum receptum & belli integrandi ſedem, in poteſtate retineret. Quamobrem, ne Saxoniæ Septemvir de cætero ex eâ parte hoſtilia pateretur, creditum eſt, è re ipſius atque bono communi futurum, ſi ex iſto rerum turbandarum receptaculo Sueci prorſus exterminarentur. Ergo facti ad obſidionem magni confeſtim apparatus: collecti magno numero foſſores cuniculari, naves per Albim ad pontis ſtructuram advectæ Wittenbergâ: cœpta mox ejuſdem ædificatio, ut eo perfecto Cæſariani juxtà & Saxones, ultro citróque commeantes, ſibi mutuò, cùm res ferret, poſſent adeſſe.

Obſidetur Magdeburgum.

Id operis conatus eſt Bannerus diſturbare libratis ex adverſo tormentis, ſed fruſtra. Quare, eo jam abſoluto, Saxoniæ Elector ad Engelam, Hatzfeldius verò Aſcherslebiam verſus, caſtris foſsâ vallóque munitis, pari ope atque diligentiâ Magdeburgo cœpêre vim admovere. Et jam eò proceſſerant, ut V. Cal. Jun. Telonei propugnaculum clarâ luce ſuperarent, rejectis per medium amnem, in urbem, Suecis. Ea res magno fuit ad oppugnationem emolumento. Tametſi enim Vicethumio ſecundum dextrum humerum XIV. Calend. Jul. & Baudiſio, dum urbis vallum inſpicit, utrâque tibiâ ſaucijs, oppugnatio videretur fore aliquantò operoſior, nihilo tamen minùs tam nihil de ſuâ contentione oppugnatores remisêre, ut VII. Cal. Quint. ternos aggeres excitârint, è quibus civitatis valla, ipsáque mœnia ac tecta, continente quaſi jaculatione petebantur. Aggere igitur diverſis locis aperto, cùm ultimum obſeſsis diſcrimen immineret, Julio jam adulto, Suecì honeſtam pacti deditionem, Magdeburgo exceſſerunt.

Deditur.

XV. In Weſtphaliâ res Suecorum inclinabant in deterius. Gœtzius enim, occupato V. Id. Aug. in Haſſiâ, ob cadaverum intolerabilem mephitim, & loci, in quem ter mille Haſſi refugerant, Homburgo, unà cum arce; medio Auguſto, Padebornam, quam Haſſi invaſerant, arctâ cinxit obſidione. Haſſi, cùm civibus Padebornenſibus diffiderent, eos turmâ equitum plateas oberrante, tam anguſtè habuerunt intra domeſticos parietes, ut citra præſens vitæ diſcrimen nulli liceret pedem efferre, ne conceſſo quidem, ut ad reſtinguendum incendium, quod ex pyrobolis machinis excitabatur, accurrerent. Geminâ civitatis portâ humo æquatâ, parato denique in alteram impetu, cùm murus ipſi contiguus, patente jam ruinâ, facilem redderet impreſsionem, Haſsi, impetratis ad paciſcendum inducijs, eâ lege vitam incolumem pacti ſunt, ut vexilla omnia mox oppugnatoribus traderent, cætera permitterent eorundem arbitrio. Recuperatæ Padebornæ impoſitum fuit præſidium Weſtphalicæ legionis.

Padeborna recuperatur.

Eam ignominiam Haſsi Pleſsâ occupatâ nonnihil induxerunt. Oſnabrugenſes contrà, dum adverſus Cæſarianos incautè erumpunt, tracti in inſidias, Suecis equitibus fugâ dilapſis, amiſsis in loco ſeptuaginta civibus, quinquaginta in captivitatem abductis, ſuæ incogitantiæ pœnas dederunt.

Oſnabrugenſes clade affecti.

XVI. Vertit deinde Gœtzius arma ad Viſurgim in Haſſos. Dimiſsâ illi parte exercitûs in præſidia, duas ſupra viginti alariorum vexillationes in agro Suſatenſi, mille verò octingentos legionarios ad ipſa Suſatenſium mœnia locaverant. Quo comperto, Gœtzius miſſis, ſub Tribuno Chriſtiano Munſterio, ſeptingentis gravis armaturæ equitibus, atque unâ Polonorum turmâ, qui hoſtis ſtativa explorarent, Poloni Haſſos è ſtativis digreſſos conjecerunt in fugam, vexillis quatuor, omnibúsque impedimentis exutos; inſuper Oplerium Tribunum & centuriones aliquot fecêre captivos.

Haſsi cæduntur a Polonis.

Eâ lætus victoriâ Gœtzius ad Suſatum caſtra habuit. Cives veriti, ne ipſe in tecta miſſili igne graſſaretur, in præſidiarios conſpirârunt, ut correptis armis eos ad deditionem cogerent. Quod ubi reſcitum à Gœtzio, civibus per litteras author fuit, ut commodam aliquam ſtationem invaderent, indicaréntque modum,

Suſatum recipitur.

dum, illæsâ civitate præſidium expellendi. Verùm cùm moræ necterentur à civibus, in urbis tecta injecit duos globos punicos, qui excitato incendio, ignem ad ducentas ædes, totidémque horrea propagârunt: quâ re præſidij Præfectus ad dedendam urbem fuit coactus. Ejus legatus, qui antea Bavaricis ſtipendijs meruerat, ad Maximiliani ſigna tranſijt: cæterum præſidium unà cum Gonterodo Præfecto Caſſellas fuit dimiſſum.

A Suſato Gœtzius caſtra movit Dortmundam. Iſthic erant mille pedites, & duæ equeſtres turmæ, qui crebris eruptionibus & jaculatione è tormentis majoribus, valde obſidentium operam, in condendis tormentorum ſedibus, fuêre remorati; verùm cùm, propugnaculo per noctis tenebras conſtructo, ductiſque ad uſque foſſæ labrum vineis, incendium punicis globis excitâſſent; Haſſi, tum periculo expugnationis, tum fœmineo oppidanorum ejulatu perculſi, 3. Non. Octob. honeſtam pacti deditionem, in Haſſiam abierunt. XVII. Dortmunda deditur

Diſſimilis fuit ad Dorſtenam fortuna, quam Gœtzius irrito conatu tentavit. Secundior fuit Beckermanno, qui quatuor Haſſicorum turmis, quæ devehendis mercibus ad tutelam & ſecuritatem erant additæ, medio inter Dorſtenam & Weſelam itinere, profligatis, opimâ prædâ fuit potitus. Haſſi cæduntur.

Sperreuterus jam Cæſarianus, dum Lemgoviæ curat affectam valetudinem, unà cum trecentis militibus oppreſſus, venit in Mindenſis præſidij poteſtatem, anno proximo libertatem ſeptendecim millium Imperialium talerorum lytro redempturus. Verdenſe caſtrum præter hæc expugnatum, copioſam penum & armamentarium Gœtzio præbuit, quo inſtructus Hammam Cæſareæ ditionis fecit, non ſine multo ſuorum ſanguine, qui tamen id fructûs tulit, ut Melander Haſſorum ductor cum univerſo exercitu è Weſtphaliæ finibus exterminaretur. Haſſi pulsi ex Weſtphalia.

Saxonibus & Hatzfeldio adverſus Bannerum fortuna fuit longè inclementior. Occupato enim Magdeburgo, cùm hoſtis, mutatis frequenter caſtris, ſui copiam facere detrectans, continuò cedere, atque inſectantibus prona omnia à tergo relinquere videretur, ſpes erat, cætera quoque ex voto ſucceſſura. Verùm ubi Bannerus, ſociatis cum Leſlæo & Vrangelio copijs, obverſâ fronte, nactus eſt opportunam prælio ſtationem, certus ſupremam aleam experiri, nihil eſt veritus ultrò laceſſere, quos antè fugiſſe videbatur. Caſtra firmârant Cæſareo-Saxonici ad Berleburgum. Locus hic cùm Bannero eſſet iniquior, ut eos ad æquiorem proliceret, movit ad Werberenſe propugnaculum, quod Cæſariani recens invaſerant, ratus, eos non deſerturos ejuſce loci præſidium. Sed Hatzfeldius, tametſi foret Marazini acceſſione validior, ſtatuerat tamen Clizingum, qui cum ter mille quingentis ad Brandeburgum appulerat, opperiri. Succi, quibus iſta conjunctio videbatur nocitura, certi eam intercipere, ſolutâ Werberenſi obſidione, medio inter Clizingum & Hatzfeldium ſpatio, caſtra metantur ad Winſterhuſium & Ruppinam. Jam Cæſariani haud procul Widſtochio aberant, cùm Sueci 5. Non. Octobr. inſtructâ acie rectâ in illos contendunt. Quâ re per exploratores nunciatâ, Saxoniæ Septemvir & Hatzfeldius 4. Non. Octob. in tumulo aliquantum edito aciem explicatam muniunt extemporalibus operibus: & tormentis à fronte adverſus hoſtem libratis, à tergo aggerem obſepiunt curribus, eo nexu atque ordine, ut citra certum diſcrimen in eo ſitu nequirent oppugnari. Ergo Sueci, ejuſce loci iniquitatem declinaturi, aciem flectunt ad dextram; rati, Cæſarianos, mutatâ ſtatione, ad æquiorem campum deſcenſuros. Nec eos ſua fefellit opinio: Cæſariani enim, converſâ in Suecos, qui in clivum enitebantur, fronte, dextram ipſorum alam inceſſêre. Signis ergo commiſſis, horâ poſt meridiem tertiâ, cœpêre acies concurrere. Acerrimè pugnatum eſt ad ſeram uſque noctem ingenti utrinque pertinaciâ. Fuêre phalanges, quæ ſexies, immo octies ad certamen rediêre, unde dextrum Suecorum cornu tot fatigatum impreſſionibus, tametſi à Leſlæo quaternis legionariorum cuneis fuiſſet adjutum, poſt continuam trium admodum horarum dimicationem, fatiſcens, ad fugam; victoria verò ad Cæſarianos inclinabat. Sed ſubvenit jam labentibus ala ſiniſtra XVIII. XIX. Pugna cruenta ad Widstochium. XX.

ſtra flexa circum proximam ſylvam ad collis lævam, pugnámque reſtituit, quæ producta eſt ad uſque tantam noctis caliginem, ut pugnantes ſe non jam oculis, ſed ſolâ teſſeræ dictione internoſcerent. Nox ergo fundendi ſanguinis finem fecit. Neutri vicerant, cùm neutri ex arenâ ceſſiſſent, & pari utrique certâſſent ſtrage & gloriâ. Victoriam hoſti conceſſit abitus Cæſarianorum. Cognito enim ex captivis, recens adhuc poſtremum Suecorum agmen nondum deſcendiſſe in pugnam, eóque eſſe periculum, ne, ſi prælium proximâ luce inſtauraret adverſus legiones immane quantum fatigatas, & cæſorum captivorúmque multitudine debilitatas, cum magnâ ſuperſtitum ſtrage totus exercitus profligaretur, cùm præſertim curules machinæ, quæ jumentis fugâ dilapſis, loco moveri non poterant, nulli futuræ eſſent uſui; communi Saxoniæ Electoris, Hatzfeldij & primorum ducum conſenſu, poſtquam duas horas in loco certaminis perſtiterant, ſublatis ſignis, verſus Albim recepti, ad Werberam peditatum trans amnem miſerunt, equitatu tranſvadante. In abitu cæſi aliquo numero & quindecim vexillis exuti. In campo præda reperta, ſimul triginta duo tormenta muralia, ipſúmque Septemviri tabularium. Occubuêre utrinque pari ferè numero, univerſi octo circiter millia.

Werberensis propugnaculi, et Garitii deditio.

Huius pugnæ auctarium fuit jactura Werberenſis propugnaculi, à Cæſarianis victorum arbitrio dediti, cujus præſidiarij ad Suecicas legiones tralati fuêre. Garitium item inſigne præſidium à Vrangelio occupatum, mille ducentis, qui iſtic loci pro Cæſare curabant, cum impedimentis ducentarum vecturarum abire permiſſis, quanquam Succi eorum aliquot contra pacta conventa ad defectionem adegerunt.

XXI.

Ferdinandus Imperator, V. Id. Sextil. Ratisbonam venit ad Septemviralem conventum. Eodem Maximilianus Elector cum Sereniſſimâ conjuge, duodecimo pòſt die ſe contulit. Fuit uterque cum incredibili amoris ſignificatione exceptus à Cæſare. Diſceſsêre inde 6. Cal. Octob. redituri ad 13. Cal. Januar. Eos domum revocabat vicinus partus Electricis, quæ Ferdinandum filium prid. Cal. Novemb. feliciter, horâ ante meridiem proximâ, in lucem edidit. Is à Vito Adamo Friſingenſi Antiſtite prid. Non. Novemb. circa horam quintam veſpertinam, in Baſilico Cæſarei (ut vocant) domicilij principe procœtone Septemviralis palatij, ſacris undis ablutus, dictus eſt FERDINANDUS MARIA FRANCISCUS IGNATIUS WOLFGANGUS. Mirum quantum ejus Natalis attulerit gaudij non modò Sereniſſimis parentibus, ſed univerſæ Bavariæ. Monacenſis civitas feſtâ omnium campanarum compulſatione, collucentibus, ex omnium ædium feneſtris, luminibus, ſacro ejus baptiſmati eſt gratulata. De ſalutari fonte Imperatoris nomine eum ſuſcepit Sereniſſimus Albertus Bavariæ Dux, ejus patruus. Naſcenti Poëta non malus hoc carmen accinuit:

Natalis dies Ducis Ferdinandi Mariæ.

Parve LEO, LEO *nate* AQUILA, LEO, *nate* LEONE,
Mulcendas BOICÆ *da*, LEO *parve*, *jubas*.
Et quia te mundo jam prodidit AUREUS UNGUIS,
Aurea inauratâ fer, LEO, *ſæcla manu*.

XXII.

Serenissima Electrix periculoso morbo correpta.

Communem lætitiam, tertio poſt Baptiſmum die, excepit triſtis valde metus, ex periculo Sereniſſimæ puerperæ, ob morbum, qui ipſam ad ſupremam propè vitæ lineam deduxit. Ejus ſalus in acceptis fuit relata divinæ benignitati per S. Franciſci de Paulâ patrocinium exoratæ. Argumento fuit, quòd, cùm eſſet quartum jam diem omnis expers loquelæ, nihil videbatur medicis propius, quàm ut ad ſupremam luctam ſacro oleo ungeretur; cùm allatâ ſacrâ D. Franciſci Paulæi icone, unà cum incluſis ejus reliquijs, ipſo momento velut rediviva pias cœpit voces ægra mittere. Medici ipſam pro depoſitâ habuerant: ex ijs unus Antonius Comes à Colle & Ceſana, vir medices

dices experientiſſimus & prudens in primis, qui tum decumbenti adſtabat, visâ tam inopinatâ mutatione, miraculum exclamavit, profeſſus eam curationem naturæ vires ſuperâſſe. Non ſuperavit tamen Maximiliani fixam in ope divinâ fiduciam, qui apertè non ſemel, erecto in Deum animo, tametſi morbi gravitas, & non obſcura medicorum deſperatio ſequiora obnuntiarent, profeſſus eſt, omnino ſibi eſſe perſuaſum, eundem illum, qui mirâ benignitate filium dederat, matrem ſervaturum.

Redeo ad Cæſarianos ac Saxones. Hi adverſus Suecos in Marchiâ Brandeburgicâ aliquid temporis egerunt, levioribus duntaxat velitationibus mutuò infeſti. Et jam hibernorum tempeſtas appetierat, cùm Bannerus, inſpecto ad Rattenaviam exercitu, reflexo itinere, Barbium ſubegit cum arce, cruentâ quintidui expugnatione. Iſthic periêre tredecim Saxonicæ cohortes, pars internecione, pars captæ, atque in ijs Tribunus Mitzloffius, qui fortiſſimè pugnans lethale vulnus accepit. Inde Bannerus Ultraſalanam Provinciam, quæ Saxonici eſt imperij, invaſit, pontibúſque, quos ſibi ducebat fore inutiles, à tergo dejectis, cæteris præſidio defenſis, omnem latè regionem ſibi fecit vectigalem, Merſeburgum inſuper, Weiſſenfelſam, Lutzam, Ienam, Islebium paſſim aliáq; oppida gravi ære multavit. Epiſcopatui Halberſtattenſi grandis annonæ & tributi penſitationē impoſuit: ſicubi collecta mox non repræſentaretur ad diem dictum, obſides rapiebat in vincula. A Naumburgo ſolo terrore miniſque extorſit ilicò quindecim Ferdinandicûm nummûm millia, neque hoc contentus, civitatem expilationi, matronarum ac virginum corpora ſtupris, templa ludibrijs expoſuit, cæteroqui dirè graſſatus in deditítios, eo duntaxat nomine, quòd illos diceret eſſe perduelles. Notabat videlicet fidem in Cæſarem, arguebátque perfidiæ, quaſi crimen foret à jugo externo ad legitimi Principatûs obſequium rediviſſe. XXIII. BANNERUS BARBIUM, ALIA LOCA SAXONIÆ INVADIT.

Nec verò etiam manus abſtinuit à fortunis Hamburgenſium: nam merci, quæ à nundinis Lipſienſibus Hamburgum vehebatur, & vinum Hiſpanicum, quod illi mari deportabant, intercepit. Cùm de ſpolijs Hamburgenſes cum Aſcherslebij conveniſſent, ipſos cum hoc reſponſo dimiſit; milites, qui id facinus perpetrâſſent, tempeſtivè à ſignis abijſſe; nonnullos tamen ejuſce rapinæ reos egit in furcam. XXIV. SPOLIAT MERCATORES HAMBURGENSES.

Venio ad Burgundicam Galaſſi expeditionem. Luſtraverat ad Hailbrunnam, eduxerátque è Germaniâ quadraginta admodum fortiſſimorum virorum millia, videbatúrque, quocunque ferretur, omnia in expedito proclivíque habiturus. Expectationem fruſtrata eſt rerum bello neceſſariarum inopia, non abſimilis illi, quam erat expertus anno ſuperiori, quæque debuiſſet eſſe majoris providentiæ diſciplina. Ipſam iter & inedia indies copiarum non numerum modò, ſed & vires tam minuebant inſigniter, ut nihil opus eſſet ullo hoſte ad majorem cladem. Ubique ferè locorum per Germaniam, finitimáſque regiones, atrox ſæviebat annonæ difficultas, tametſi Bavaria nihil ſimile pateretur. CÆSARIANI EXERCITUS INEDIA.

Ad inediam acceſſêre Franco-Weinmarienſes vexationes. Caſtra initio loco peropportuno Galaſſus locaverat, cùm VII. Cal. Novemb. hoſtis quadringentos Piccolominij alarios non ſine aliquorum cæde & captivitate, rejecit intra loricas. Super hæc Tubadelius, ope Ranzovij, Croatas propulit in medias Galaſſi legiones, quarum etiam tentoria impunè incendit. CLADEM ACCIPIT.

Menſe Novembri, Galaſſo Burgundiam ingreſſo, non modò cum hoſte, ſed cum ipsâ perincommodâ anni tempeſtate, cum exundantibus fluminibus, cum præalto luto fuit luctandum. Iter utcunque tutum à Francis reddebant Croatæ continuis excurſionibus. Venit tandem Galaſſus ad Mirabelæum oppidum ab adiuncto caſtro defenſum. Ipſum, cùm deditionem negaret, debuit vi domari, ignis præſertim in tecta conjecti. Ne Galaſſus annonâ, quæ iſthic erat, potiretur, oppidani ipſi domibus incenſis corruperunt. Qui arcem tuebantur, XXV. *Mirablaix.* GALASSUS MIRABILEA RUM OCCUPAT.

bantur, vitæ pacti incolumitatem, abiêre. Capta præterea in vicino caſtella. Franci ſtudio cunctantes, Divionem verſus, duarum circiter horarum à Galaſſo itinere, receſsêre. Ille porrò caſtra traxit ad obſidendam S. Joannis Launam. Situm eſt hoc oppidum velut in peninſulâ, ad Sonæ & Luchæ confluentes. Cùm tormentis muralibus & miſſilium ignium jaculatione validè premerentur obſeſsi, propè aberat, ut quadringenti propugnatores herbam Galaſſo porrigerent: ſed, quod rari eſt exempli, cives militibus cordatiores interceſsêre deditioni, profeſſi ſe ultima priùs malorum exempla velle experiri. Quæ res ipſis ſaluti fuit. Nam ad IV. Id. Novembris, Gallicæ ſuppetiæ oppidum ingreſſæ, tantis animis eruperunt in Galaſſianos, ut quingentos in veſtigio ſternerent. Urgebat interea bruma perinfeſta continuis imbribus, nec erat ſpes obtinendæ deditionis, nedum oppidi expugnandi ob auxiliorum acceſsionem & facultatem quot libuiſſet admittendi. Simul conflictabatur miles incredibilibus incommodis & crebris funeribus. Ergo Galaſſus, conclamatis vaſis, ſigna refigens, lacerum abducit exercitum, non ſine immani labore & diſcrimine, quo paſſim urgebatur, ex aquis paſſim reſtagnantibus, ex viarum profundis, cæteriſque propè inſuperabilibus moleſtijs. Præter hoſtem, qui è vicino metuebatur, inedia ac laſſitudo militum, qui rari ſigna ſequebantur, mirè frangebant abeuntium animos. Sic Galaſſus, iratus fortunæ & infelici expeditioni, Ducatûs Burgundici finibus exceſſit. Memorant, in eo receptu periſſe ad ſex militum millia, quos vel luti malignitas, vel hoſtile ferrum & captivitas, vel defectio à ſignis abſtulit. Adhæsêre vijs duo tormenta majoris modi, unum mortarium, currus magno numero.

S. Joannem Launæum fruſtra oppugnat.

XXVI.

XXVII. Coloredus in Lotharingiâ nihilo fuit fortunatior. Cùm ipſe ad Ravonam duxiſſet, Marchio Forcæus, de ejus motu factus certior, contractis quatuor armatorum millibus, medius inter Ravonam & Baccaracum ſtetit in acie. Coloredus quinque, quos ducebat, millibus ad pugnam inſtructis, fecit ſui copiam. Coorto igitur prælio, per tres omnino horas concurrêre legiones tanto ardore, ut alarijs confuſæ, nullo diſcrimine, pedes equiti, eques pediti certaret, donec everſis Coloredi ordinibus, victoria, & ſimul ipſe cum quinquaginta ordinum ductoribus hoſti conceſſit in manus. Quod à clade ſuperfuit, Ravonam verſus profugit, ſexcentis cæſis, captis ferme totidem.

Coloredus ad Ravonam victus capitur.

E Lotharingiâ venio in Pomeraniam. Stargartum, medio Julio, à Marazino fuit expugnatum: binæ, quæ iſthic curabant, Suecorum legiones conciſæ, vel captæ. Cladem repoſuêre Sueci, Marazino è totâ Pomeraniâ ad Hatzfeldium retruſo. Abeunti ſucceſſerunt Croatæ, qui Vrangelio Francofurti ad Viadrum agente, opimas prædas de Pomeranis retulerunt.

Stargartum expugnatur à Cæſarianis.

XXIIX. Bannerus prid. Id. Sextil. præſidio ad Albim & Havelam, annonâ item rebúſque alijs, quantum ſatis eſſet, relictis, motis à Werbera caſtris, ſecundum Albim profectus, Luneburgum adegit ad deditionem eâ lege, ut arci Havelbergicæ miles Suecus imponeretur, Luneburgum verò, civium defenſioni relictum, Suecicæ coronæ ſacramento diceret.

Bannerus Luneburgum invadit.

E diverſo Cæſareo Saxones prid. Non. Septemb. Havelbergenſem civitatem, ædémque iſthic Principem ſuæ ditionis fecerunt, vitâ Suecis donatâ, detractis ſarcinis & cunctis ſignis militaribus. Eâdem ſorte habita Werberenſis munitio biduo pòſt. E Rattenaviâ Sueci, non expectato hoſtis adventu, profugerunt. Saxonibus venit in manus Novum juxtà ac Vetus Brandeburgum. Quamobrem Suecis cura inceſſit, ne, ſi pariter Daniziâ exuerentur, Havelæ juxtà & Albi trajectu prohiberentur. Quid fuerit inde ſecutum, dicetur in loco.

Cæſariani Havelbergam recipiunt.

XXIX.

Agebantur inter hæc Ratiſbonæ Comitia legendo Regi Romanorum. Aderat Cæſar à die VII. ante Id. Sextiles. Eodem advenerat, adulto jam Octobri, Rex Hungariæ & Bohemiæ; Electores Moguntinus & Colonienſis maturè ſe eò concu-

contulerant. Illuc rediverat Maximilianus Elector Bavariæ: XIII. Cal. Janu. Saxoniæ & Brandeburgici Septemvirûm legati Cæſaris adventum prævenerant. Fuêre in Cæſaris comitatu varij Principes, Comites, Proceres, viri nobiliſſimi, magno numero. Ad eum Conventum Trevirenſis Elector nec vocatus fuit, nec admiſſus. Poſt varias conſultationes, tandem Electores, more majorum, XI. Cal. Janu. ivêre in vota ritu ſolenni, quibus Ferdinandus III. Hungariæ & Bohemiæ Rex, Romanorum Rex publicè in Æde Cathedrali fuit cum ingenti omnium plauſu & gratulatione renunciatus. Secuta eſt celeberrima ipſius inauguratio anni hujus die penultimo.

Ferdinandi III. Regis Romanorum electio.

XXX.

Cardinalis Infans Hiſpaniarum cum quadraginta armatorum millibus Picardiam ingreſſus, Capellam quinque dierum obſidione ſubegit: invaſit Guiſiam, Veninas, quicquid eſt regionis inter Somonam & Oyſam, Royam, Corbæam, Deſiderio-montem, totam Sauterranam Provinciam redegit in ſuam poteſtatem. Joannes Werthius Francicas turmas bis mille capitum, Noviomum refugientes profligavit, cepit Marchionem Bonivetum cum ſexcentis alijs, quingentos præterea interemit, & transmiſſo deinde Oysâ latè terrorem Pariſios uſque circumtulit. Geſſit hæc Cardinalis Infantis auſpicijs, injuſſu Maximiliani,

Cardinalis Hisp. Infans Capellam in Picardia, Veninas, Guisiam &c. invadit. Werthius 2000. Francos profligat.

BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS III.
LIBER XXII.

An. M.DC. XXXVII.

Maximiliani armis Hermanſteinium ad Rheni & Moſellæ confluentes recuperatur : Galli & Weinmariani ultra Rhenum rejiciuntur : Bannerus à Cæſarianis varijs cladibus afficitur : Breda hoſtem cædit ad Tribſeſſam.

I.

ANnum iſtum non pacis, ſed unica potiùs Martis ſtudia propè totum occupârunt, tametſi ſuperioris anni Conventus Auguſtalis aliud polliceri viſus eſſet. Suas quidem curas Cardinalis Ginettus Pontificius de latere Legatus, Coloniæ eò conferebat, ut limina ſaltem tractationi pacificæ aperiret : ſed tot ſeſe offerebant obices, ut lentè admodum ſalutares ipſius conatus proficerent. Nonnihil quoque moræ attulit mors Ducis de Alcalà, quem Rex Catholicus, cum plenâ poteſtate, ad res componendas Coloniam Agrippinam deſtinaverat ; deceſſit è vivis Villachij In Carinthiâ. Moguntinus Elector, Cæſaris & aliorum Electorum nomine, à Sigiſmundo Marchione & Electore Brandeburgico petiverat, ſuam ut operam apud Sueciæ Cancellarium aliósque Suecos, pro pacis conciliatione, interponeret; ſed illi, alia ſuper alia, tam de loco habendi Conventûs, quàm de varijs ſuſcipiendæ tractationis conditionibus cauſati, comperendinabant Cæſaris, aliorúmque pacem molientium deſideria. Magnæ Britanniæ Rex, poſteaquam Arundelium ſuam in Germaniâ negociationem recenſentem audiverat, Hiſpaniæ Legatum ſolito frigidiùs habuit, &, communicatâ cum Daniæ Rege, cúmque Sueciæ Reginâ Arundelij relatione, non diſſimulavit conceptam animo indignationem. Tantos quoque in Britannis motus excitârunt iſtæ Legati delationes, ut Primores Regi pollicerentur, ſe pro causâ Palatinâ ſuprema quæque conaturos. Comes ipſe Palatinus Carolus Ludovicus, cùm ad litteras, quas ad Electores dederat, nihil acciperet reſponſi, ſcripto in vulgus edito, oppugnavit Pragenſem compoſitionem, &, interpoſitâ ſolenni conteſtatione, creationem Regis Romanorum improbans, denuntiavit, ſe jus ſuum, Fratrúmque ſuorum atque agnatorum, armis, cùm judicio non poſſet, defen-

Sueci pacem remorantur.

II. *Regis Angliæ indignatio.*

Cometiffa, latine libellus.

ſenſurum. Verùm quemadmodum Principes & Ordines Imperij Ferdinandi Electioni non refragabantur, ita ſummus Pontifex eam approbârat.

Maximilianus Elector, rebus pro ſuo munere Ratisbonæ confectis, XI. Cal. Febr. diſcedens, quarto pòſt die, unà cum Sereniſſima ſuâ Conjuge, ſalvus Monachium redijt.

Ferdinandus II. Imperator, menſe Januario, affectâ jam valetudine, Rege Romanorum Ratiſbonæ relicto, velut mortis imminentis præſcius, Viennam contendit, ubi XV. Cal. Mart. pientiſsimè fato functus, ſuaviſſimam ſui memoriam reliquit; Imperator verè magnus, cui bene conveniunt elogia Siracidæ de Rege Joſiâ, *quòd directus fuerit divinitus in pœnitentiâ gentis, tulerit abominationem impietatis, gubernaverit ad Dominum cor ipſius, & in diebus peccatorum corroboraverit pietatem.* Tantum in eo fuit amplificandæ religionis & divinæ gloriæ ſtudium, tanta fiducia in DEUM, cujus, in rebus difficillimis, ſenſit opem præſentiſſimam; ut Princeps Juſtitiâ ac clementiâ, opum & honorum contemptu, liberalitate ac munificentiâ, miſericordiâ in pauperes, rerum geſtarum magnitudine, inter ſummos Imperatores glorioſus, clariſſimus inter optimos meritò ſit habendus. Venio ad operoſam arcis Confluentinæ obſidionem. Obitus Ferdinandi II. Imp. III. Eccl. 49. v. 3. & 4.

Submoverant Bavarici è Confluentiâ locíſque finitimis Gallica præſidia, & Hermanſteinium laxiore adhuc obſidione claudebatur, cùm tandem viſum eſt, cinctum arctiorem adhibere. Arcem ſuperiorem tuebatur Saludius, inferiorem in Philippi valle Buſſius. Obſeſsis res erant adeò anguſtæ, ut penu exhauſtâ, non tam ſedarent famem tenuiſſimo cibi dimenſo, quàm irritarent. Propè ergo aberant à deditione, cùm Wilhelmus Haſsiæ Landgravius, rem Galliæ Regi gratam facturus, ſtatuit opem ferre laborantibus. Ergo Melandrum & Durmſteinium jubet rem tentare, & quàntum poſſent inferre annonæ. Collegêre illi ſelectorum equitum undecim centurias, atque unà quadringentos ſclopetarios, qui præſidio forent centum quinquaginta plauſtris onuſtis omni cibariorum genere, & nonnullo veſtium ſubſidio. Adſciverant etiam aliquid ex Batavis auxilij. Joannes Werthius, id temporis Coloniæ Ubiorum agens, Bavaricum militem, potiſsimam partem ad hiberna in agrum Trevirenſem & Leodienſem miſerat. Is, compertâ Haſſorum expeditione, V. Cal. Febr. Rheno transmiſſo, cum octoginta duntaxat equitibus, ad copias, quæ ad Rheni confinia hibernabant, confeſtim advolans, jubet Neuneckium, Montaburæ agentem, cum vicinarum ſtationum equitatu properè adeſſe. Imminebat interea citatis itineribus Melander, ſed moras injiciebat feſtinanti fœda anni tempeſtas imbribus & luto perinfeſta. Nondum Nonis Febr. Confluentinum confinium attigerant, cùm præmiſſo ad explorandum turmæ vicario, eóque renuntiante, nihil apparere periculi, iter proſecuti, cœlo albeſcente, inciderunt in Werthium, qui ad Grenzhuſium cum ſuâ & Gelingi legione, ac trecentis quinquaginta ſclopetarijs, quos locârat in inſidijs, advenientes opperiebatur. Erant utrique in arcis conſpectu, cùm acri coortâ dimicatione, Werthius à Melandricis, qui curribus in gyrum ductis aciem circummuniverant, fortiter exceptus, primum certamen habuit minùs ſecundum: verùm, inſtauratâ impreſsione, cæſis, qui in fronte reſtiterant, curule ſeptum atque aciem disjecit, unde hoſtis in fugam effuſus, duos legionum vicarios, plures centuriones & gregarios cum universâ annonâ victori conceſsit. Hermanſteinii arctior obſidio. IV. Melander ſuppetias laturus a Werthio cæditur. V.

Ea clades Francorum ſpem mirè afflixit quidem, ſed tamen non fregit conſtantiam. Eorum inediam aliquantum levabant agreſtes, quos lucrum ad inferenda cibaria per occultos calles invitabat, ſúſque déque habentes ſupplicia, quibus afficiebantur in facinore deprehenſi: & vix modus erat eos ſic arcendi ab iſtâ nundinatione, quin tecti fruticibus, è Rheni margine furtim per ambages, in arcem, deceptis excubijs, irreperent. Minuta erant hæc pro numero obſeſſorum; & detecti ruſticorum aditus indies claudebantur, eóque fiebat res obſeſsis in horas anguſtior. Inter hæc Ramſæus Hanoviæ Gubernator eos ſubinde VI.

inde ſubmiſsâ pecuniâ adjuvabat per Pithonem Gallicum centurionem, qui, quo valebat aſtu & arte fingendi, ultro citróque commeabat, & aliquando noctis beneficio, ſecundo Rheno appellens, importabat aliquid annonæ. Eum obſeſſi, ſupremâ neceſsitate adducti, in Franciam ablegârunt cum varijs litteris; quarum pleræque notis arcanis exaratæ, obſidionis mala deſcribebant Regijs Miniſtris. Is prope Briſacum venit in Cæſarianorum manus, qui ex epiſtolis deprehenderunt, parari obſeſſis validum auxilium. Id cùm propalato conſilio non procederet, Ramſæus opitulari ſtratagemate inſtituit. Delegit ex Hanovienſi præſidio quadringentos, qui è regione Francofurti, Mœni, & Rheni deinde oram legentes, præcederent ſecutura navigia, quæ Ramſæus, centum frumenti modijs, cibis, & pharmacis, ad ægrotum curationem inſtruxerat, diviſis quinis vicenis peditibus per ſingula navigia, quibus aderat unius cohortis vicarius locorum apprimè peritus. Quò fallerent ingenioſiùs, & crederentur eſſe Cæſariani, atque hoc ipſo ſe faciliùs ab excubitorum quæſtionibus & teloniorum inſpectione expedirent, adhibuerant navigijs ſingulas vexillares pinnulas rubrâ cruce Burgundicâ inſignes, binóſque perſonatos Monachos ſtantes in propatulo.

Ramsæus annonam obsessis submittit.

VII. Solvêre naves Hanoviâ ad III. Id. April. ſub noctis confinium, & ſecundo Mœno ac Rheno inobſervatæ Francofurtum, oppida Mœno adſita, ipſámque Moguntiam prætervectæ per noctem, ſub diei exortum venêre in Bingæ conſpectum; nec fuêre tamen agnitæ; tum quòd crederentur eſſe piſcatoriæ, tum quòd quadringenti, quos jam dixi, Hanovienſes, moto per vicinum agrum tumultu, excubitorum oculos curáſque aliò avertiſſent. Ad eum modum, vectores ad Hermanſteinium appulſi, annonam ſimul & gaudium attulêre obſeſſis. Ne ſimilis fraus deinceps obreperet, proſpectum quidem, ſed ſerò. Spectabat res longam adhuc obſidionem; quæ cùm Maximiliano minimè probaretur, juſſit arci vim propiùs admoveri. Ergo tormentis Coloniâ advectis, cæteróque inſtrumento, corona vallo aggeribúſque munitur, &, ne quà pateat obſeſſis excurſio, omnia circum arcem arctè obſtruuntur. Ramſæus, cui nuper res tam proſperè verterat, ſtatuit rurſus fortunam experiri. Igitur navim grandiuſculam quinquaginta frumenti modijs onuſtam committit quatuor duntaxat militibus, ſimul unas litteras dat ad Electorem Moguntinum, alteras ad Metternichium Eccleſiæ Moguntinæ Præpoſitum, cum ſyngraphâ viatoriâ liberi commeatûs, quam muniverat adulterino Metternichij ſigillo.

Idem tentat denuo, sed in cassum.

VIII. Francofurtum appulit navis ſub veſperum: vectores, exhibitâ commeandi mentitâ licentiâ, oſtenſiſque litteris Electori & Metternichio inſcriptis, fingunt, frumentum, quod vehebant, ad Metternichium pertinere, quod eatenus Hanoviæ detentum, juſſu Ramſæi vehant Moguntiam. Fides habita ſpecioſo mendacio, cui fucum aliquem affricabant pactæ recèns inter Moguntinum Electorem & Hanovienſes induciæ. Hœchſtam provecti, altero ferè à Francofurto milliari, eâdem arte Præfecto impoſuêre; fuêre tamen per noctem detenti, & poſterâ primùm luce dimiſſi. Infra Hœchſtam pone caſtrum Kelterbacum, ad Mœni marginem, præſtolabatur è Hanoviâ miſſa caterva militum cum ſex annonæ vecturis, quâ mox in navem cum militum manipulo receptâ, in Rhenum delati, nullo ſui, contra morem, dato ad telonium Moguntinum indicio, tametſi juberentur adpellere, ſecundo flumine delabuntur. Ea res Electori renuntiata, movit latentis alicujus doli vehementem ſuſpicionem.

IX. Ergo mox juſta militum manus lembis imponitur, quæ navigantes Hanovios citatis remis inſequatur: ſimul jubentur equites, incitato curſu ad Rheni accolas, quaquaverſum erat navigandum, convolare, monere, aliquid hoſtile vehi iſto majore navigio. Fit à tergo & à latere ingens clamor. Ramſæani, animadverſo, ſe eſſe deprehenſos, remis octodecim, ultra priores, adhibitis, conantur celeritate inſequentium diligentiæ prævertere: ſed victi tandem lintrium velocitate, cùm nauclerus glande eſſet confoſſus, manus dedêre inſectantium arbitrio.

Pre-

Premebat interea Gallos Hermanſteinianos acris obſidio, ſed nihil æquè
urgebat atque famis tormentum inevitabile, cùm jam omnia alendæ vitæ ſubſi-
dia defeciſſent. Miſeri, vix hærentes oſſibus, umbris erant quàm viris ſimilio-
res. Quare Buſſius & Saludius, ne quod reliquum erat in exeſis corporibus magni
animi, inutili pertinaciâ ſibi ſuiſque commilitonibus eliderent, ſtatuunt cum **Herman-**
Electore Colonienſi deditionem paciſci. Denique conventum in hæc pacta: **steinium**
ut Elector, lege depoſiti, arcem utramque reciperet, Trevirenſi Electori reſtitu- **deditur.**
endam; uterque Gubernator cum præſidiario milite centum ſeptuaginta viro-
rum, è quibus viginti morbis erant debiles, cum binis item æneis machinis ex-
plicatiſque vexillis, loco excederent. Eâ ratione IV. Cal. Jul. Hermanſteinium
tandem illubentibus admodum Francis fuit ademptum.

Cæterùm, ſoluto Ratiſbonenſi Comitio, menſe Majo, Principes domum re- **Viennensis**
verterant, cùm Cæſarianus miles adhucdum eſſet in æſtivis potiùs, quàm hiber- **consulta-**
nis. Seria interim de belli in futurum rationibus conſilia Viennæ agitabantur **tio.**
à Cæſare, ab Hiſpanis ac Bavaricis legatis. Rem urgebant ingentes hoſtium ap- **X.**
paratus. Jam maturabant Franci profectionem ad caſtra. Forcæus & Caſtil- **Hostiles**
lionæus ex agro Divionenſi nunciabantur Duci Lotharingiæ & Comitatui Bur- **apparatus.**
gundiæ imminere, Dolæ obſidionem repetituri. Cardinalis Valettanus & Dux
Candalius deſtinabantur in Arteſiam: Bernardus Weinmarius, grandi inſtructus
pecuniâ, redux Pariſijs, luſtrato in agro Lingonenſi octodecim millium exercitu,
magnum aliquid cum* Hallerio ad Rhenum moliri, non abs re, ferebatur. Ta- ** Du Hallier.*
lia meditantem excepit gravis conflictus in Burgundiâ. Burgundicæ quinque **XI.**
omnino legiones in Veſuntionis finibus tetenderant, obviam ituræ Weinmario,
ſi quam ipſe munitionem in Comitatu adoriretur. Eas aggreſſus eſt Weinmarius
numero longè ſuperior. Auſi nihilominus Burgundiones, non expectato Lotha-
ringorum adproperante auxilio, ſigna conferre. Poſt cruentam pugnam, pluri-
mis utrinque deſideratis, denique non tam animi magnitudine, quàm Weinma-
rienſium multitudine obruti Burgundi diſceſsêre victi ex arenâ. Advenêre jam
dilapſis Lotharingi auxiliares, ſed ſeriùs, quàm poſſet acies reſtitui. Iidem ipſi à **Lotharin-**
Weinmario pulſi, non ſine clade ſeſe Veſuntionem recepêre: ceſſerunt exinde **gi repulsi.**
Weinmario aliquot oppida Burgundici Comitatûs. Idem, cùm irritus Lotha-
ringorum caſtra ad Veſuntionem tentâſſet, bis miſit exploratores, qui Rheni tra-
jectus & ſtativa inſpicerent. Reverſi, renuntiârunt nihil eſſe, quod obſiſteret, **Weinma-**
prona venienti fore omnia. Quare, ſub menſem Auguſtum, eò delatus cum **rius Rhe-**
quatuor equitum millibus & ſeſquimille ſclopetarijs, tres mediæ magnitudinis **num tra-**
naves aſſecutus, confeſtim Schœnbeckium & Manicampum cum juſto legiona- **jicit.**
riorum numero jubet in Germanicum littus traijcere, ſeſéque contra hoſtem
quàm celerrimè aggere foſsíſque munire. Cum dicto trajiciunt, rémque ſic
dant confectam, ut legiones à trajectu arceri nequirent. Ergo, tutâ jam trans-
miſſione, in adverſum littus deportantur reliquæ ordine legiones.

Werthius, acceptis à Maximiliano mandatis, ad ſuperioris Rheni defenſio-
nem miſſus, id temporis agebat Offenburgi. Hic confeſtim cum ſubitariâ *Litt. Maxi-*
equitum manu advolans, Roſanorum turmam ſtantem in excubijs improviſus *miliani 15.*
opprimit; jámque pagum Wittenweierum, ubi aliquammulti ex hoſte ſclopeta- *Iul.* **XII.**
rij conſtiterant, attigerat, cùm per exploratores cognoſcit, haud procul eſſe
Weinmarium cum valido equitatu: ergo, omiſsâ hoſtium ſtatione, ſecedit ad
oram ſylvæ propinquæ. Illic cùm aliquantum ſtetiſſet in acie, globum unum
ex* hippotoxotis jubet ultra vicinum amnem movere in Weinmarij peditatum, ** Dragonibus*
atque ipſius invadere munimenta. Sed cùm illi aggerem minoribus machinis
& ſclopetarijs obſeptum comperiſſent, retro àd Werthium pedem ferentes,
revertêre Offenburgum.

Rheni Comes inter hæc Enſichshuſium ad deditionem compulit, ubi octo-
ginta è Reinacenſi legione Cæſarianos fecit captivos. Bavarici viciſſim Wein- **XIII.**
marienſes octoginta exploratum miſſos redegêre in ſuam poteſtatem, paucis ſo-

VELITATIONES.

cijs fugâ elapſis. Weinmarius, accepto ejuſce cladis nuntio, è veſtigio tres equitùm turmas, ductore Noâ tribuno, juſſit ire in Werthianos, qui Noanos fuſos, fugatos rejecêre ad caſtra. Accurrit auxilio ipſe Weinmarius, & poſt diuturnum conflictum ſimul actus eſt in fugam, multis amiſſis tum præfectis, tum gregarijs. Verterant iſta ſatis feliciter Bavaricis: quibus erecti, ſperabant, ſe Weinmarium caſtris exutum, poſſe in Burgundiam, unde venerat, trans Rhenum remittere, ſi aliquantùm auxilij à Reinachio acciperent. Impetravêre unà cum quinis machinis curulibus pedeſtres juxtà ac equeſtres aliquas ſuppetias. His aucti, decernunt Weinmarij caſtra, recentibus licèt firmata operibus, invadere, audax omnino facinus. Caſtra alluebat Elſa fluvius, vallum machinis & ſclopis erat obſitum, copiæ in caſtris validæ & magnis animis. Ducebat Werthius ſex omnino millia, quibus ut adderet animos, vino moderatè refectis pollicetur ſingulis unius menſis ſtipendium, ſi eâ die rem in hoſtem gerant ſtrenuè. Quo illi promiſſo accenſi, per medium Elſam incurrunt in hoſtile vallum, contemptâ tormentorum & ſcloporum immani procellâ, pugnántque per duas ipſas horas, donec feſſi, non ſine multorum è ſuis cæde, re infectâ, oppugnationem intermiſêre. Eâ repulsâ nihil territi, paucis pòſt diebus, Weinmarium, tribus ſtipatum globis equitum, repulêre in caſtra.

WERTHIUS OPPUGNAT CASTRA WEINMARII.

AUXILIA FRANCICA.

XIV.

KENZINGA INCASSUM OBSESSA A WEINMARIO.

Sub hæc Weinmario advenerunt ſex naves onerariæ & Gallica novem legionum auxilia, quibus jam firmior, occupatis aliquot Alſatiæ ſuperioris oppidis, atque inſigni cibariorum vinique copiâ, Kenzingam cinxit coronâ, egitque prædas adu ſque Offenburgum, primarium id regionis Bavarorum præſidium. Jam geminos hiatus in Kenzingæ mœnibus tormentorum concuſſione ediderat, eâ latitudine, ut octonis per ordines pateret ingreſſus, nihílque eſſet propius, quàm ut primâ mox impreſſione oppido potiretur: Werthius nihil cunctandum ratus, movet in caſtra Weinmarij, ut ijs occupatis, Kenzingæ, ſi quidem invaderetur, jacturam ſarciret, aut certè Weinmarium ab obſidione averteret. Quæ eum ſpes non fefellit: Weinmarius enim, cognito diſcrimine, Kenzingâ omiſsâ, confeſtim movet in Werthianos, & acie utrinque explicatâ manus conſerit. Pugnatum utrinque acerrimè, dum factâ in geminos colles ſeceſſione, tormentis tantùm ſe mutuò cœperunt laceſſere, tandémque diverſi in ſua caſtra redivêre.

XV.

WEINMARIUS RHENUM TRANSMITTIT.

Weinmarius, ut tandem receptum aliquem ad Rhenum ſibi compararet, ad Markelsheimium adjecit animum. Suboluit hoc ipſum Werthio, qui ſubmiſſo in tempore auxilio, Weinmarij conſilium eſt fruſtratus. Quare deſperato, ſe quicquam, donec oppoſitum haberet Bavaricum militem, promoturum, copiarum partem remiſit in adverſum Rheni littus. Ea res Werthio rei bene gerendæ occaſionem aperuit. Supererat in caſtris Weinmarij pars reliqua exercitûs, tuta, ut Weinmario videbatur, & ſuo robore, & egregijs munimentis. Nihilo ſeciùs Werthius illuc movens, primo inſultu minus propugnaculum, ad Elſæ alveum invadit: operoſior longè fuit & majoris periculi, alterius, quod validius erat, munimenti expugnatio. In eam dum fortiter incumbit Werthius, propè abfuit à ſupremâ lineâ: pugnantem enim ſauciavit glans plumbea, quæ ipſi hæſit in colli adipe, quâ neglectâ, nihilominus Weinmarianos ex iſto propugnaculo ejecit, gradúque inde in caſtra promoto, eoſdem unà cum Gallis vallis exutos rejecit in adverſam Rheni ripam, tormentis, annonâ, impedimentis in ſuam ditionem redactis. Ea res Weinmarium quidem vehementer pupugit: collegit tamen ſuos ad Benfeldam, Molshemium, Dachſteinium, & Argentinam gnaviter ipſius rebus opitulantem. Equitatum propè univerſum habebat ad Markelsheimium, Benfeldæ verò prætoriam ſtationem, quatuor munitiunculis Rheno appoſitis. Werthius junctus Duci Savellio, & militi, quem Sperreuterus adduxerat, caſtra locavit Friſenheimij, unde Croatæ continuis propè incurſionibus Weinmarianis erant oppidò infeſti actis frequenter prædis, præſertim de pabulatoribus. Pons, Rheno à Weinmario impoſitus, Bavarorum curas ingeniáque haud leviter exercebat, quo ſtante intuta omnia reddebantur. Weinmarij ſolicitu-

WERTHIUS EXPUGNAT CASTRA WEINMARII.

XVI.

licitudinem intendebat Dux Lotharingiæ, quem fama paſſim didita venturum ferebat ad Werthium cum exercitu. Et jam re ipsâ Burgundiam, ſat numeroſo milite inſeſſam, egreſſus, cum inſigni apparatu Thannas verſus movens, haud procul erat à Werthio, ſibi eum ſociaturus, niſi, compertâ annonæ tenuitate, judicâſſet eſſe conſultius, aliquas ſaltem Weinmarij vires in Burgundiâ occupatas diſtinere, cæteris imminere à tergo, dum à fronte Werthium haberent & Savellium. Bene vertit id conſilium. Weinmarius enim, mutatâ belli ratione, Rheni propugnacula ipſúmque pontem committit Gallico militi, ipſe verò, cum cæteris copijs, contendit per Baſileenſium fines in Burgundiam.

Werthius, tametſi adhuc ex vulnere debilis, hanc arripiens occaſionem, propugnacula Rheni alveo imminentia pontémq; ſibi ſumit expugnanda. Quare prid. Cal. Novemb. Enkefortio ſummo excubitorum Magiſtro, viro apprimè forti & induſtrio, in Germanico Rheni littore relicto cum mille quingentis legionarijs, & ſex majoris modi machinis; ipſe per pontem Briſacenſem tranſmittit cum bis mille equitibus, peditibus mille quingentis, quatuor bombardis æneis. Dederat Mollio legionis legato id negotij, ut ſecundo Rheno, ſeptem navigijs ducentos milites & gemina tormenta cum multo ignis miſſilis apparatu, veheret. Venêre omnes in condictum locum ipſis Cal. Novemb. quæ ſacræ ſunt omnibus Cœlitibus. Die albeſcente appellunt ad primum propugnaculum: res poſcebat celeritatem, eóque fiebat, ut peditatus ob viæ difficultatem in tempore nequiret adeſſe. Ergo Werthius cum turmâ prætoriâ, factâ ex equis exſcenſione, primorem iſtam parmam nullo propè negotio invadit, jubétque partem equitatûs mox in duas proximas incurrere: cum dicto incurrunt, fortunâ ſecundâ, Gallóſque ſemi adhuc ſopitos inde momento deturbant. In quartum propugnaculum Franci interea, ponte dejecto, recepti, Werthianos quà majoribus, quà minoribus tormentis horrendum fulminant. Hîc aliquantum continendus fuit ardor equitatûs, qui rurſus dimiſſis equis deſilierat in pedes, donec peditatus atque unà tormenta advenirent. Dum hæc in Gallico littore à Werthio geruntur, Baro Enkefortius, ex oppoſitâ regione, omnia munimenta, excepto primario; Mollius verò exſcendens è navibus, Caplerianum, quod Inſulæ haud procul à ponte erat impoſitum, cæſis, ſubmerſis, captiſque quinquaginta Gallis, occupârunt. Mox ubi advenêre legionarij, tormentis ad Rheni ripam diſpoſitis, quod adhuc nautici pontis ſupererat, & princeps propugnaculum, acriter cœpêre verberari; & eo quidem conſilio, ut proximâ arenariâ è ponte divulsâ, Galli in arctum cogerentur. Quod lucis erat reliquum, totum datum eſt iſti fulminationi. Lembi, quibus alter è pontibus nitebatur, ſic fuêre pertuſi ac lacerati, ut multis ſubſidentibus, trabes & tabulæ pontis ſolverentur. Cœlum ipſum Gallis adverſari viſum. Nocte enim inſequente orta ventorum tempeſtas, magnam pontis partem disjecit. Poſteaquam poſtridie Cal. Novemb. diluxerat, animadverſi ſunt Galli, qui reſtiterant in Inſulâ, grandi opere novum aggerem foſſámque moliri, quæ ſi effecta dediſſent, næ grave iſthic periculoſúmque certamen fuiſſet ſubeundum. Quare Werthius aliquot equitum levis juxtà & gravis armaturæ centurias, per brachium Rheni vadoſum, & juſtam peditum manum navigijs immittit in laborantes: illi mox evadentes in Inſulam, propugnaculo, quod pontium alteri erat à tergo, potiuntur. Reliquum erat, ut duo præterea expugnarentur: præcipuum videlicet ídque firmiſſimum, & ultimum, quo pons reliquus tegebatur. In hoc perſtabant geminæ Francorum centuriæ. In utroque occupando coronis operis erat & momentum victoriæ. Ergo jubet Werthius tormenta propiùs admoveri, & ordines duci ad impreſſionem. Id conſpicati Franci, per tympanotribam petunt colloquendi copiam. Impetrant, & jubentur ſe Bavarorum arbitrio permittere. Id cùm non feciſſent, Werthius, non expectato machinarum adventu, ſubitario incurſu invadit munitiunculam, è quâ Franci pars evasêre in pontem tormentorum ictibus lacerum, atque iſthic manus dederunt; pars egêre ſe in flumen, pars abditi hac illac per

Pontis expugnatio.

XVII.

XVIII.

XIX.

Inſulæ fruteta, militis irati ferro fuêre propè omnes obtruncati. Tandem ex
XX. utrâque Rheni regione itum in ultimam Francorum munitionem. In hac curâbant ſexcenti cum ſenis tormentis majoribus. E propinquâ Inſulâ Werthius jubet machinas librari in aggerem, omnémque militem terrâ navigiiſque diſpoſitum, parari ad generalem irruptionem. Verùm eo non expectato, Franci ſignum dant faciendæ deditionis. Werthius, rejectis quibuſque alijs conditionibus, pactum omne ſui facit arbitrij, ſimul monet, ſi vim expectent, neminem unum vitâ incolumi evaſurum: quo reſponſo perculſi, ſe ſuáque ipſi permiſerunt. Plerique ductores facti captivi: gregarijs, ſi quibus liberet, facta poteſtas tranſeundi ad Bavarica ſtipendia: cæteri cum bacillis, quò vellent, abire permiſſi. Scribunt, Tribunum Francicum, cui demandata fuerat ejuſce præſidij defenſio, quique miſsâ pontis & propugnaculorum omniũ Ichnographiâ, aulam regiam magnificis rei bene gerendæ promiſſis impleverat, veris lachrymis ſuam ſortem palàm defleviſſe, quòd deſperaret, ſe ullis rationibus Regi tantam jacturam excuſaturum. Werthius ſolam principem munitionem firmavit præſidio, cæteras, ne quando hoſti commodarent, ſolo æquavit. Præter Chiliarcham capti centuriones quatuor, centum circiter minoris notæ ductores, cum aliquâ annonâ aliiſque manubijs. Atque hic quidem Bavaricæ expeditionis ſucceſſus ad Rhenum, magnas Franco-Weinmariorum ſpes diſtulit in annum ſequentem, quando Rheni limes malè cuſtoditus, ingenti malo Germaniæ hoſtium irruptioni viam aperuit, quâ de ſuo loco. Pergo ad alia.

XXI. Hujus anni primordijs, Cæſarianis in Haſſiâ res fluebant ex animi ſententiâ, cùm Cattorum copiæ, quæ Caſſellis, Zigenhemij, ínque vicino agro hibernabant, eſſent reſiſtendo impares. At poſteaquam Wilhelmus Landgravius, abruptâ pacis tractatione, nihil penſi habens Saxoniæ Septemviri, & Georgij Darmſtadiani Haſſiæ item Provincialis Comitis dehortationes, ad Weſtphaliæ dominatum animum adjecerat, belli magnam molem ſuas in ditiones attraxit: unde orta Haſſiæ vaſtitas per Croatarum excurſiones. Habebat tum Iſolanus ſub ſignis duodecim legiones, ad quas, ſolutâ Erfurtenſi obſidione, acceſsêre Saxonici, qui poſt aliquas cum Haſſis velitationes, arctáſque de Melibocis prædas, ſuum iter relegêre. Wilhelmus Haſſus, qui cum conjuge ac liberis Bremæ degebat, belli ſedem, tormentis Fregeſacum convectis, conabatur transferre in Friſiam Orientalem. Iſthic enim Regis Galliæ auſpicijs ipſe ſimul cum Ranzovio, bis mille pedites, & quinque equitum millia, Batavis lubentibus, ſcribebat. Sed illius conatus rerúmque magnarum molitionem mors, quæ eum Lieræ altero ab Embdâ milliari ſuſtulit, intercepit. Parenti demortuo ſucceſſit filius duodennis: impuberi teſtamento dicti tutores Reges Franciæ & Britanniæ, & Bataviæ fœderati Ordines. Contrà Georgius Darmſtadius tutelam, jure agnationis & Cæſarei decreti, ſibi depoſcebat; obſtabant matris cognati propiores, & quæ matri erat ex defuncti ſupremâ voluntate demandata adminiſtratio. Arma interim graſſabantur in Haſſos, qui hæredi jam ſacramentum dixerant. Gœtzius, quem Cæſar ſuæ ſententiæ executorem cum plenâ poteſtate fecerat, datis ad inferioris Haſſiæ Ordines litteris, eos eſt hortatus, militem volentes admitterent, & Cæſaris judicio obſequerentur, alioqui vim jam paratam experturi. Petentibus Ordinibus aliquas ſaltem inducias, bidui duntaxat conceſſit Georgius Landgravius. Cùm nihilominus Aſchfeldam utriuſque Haſſiæ comitia indixiſſet, Caſſellenſes edicto vetuerunt quemquam intereſſe. Sic intermiſſo Conventu, Marpurgum ad Georgium miſêre legatos, qui ipſius mentem explorarent, referréntque Viduæ Caſſellenſi, quam Saxoniæ Elector vehementer hortabatur, mallet, acceptâ Pragenſi pace, Cæſaris mandatis deferre, quàm inquietis conſilijs adire periculoſam belli arenam. Cæſar ipſe Wilhelmi teſtamentum, & juratam à ſubditis hæredi filio obedientiam edicto improbavit, juſsitque Georgium admitti ad legitimam adminiſtrationem.

XXII. Wilhelmus Haſſiæ Comes Provincialis moritur.

Controvertitur tutela Haſſica.

XXIII. Inter hæc Gœtzius Lemgoviam coronâ cinctam eò redegerat, ut Kœnigsmarchius,

marchius, qui loco præerat, poſtulato colloquio, certas deditionis conditiones proponeret: quibus à Gœtzio rejectis, cùm ille citra honeſtam pactionem negaret ſe manus daturum, ventum fuit ad vim majorem. Gœtzius igitur punicis ignibus tecta cœpit incendere, mœnia acerrimè concutere, ruinam edere, parare impreſſionem. Cives, plurium jam domorum incendijs, & gliſcente in majus periculo territi, ſupplices mittunt ad Gœtzium, qui incendia ſaltem deprecentur. Annuit Gœtzius. Gubernator, cùm jam murus ad invadendum pateret, miſſo ad Gœtzium centurione, impetravit, ut præſidio liceret cum ſarcinis Mindam diſcedere. Ne plura tentarent oppugnatores, effecit Georgij Darmſtadij interceſſio, pactæque induciæ, quibus ad uſque anni proximè venturi Februarium Haſſia Inferior à bello abſtinuit. Venio ad cæteros Cæſarianorum exercitus. Ferdinandus III. Imp. anteaquam Ratiſbonâ diſcederet, Galaſſum rerum ſuperiori anno malè geſtarum à varijs poſtulatum, Viennam accerſiverat. Suevi, Wirtenbergenſes, Badenſes, Francones ſuam calamitatem adſcribebant Galaſſo, utpote qui exercitum morbis, ediâ, ſqualore magnam partem confectum, è Burgundiâ ad hiberna Germanica reduxiſſet. Pro ſuo quiſque affectu ejus conſilia réſque carpebat, genio mortalium, ex eventis præterita æſtimantium, & ſua mala quiritatiône ſaltem expectorantium. Quicquid tandem rei fuerit, Galaſſus ſic Cæſari ſuam cauſam purgavit, probavítque, ut priſtinam dignationem retineret. Bannerus, rebus Erfurti compoſitis, cùm nihil eſſet, quod porrò è Turingiâ à tergo metueret, cum univerſo exercitu movit Naumburgum, quo occupato, propere duxit Turgaviam. Ex itinere, cognito, quatuor Saxonum legiones, & Klitzingij levis armaturæ equites in Eulenburgenſi agro, ínque ipſo oppido, ſecuros incogitantéſque imminentis hoſtis agere; eos putavit ſibi fore faciles, patentéſque ad ſubitam impreſſionem. Dehnius pro Saxoniæ Electore ſummus vigiliarum Præfectus, ſerò licèt de Banneri adventu factus certior, legiones, ſubducturus propinquo hoſti, ſe jam refixis ſignis in viam dederat, cùm Stalhanſius eum aſſecutus, multis cæſis, trecentos fecit captivos, & Dehnium Torgaviam uſque eſt inſectatus. Bannerus eo ſucceſſu invitatus, Torgaviam arctâ ſepſit obſidione, ponte, qui Albim jungit, occupato. Curabant Torgaviæ unà cum Dehnio binæ legiones ductore Wilsdorfio, credebantúrque citra vim nihil hoſti conceſſuræ. Verùm ſive Dehnij clades, ſeu aliorum conſternatio dejecerit animos, nullâ prorſus expectatâ violentiâ, ilicò cepêre conſilia dedendæ civitatis, rati, ſe eâ maturatione benigniorem hoſtem habituros. Quare Bannerus, ex eâ facilitate colligens, eos ad quævis etiam iniqua poſſe compelli, has præſcripſit leges deditioni: militem omnem Banneri arbitrio, ſigna equeſtria duodecim, pedeſtria triginta duo, XVI. Calend. Febr. ipſam civitatem, ductores aliquos, qui ad legiones non ſpectabant, extemplò traderent. Tradidêre illi, magno in poſterum rei communis detrimento. Subactâ, tam levi momento, Torgaviâ, Bannerus Lipſiam contendit, majorem iſthic Saxonum conſtantiam animóſque experturus. Curabat Lipſiæ, Septemviri mandatis aptiſſimè inſtructus Adolphus Tranſdorfius militaris vir animi & induſtriæ prorſus ſingularis. Is, civici Magiſtratûs ipſorúmque civium ſtudijs in ſua vota pertractis, ſe egregiè ad propugnationem comparavit. Bannerus primo ſtatim aditu popoſcit annonam & deditionem: utramque negavit exertè Tranſdorfius. Quâ re ille irritatus, punicis ignibus in urbis tecta, tormentis in mœnia cœpit graſſari atrociter. Nihil his moveri Tranſdorfius, reciprocare fulmina; quibus locis plus erat periculi, civitatem firmare foſsis, aggeſtâ humo, vaccris, ſaccis lanâ fartis, corbitis, aliiſque id generis, quæ hoſti reprimendo, ubi poſceret uſus, forent opportuna. Hoſtis è diverſo nihil omittere, quod muro labefaciendo, & frangendæ obſeſſorum virtuti crederet convenire. Sed fractus ipſe & irritus, poſt acerrimam triginta dierum oppugnationem, collectis vaſis abire coactus, oſtendit, quid in hujuſmodi caſibus differat, mœnia habere ſine pectoribus, & pectora pro mœnibus, quid magnanimo diſtet meticuloſus, quid

XXIV. Galassus suam causam probat Cæsari.

Saxonum clades prima.

XXV.

Altera maior.

Bannerus irrito conatu Lipsiam obsidet.

XXVI.

Cæsariani Lanspergam deserunt.

quid ſapiens & induſtrius inerti. Hoc periculo defuncti Lipſienſes, novis operibus ſeſe egregiè muniverunt.

Longè ſecus Lanſpergæ ad Viadrum res evenêre, ubi præſidiarij, cognito, Vicethumium Druſenſe propugnaculum, haud procul à Lanſpergâ, per certos homines curâſſe explorari, veriti ne ab eo proximè inceſſerentur, ſibiq; diffidentes, tormentis magnam partem corruptis, acceptâ fugâ, tametſi nemo hæreret fugientium veſtigio, magnâ celeritate, trepidi Cuſtrinum ſe proripuêre, permagni momenti præſidio, velut vacuâ poſſeſſione, hoſti relicto.

XXVII.

Arnhemius a Suecis captus abducitur in Sueciam.

Sub id temporis, Arnheimius Boizenburgi in Marchiâ corpori curando rebúſque domeſticis intentus, venit in Suecorum manus, & Stetino, quò pertractus fuerat, multa quiritans, excuſans multa, Stockholmium in Sueciam perinvitus fuit devectus. Quibus artibus inde fuerit elapſus, recenſebitur in tempore. Solutâ Lipſiæ obſidione, Comes Hatzfeldius, ſociatis cum Gœtzio & Darmſtadienſi Landgravio copijs, per agrum Erfurtenſem, Jenam cum juſto ſatis exercitu contendit. Quare Stalhanſius Suecus, cui ejus regionis cura id temporis erat impoſita, oppidis omnibus, Jenam præter & Weinmarum, expilatis, profugit trans Salam, jugis aliquot de ponte ſolutis. Jena proinde paucis Suecorum centurijs inſeſſa, protinus patuit direptioni cæteræque Martis inſolentiæ, quæ ne à Jenenſibus quidem Muſis ſibi temperavit. Conſilium erat, Suecos per Salæ vadum inſectari, ſed tormentis illi è regione diſpoſitis, per dies aliquot tranſitum molientes arcuerunt, donec majore vi Torgaviam (quò Bannerus à Lipſienſi obſidione diverterat) rejecti, ſe recepêre.

Cæsariani Ienam diripiunt.

XXIIX.

Vrangelius, cum novem armatorum millibus, trans Albim pulſus à Cæſarianis, diſceſſerat in Sileſiam, vocatis illuc legionibus, tum quæ in agro Francofurtenſi ad Viadrum, tum quæ in Megapolitano hibernabant; ut Cuſtrinum, unde vim aliquam timere poterat, commeatu prohiberet. Bannerus & Leslæus Torgaviæ novis ſe delectibus firmabant, contracto illuc, quicquid armenti, pabuli, cæteræque annonæ ex agro vicino corradi poterat: Torgaviam verò ipſam recentibus operibus obvallabant, comportato in urbem omni, quem ad Albim ex oppido & caſtro Pretſchinenſi comparaverant, cibariorum apparatu, eóque videbantur illic belli ſedem diu habituri. Exinde quoque agebant latè prædas, habebántque finitima perinfeſta. Groſſenhaimium, fugatis inde binis Dreſdam uſque legionibus, concremârunt.

Ut his calamitatibus modus aliquis fieret, Aprili menſe, Hatzfeldius ſex alariorum legiones Dreſdam duxit, quæ, trajecto per pontem lapideum Albi, ad Saxonicas copias acceſſerunt. Quia verò utramque, cis & ultra Albim, regionem Suecicus equitatus continentibus excurſionibus & rapinis vexabat, Saxones, ad tuendos iſtos fines, infra Strelam, Albim ſtraverunt extemporali ponte, quò faciliùs ultro citróque commeantes hoſti occurrerent. Quotidianæ propè ex eo tempore intervênere velitationes: binas Suecorum legiones profligaverunt Cæſareo-Saxones, quarum alteram Schutzius Tribunus noctu oppreſſam, penitùs flammis ferróque delevit.

XXIX.

Velitationes.

Saxonici Coloni in armis.

Ne agreſtes quidem ſibi temperaverunt ab armis. Convenerunt ad quatuor millia in Radebergenſi Dynaſtiâ, & Kœnigsbergæ quadringentos Suecos improviſi invaſerunt, ex quibus ducentos conjecêre in vincula, cæteros magnâ exutos prædâ abegerunt.

Vrangelius junior, disjectis è ponte Wittenbergenſi ſexaginta Saxonibus, VIII. Calend. April. ſub diei crepuſculum, ipſum pontem invaſit. Sed magno illi conſtitit iſta victoria: menſe enim Majo quadringenti Sueci ponti ad præſidium relicti, ad unum omnes, præter ductores, amiſſis tribus tormentis, octo vexillis, impedimentis omnibus, coacti fuerunt tranſire ad Cæſarianas legiones. Paulò antè Sueci, metu propinqui Cæſariani militis, Eulenburgum, quod inde à Lipſienſi obſidione tenuerant, deſeruerunt. Non erat in Sileſiâ rerum facies multùm abſimilis. Nihilo erat quietior Suevia à Galaſſianorum prædis,

XXX.

vete-

veterum ſtipendiorum debitum indictáq; tributa pro obtentu habentium: quo fiebat, ut, colonis ad ultima redactis, militi meſſes, vindemiæ, fructus agrorum cederent. Hinc fames horrida, quæ abominanda cadavera & animalia aliàs execrata vertebat in eſcas. Quin etiam in ruſticanas domos, hominum loco, feræ ſucceſſerant. Memorabile eſt, quod referunt Annales, in Gelnhuſij confinio hoc anno contigiſſe. Confugerant, deſertis domicilijs, in oppida vicina coloni: ex ijs unus quiſpiam, aliquid pecuniolæ in domeſtico hypogæo defoſſum reliquerat ad ſupremos uſus imminentis inopiæ. Ille, cogente fame, domum revertit theſaurum effoſſurus. Vix ſubterraneæ cellæ limen adiverat, cùm gravi admodum mephiti adflatus, ilicò inceſsitur à binis lupis è cellâ prodeuntibus, præda ipſe feris futurus, nî curriculo elapſus, in arboris proximæ faſtigium enitens, ſibi conſuluiſſet. Eum conſpicati, qui illac tranſibant equites, quærunt, quæ illum ſors ad eam ſpeculam adegerit? Rem ipſe narrat ut erat, pollicetúrque præmium pro ſuâ tenuitate, ſi opem ipſi adferant. Addicunt operam, & ſclopis manuarijs inſtructi, præeuntem ponè ſequuntur ad cellam. Nec mora, rurſus erumpunt lupi, invadunt armatos: res grandis erat periculi, donec ignitis glandibus beſtias rictus intentantes ſtravêre: ſucceſsêre plures pari modo confoſſi. Incertum cùm eſſet, forétne iſta feralium latronum ſpelunca cruentis beſtijs omnino exhauſta, nec verò eſſet, qui inter tenebras latibulum auderet luſtrare, viſum eſt, excitato ad hypogæi oſtium igne fumum immittere, qui lupos adhuc latentes expelleret. Bene vertit conſilium. Mox enim rurſus belluæ aliquot erumpentes pari, quâ priores, feritate involant in obſtantes, paritérque mactantur. Agricola jam periculi ſecurus ſubit hypogæum, reperítque luporum aliquot catulos, locúmque tum hominum tum animantium cadaveribus oſſibúſque refertum, & immane quantum fœtentem. Tandem effoſſam pecuniam ipſe & milites de lupis triumphantes divisêre, non ſecus læti, atque ſi Herculeos labores exantlâſſent. Redeo nunc in Saxoniam. Menſe Aprili, Sueci ad Fuckerodam, qui pagus à Wittenbergâ tribus diſtat leucis, propugnaculum ad Albim tentârunt excitare, & adijcere pontem nauticum. Sed à Pfortæo Wittenbergæ Gubernatore oppreſſi, id opus intermiſerunt.

BELLUARUM RECEPTACULA.

MEMORABILE EXEMPLUM.

XXXI.

XXXII.

SUECORUM CLADES.

Pari ferme ratione Truckmillerus, comperto, Suecos, Moldavo Salâquè tranſmiſſis, in agrum Luneburgicum ad ſuarum legionum ſupplementa, cum magno impedimentorum onere tendere, cum bis mille quà Liburnis, quà gravis armaturæ equitibus, eos inſecutus, Hattſtadij, uno à Mansfeldâ milliari, nihil tale opinantes, ſui incurioſos, ſomnóque, ne excubijs quidem adhibitis, ſopitos invaſit, quadringentos in loco obtruncavit, cepit quingentos, fugavit cæteros; bis mille equos, unâque ſex Pfuliciæ legionis vexilla Mansfeldam reduxit. Eam jacturam Sueci ferro, flammis, expilationibus retaliârunt, Wurtzæ præſertim, cujus incendio homines non paucos, ægros præſertim & infantes, quibus per vires non licuit flammas effugere, extinxêre. Ad VI. Id. Majas, Saxoniæ Septemvir mediâ inter Dreſdam & Miſnam ſilvâ, cum Hatzfeldio & Gœtzio conſilium habuit de Suecis ad Torgaviam invadendis: id enim temporis Cæſariani ad Miſnam, Sueci verò ad Torgaviam tetenderant.

XXXIII.

CÆSARIANI ALBIM PONTE STERNŪT.

Motis igitur inde caſtris menſe Junio, Cæſarianus exercitus per pontem Wittenbergenſem tranſmiſſus, Wittenbergam inter & Torgaviam navalem trajectum moliri inſtituit. Et jam opus erat inceptum, cùm Bannerus Torgaviâ, validâ ſtipatus manu, diſpoſitis ex adverſâ ripâ adverſus operas tormentis, continuis jaculationibus Cæſarianos loco dimovit, qui mutatâ ſtatione, ad caſtrum Bretſchinum, ſubitarium pontem ſubjectis ratibus perfecêre, & inobſervati equitatûs partem, in adverſam ripam, atque hinc in Bannerum immisêre. Tam inopinata celeritas Suecos terruit uſque eò, ut, quatuor æneis machinis in loco relictis, ſeſe ſubduxerint, pontis perficiendi libertate Cæſarianis permiſsâ. Ergo Cæſariani, moventes trans Albim, quotidianos propè velitares conflictus cum Suecis habuêre. Cùm ad juſtam pugnam Bannerus ſui copiam negaret, & ipſius

caſtra undique vallo denſatiſque tormentis circumſepta, niſi iniquiſſimâ dimicatione non poſſent oppugnari, nihil ad ſummam rei poterat à Cæſarianis tentari.

BANNERUS MISNAM OCCUPAT, DIRIPIT, INCENDIT.

XXXIV.

Inter hæc Bannerus Miſnam ſtratagemate occupavit. Compererat, pabulatores cum triginta curribus & aliquo defenſorum manipulo, Miſnâ eſſe egreſſos. In eos jubet numeroſam ſuorum manum properare, &, ſi res ferat, Miſnam hac arte, quam ſubijcio, invadere. Miſnenſes pabulatores omnes & milites circumventos, nullo prorſus excepto, Sueci ante omnia trucidant: tum cæſorum exuvias induunt, atque his tecti, currus aliquanto pabulo ad ſpeciem tectos opplent militibus, paremque priori tum aurigarum, tum defenſorum & perſonatorum pabulatorum numerum ſubſtituunt. Ad Miſnæ portas provectos, veſtium ſpecie decepti vigiles, ſuos eſſe arbitrati, mox admittunt. At illi correptis armis erumpentes e pabulo, excubias obtruncant, portâque potiti, phalangem, quæ ponè ſequebatur, in civitatem immittunt. Mox propagatâ per vicos cæde, urbem diripiunt. Cùm verò arcem Ædémque principem ſe invadere non poſſe ſentirent, excitato locis varijs incendio, XVII. Cal. Julias Torgaviam opimis ditati ſpolijs ſunt reverſi. Intercepêre Cæſariani ex ijs paucos, qui in reditu fuêre cæteris tardiores, cum ijs nonnihil vecturarum.

Sub idem temporis Magdeburgenſe præſidium Egelâ oppido Suecos ejecit, præfectis ordinum dimiſſis, ſed gregarijs octoginta ad ſigna Saxonica retentis. Sic mutuæ clades hinc inde alternantes ſenſim conficiebant militem, nullâ alioqui re memorabili. Et jam Bannero in caſtris Torgavienſibus indies creſcebat pabulationis & annonæ difficultas, & cùm aliæ ſuper alias ad Cæſarianum exercitum fierent acceſſiones, tam anguſtè habebantur Sueci, ut, clauſis paſſim itineribus, propè obſiderentur. Ergo, ut in apertum emergerent, IV. Cal. Jul. motis caſtris, tormentiſque ſeptem eò loci relictis, Torgaviam deſerentes, undecim armatorum millia, tormenta nonaginta cum reliquo inſtrumento transmittunt per pontem Torgavienſem (quem ipſum à tergo incendêre) & citatis itineribus cum Vrangelio, ad Viadrum agente, copias ſociaturi, contendunt, onuſti expilatæ Torgaviæ manubijs. Pridie, quàm diſcederent, mille amiſerant equos pabulatorios, quos ipſis Truemillerus ademerat.

A TORGAVIA SE RECIPIT AD VIADRUM.

XXXV.

CÆDITUR POSTREMUM AGMEN.

Cæſariani abeuntium poſtremum agmen, cæſis ſexcentis, captis quadringentis, fuderunt. Reliquus exercitus evaſit Fürſtenbergam, ubi nactus vada, ob tempeſtatis ſiccitatem, valde brevia, XIV. Non. Jul. in adverſam Viadri ripam, cum ipſis adeò tormentis, fuit elapſus. In eo receptu fugæ non abſimili, milites Germani, quos varijs locis Sueci ad defectionem invitos adegerant, manipulatim ab eorum ſignis profugêre: multæ machinæ curules, magna pars impedimentorum, jumentis ex eâ feſtinatione deficientibus, medio inter Albim & Viadrum itinere amiſſa.

Bannero erat propoſitum Lanſpergam à Suecis inſeſſam perfugere: verùm Cæſariani, ſecundum Wartam prægreſſi, præcluſêre viam, ne in civitatem penetraret. Bannerus igitur, caſtris è regione Lanſpergæ locatis, Cæſarianos, qui trans Wartam conſtiterant, tormentorum continuâ è caſtris jaculatione ſubmovit extra pilarum ictus: inde ipſe Cuſtrinum profectus, equitatu ad Cuſtrinenſem pontem locato, peditatu unà cum æneis machinis per Viadri brevia transmiſſo, denique ad Vrangelium prid. Id. Jul. pervenit. Cæſariani inter hæc Lanſpergam, & ex præſidiarijs ſeptingentos, ultroneâ defectione ad ſuas legiones recepêre. Havelbergâ poſt hæc univerſisque juxtà propugnaculis potiti, Garzenſem Gubernatorem ad dedendæ civitatis neceſſitatem compulerunt. Eandem ſortem ſubijt Ukermunda, expirante Auguſto, unde præſidium fuit ſine armis dimiſſum, præter Germanos, qui ad ſigna Cæſarea redivêre. Obſidêre deinde Cæſariani Anclamam, firmum in Pomeraniâ præſidium, trajectui ultra Penam amnem opportunum, ſed obſedêre conatu irrito, Suecis, totis copijs, contrà nitentibus, ne vel civitatem invaderent, vel Penam ponte jungerent.

PROGRESSUS CÆSARIANORUM.

XXXVI.

Inter

Inter hæc Saliſius primo ab Anclamâ milliari Vrangelij equitatum, capto iuniore Oxenſternio, pluribúſque alijs, rejecit in caſtra: Klitzingus Saxo Werberenſem munitionem, & Dömizium ad Albim invaſit, magnâ utrobique annonâ repertâ. Arx Plauenſis Saxonibus & Brandeburgicis fecit, poſt aliquantum obſidij, deditionem. XXXVII. Luneburgum interim & Mauritioburgum ad Halam adhuc tum à Suecis tenebantur. Luneburgici cives, Suecico jugo feſſi, admiſſis intra muros Saxonibus, Suecos exegerunt. Munitionem Calckenbergenſem Gubernator, pactâ vitæ incolumitate, Georgio Duci Luneburgico dedidit, Wiſmariæ ejuſce deditionis pœnam capitis ſupplicio pòſt paulò daturus. Rem grandem dignámque annalibus id temporis præſtitit Galaſſi prudentia. *Galassi strategema.* Duobus duntaxat Tribunis conſcijs, conſilio cæteroqui clàm habito, Taraſcum equitum bombardariorum hipparchum jubet ire Tribſeſſam. Iturum annonâ, quantum ſatis, & rei gerendæ præceptis inſtruit: ne videlicet ad ullum prorſus pagum de viâ diverteret, ne militares focos excitaret ſub dio, modis omnibus hoſtem celaret ſuam profectionem. Ille igitur, declinans viam regiam, per tectos calles inobſervatus penetrat ad Penam exiguum quidem fluvium, ſed obſitum paludibus, eóque trajici difficilem. Quo nihilominus ſuperato, Tribſeſſenſe propugnaculum improviſus adgreditur, invadítque ſine ullo ferè ſuorum ſanguine, & præſidio virorum octoginta conciſo, ipſam civitatem expugnat cum magnâ Suecorum clade. XXXVIII. Qui cædi ſuperfuerunt, refugère in arcem, quam tamen mox, Cæſareis adſcripti ſtipendijs, Taraſco dedidêre. E præſidiarijs unicus fuit, qui elapſus Suecis eam jacturam nuntiaret. Quamobrem illi cum valido equitatu, dum adducunt ſuppetias, Bredam Tribunum Cæſarianum Taraſci veſtigia, cum delecto alariorum globo, propè ſecutum, habent obvium, manúſque conſerunt cupidi acceptæ recens cladis vindicandæ. Coortâ pugnâ, Breda momento disijcit Scoticam Oxenſternij legionem, cæſis in veſtigio octingentis: mox fuſis, fugatis quinque inſuper legionibus, viginti quinque ſignis, quatuor tormentis, magníſque manubijs potitur. *Sueci cæduntur.* Perculit ea jactura Suecos adeò, ut Rebnizio, Damgarto, Fridlandâ, Clempenaviâ, Chabelâ, Spandavio, diffugerent. Tanta eos conſternatio inceſſerat, ut, cùm Cæſariani pabulatores plerique lixæ & caculæ, munitæ admodum Turri ad Damgartum adequitantes, compoſitâ ad iram voce ac vultu, ſibi locum dedi poſtulâſſent, Sueci, qui iſthic curabant, miſſo tympanotribâ deditionem pacti, bene ſecum agi crediderint, quòd liceret abire vitâ incolumi. Reliquus Suecorum exercitus ſe collegit ad Wolgaſtum.

XXXIX. Mauritioburgum ad Halam Saxoniæ jam dudum à Cæſarianis premebatur irrito conatu, Gubernatore tantis animis reſiſtente, ut Cæſariani de ſolvendâ obſidione cogitarent. Id conſilium diſtulit Farensbeckij cujuſdam natione Finnonis vafrities. *Hala Saxoniæ Finnonis astu recipitur.* Ille, nemine alio prorſus conſcio, hanc ſtropham adornavit. Habebat penes ſe Banneri expreſſum in cerâ ſigillum, & ſyngrapham deſcriptam in litteris. Hanc ergo & illud tantâ artis ſimilitudine eſt imitatus, ut adulterina ſpecies formam genuinam, nullo prorſus, quod oculis notari poſſet, diſcrimine referret. Commentitium deinde Banneri generale mandatum, ad omnes exercitûs Suecici ductores, his ſignis munitum exarat, quo omnes ac ſinguli jubebantur Farensbeckio Suecicæ Carricenſis legionis Centurioni (id ſibi tituli novus Sinon adſciverat) habere fidem. Sic perſonatus Banneri interpres Mauritioburgum ſine morâ aut fraudis ſuſpicione receptus, beneficio linguæ Finnicæ tam dextrè Gubernatori impoſuit, ut perſuaderet, velle Bannerum præſidium Halenſe ad cæteras copias accedere, Gubernatorem verò, quàm commodiſſimis poſſet legibus, arcem hoſti dedere, quaſi eſſet longè utilior futurus in exercitu ſatis imminuto & talis viri operâ indigente. Ergo Gubernator credulus, à demirantibus Cæſarianis poſcit colloquendi copiam, quâ impetratâ, honeſtis prorſus conditionibus arcis deditionem pactus, educit præſidium, nec fraudem priùs agnoſcit, quàm progreſſus in civitatem diſcit, quibus dolis ſibi ſit paſſus illudi. XL. Bonus vir ſui vix compos, mœrore propè interijt, & tum maxi-

mè, cùm audijt, ſe à civibus depoſci ad ſupplicium, eò quòd ignibus miſſilibus ex arce tectis civitatis damna aliqua intuliſſet. Sed ſervatus fuit, & poſtquam cum toto præſidio lautè in civitate fuerat habitus, abire permiſſus.

WOLGASTUM SUBACTUM. Fortunâ ad eum modum Cæſarianorum rebus arridente, & occupato jam Loizio, viſum eſt tentare ſaltem Wolgaſtum, &, ſi quidem ſubigi nequiret, ita circumſedere, ut liberâ commeandi facultate prohiberetur. Ea provincia Bredæ Tribuno demandata. Iſtud conſilium Suecis ſuboluerat, atque eò caſtrum Wolgaſtenſe, tametſi jam à numeroſo milite teneretur, Steinbacenſis legionis acceſſione firmaverant. Civitas ipſa Wolgaſtenſis, è quâ Suecorum quinque legiones in arcem profugerant, nullâ propè vi venit in Bredæ manus. In expu-
XLI. gnandâ arce longè maximus labor & periculum. In eam libratæ machinæ dies aliquot, nullo ferè operæ pretio ob nimiam diſtantiam, tenuerunt. Opus erat violentiâ propinquiore. Ergo Breda, ineunte Decembri, noctis ſilentio, pontem è ratibus contabulatum, in latam arcis foſſam immittit ſub ipſa mœnia, dilatâ in craſtinum impreſſione, ut, ſi obſeſſis videretur, foret mora colloquendi. Id cùm detrectarent, à meridie datur claſſicum incurſuris horrendo tormentorum majorum, minorúmque fragore: cominus deinde agitur. Duas omnino horas tenuit acerrima utrinque dimicatio, cùm tandem Cæſariani, perrupto duplici palorum ſepimento, enituntur in vallum. Dici vix poteſt, quanto tunc ardore Sueci pro ſalute, Cæſariani pro gloriâ, certaverint. Verùm illi numero tandem & animi magnitudine obruti, inter diei noctíſque confinium, IV. Id. Decemb. herbam porrexêre. Venerunt in Cæſareo-Saxonum manus tres Chiliarchæ, quinque protribuni, ſtructores legionum ſex, triginta duo centuriones, octo ſupra quadraginta cohortium vicarij, octodecim alij viri inſignes, centum præfecti minorum gentium, quadringenti octoginta quinque gregarij,
XLII. alij fuêre interempti: capta quadraginta ſeptem vexilla, tormenta octodecim, magna vis bellici inſtrumenti, annonæ, pecuniæ, reíque in arce, ſecuritatis causâ, depoſitæ. Ea clades Suecorum animos non mediocriter afflixit, movítque, ut depulſi ad mare uſque Balticum, ſolito libentiùs pacis mentionem ad aures admitterent.

Denique itum eſt ad hiberna. Galaſſicis, Hatzfeldicis, Bredanis, & Saxonicis ceſſêre Pomeraniæ, Megapolitanæ, & Marchiæ provinciæ: Werthio, Savellio, Sperreutero Suevia, & Wirtenbergia. Piccolominio, Gœtzio, Gleeno, & Granæo ager Juliacenſis, Clivenſis, & Montium. Inde tamen juſſus eſt Gœtzius migrare in Weſtphaliam.

BOICÆ

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS III.

LIBER XXIII.

Bis ad Rhenifeldam confligitur: cruenta pugna ad Witten-vveierum: Maximilianus omni ope laborat pro Briſaco: Dux Lotharingiæ fortiter obſiſtit Weinmario: Briſacum deditur: Carolus Ludovicus Palatinus prælio vincitur. Anno M. DC. XXXVIII.

I. INſignes hic annus produxit caſus fortunæ variantis. Non defuêre maturæ ac ſapientes de rebus agendis conſultationes, tum privatæ in Principum conſilijs, tum publicæ in Regnorum ac Provinciarum Conventibus: Viennæ à Cæſare, Stocholmij à Suecis, Francofurti ad Mœnum, Lipſiæ, Preslaviæ, Norimbergæ, alibi, habita fuêre à varijs Comitia. Spes erat, fore Suecos, tot acceptis cladibus, ad pacem ſolito proniores: ſed hiems dedit illis ſpatium reſpirandi & colligendi non animos duntaxat, ſed arma etiam & capiendi nova cum ſuis fœderatis conſilia.

Vix quicquam profectum Coloniæ, quantumvis curarum atque opis Sum. Pontifex per ſuum Legatum, pro conciliandis partium animis adferret. Præcipuus extitit fructus tractationis Haſſicæ penes Caſſellenſem & Darmſtadienſem Melibocorum familias, ſopitis earum diſcordijs. Juvit Ducem Wirttenbergiæ egiſſe induſtriè, & obtinuiſſe à Cæſare, ut ſuas ipſi ad ditiones poſtliminio redire liceret. Profuit Saxoniæ Septemviri filio impetrâſſe Magdeburgenſis Archiepiſcopatûs poſſeſſionem: præclarè multa à Catholicis agitata, multa deliberata, ac præclarè conſtituta de re communi. Ex magnis Franco-Weinmari-
corum editis ſuperiore anno ad Rhenum conatibus, non difficile erat conijcere, II.
quæ tandem eorum eſſent de invadendâ, ex eâ parte, Germaniâ, cogitationes. Eos urebat accepta nuper à Werthio clades; quam ut reponerent, invitabat Rheni limes malè cuſtoditus, quo fiebat, ut venirent in ſpem Briſaci vel armis, vel fame ſaltem domandi, eóque Imperij præſidio domito, ſua arma latiùs proferendi. Fuerat quidem tempeſtivè atque ſapienter decretum communi conſilio, in quo Maximilianus ſuos conſiliarios habuit, ut nullâ interpoſitâ morâ,

Briſaco tantum importaretur annonæ, quantum foret ſatis ad alendum viginti
Rheni limes male custoditus. millium armatorum exercitum per octo ut minimùm menſes. Sed optimo
conſilio nullus reſpondit effectus, cùm illi, qui eam in ſe curam ſuſceperant, ne
pugillum quidem intulerint ullarum frugum, aut cibariorum. Quare non tan-
tùm exercitui ſuſtentando omnia deerant, ſed ne Briſaco quidem ad alendum
non magnum præſidium ſatis erat proſpectum ad paucos menſes. Bellicum
caſtrenſe inſtrumentum ſic erat uſu longo & tempeſtatis injuriâ ferè luxatum,
vacillans, inops canteriorum, cæteri armamenti, ac jumentorum, ut jam par
III. non eſſet expeditioni. Accipiebantur interim ab ijs, quibus ejuſce curandi par-
tes incumbebant, quot menſibus, ex ſtativis, ad eam procurationem, multa Im-
perialium talerorum (quatuordecim aliqui numerant) millia: ſed ea pecunia
avertebatur in uſus privatos depeculatorum, neglectis belli machinis. Quando
ad hoſtis arcendam irruptionem in campum prodire oportuit, nihil erat in pa-
rato: ab ipsâ uſque Auſtria fuêre boves petendi, qui tormenta protruderent.
Dabatur etiam vitio Briſacenſi Gubernatori, quòd fruges, quas ad arcis uſum po-
tuiſſet ſervare, in pecuniam conflatas abdiderat in ſuos loculos; tantum aberat,
ut de annonâ in arcem convehendâ laboraret. Sed hoc planè miſerum, quòd
in Rheni limitibus, vix tantum fuerit præſidij militaris, quantum ſufficeret ad te-
nues excubias. Conferebant interim immanes ſumptus accolæ, ad alenda plu-
rima armatorum millia, & non alebantur tamen niſi rari, & ficta ad faciendum
numerum, grandium copiarum nomina.

Bavaricus miles, cui potiſſima depulſi à Rheno hoſtis gloria & præmium de-
bebatur, & cui utrumque Rheni confinium ſuam ſalutem referre debebat in ac-
IV. ceptis, mox ubi Franco-Weinmarios amoverat, juſſus eſt à Rheno, ab Alſatiâ, à
Briſgoja, à totâ viciniâ faceſſere, atque alibi hiberna habere. Maximilianus
Elector vigil, ſollicitúſque in omnem partem, veritus, ne, ut anno ſuperiore, ho-
ſtis Rhenum traijceret, rogavit Cæſarem, partem ſaltem aliquam tuendi limitis
Boico militi demandaret: nec fuiſſet Cæſar difficilis: ſed obſtitêre boni rei pri-
vatæ, mali verò rei communis conſultores, veriti, ne quid ſibi de ſtativorum lu-
cro & amplitudine decederet. Hoc ergo non impetrato, Maximilianus oravit
Sac. Cæſ. Majeſtatem, novis quibuſcunque tandem ſubſidijs firmaret Rheni præ-
ſidia: Cæſar, ne quicquam rei neceſſariæ negligeret, juſſit ſibi renuntiari à ſuis,
quàm bene iſtis regionibus eſſet à milite proſpectum: reſponderunt, locis iſtis
militis eſſe abunde & bonæ cuſtodiæ. Ergo Cæſar ſignificat Maximiliano, intel-
ligere ſe, quòd Rhenano limiti probè ſit conſultum, & videri ſupervacaneum,
quicquid prætereа militis eò ſit acceſſurum. Maximilianus, qui jam antè per
certos homines juſſerat diligenter inſpici, & ad ſe referri numerum ac conditio-
nem Rhenenſium ſtativorum, per alios rurſus jubet ſingula explorari, comperit-
que priores exploratores veriſſima retuliſſe, & periculum eſſe, ne ex præſidio-
rum infrequentiâ, res communis aliquid accipiat detrimenti. Credebant Cæ-
V. ſariani, Weinmarium ſuperioris autumni memorem, hoc vere, de Burgundiâ ſubi-
gendâ potiùs, quàm de transmittendo rurſus Rheno, cogitaturum; verùm ille
longè alia volvens conſilia, primùm Rhenenſium ſtativorum, & Cæſarianæ mili-
tiæ ſtatum per exploratores inſpicit; tum comperto, Rheni limitem eſſe ferè in-
Weinmarius Rhenum traiicit. ermem, non expectatâ mitiore veris tempeſtate, V. Cal. Febr. cum mille dun-
taxat equitibus, totidémque legionarijs, per vallem Delſpergenſem profectus,
Steinam oppidum à Baſileâ unius horæ itinere diſſitum appellit. Poſtridie, quàm
advenerat, duabus duntaxat ſcaphis piſcatorijs, quas uno plauſtro advexerat,
octonos viros cum uno centurione trans Rhenum jubet navigare, totiéſque na-
vigationem alios ſuper alios repetere, donec quinquaginta demum in adverſam
ripam delati. Seckingam nullo inſeſſam præſidio, compulit ad deditionem, civi-
bus omni bellico inſtrumento deſtitutis, & tam ſubitâ irruptione adeò territis,
Occupat Seckingam. ut miſericordiam inclamantes, quinquagenis confeſtim portas aperirent. Hic
Weinmarienſes navigiorum, quæ omnia cis Rhenum erant hoſti ſubducta, nacti
ſunt

ſunt copiam. Reſciſſis ergo funibus, quantum ſatis viſum lintrium appellunt in littus Gallicum. His uſus Weinmarius Schœnbeckium tribunum cum copiarum parte transmiſſum jubet Lauffenburgum verſus properare, ſe verò per Helveticos fines eodem feſtinaturum. Lauffenburgum inſigne eſt oppidum, commodúſque Rheni per pontem trajectus. Nec mora, conſpecto hoſte, Cæſariani ſexaginta, qui loco præerant, dedunt oppidum unáque pontem, ultimâ die Januarij. Id fuit memorabilis expeditionis initium. Rheinfelda, toleratâ aliàs obſidione & ponte, quo Rhenum jungit, nobilis; magnopere pertinebat ad rei Weinmarienſis emolumentum; ſed cùm illa milite & oppidanorum virtute longè eſſet Lauffenburgo firmior, non niſi operosè admodum poterat invadi: deerant pulvis ſulphureus in oppido, deerant pilæ miſſiles, cæteráque rei tormentariæ inſtrumenta; tam probè videlicet tanti momenti præſidium, Caſtrenſes curatores rebus neceſſarijs inſtruxerant. Id cùm non lateret Ducem Weinmarium, Non. Febru. obſidionem Rheinfeldæ admovet, eóque ducit vinearum flexus, ut undecimo pòſt die oppidi munimentis jam proximus, incenſis, quas paraverat, ſubterraneis fornaculis, trecentos excubitores, excuſſo in auras propugnaculo, eliderer, ederétque vaſtam valli ruinam. Binis præterea cuniculis duas turres & aggeris magnam partem laceravit ad oppidi portam, quam commodùm muro obſeſſi obſtruxerant. Premebantur magis magiſque indies oppidani, nec deerant ſuis partibus, præſertim Gubernator: ſed cùm res vergeret ad extrema, dimiſſis ad Ducem Savellium Cæſarianorum Archiſtrategum, & ad Werthium Bavaricorum legatum, nuntijs (qui plerique ab hoſte intercepti, in oppidanorum oculis reſte enecati fuêre) non deſinebant, auxilijs imploratis, ſuas monere anguſtias. Cæſariani, qui propiores aberant, ut in rebus imparatis, ſubitaria quidem, ſed lentiora, quàm res poſcebant, ſubſidia properabant: ergo Werthius è longinquo erat expectandus, ut illorum ſublevaret infrequentiam. Convenêre tandem ad Villingam, junctiſque ſtatim viribus, nullâ quietis intercapedine, quatuor ipſos dies, noctéſque per itinerum compendia celeriter progreſſi, poſtremo Februarij, ſub crepuſculum, improviſi pervenerunt ante caſtra Weinmarij. Conflixêre mox catapultarij equites cum Weinmarienſibus per ſemihoræ ſpatium, dum Cæſareo-Bavarici inſtructâ acie, è ſylvâ Carſchavienſi prodirent in apertum. Diſtribuerant gravis armaturæ alarios in octo catervas: Balliſtarij equites coierant in undecim turmas, quinque legiones claudebant agmen. Weinmarius duodecim, quas eduxerat, catervis, addidit è caſtris tranſrhenanis quadringentos catapultarios, unum globum equitum, aciémque à fronte octo minoris modi tormentis munitam explicavit in colle prope Bickenam, medio quaſi inter Rheinfeldam & Cæſarianos ſpatio. Ut claſſicum ſonuit, concurrêre acies. Conflictûs initium Bavaris adverſum fuit, dextro cornu, cui Werthius præerat, converſo in fugam, quam Tribunus Lerchenfeldius inter primos injjt, eóque incurrit in gravem Maximiliani indignationem. Contrà verò dextra Weinmarienſium ala à Savellio Duce, & Sperreutero ad uſque Bickenenſe caſtrum fuit rejecta. Conſtiterant ad Cæſarianas ac Bavaricas legiones turmæ aliquot gravioris armaturæ. At verò Weinmarianas legiones nudaverat equitatus, alterâ alarum in fugam verſâ, alterâ occupatâ in proſequendis Bavaris. Ergo Cæſarianæ juxtà & Bavaricæ legiones, cum reliquo equitatu in Weinmarienſem peditatum invectæ, eundem mox fundunt, ſex tormenta occupant, immittunt in Rheinfeldam quantum lubet ſuppetiarum. Jam habebant certam victoriam in manu, niſi intempeſtiva ſpoliorum aviditas eam feciſſet dubiam. Tubadelius enim, aliquot turmis ab inſectando Werthio retractis, Weinmario fecit copiam aciei reſtituendæ, recuperandi quatuor tormenta, liberandi captivos aliquot, atque in ijs Ducem Rohanium, inflexâ paulùm Cæſarianâ acie, quæ tamen rurſus erecta, perſtitit in arenâ. Nox prælium diremit. Weinmarienſes ſe recepêre Lauffenburgum, Cæſareo-Bavarici Rheinfeldam, ſolutâ, quod in votis fuerat, obſidione. In eo prælio cecidêre è Weinmaricis Philippus Comes Rheni, è Sylveſtrium familiâ, & centum

LAUFFENBURGUM.

VI.

RHEINFELDAM OBSIDET.

VII.

VIII.

PRÆLII AD RHEINFELDAM DUBIA VICTORIA.

IX.

centum circiter tum minores ductores, tum gregarij; capti Tribuni tres, duo Tribunorum legati. E Cæſarianis & Bavaricis occubuit unus Chiliarcha, pauci alij: captus unus Tribunus, gregarij & præfecti exiguo numero.

WEINMARIUS ROTENHUSIUM INVADIT.

Weinmario certum erat, copias, quæ trans Rhenum agebant, ſibi adjungere; ſed obſtabat caſtrum Rotenhuſium, & ſpecula caſtro propinqua. Quapropter Cal. Mart. ducit in utrumque, invadítque primâ ſtatim impreſſione, trecentorum præſidio quà trucidato, quà dato in vincula.

Litt. Werthij Benfeldæ Id. Mart. ad Maxim.

Cæſareo-Bavarici interea repulſo hoſte læti, &, quo nihil in bello periculoſius, ſui tam incurioſi, quàm ſecuri, rati hoſtem mox, nullâ præterea vi expectatâ, rebus deſperatis, Rhenum tranſmiſſurum, de recuperando Offenburgo conſilia agitabant. Huic oſcitantiæ malum acceſſerat, quòd, cùm in caſtris annona defeciſſet, negligentiâ an errore quorundam Comitum, qui contrà ac erant polliciti, cibaria militi non præſtabant. Ita potiſſimus exercitus, volentibus Ducibus, populabundus ſe in agros ſparſim effuderat, paucis ad ſigna relictis: nec verò adhuc Lerchenfeldius cum equitatu ad caſtra rediverat. Horum Weinmarius non ignarus, ſtatuit rurſus tentare fortunam. Ergo Tubadelio juſſo per ſylvam Herciniam cum potiore equitatu movere, ipſe cum peditatu, & aliquot equitum turmis, ſecus Rhenum ad Sickingam delatus, cùm iſthic noctu tereriſſet, die poſtero, qui fuit primus poſt Cal. Mart. ante ſolis ortum, ex condicto, ad Bickenenſem arcem Tubadelio occurrit. Hinc grandis Cæſarianos juxtà ac Bavaricos inceſſit trepidatio. Pugnæ copiam facere, tam raro ſub multis ſignis milite, longè periculoſiſſimum & temeritati affine: expectare reduces prædatores, nimis ambiguum; quis enim palantes in tempore colligat, adducat per medium hoſtem? Rheinfeldâ deſertâ, fugam capere, ignominioſum: claudi obſidione, à ducibus alienum. Famæ igitur ratio præhabita diſcrimini. Ergo ſubitariam aciem inſtruunt raris ordinibus, exiguis viribus, multis ſignis, exiguo milite: frequentibus, qui darent mandata; paucis, qui acciperent; verbo, formâ umbratili juſtæ aciei, in quâ non erant ultra quingentos equites, adverſus quater mille alarios; tres peditum catervas, & tormenta caſtrenſia. Hîc apparuit, quantò in imperatore præſtet ſapientia animi magnitudini. Cùm ex juſto Marte tali re non poſſet ſperari victoria, viſum fuit adhibere in auxilium inſidias.

X.

ALTERO PRÆLIO AD RHEINFELDAM WEINMARIANI VICTORES.

XI. Bonum factum, ſi res fuiſſet cum minùs oculatis. Abduntur tum in Rheinfeldenſibus frutetis, tum in depreſſis agrorum limitibus, aliquot peditum manipuli, qui primorem aciem tueantur, avertántque aut turbent ſaltem incurſantes hoſtium ordines. Legioni Wahlij, cujus in eo certamine potiſſima fuit induſtria atque fortitudo, ſylva ad Nollingum pagum pro ſtatione fuit: quod cæteri militis erat ſuper, ſpeciem fecit aciei. Quare Weinmarius, velut certus victoriæ, Tubadelio dextrum cornu, in quo validiſſimus equitatus, demandat, ſibi verò retinet ſiniſtrum, in quo cum cæteris alarijs geminæ peditum catervæ & machinæ præliares. Hoc ordine ducit rectà Rheinfeldam, donec ventum in Cæſarianorum conſpectum, ubi juſſa acies pedem figere. Primus & exiguus labor fuit in pellendis ex dumeto Cæſarianis ſclopetarijs: mox Weinmariani, ijs depulſis, recuperant machinas, quas nudiustertius amiſerant: tum dato claſſico, ex tergemino tormentorum fragore, non ſine ſtrage ſalutant Cæſarianos, inde eò promovent aciem, ut non longiùs ab hoſte diſtaret, quàm ictu ſclopi manualis: tandem cominus agi cœptum. Catapultarij foſſis agrorum protecti impetum non

XII. diu ſuſtinuerunt, utpote numero nimium quantum impares, ſed ſclopis ſemel exoneratis, arripuére fugam: eâ conſpectâ, equites, ne diſploſis quidem ſclopetis, effuſi præcipitéſque terga verterunt. Werthius, qui in Wahliâ legione, in ſylvâ curabat ad ſiniſtram, ſtetit paulò diutiùs, ſed oppreſſus denique ab hoſte, & velut ſeptus indagine, manus dedit cum universâ legione. Nec Savellij felicior ſors fuit; venit & ipſe, unáque Enkevortus & Sperreuterus ſupremi vigiliatum magiſtri, Tribuni omnes, præter Lambojum & eos, quos ipſa mors exemit, in hoſtis poteſtatem. Venêre in captivitatis ſocietatem legionum legati unà

cum

cum minoris notæ ductoribus. Ex equitatu aliquammultos fuga ſervavit: totus peditatus cæſus vel captus. Palantes populatores poſt ſeſe collegêre. Clades fuit ingens & ignominioſa: tantum obfuit ducum improvida in militem indulgentia, & exitioſa plerumque, ſemper infauſta & inhoneſta militum licentia.

Ab iſto prælio Tubadelius mox invaſit Huningenſe propugnaculum paulò infra Baſileam, præfecto cum gregarijs, navigij beneficio, dilapſis, quæ res, ſuprà quàm dici poſſit, Briſaco malè vertit. Eo enim nudatum præſidio, liberam ex Helvetiâ convehendi commeatûs amiſit facultatem. His gradibus validiſſimo Germaniæ præſidio pedetentim triſtia fata imminebant. Cladem auxit quadringentorum captivitas, qui à prælio abfuerant relicti ad Rheinfeldæ cuſtodiam. Hi enim ductore Lamboio per regionem Helveticam elapſi, incidêre inmanus hoſtium: Lamboius effugit per abrupta viarum. Inter captivos fuit ipſe Comes Fürſtenbergius. Mirum quantũ iſte inconſultus conflictus rem Catholicam afflixerit, hoſtium verò fortunam animóſq; erexerit. Totam Franciam ejuſce fama miris lætitijs implevit, præſertim ex caſu Joannis Werthij, non ſecus atque ſi, eo devicto, jam ſpectarent in vinculis Romanum Imperium. Pariſijs ex manubijs, quas Regi miſit Weinmarius, erexêre, celebri pompâ, loco publico, trophæum cum feſtivâ tormentorum exploſione. Gaudium auxit Werthij conſpectus, quem ſpectavêre avidiùs, quacunque ductus fuit, quàm ſpectari ſolet Leo aliquis Marmaricus, aut Indicus Elephantus: quem demum in ſaltu Vincennenſi clauſum tenuêre per quadriennium.

WEINMARIUS INVADIT HUNINGENSE PROPUGNACULŨ.

XIII.

Horum nihil eveniſſet, ſi Maximiliani conſilijs habita fuiſſet fides. Tantæ calamitati potuiſſet nullo negotio præverti, ſi tempeſtivè fuiſſent adhibita remedia. Quid enim facilius, quàm Weinmarium, cum duorum millium manu venientem, retundere? quid levius, quàm à Rheno prohibere milites quinquaginta? ſtationes, quantum fuiſſet ſatis, munire præſidio? Weinmarius tam non fuit, niſi ex neglectu formidandus, ut poſt Rhenifeldenſem pugnam, quater mille duntaxat equites, ter mille pedites, ſepties mille univerſim haberet ſub ſignis, & tamen, quæ non egit tantillo numero? ſed tribuamus hoc fatorum ordini, cui etiam ſubſunt humani errores, qui tam facilè contingunt in bello, quàm difficilè & tarò, vel nunquam corriguntur. Igitur Weinmarius, partâ illâ victoriâ, adjecit animum ad repetendum Rhenifeldæ obſidium. Quare conceſsâ militi paucorum dierum reſpiratione, per litteras monet Rheinfeldæ Gubernatorem, nî proximum malit exitium, ilicò dedat oppidum: captis enim Cæſarei exercitûs ducibus, & profligato exercitu, nihil eſſe, cur expectet auxilia; ſi de victoriâ dubitet, mittat in caſtra, qui captivos numeret, & oculos acceptæ cladis teſtes domum referat. Miſit Gubernator, juſsítque rem propiùs explorari, de quâ factus certior, cùm dubius hæreret, Dynaſtæ vicini addiderunt animos, factâ ſpe adfuturi propediem auxilij. Petijt itaque à Weinmario tridui duntaxat inducias: ſed Weinmarius moræ impatiens, acceptis à Benfeldâ & Hohenwillâ tormentis muralibus, ductiſque vineis & ſubterraneis foſſionibus, tridui labore, opera eò uſque promovit, ut obſeſſi viribus diffiſi honeſtas pacti conditiones, Weinmario oppidum & vexilla quædam è nupero prælio ſervata, quæ ad militem præſidiarium non ſpectabant, XI. Cal. April. dederent.

XIV.

RHENIFELDAM OCCUPAT.

Colligebantur inter hæc manipulatim cladis acceptæ reliquiæ ad Tubingam in Wirtenbergiâ à Metternichio & Lerchenfeldio Chiliarchis, dum à Cæſare & Maximiliano de novis ducibus mandata adferrentur. Non multi defuerunt ex equitibus, quos pleroſque fuga abſtulerat, aut prædatio ſubduxerat prælio; è peditatu longè plures, & eo quidem numero, ut, ſi aliqua ſupplementa jungerentur, non eſſent hoſti impares futuri. Weinmarius porrò reparatis Rhenifeldæ munimentis, importatâque annonâ, Rœtelenſe caſtrum 5. Cal. April. expugnavit, unde movens in Briſgojam, Friburgum obſedit die quinto Sanctioris hebdomadæ. Primâ nocte cives erupêre nullo alioqui facinore memorabili. Nocte

XV.

FRIBURGUM SUBIGIT.

Nocte pôſt ſecutâ, Weinmarius occupavit ſuburbia à civibus deſerta. Tum factâ pluribus locis in civitatem impreſſione, virtute propugnatorum fuit repulſus. Ergo coronam arctiorem producens ad ipſos foſſæ margines, ex prominentioribus ſuburbiorum tectis, miſſilium pilarum tempeſtate plateas, quæ quaquaverſum patebant, cœpit infeſtare. Wernerus Eſcherus Tribunus, magni vir animi deditionem poſtulatus, militariter reſpondit, ſe priùs ſupremam vim experturum.

XVI. Minutum erat intra mœnia præſidium: litterarum ſtudioſi, civéſque propugnantium munia occupârunt alacres ac perlubentes. Sumpſerunt ſimul arma agreſtes aliquo numero, qui ſecuritatem intra mœnia quæſiverant. Animos fecit primum in hoſte reprimendo felix experimentum & ardor antehac inexpertus. Sed ubi Weinmarius, diſpoſitis per ſuggeſta tormentis, actiſque cuniculis, ſic omnia paraverat ad incurrendum, ut nihil præter impreſſionem deſiderari videretur, & offerret nihilominus obſeſſis leges deditionis tolerabiles, tutiora habuêre in conſilio. Quamobrem impetrato colloquio, pactiſque conventis, Eſcherus 3. Idus April. urbem dedidit eâ lege, ut ſibi universóque militi, cujuſcunque tandem legionis, rebus ſalvis, liber eſſet tutúſque diſceſſus. Cavit quoque civitati & univerſæ Academiæ, Clero item omni, & nominatim Religioſis, ne quid acciperent detrimenti. Sors non fuiſſet multùm iniqua, ſi conventis fides reſpondiſſet. Etenim Eſcherus vix exceſſerat, cùm rebus omnibus fuit exutus: aliqui diſcedentium ex urbe, fuêre trucidati, alij fœdum in modum atrociter habiti, ſpoliati ipſis veſtibus. Religioſi, nullâ prorſus ſuâ culpâ, violati, ſæpius expilati, contuſi, ludibrio habiti, vexati minis ac terroribus, abacti ſeminudis corporibus.

Dux Savellius elabitur.

Dux Savellius Lauffenburgi, ubi attinebatur, per aſtum elapſus è cuſtodiâ, dolore affecit Weinmarium ob amiſſum lytrum triginta millium Ferdinandæûm, quod à captivo expectabat. Hinc ira in eos, quos credidit ejuſce fugæ adjutores aut conſcios.

XVII. Quamobrem ſævijt in duos ſacerdotes, nullâ ordinis reverentiâ, in civem unum, &, ne parceret debiliori ſexui, etiam in fœminas, immo ne Mars ipſe abiret impune, in cohortis vicarium & magiſtrum vigiliarum, juſſo, in iſtos omnes, capitis ſupplicio animadverti; ita, quod arcæ deceſſit æris, ira rependit è miſerorum ſanguine.

Castra Catholica ad Tubingam. Clades ad Brisacum.

Tubadelius interea Stutgardiæ præſidium impoſuit, Aurachium oppidum, intactâ tamen arce, ſubegit. Id temporis Catholicus exercitus caſtra firmis operibus ad Tubingam muniverat, unde aliquæ fiebant nonnunquam excurſiones variâ fortunâ. Infauſta fuit illa, in quâ Friburgum inter & Briſacum à Canofskio Sueco trecenti cæſi, viginti capti fuêre è Cæſarianis.

Weinmarius Brisacum commeatu prohibet.

His adſpirantis fortunæ Favonijs Weinmarius Briſacum orſus eſt propiùs incurſare. Videbat fruſtra fore vim omnem, ſi munitionem propè inſuperabilem cominus oppugnare moliretur; ſed non erat inſcius, quàm tenuiter ab annonâ ipſi foret proſpectum. Ergo menſe Aprili, ne quicquam inferretur, omnes aditus, ſtructis circùm munimentis, occupavit. Obſidionis ſeriem, utpote memorandam, juvabit ex ordine cognoſcere.

XVIII. Reinachium Tribunum Cæſarianum, qui Briſaco cum imperio præerat, ſera licèt, ingens tamen futuri cura noctes diéſque fatigabat, animo reputantem imminentis periculi magnitudinem, & momenta jacturæ incomparabilis, ſi hoſtis eâ munitione potiretur, quod facilè conijciebat futurum, niſi tempeſtiva auxilia impetraret. Quâ de re Cæſarem maturè monuit, obtinuítque, ut Sac. Cæſ. Majeſtas à fœderatis Helvetiorum Ordinibus peteret, ut pacti cum Domo Auſtriacâ fœderis, non immemores, negatâ Weinmario, utpote Domûs Auſtriacæ hoſti, annonæ & commeandi licentiâ, ſuam conferrent opem, ad eùm ex hæreditariarum provinciarum finibus eliminandum.

Maximiliani curæ. Gœtzius copiis præficitur.

Maximilianus quoque Elector, quem magna tuendorum Imperij finium ſollicitudo inceſſerat, novo milite, & legionum ſupplementis, jumentorum item multis millibus, ſuas copias inſtauravit. Evocatum è Weſtphaliâ Comitem Gœtzium

zium cum numeroſis auxilijs ſuo præfecit exercitui, eò propenſiùs, quòd ille rebus nuper præclarè geſtis, ſpecimen inſigne dediſſet præſtantis prudentiæ, felicitatis, & animi magnitudinis. Hunc, ubi primùm venit ad exercitum, juſſit, quantâ poſſet ope & celeritate, Briſaco ſuccurrere. Nec mora; Gœtzius ductis per ſylvam Herciniam ſuppetijs, ſub Majum vertentem, appulit Offenburgum. Non latebat virum cæteroqui ſagacem, per circumjecta Weinmarienſium omnem in partem excubantium propugnacula, per frequentes ſtationes & vigilias, citra vim, Briſacenſibus opem ferri non poſſe: quocirca jubet per exploratores circumſpici, quæ omnium minimè impedita foret ad eos via ratióque penetrandi. Retulêre miſſi ad explorandum equites, Weinmarienſem militem in agro Schoppenſi & Brobacenſi quietum tetendiſſe, neque progreſſum ultrà, eò quòd regio intermedia omnis expers annonæ atque pabuli, adhuc ab arctiore cinctu Weinmarium arcuiſſet. Ergo viſum per laxa adhuc tum obſidionis ſpatia, citra noxam, reperiri poſſe ad obſeſſos aditum. Commodùm evenerat, quòd Gœtziani hoſtium catervam, quæ à Baſileâ boum & pecoris alterius gregem cum non contemnendâ cibariorum penu ad caſtra ducebat, interceptam cecidiſſent, unde annonæ aliquantum. Quocirca 4. Cal. Jun. delectam ſclopetariorum manum ab equitatu protectam, cum quingentis farinæ ſaccis, alijs cibarijs, & nonnullo armento jubet Briſacum proficiſci. Profecti, proſperè in Briſaci mœnia intulêre farinam, cæteráque omnia. Movit ea res Weinmarium, ut navalem pontem ad Novoburgum Rheno inſterneret, atque è propugnaculo, quod excitaverat in Rheni mediâ inſulâ, catenam arcendis navigijs duceret ad littus objectum, ne ſecundo fluvio quicquam Briſacum poſſet invehi. Ex eâ die cœpit frequentioribus operibus magis magíſque ſtringere obſeſſos, ipſe omnem circa luſtrare agrum, deſignare loca coronæ obducendæ, prohibendo omni prorſus in urbem commeatui. Quæ nuper invecta cibaria laxârant paulùm annonæ anguſtias, adſtrinxit exortum in arce Briſacenſi incendium. Cauſam dedêre milites, qui furtim, fame inſtigante, ingreſſi promptuarium, ignari, latere inter ciborum conditoria nitratum pulverem; dum funalibus catapultarijs ad veſtigandos cibos hac illac locum luſtrant, doliolum pulvere tormentario refertum incauti accendunt, ex quo, momento ad octoginta alia doliola propagatus ignis, horrendo impetu, totum à fundamentis ædificium disjecit, & quadringentos frumenti modios corrupit, homines totidem quà læſit, quà omnino eliſit, duodenos furunculos projecit in auras, binos ſervavit ad ſuſpendium, ædes circùm circà laceravit. Ita nihil, niſi Deo protegente, tutum, nihil, niſi ejus beneficio, firmum vel auſpicatum.

XIX.

ANNONAM INFERT BRISACO.

XX.

INCENDIUM BRISACENSE.

Weinmarius lætus eo caſu, quaſi pro ipſius fortunâ conſpirarent elementa, tantò alacriùs cinctum promovit aggerum obſidionalium. Inſultavêre quidem Croatæ operis & excubijs, ſed nullo operæ pretio, niſi quòd è ſuo manipulo quoſdam amiſerint.

XXI.

Nihilo ſeciùs Gœtzius putavit eſſe tentandam aleam, an obſeſſis rurſus annonâ recenti poſſet ſuccurri. Ergo cum univerſo exercitu, & quantâ licuit cibariorum penu, movet Kenzingam. Vix eò venerat, cùm Weinmarius Tubadelium mittit cum viginti duntaxat equitum manipulo, jubétque Gœtzij motum ordinémque explorare. Incidit ille de viâ in turmam Croatarum, qui eum, cæſis comitibus, trepidum anhelúmque rejecêre in caſtra. Ea res ſimúlque fama hoſtis jamjam imminentis tantum terrorem Weinmarienſibus injecit, ut intempeſtâ nocte Weinmarius fugienti ſimilis Novoburgum ſe cum univerſis copijs reciperet. Sic conceſſum Gœtzio annonam lembis impoſitam, quanta ſatis foret ad trimeſtre alimentum, Briſaco immittere. Obſeſſis adhuc ſuppetebat vini carniúmque penus quatrimeſtris, & magno erant adjumento horti in Rheni inſulis holerum feraces & bene culti è regione civitatis.

ITERUM INFERTUR ANNONA.

Paucis antè diebus, quàm Briſacum annonam acciperet, Weinmarius geminas naves incendiarias Novoburgi fabricatas ad Briſacenſis pontis exitium pu-

NAVES INCENDIARIÆ ADVERSUS BRISACUM. XXII. *Strad. l. 6. part. 2. an. 1585.*

nicâ materiâ, omníque, quam ingenioſa diritas excogitavit, peſte igniariâ, miſſilibúſque telis, magnis, minoribus, cujusvis generis, infarſerat, ad eum propè modum, quem Federicus Jambellus Italus, mirus bellicorum operum faber, Antuerpiæ adverſus Ducem Parmenſem olim uſurpavit. Eas demiſit ſecundo Rheni alveo ſeorſim ſingulas, non uno eodémque tempore, ut, ſi ſublicio Briſaci ponti adhærerent, illum certò diruptum diſcerptúmque convellerent. Illarum alterâ, nullâ prorſus noxâ, infra pontem dilapsâ; altera velut divinâ manu in arenam projecta ſic impegit, ut quaſi hæreret in anchoris, arderétque ſpectantibus cum admiratione Briſacenſibus per ſeſquihoram. Ubi jam propè deflagraverat, incenſis exilientibúſque cuniculis, globos puniceos everberavit in urbem, tantâ vi, ut non modò hominum aliquot, ſed etiam ædium ſtragem, viſu, ipſóque auditu terribilem ediderit, longè terribiliorem editura, ſi ſe ponti applicuiſſet, non illum modò, ſed etiam Rhenenſem turrim certò diſcerptura.

Secundum hæc, aliquoties velitari pugnâ concurrerunt vario eventu Gœtziani & Weinmarienſes. Tentavit denuo Gœtzius egentibus obſeſſis opitulari, ſed conatu irrito. Tandem deſcendit ad cruentum prælium, quod ipſi fuit inauſpicatum. In ipſius caſtris numerabantur quingenti ſupra octodecim millia: in quibus è Bavaricis erant millia quatuordecim, cæteri è Saxonicâ, Gallaſſicâ, & Herbipolenſi legionibus. Excreverant Weinmarij copiæ ad duodecies mille quadringentos, quibus ſi adnumeres Francicos Guebriani auxiliares, reperies omnino quindecies mille ſexcentos. Confligendi ad pagum Wittenweierum 5. Id. Aug. hæ ſe occaſiones dederunt. Briſacum, abſumptâ omni propè annonâ, jam propinquum erat ultimæ lineæ: exercitus uterque tam vicinus, ut, cùm pabulatio rerúmque neceſſariarum convectio utrinque indies evaderet difficilior, neuter ſine noxâ in iſtis caſtris diutiùs hærere, neuter citra famæ rerúmque damnum poſſet diſcedere. Jubebat interim Cæſar Briſaco ferri opem, urgebat hoc ipſum Maximilianus quàm maximè. Viſum igitur ducibus, ultima denuo experiri. Savellius ad caſtra rediverat, & tametſi paucos haberet Cæſarianos, trahebat tamen ad ſe exercitûs imperium nomine Cæſareæ legationis: Gœtzius ejus fortunæ, quam ex nuperâ captivitate metiebatur, non ſatis fidebat. Collegêre tamen uno conſenſu magnam annonæ vim, quam Briſacenſibus, ſi quâ poſſent, importarent. Motis igitur VII. Id. Augu. caſtris, iter Briſacum verſus arripiunt. Pervenerant ad pagum Friſenheimium, cùm exploratores, paucis amiſſis, in caſtra reverſi renuntiant, hoſtem eſſe in procinctu, & mox adfuturum. Adfuit, & per auxiliares Gallos duas ſtationes loco movit, ſexaginta Cæſarianis interfectis. Reliquus exercitus, accenſo pago, in collem vicinum enixus, cœpit in Weinmarios continua tormentorum fulmina evibrare, & ipſe viciſſim à Weinmarianis fulminari. Caſtra Cæſariana loco erant hoſti iniquiore, quàm ut conſultò viderentur poſſe oppugnari. Quare Weinmarius digreſſus in ſubjectam planitiem, inſtructâ acie facit juſtæ pugnæ copiam. Savellio viſum nondum adeſſe locum tempúſque confligendi. Ergo Weinmarius circa meridiem flectit verſus Molbergam, ratus, Savellium, relicto colle, latus ad prælium eſſe nudaturum. Cæſariani reliquêre quidem collem, ſed prælium declinantes, cum univerſis impedimentis, adverſo Rheno, Briſacum verſus contenderunt. Weinmarius veritus, ne hoſtes, ſi ipſe cunctaretur, perruptis, qui intererant, munimentorum obicibus, invectâque ad obſeſſos annonâ, Briſaci obſidionem fruſtrarentur, quàm ocyſſimè licuit, progreſſus obviam, eos demum ad pagum Wittenweierum, nautico anni ſuperioris ponte & Gallorum clade famoſum, jam in acie ſtantes eſt aſſecutus. Potuiſſet nullo propè negotio, à paucis ſi non obrui, at ſaltem reprimi in eâ feſtinatione, & itinere perquam difficili, per anguſtum ponticulum, per vias confragoſas, denſíſque obſeptas vepribus, cùm in longum directas & divulſas aliquando traheret ordinum lineas; ſed obſiſtente nemine, ducum negligentiâ, an potiùs unius incogitantiâ, alterius æmulatione, ut fit, cùm diviſa ſunt & parùm conſona imperia; ſuperatis incommodiſſimi itineris anguſtijs,

PUGNA AD WITIENWEIERUM BAVARICIS ADVERSA. XXIII.

XXIV.

XXV.

ſtijs, ad ſylvæ marginem denſis ordinibus aciem inſtruxit. Poſt machinarum fragores, ventum eſt ad rem cominus. Læva Cæſarianorum ala, quæ ex Bavaricis ferè conſtabat, primo ſtatim impetu, dextrum Weinmarianorum cornu, quod regebatur à Tubadelio, diſpulit ad uſq; ſubſidia, quæ ipſa nonnihil ſimul retroacta. Prenſabatur jam victoria, cùm ala dextra, in quâ Savellius, poſt breve certamen preſſa à Weinmario, confuſis ordinibus cæderetur & cederet. Hinc fugæ initium. Tametſi enim Tubadelius, ope ſubſidiariorum, Bavaricos aliquantulo ſpatio repreſſerat, nihil tamen turbaverat aciem, in quam, fugatis Savellicis, tota moles denique incubuit. Suſtinuêre nihilominus Bavarici, ad quos pauci è fugâ redierant, hoſtem, animis ad miraculum ingentibus. Nam primùm legiones cum legionibus contulêre pedem, mixtus deinde pedes equiti, alarius alario; demum eò ventum pertinacis generoſitatis, ut legionarij non jam ignitis glandibus, ſed inverſis ſcloporum ſcapis, tandémque mucronibus ſe mutuò conficerent. Ancipiti Marte dimicatum diu, inclinante modò in hos, modò in illos victoriâ. Jam Bavarici Weinmarienſibus ſeptena, è diverſo hi illis omnia tormenta eripuerant. Weinmarienſia vix fuêre uſui abſumptis pilis, vel ad machinarum modum incompoſitis: Cæſariana contrà hoſti contulêre plurimùm: cùm enim occupâſſent ſimul omne tormentorum inſtrumentum, edebant in acie Bavaricâ luculentas ſtrages. Tenuit conflictus tres omnino horas, aciebus ſe mutuò, ad inſtar undarum reciprocante fluctu, pellentibus. Et tandem eò ventum pertinaciæ, ut, cùm neutra cederet, legiones ſingulæ ſingulis committerentur tantâ ferociâ, ut, cùm eſſent ex veterano milite, nec ulla alteri de fortitudine aut gloriâ concederet, neutra partium vinci poſſe videretur. Quos ferrum vincere non potuit, vicit denique prædæ cupiditas: Bavarici enim ſolutis ordinibus, ſpretis ductorum imperijs, verſi in ſua impedimenta, commilitonum ſarcinas mutuâ direptione invadentes, ad extremum ſe fugandos hoſti præbuerunt. Weinmarius cum perexiguo equitatu, & legionum fragmentis perſtitit in acie, cæteris ad prædam & inſectandos fugaces dilapſis. Tubadelius, dum ipſis inſtat avidiùs, captus ipſe venit in unius turmæ, quæ ſe collegerat, poteſtatem. Cæſarianam aciem reparârunt quaterni alariorum, quini legionariorum globi, qui ad uſque noctis adultas tenebras aliquam pugnæ reſtitutæ ſpeciem expreſſêre. Eos Gœtzius cum cæteris, qui fugâ evaſerant, duxit in Wirtenbergiam. Pari ferè utrinque numero occubuerunt. Commeatus Briſaco deſtinatus, multa impedimenta, tormenta, aliquis vexillorum numerus venerunt in manus Weinmarij. Amiſit ipſe viciſſim vexilla viginti duo pedeſtria: duos ſupremos ordinum ſtructores, novem equitum peditúmque magiſtros: captivum reliquit Tubadelium, alióſque non paucos, quà legionum vicarios, quà centuriones.

XXVI.

XXVII.

Hæc fortuna, tametſi improſpera, non fregit tamen Maximiliani Electoris conſtantiam. Mox enim, ut ejus accepit nuntium, copias auxit, ídque ære ſuo, ter mille auxiliarijs, equitatum ingenti equitum & equorum numero inſtruxit. Lambojus juſſus à Cæſare auxilium feſtinare, moras nectendo, occaſioni, tempori, & Briſaco dictus fuit defuiſſe. Quicquid in re fuerit, Briſacum magnis paſſibus tendebat ad exitium. Juſſit quidem Maximilianus, ut, ſi totis copijs inſtructâque acie illi non poſſet ſubveniri, ſubveniretur aliâ ratione. Fuit igitur Horſtio ſupremo ordinum ſtructori id datum negotij, ut novem ſtipatus legionibus denuo faceret inferendæ annonæ experimentum. Fecit; ſed improſpero eventu. Eum enim advenientem Roſa Tribunus, interceptis viarum faucibus, non ex inſidijs modò, ſed à fronte etiam ſic excepit, ut excuſſâ, quam vehebat, annonâ, ducentis cæſis, captis ſexaginta, in fugam verterit, quod Maximiliano tantò fuit moleſtius, quantò avidius Briſacum cupiebat adjutum. Iſthic cum cibariorum inopiâ creſcebat fames. Reinachius, ut turbâ imbelli, quæ annonam conſumebat, munitionem ſublevaret, aliquot ejuſmodi hominum centurias, è ſexu præſertim & ætate debiliore, juſſit excedere, ſed egreſſos hoſtis per vim rejecit, minatus, ſi rurſus prodirent, ſe omnes in fruſta conciſurum. Duo agricolæ, qui ſalem importabant, ſub mœnibus acti in furcam. Evasêre è præſidiarijs

Horstius frustra tentat iuvare Briſacenses.

XXIIX.

Croatæ aliquid farinæ important.

ſidiarijs ſexaginta, vel ſolo ſqualore vultûs luculenti teſtes longæ inediæ. Aliquantulo ſolatio fuit farina, à ducentis Croatis, qui per medios hoſtes perruperunt, ad obſeſſos delata: invexêre ſinguli ſemimodium, eóque depoſito celerrimè per pontem ſeſe proripuêre, viâ factâ per protritos aliquot excubitores Weinmarianos.

Suppetiæ e Bavaria et a Lamboio. Weinmarius agens Colmariæ, cognito auxiliariorum è Bavariâ & Lamboij è Belgio adventu, ſuas copias firmavit accitis, quotquot potuit, è præſidijs; qui univerſim novem millia confecêre. E Baſileâ ſecundo Rheno convexit magnam annonam. Ejus curas auxit ſuſcepta à Duce Lotharingiæ pro Briſaco expeditio.

Expeditio Lotharingica pro Briſaco. Is cùm primis caſtris ſolum habuiſſet Longavillæum adverſantem, ratus, ſe in hoſtico bellum utiliùs geſturum, Franciam ingreſſus, Cœffium aliáque oppida redegit in ſuam poteſtatem. Jam parabat ſigna inferre longiùs, quando Longavillæus cum ſelectiſſimo exercitu irrumpens in Burgundiam, Lotharingos

XXIX. ad ejuſce Provinciæ defenſionem è Franciâ revocavit. Pugnâ ad Polignium commiſsâ, Francis ſuperatis, & Burgundionibus tantiſper reſpirantibus, Dux Lotharingiæ Briſaco ſuppetias ire conſtituit, cum expeditiore, quàm numeroſiore exercitu, nihil dubitans cum Weinmario rurſus experiri, quem paucis antè annis ad Nordlingam deviciſſet. Ergo comparato frumenti & rerum ad victum neceſſariarum commeatu, motis caſtris, menſe Octobri per Tannas profectus, Weinmarium in campo, *quem indigenæ à bobus nuncupant, obvium habuit machinis caſtrenſibus, & copiarũ numero longè ſuperiorem.

* *Ochſenfeld.*

Pugna Ducis Lotharingiæ cum Weinmario. Qui pugnam in Weinmarij gratiam deſcripſêre, ſeu affectu privato, ſive vanis decepti relationibus, paginas & legentium oculos implevêre erroribus, eâ fidentiâ & rerum ignoratione, ut quendam è primis ductoribus (quem honoris causâ non nomino) Weinmarianorum conſpectum vix auſum ſuſtinere, & præcipiti fugâ ad primum ſtatim inſultum Tannas cum equitatu dilapſum, pòſt deſertæ aciei accerſitum, habitúmque in cuſtodiâ, auſi ſint in captivorum numerum referre: item accuſare defectionis aliquot centurias; Baſſompetrium pro Ducis Lotharingiæ conſobrino habere, aliáque ejuſmodi, quæ palàm faciunt, quàm perperam de re ipsâ fuerint edocti. Eam referam illorum verbis, qui prælio interfuêre.

XXX. Agebatur IV. Idus Octobris: Weinmarius ad ſylvam campo, quem dixi, contiguam, inſtructâ acie loco peropportuno, Ducem Lotharingiæ opperiebatur. Mox, ut in conſpectum venêre Lotharingi, Weinmarij equitatus invehitur in illorum alas tantâ vi, ut ilico verterentur in effuſam fugam, ne hipparcho quidem excepto. Ergo paucæ legiones omni prorſus nudatæ equitatu, hærentes in veſtigio, videbantur momento poſſe everti, & res ipſa ſuadebat, ut honeſto ſaltem receptu, ſi non ſuæ, at ſaltem Ducis ſui ſaluti conſulerent: ſed aliud perſuaſit invicta Ducis animi magnitudo, qui nihil motus adverſâ tormentorum & ſcloporum procellâ, quæ longas aliquando lineas editâ ſtrage ſternebat, nihil territus hoſtilis equitatûs validiſſimis incurſionibus, totam prælij molem incredibili fortitudine ſuſtinuit, ipſéque Imperatoris ſimul ac militis partes occupans, in hoſtem ſæpius cum tantâ alacritate incurrit, ut eum retro ageret, proſterneret non paucos, atque in ijs quidem Tribunum Wittersheimium, captivos multos abdu-

XXXI. ceret. Tanti erat, exiguæ aciei corpus maximo fortiſſimi Principis animo vivere, moveri ac gubernari. Conflictus eò uſque pertinaciter duravit, donec Weinmarius ſatis habuit eminus ſpectare hoſtes invictos, nec priùs diſceſſuros ex arena, quàm ipſe diſceſſiſſet. Et diſceſſit prior noctis intempeſtæ beneficio, cum non levi ſuorum clade; cecidêre enim permulti, ſauciati Naſſovius Comes, Witgenſteinius item Comes, gregarij plurimi, quibus Colmaria fuit opportuno receptui. Noctem ſub dio egit Lotharingus, & die poſtero ovans ſe Tannas recepit. Quòd ſi Gœtzius eo die, abſente Weinmario, hoſtis caſtra fuiſſet aggreſſus, creditum fuit, potuiſſe Briſacum obſidione liberari. Quâ de re Maximiliani juſſu ſeveræ fuerunt adverſus Gœtzium habitæ quæſtiones, de quibus ſuo loco.

Ipſe

Ipſe ſecundum hæc unà cum Lamboio inter Hohenvillam & Waldshutam caſtra habuit, unde nata hoſti ſuſpicio, eum de Lauffenburgo invadendo cogitare. Weinmarius itaque ſic Briſacenſibus caſtris proſpexit, ut occupatis, quacunque via eſſe poterat ad Briſacenſes, locorum anguſtijs, ſimul haberet in promptu, quo hoſtis conſilia diſturbaret. Imminebat jam tum bruma, cujus incommoda ut aliquantũ arceret à caſtris, Kintzingam æquavit ſolo, ut tectorum tignis ad extruendas in caſtris caſas uteretur. Sub hæc partem Briſacenſium propugnaculorum expugnavit, tormentorum vi pontis juga aliquot decuſſit.

Juſſus erat à Maximiliano Gœtzius rurſus experiri ſortem ultimam. Ergo diſtributo in tergeminum agmen exercitu, IX. Cal. Octobr. delatus in agrum Briſacenſem, caſtra Weinmarij æneis machinis, poſt noctis medium, cæpit verberare, quæ tempeſtas tenuit ultra diei poſteræ meridiem. Hoſtis inter hæc potiſſimo Briſacenſium propugnaculo, quod Rheni mediam arenariam occupabat, eſt potitus: Gœtzius verò munitionem tetragonam ſepimento egregiè firmatam, profligatâ Scoticâ legione, expugnavit: occupavit unum è Weinmarij pontibus navalibus, & eò jam proceſſerat, ut via ad inferendam obſeſſis annonam non magnopere difficilis de cætero fore videretur: ſed conversâ momento aleâ, Franci non pontem modò, ſed etiam tetragonum propugnaculum recuperârunt, Bavaricis quadringentis quà demerſis, quà conciſis, non ſine tamen mutuâ ſuorum clade. XXXII. Gœtzius castra Weinmarii verberat. Propugnaculum invadit, et pontem unum.

Sub Novembrem ineuntem, Briſacenſes hoſtium propinquis operibus preſſi, molетrinâ incensâ, munitiunculam vicinam deſeruêre. Pergebat ſolito atrociùs graſſari in civitate immanis eſuries, quæ cibos, aliàs abominatos, venales obtrudebat. Jam feles & canes erant in delicijs: equorum, aliorúmque animalium putentia cadavera erant in pretio: fuit, qui corpus humanum biduo jam ſepultum, ex tumulo in ſuis viſceribus tumularet. Ovum unicum, libra panis, Imperiali talero, majuſculus cucumis duplo, modius tritici quadraginta aureis, avena novenis, pomum unicum quinis, veniebant. Calamitatem incredibilem indicavêre Cæſari Gubernatoris litteræ, quibus ſignificabat, rem veniſſe ad ſupremam neceſſitatem: famem Briſaci ſævè dominari: pleroſque ordinum ductores jacere morbis afflictos, alios vix hærere oſſibus, milites quàm multos laborum, inediæ, periculíque pertæſos, transfugiſſe ad hoſtem, multos fame eſſe extinctos. Accepiſſe ſe quidem mandatum VII. Cal. Septemb. quo juſſus ſit per ſex adhuc hebdomadas durare: novem jam propè eſſe elapſas: ſibi fraudi nón debere eſſe, ſi quid deinceps in tantis malis ſequius eveniat: multa eſſe, quæ chartæ credere non ſit conſultum, ne veniant in hoſtium manus, diſſimulari tamen non poſſe omnia. Tametſi Briſacum propè abſit ab ultimo fato, ſe tamen daturum operam, ut nihil Erenbretſteinianæ Gallorum conſtantiæ concedat. In caſtris Weinmarij affluebat pleno copia cornu: è Franciæ ærario pecunia: ex Helvetiâ annona; undique miles. Ad ipſum propè foſſæ Briſacenſis labrum pertingebant vinearum ductus: obſtabant nihilominus obſeſſi exangues, atque in ipſo conatu nonnunquam aliqui fatiſcentes prolabebantur extra loricam, ex ipſis urbis aggeribus. Venerunt per id tempus à Ferdinando Imperatore per Comitem Fürſtenbergium mandata ad Gœtzium, quibus jubebatur rurſus properare in hoſtem, nec caſtra mutare, niſi Briſaco liberato. Eam ad rem Comes octo recentes legiones adduxerat, juſtum quidem, ſed juſtò tardius, auxilium: ſic querebatur Gœtzius & coràm & per litteras, quæ malùm venêre in hoſtium manus. Cauſabatur militi in caſtris deficere panem, deeſſe pecuniam: rogabat proinde Franciſcum Mercium, à Duce Lotharingiæ, vel Sarmiento Regis Catholici legato impetraret quinquaginta florenorum millia præſentanea, vel in collybo mercatorum Baſileenſium. Interea ne nihil prorſus ageret Gœtzius, eſurientem licèt exercitum duxit in Lauffenburgum, ſed caſſo labore. Tametſi enim ſuburbia momento occupavit, ponte tamen à Gubernatore reſciſſo, ab ipſo oppido, quod trans Rhenum eſt, fuit excluſus. Tandem, quod natura in extremis ſolet moliri,

Fames Briſacensis. XXXIII

Novæ Cæsareæ suppetiæ. XXXIV.

Novum tentatur auxilium. liri, quando ſupremos edit conatus, moliti quoque ſunt Bavarici. Horſtius ſupremus Ordinum Magiſter, & Chiliarcha Wolffius tergeminâ contentione Briſaco paulò poſt expiraturo ferre opem ultimo niſu rurſus conati ſunt; ſed toties repulſi ab hoſte, fuêre fruſtra. Verbo, nihil intermiſſum, quod humanitus præ-

XXXV. Briſaci deditio. ſtari poſſet ad Briſaci ſalutem. Erat in fatis, perire Imperio Briſacum. Ergo Gubernator foris ab hoſte graviter vexatus, intus à fame longè graviùs, deſperato auxilio, ſupremæ neceſſitati coactus dare manus, ſolito leniùs cum Weinmario agere, verba molliora reddere, ſpem vel ipſo agendi modo facere tractationis, tandem datis utrinque obſidibus, tractare de honeſtæ deditionis legibus, quas ad extremum tulit Weinmarius: videlicet præſidium univerſum, quod ſupererat, quadringentorum quinquaginta capitum, in quibus quinquaginta morbo languidi, ad tympani ſonitum, vexillis explicatis, armati diſcederent. Diſceſsêre XIV. Cal. Januar. ingemiſcentibus Cæſaris amicis, plaudentibus rei Catholicæ & Auſtriacæ hoſtibus.

Certè magno ſtetit Maximiliano, voluiſſe ſervare Briſacum; etenim, ut ſervaret, anno M. DC. XXXIII. ſuum exercitum junxit Feriano: ſolvit tum obſidionem, ſed ingenti damno Bavariæ, quam nudatam vaſtavit Weinmarius, ſubactâ Ratiſbonâ: quam rem, ne ſomniare quidem fuiſſet auſus, ſi retento in Bavariâ exercitu, Maximilianus deſtituiſſet Briſacum. Certamina hoc anno pro Briſaci ſalute à Maximiliano ſuſcepta, clades acceptæ, facti ingentes ſumptus, cura

XXXVI. proſpiciendi, conſilia de muniendo Rheni limite ſatis demonſtrant, quantâ fide, ſollicitudine, & induſtriâ egerit, ne periret. Atqui accuſatur Gœtzius rem ſecus egiſſe, quàm cum Duce Lotharingiæ convenerat: ſed ejuſce rei rationem Gœtzius Cæſari reddidit, poſtquam de eâ fuerat à Maximiliano graviſſimo judicio poſtulatus, datúſque in longam cuſtodiam. Quòd ſi quid præterea vel Gœtzius, vel alius, vel ipſa fortuna deliquit, hoc ſuo authori tribuendum. Hæc adjeci adverſus maledicorum calumnias. Venio ad res geſtas in Weſtphaliâ.

Hassi infestant Westphaliam. Videbantur diſſidia utcunque cum Haſſicis Principibus eſſe compoſita: ſed Caſſellenſis vidua non contenta pactis, cœpit Calviniani exercitij reſtitutionem pro locis omnibus, in quibus antè fuiſſet, urgere. Placuit nihilominus Cæſari, ut eâ de re ab Electore Moguntino cum Viduæ legatis tractatio ſuſciperetur, quæ nihilo ſeciùs legiones habebat ſub ſignis, nec deſinebat hoſtilia, tametſi crederentur Haſſi belli cogitationes poſuiſſe. Ergo illi ex improviſo Geiſeccam oppidum in Weſtphalia per vim occupant, portâ ſclopo inductili effractâ, occupatum diripiunt, Primoréſque captivos abducunt Lipſtadium. Inde pergunt ad

XXXVII. Suſatum, quo potiti ſunt hoc ſtrategemate. Intercepêre litteras, quibus jubebantur Suſato avehi machinæ murales, additis defenſoribus, qui Suſatum mittendi tutum iter præſtarent, & venientes amicè reciperentur à Suſatenſibus intra mœnia. Haſce litteras Haſſi per expeditum hominem Lipſtadium miſêre Suſatenſibus, atque unà quadringentos equites, qui, cùm ijdem iſti promiſſi defenſores eſſe crederentur, Suſati benignè fuerunt accepti. Verùm vix pedem intulerant, cùm cæſis excubitoribus, portam occupant, obtruncant cæteros præſidiarios, ferro ſæviunt in oppidanos, donec armis poſitis, vitæ pacti incolumitatem ſe fortunáſque ſuas Haſſorum arbitrio permiſerunt. Civitas ceſſit direptioni, quâ victores ditati, cum equis ſexcentis, & quaternis tormentis (reliqua enim, quia avehi non poterant, oſcillârunt) redivêre Lipſtadium. Pari fortunâ invaſerunt Padebornenſes, qui cùm ſe initarum cum Haſſis induciarum præſidio tutos arbitrarentur, decepti remiſêre vigilias: cùm ecce tibi, ipſis Maij Calendis Haſſi ſexcenti pedites, & quatuor turmæ equitum, Padebornæ mœnia ſub ſolis ortum inobſervati ſubeunt, & ſcalis admotis evadentes in urbem, præſidium ferè omne trucidant, ſeptuaginta viros è Canonicis, Jeſuitis, & civibus conijciunt in vincula, & præſidio urbi impoſito, prædâ opimâ onuſti revertuntur ad ſuos.

Bello in iſtâ Provinciâ reparando materiam præbuit Rex magnæ Britanniæ. Is Caroli Ludovici Palatini Comitis ex ſorore Nepotis ſortem miſeratus, magnam pecuniæ

pecuniæ vim in Angliâ collegerat, & quidam Angliæ primores inſuper magna ſubſidia pollicebantur. Legatus à Rege miſſus ſub vertentem Aprilem, Palatinum Comitem Hagæ Comitis conveniens retulit, Regi omnino videri è re Caroli futurum, ſi ad vindicandas ditiones legat validum exercitum: ad eam rem, propediem miſſurum Regem præſentaneum ſexcentorum florenorum millium, & bellicarum machinarum, cum neceſſario inſtrumento, ſubſidium. Inſtigabat etiam generoſum Principis animum Greius inter Dynaſtas Britannicos genere & opibus nominatiſſimus, qui præter quadringenta florenorum jam repræſentatorum millia, ter mille viros ſuo ære conductos addicebat. His auctus pecunijs Comes Palatinus legit militem: fit ad ejus ſigna magnus concurſus. Rerum ignaris iſtorum delectuum fama è longinquo, ſomnio quàm vero videbatur ſimilior, donec reſcitum eſt, Carolum Ludovicum Meppenam oppidum, inter Embſam & Haſam amnes, naturâ & operibus bene munitum, ſexcentis Ferdinandicorum millibus à Suecis venditum reipsâ in ſuâ poteſtate habere, ut inde Weſtphaliæ Monaſterium, freno velut injecto, compelleret ad pendendi tributi neceſſitatem. Animos addebat, quòd ex vicinâ orientali Friſiâ à Batavis auxilia per Meppenam poſſet ducere in Weſtphaliam. Ergo omnem belli apparatum Meppenæ condit, vocat in ejuſce expeditionis conſortium Robertum ſuum germanum, principem ingentis animi & multarum poſtea palmarum.

XXXVIII. Comes Palatinus ære Anglicano bellum parat.

Meppenam emit.

Curas non modicas movit iſtius belli fama paſſim didita, ſecum reputantibus, quanta laborum ſeges ex iſtâ ſemente poſſet provenire. Quamobrem Comes Hatzfeldius, & Baro Vehlenus, vir domi militiæque in paucis clarus, vigilum ſupremus Magiſter, Baroni Ketlero Tribuno Rhenæ præfecto negotium dant, Meppenæ accuratè explorandæ. Hagendornus hipparchus, qui antehac Meppenæ ſtativa habuerat, viſus præ cæteris idoneus, qui ejuſce loci ſpeciem, ſitum, munimenta non referret modò, ſed etiam in partem expeditionis ſumeretur. Ex eo ubi reſcitum, quâ regione civitatis, quóve itinere ſtratagema poſſet expediri, Vehlenus ſcalas cæterúmque invadendæ Meppenæ inſtrumentum, clàm Warendorpo Rhenam mittit, eodémque manipulatim, ſpecie deducendæ annonæ, ex Monaſterienſibus ſtativis ducentos viros deſtinat: tum Ketlero mandat cum univerſo Rhenæ præſidio, & ducentis ex Furſtenaviâ peditibus, ſe ad iſtud Meppenæ tentamen accingat, Monaſterienſi milite ad Rhenæ defenſionem relicto. Igitur V. Id. Maij, Monaſterio movet per Rhenam & Furſtenaviam. Tum noctis ſilentio Haſâ tranſmiſſo, haud longè ab Annebergico propugnaculo, tantiſper feſſo militi quieſcendi ſpatium indulgens, ſtipatus aliquot ductoribus, ipſe locum & vigilias ex circitorum lucernis explorat. Reverſus ad ſuos, jubet ſingulos nitratos funiculos, ne à vento, qui validus ſpirabat, proderentur, tectos geſtare, trajectóque rurſus per vadum Haſâ, ad Embſæ & Haſæ confluentes, vallum palorum ſepto munitum adgredi, dato ad teſſeram auguſtiſſimis Jesu & Mariæ nominibus. Cum dicto palis eluxatis, vallóque ſuperato, proximos excubitores pleroſque obtruncant, mox Haſenſem portam ſecuribus effractam aperiunt: demum quaternæ equitum, geminæ peditum catervæ, forum, aggeres, vicos præcipuos invadunt. Acriter in foro reſtitêre Palatiniani, acriùs in vallis. Diſpoſuerat Ketlerus paucos ſclopetarios cum tympanotribâ, qui ex eâ parte, quâ mœnia ad Auſtrum ſpectant, ad Eleonoræ propugnaculum fictæ incurſionis claſſicum ederent, eóque edito confeſtim ad Embſæ regionẽ convolantes, tranſcenſo ad turrim, quæ Haſæ & Embſæ confluxum excipit, aggere, irrumperent in urbem. Pugnabant magnis animis Palatini, præſertim in Eleonoræ & Guſtavi propugnaculis, tecti muralibus corbitis; ſed feſſi tandem & multitudine obruti manus dedêre, quod ipſum fecêre in foro, ijs exceptis, qui in ſepulchrale ſeptum confugerant. Hìc atrox fuit dimicatio, donec tandem è Palatinianis vitæ acceptâ veniâ, quadringenti gregarij cum multis ductoribus ſe capiendos victoribus dediderunt. Gubernator jam captus, cùm uni Cæſariano, qui cum altero de illius captivitate contendebat, impegiſſet colaphum, in loco confoſſus occu-

XXXIX.

Meppena expugnata.

XL.

XLI.

occubuit. Ejuſce victoriæ acceſſio fuerunt machinæ æneæ viginti quatuor, copioſus omnis generis commeatus, ſigna militaria quatuor, pecuniæ magna vis. Eodem propè tempore Haſſi Camenam exiguum oppidum in agro Monaſterienſi captum diripuêre.

Camena ab Haſſis direpta.

Amiſſam Meppenam aliæ clades exceperunt. Degebant Carolus Ludovicus & Robertus Comites Palatini Arnhemij, ſuóſq; delectus properabant. Conſcriptæ jam erant aliquæ centuriæ ad Reſam, cùm Joannes Reeginus equitum magiſter, vir manu promptus & induſtrius, Monaſterio cum ſexaginta duntaxat equitibus, VI. Id. Aug. tirones iſtos ſecuros incogitantéſque prorſus profligavit. Victori equi inſignes quadraginta prædæ fuerunt. Vexillifer unus, unus hoſpitiorum metator cum omnibus gregarijs capti, magno ære libertatem redemerunt. Id fuit ad plura audenda incitamentum.

Diſſipantur Palatiniani aliqui tirones.

XLII. Palatinis acceſſerant auxilia à Suecis, duce Kingio ſupremo ordinum ſtructore. Pòſt, ubi in agro Emslandico dies aliquot egerant, XVIII. Cal. Oct. iter proſecuti, habuêre Reeginum ex inſidijs poſteriori agmini incumbentem. Fecit ea res, ut Sueci aciem inſtruerent adverſus unicam turmam. Reeginus impar tantæ multitudini, Rhenam convolans à Comite Hatzfeldio duarum turmarum ſuppetias impetrat, hoſtem inſequitur ad collem, quem Tigebergum dicunt, velitationibus primùm, deinde totâ vi laceſſens, paulatimque cedens, totam denique hoſtium molem, ipſos adeò Comites Palatinos & Kingium Rhenam trahit tam propè, ut tormentorum ictibus paterent, tandémque etiam ſcloporum ictibus expoſiti, pilarum grandine peterentur. Multi occubuêre, ipſéque Comes Robertus Palatinus, proſtrato equo, præſens vitæ periculum adijt. Fuerunt iſtæ juſtioris pugnæ cladiſque proluſiones.

Clades ad Rhenam.

Nam Palatini, poſteaquam agrum Monaſterienſem igne, ferro atrociter vexaverant, delati in Lippienſem Comitatum, Lembgoviam, acceptis è Mindâ muralibus machinis, coronâ cinxerunt. Jam alteram hebdomadem peracri oppugnatione conſumpſerant, quando Comes Hatzfeldius, contracto ex vicinis

XLIII. præſidijs milite, obſeſſis graviter jam tum laborantibus duxit ſuppetias. Hoſti inobſervatus, primum ſtatim equitatûs agmen movit in Palatinos, qui fortiter ſuſtinuêre impetum, & eò repreſsêre, ut videretur nutare victoria. Verùm Palatini cognito Hatzfeldium cum valido ſubſidio imminere, collectis ſubitò vaſis, tormentiſque avectis, Vlotham contenderunt. Quâ re ex captivis cognitâ, Hatzfeldius ratus ſemivictos eſſe, qui ſtationem deſeruiſſent, ſtatuit inſtare abeuntibus. Dejectus pons Gofeldenſis, qui alioqui Mindam tendentibus magno fuiſſet emolumento, receptum ſtitit, injecitque pugnandi neceſſitatem *16.* Cal. Octob. Prælio cruento datum initium horâ poſt meridiem alterâ. Palatini primo congreſſu fortiter excepêre Hatzfeldium, multis cæſis, ſauciatis pluribus. Per ſemihoram tantis viribus & vincendi cupiditate concurrerunt acies; ut neutram in partem victoria inclinaret. Dextrum Cæſarianorum cornu ducebant Baro Weſterholtius, & Leuterſemius; lævum Hatzfeldius, & Petrus Comes Gœtzius. Hic in primâ acie majoris tormenti pilâ fuit inter primos diſcerptus. Nutavit aliquantum ala Hatzfeldij: ſed ubi ipſe cum forti alariorum globo hoſtium ordines perrupit, Cæſariani erecti, ſtimulante irâ ob cædem Gœtzij, & Tirelli tribuni Hiberni, viri in primis bellicoſi, Hatzfeldium ſecuti disjecêre hoſtilem

Clades Comitum Palatinorum.

XLIV. aciem. Tum coorta non pugna, ſed ſtrages ordinum turbatorum, qui inter duos amnes velut inter clauſtra compacti, ne fugiendi quidem (quod in re deſperatâ miſertimum) habebant facultatem. Qui nando tentaverunt evadere, plerique Viſurgis hauſti fuêre gurgitibus, alij permagno numero obtriti, cæteri armis abjectis, manibus in cælum elatis, mortem deprecati, fuêre recepti in captivorum ſortem. Machinæ omnes, impedimenta omnia, ſigna militaria unum ſupra quadraginta, præda opima, ceſſerunt victoribus. Inter ſpolia repertum Ordinis Anglici inſigne, periſcelis exquiſitis diſtincta gemmis, quam non multò antè à Rege Britanniæ Comes Palatinus acceperat: quæ res renovavit paternæ ad Pragam fortunæ memoriam. Fuit quoque interceptum Palatinum tabula

rium-

rium, cum triginta Ferdinandæûm nummûm millibus. Victoriam captivi nobilitârunt Robertus Comes Palatinus, ejúſque Vicarius Generalis Ferentius, duo Anglicani Primores, quorum alter binas legiones ſuo lectas ære Carolo Ludovico adduxerat; ſex Chiliarchæ, quinque vicarij, decem vigiliarum magiſtri, duodecim turmarum hipparchi, cohortium centuriones viginti quatuor, ſubcenturiones ſex, ſigniferi quadraginta, Decuriones ſexaginta, præfecti manipulares tredecim, gregariorum ingens multitudo. Carolus Ludovicus Comes Palatinus rhedâ ſejugi trajecit Viſurgim, cúmq; ripæ crepidine prohibitus cum rhedâ eniti nequiret, fruticum beneficio evaſit in marginem, & itinere pedeſtri Mindam ſe recipiens, Kingium ex gravi ſecundùm humerum vulnere inter chirurgorum curas decumbentem reperit. In loco certaminis jacuêre mille ducenta cæſorum corpora. Complures inter dumeta ſaltúſque vitam projecêre: verbo, ad internecionem deletus fuit formidandus Comitis Palatini exercitus, rerum magnarum ſpes interceptæ, multorum animis erepta non mediocris futuri belli ſolicitudo. Robertus Comes Palatinus aliquantiſper Warendorpij pro dignitate honorificè & comiter habitus, Cæſare poſcente, cum honeſtiſſimo comitatu Viennam fuit deductus.

Robertus Com. Palatin. capitur.

Carolus Ludovicus Com. Palat. evadit.

XLV.

Antequam ad reliquas Cæſarianorum expeditiones faciamus gradum, ordo poſtulat, ut præmittamus Hanoviæ recuperationem. Eſt Hanovia ad Mœnum ſupra Francofurtum ſita loco peramœno: alluitur Kintzigo fluviolo: ſedes eſt præcipua Comitum Hanovienſium, diſtincta in civitates geminas, quarum minor origine antiquior, & arce operibúſque firmior, major non ita pridem convenarum, maximè verò Belgicorum mercatorum frequentiæ & ædificijs, non obſcuram munitionis formam amplitudinémque refert in acceptis. Ipſa Hubaldi ſtratagemate An. M.DC. XXXI. venit in Suecorum poteſtatem: ex eo tempore à Cæſarianis diu obſeſſa, ſæpe tentata, nullâ vi aut pactione potuit à Ramſæo Scoto Gubernatore avelli. In eâ obſidendâ Lamboius multùm operæ & caſſi laboris poſuit. Ex eâ Ramſæus vexabat regionem vicinam cædibus, prædis, quas occupato Seligenſtâdio, direpto Aſchaffenburgo, circumtulit. Graſſatus quoque fuit in civium fortunas, qui tandem inſolentem exoſi dominatum, multũ contulerunt ad dominantis exitium. Archiepiſcopus Elector Moguntinus, Georgius Landgravius Haſſiæ Darmſtadianus, Francofurtenſis Senatus multùm in eo fuerunt, ut Ramſæus hoſtilia deſineret in vicinos, néve commercium & Mœni navigationem haberet infeſtam: ſed quicquid paciſcendo tentabatur, hoc ipſum mox diſturbabat hominis avaritia. Nec verò obſcurè præ ſe tulit animum vel ſibi uſurpandi, vel ad alienas manus avertendi iſtius civitatis dominium, auſus Senatui Hanovienſi palàm edicere, eum Comitem, qui id temporis civitate potiebatur, fore inter Hanoviæ Comites poſtremum, ſe verò dominum meliorem urbi proſpecturum. Jam antè Comitem Philippum Mauritium in ſuam arcem clam ipſo ingreſſum, ægro licèt corpore, per decem omnino hebdomadas habuerat in cuſtodiâ. Tyrannis hæc viſa eſt Comiti Ludovico Henrico Naſſovienſi Dilenburgico, inter Cæſarianos ſummo vigiliarum præfecto. Is conſobrini ſortem miſeratus, conſilio cum Mœckeno Moguntinenſis Electoris conſiliario, qui id temporis agebat Francofurti, communicato, cum delectâ manu ſexcentorum militum, rem ſic eſt aggreſſus. Francofurto movens IX. Cal. Mart. nocte concubiâ fœdâque continuis imbribus, per tenebras & lutoſa viarum, itinere perquàm impedito, non antè pervenit ad ſylvam Kinzigo vicinam, quàm ſol jam ortus diem reddidiſſet. Ducentos tantùm habebat ad manum, cùm reliqui nondum adveniſſent. Periculoſum prorſus luce palàm prodire cũ tantillo numero, ſed nec integrum erat differre expeditionem, quæ vel hoc erat difficilior, quòd Kintzigus amnis pluvijs tumidus, ob temporis anguſtias, ponte ſterni non poterat. Juſſit nihilominus Winterum vigiliarum magiſtrum cum ſexaginta catapultarijs, Kintzigo tranſvadato, primum facere impetum: mox Comes ipſe unáque Metternichius tribunus ac Bettendorffius legionis le-

Hanovia recuperatur.

XLVI.

XLVII.

gatus ſecuti, propugnaculo, quod molettrinam civitatis tegebat, ſuperato, per veteris civitatis portam, ex condicto, à præſidio Ramſæano patefactam, arcem invadunt. Reſtitit aliquantum Ramſæus, ſed accepto vulnere coactus eſt ſe in novam civitatem recipere. Dubitatum fuit, eſſétne è veſtigio è veteri civitate

XLVIII in novam movendum: ſed cùm ducenti milites, tantæ rei pares non viderentur, viſum eſt, poſterum diem expectare, donec quadringenti, quos viæ incommoda & laſſitudo morata fuerat, adeſſent. Adfuêre illi, & jam in eo erat, ut fieret irruptio in novam civitatem, cùm Ramſæus per æneatorem renuntiat, ſe gravi acceptâ plagâ, ſibi & trecentis præſidiarijs vitæ incolumitatem orare, quâ obtentâ, nullam fore moram deditioni. Id libenter datum oranti, qui civitate deditâ ilicò captus, poſt curatum vulnus tractus in Dillenbergenſem cuſtodiam, deſperatâ demum libertate, mortem ſibi ipſe aliquot dierum inediâ infelix conſcivit.

Ramsæus captivus se ipse fame enecat.

In Pomeraniâ, Saxoniæ & Brandeburgiæ Septemviri ſuas copias Cæſarianis junxerant. Hatzfeldius, impetratâ à Cæſare miſſione, ad copias Weſtphalicas ſe receperat, Galaſſo, qui in Pomeraniâ curaret, relicto. Hic annum iſtum improſperè fuit auſpicatus à Rugienſi expeditione cui præfecerat Comitem Ritbergium. Secundiora videbatur promittere rigor hiemis, qui Rugiæ Inſulæ aditus conglaciaverat: ſed cùm Suecorũ vigilantia, quâ parte tranſitum moliri oportebat glaciẽ ſolviſſet, jámq; Vrangelius, accepto à Stralſundanis quingentorum ſclopetariorum majoribus balliſtis eſſet in procinctu, Cæſariani petitum bis mille catafractorum, & mille balliſtariorum ſubſidium opperientes, in Bartenſi & Grimmenſi agro tantiſper caſtra habuêre. Hinc Vrangelius nactus eſt, ſub vertentem Januarium opprimendæ Bencwiſij, medio à Barto milliari, Remboldicæ legionis, per quingentos equites, qui ſummo manè Cæſarianos adhuc ſomno graves, centum quinquaginta trucidatis, captis octoginta, ex improviſo profligaverunt. Per id tempus Magni Hetruriæ Ducis germanus à Suecis, qui hibernabant Wiſmariæ, locatis ad Gribſmolã inſidijs, quadringentis equis & impedimentis fuit exutus. Bannerus Wolgaſtum tentavit conatu irrito. Cæſariani nullo operæ pretio ad uſque Stettini mœnia excurrêre. Comes Barchemius miſſus à Galaſſo ad duas Suecorum legiones, quæ in Stralſundæ finibus hibernabant, opprimendas, fruſtra fuit, cùm Sueci paulò ante ipſius adventum in Rugiam eſſent dilapſi.

Clades Cæsarianorum.

XLIX.

Baroni Bredano res fuit paulò ſecundior adverſus Wiſmariæ pabulatores; defenſorum aliquot occiſis, aliquot datis in vincula, cæteris ad Wiſmariæ mœnia rejectis. Klizingo Mars fuit longè faventior, quando Garzium, ob pontem Viadro inſtratum valde opportunum, Suecis in caſſum obnitentibus, eripuit, ducentis cæſis, cæteris cum Dortmundo, qui obſeſſis auxilio venerat, cum ſignis duodecim, cum armis & navibus in ſuam ditionem redactis. Variante ad eum modum aleâ, ver naſcens majora tentandi tempus aperuit. Sueci altero à Roſtochio milliari extruxerant Waremundenſe propugnaculum, idoneam videlicet ad exſcenſum ſtationem. Ex eo propugnaculo Sueci erant toti Provinciæ pergraves, præſertim Roſtochio (quod id tempus Cæſaris partes ſequebatur) cùm navigationem redderent infeſtam, vexaréntque negotiatores novis tributorum exactionibus. Quamobrem Galaſſus rem Cæſari pergratam, Pomeranis verò & Megapolitanis perutilem facturus, re cum Vicethumio Saxoniæ Electoris ſtratego probè expenſâ, conſtituit id propugnaculum Suecis eripere. Quare collecto tum ex Cæſarianis, tum è Saxonicis juſto exercitu, menſe Martio Vicethumius, aſſentiente Galaſſo, obſidionem aggreſſus, tormentis circùm locatis, & punicorum ignium jaculationibus munitionem cœpit infeſtare. Gubernator è contra tormentorum fulmina reciprocare, foſſorum molitiones crebris jaculationibus turbare, ipſúmque Vicethumium loricas & opera luſtrantem, prope hoſtile vallum, glande lethali ſauciare, quo vulnere vir fortis & Germanici pectoris poſtridie fuit extinctus. Joachimus Dœlavus rei tormentariæ magiſter, ad vallum pugnans fortiter, ſauciatus fuit ſecundùm tibiam, citra tamen vitæ diſcrimen. Magnis auſibus certatum utrinque, donec ſpes

Suecorum clades.

L.

Waremundense propugnaculum Suecis eripitur.

ſpes fuit obſeſſis venturi auxilij: verùm ubi claſſi Suecicæ, quæ ex portu Stralſundano & Wiſmarienſi ſolverat, conſtitit, vallum balliſtarum ictibus ad proximam irruptionem eſſe apertum, converſis in altum proris, claſſiarij curſum, unde venerant, intenderunt. Quæ res obſeſſos movit, ut impetrato colloquio, pactis honeſtis facerent deditionem. Exceſsêre è munitione ducenti præſidiarij, tormentis novendecim cum inſtrumento relictis. Vicem repoſuit Kingius ordinum ſtructor Generalis in exercitu Suecico, quadringentis Galaſſianis hippotoxotis in Comitatu Schamburgico, ubi ſe aggere in hoſtem adventantẽ munierant, coactis ad deditionem, menſe Majo. Idem Kingius, Junio ineunte, ope quadringentorum agreſtium, viáque per occultos calles monſtratâ, Lamboij & Braij veteranas equitum legiones ad Viadrum in Verdenſi agro profligavit. Inter has variæ ſortis vices, Bannero ex Sueciâ quatuordecim armatorum millia cum re frumentariâ, alióque bellico apparatu, advenêre adulto Junio. Quibus ille auctus copijs, Erfurtenſes, quos metus obſidionis & rerum inopia, quæ Turingiam cæteroqui apprimè frugiferam ob inſuetam anni ſterilitatem propè exanimabat, magnam in ſpem per litteras erexit. Garizium nuper à Cæſarianis occupatum recepit, & ſolo æquavit, dimiſſis aliò civibus, qui urbis excidio fuêre ſuperſtites: cepit præterea quingentos Brandeburgicos unà cum ductoribus. LI. Clades Gallassianorum. Bannerus Garizium occupat.

Galaſſus, comperto novi hoſtis è Sueciâ adventu, caſtra ad Grabaviam munivit, duabus legionibus ad claudendos Wiſmariæ aditus Græfmilæ & Sternbergæ relictis. Prior IV. Cal. Sextil. à Greffeno legionis legato devicta, omnium ſarcinarum fecit jacturam: altera, prioris clade territa, ne viſo quidem hoſte, ſuam ſtationem deſeruit. Gravior longè ad Malchinum fortuna Cæſarianos perculit menſe Auguſto, illata à Torſtenſonio & Stalhanſio. Quatuor Cæſarianæ, ſex Polonorum legiones, unáque quingenti gravioris armaturæ alarij tetenderant plus æquo incurioſi. Hos omnes Sueci, homine ruſticano viam inſuetam per paludem præeunte, nocte intempeſtâ ſubitò oppreſſos (paucis exceptis, qui vicini pagi incendio fuêre abſumpti) ferro delevêre, vel fecêre captivos, ademptis vexillis decem & opimâ prædâ: Malchinum deinde expugnavêre, cæſo ad internecionem præſidio, direptis civium fortunis. LII. Galassiani clades accipiunt.

Menſis September Bernaviæ (oppidum eſt Brandeburgici imperij) infortunatus fuit. Magnam præſidiorum partem peſtilitas aliò expulerat, eóque fiebat, ut pauci languidas vigilias agerent. Id cùm Suecos advertiſſet, quadringenti equites inobſervati tertiâ noctis vigiliâ, ſcalis è vicino acceptis in mœnia enixi, fractis portæ repagulis, commilitones recepêre in oppidum. Sævierunt truculentum in modum adverſus præſidium & cives, quos varijs cruciatibus, aquâ præſertim per vim ingurgitatâ, ad prodendum, ſi quid rei eſſet reconditum, adigebant. Multi in eâ tormentorum diritate fuerunt extincti. Tenuit ea crudelitas octo duntaxat horas. Poſtquam deformandis domibus ſibi ſatis indulſerant, abegêre omne armentum, evexêre rem meliorem, corrupêre annonam, quæ avehi non poterat, raptavêre per plateas fuſtibus bene delumbatos novi verbi præcones. Quod è plebe ſuperfuit, Berlinum dilapſum oculos miſerabili ſpectaculo, vicos ſtratis ſeminecibus languidorum corporibus implevit. Wolgaſtum à Suecis obſeſſum fames, non ferrum expugnavit, eodem iſto menſe. Brandeburgici viciſſim, Novobergam, pulſis in propugnaculum, quod erat in adverſâ fluminis ripâ, Suecis, depopulati, copioſâ annonâ potiti ſunt. Bernaviæ calamitas. LIII. Wolgastum a Suecis occupatum.

Sed nihilo ſeciùs rebus conſilijſque valde mutatis ex magnâ virium ad Suecorum potentiam factâ acceſſione, qui anno ſuperiore videbantur deinceps fore bello impares, jam evaſerant Galaſſo formidandi. Quamobrem ille ratus inconſultum, rei ſummam unius certaminis aleæ committere, quam Sueci (utpote qui, cùm in Germaniâ rebus alienis tantùm incubarent, eò minùs habebant, cur ullam jacturam pertimeſcerent) non detrectabant, exercitum Cæſarianum putavit eſſe iratæ fortunæ ſubducendum. Iter illi Havelam verſus perincommodum, tum quòd proficiſceretur per regionem rebus omnibus exhauſtam: unde, defi- LIV.

 ciente

ciente pabulatione, in jumentis mortalitas, in milite ex inediâ virium defectio, ex quâ in viâ plurimi jacentes periêre: tum quòd hoſtis diſcedentium tergis inhærens non paucos opprimeret, & à fronte atque lateribus ſic vaſtaret agros, ut nihil exercitui ſupereſſet. Inter hæc Bannerus Havelburgum, Schlungius Leuzium diripuêre.

Hatzfeldius Cloppenburgum subigit. Sparrius captus. Clades Marazini.

In Weſtphaliâ Hatzfeldius, Cloppenburgo ſubacto, actóque in furcam Gubernatore, eò quòd ad hoſtem transfugiſſet, Vechtam poſt quatuor hebdomadum difficilem obſidionem Suecis eripuit 8. Cal. Decemb. Sparrius è diverſo in Hatzfeldico exercitu poſt Petri Gœtzij deceſſum ſupremus rei tormentariæ magiſter, venit in Cratzenſteinij manus, cum opimâ prædâ & ſignis militaribus, quæ in Garzij expugnatione Suecis fuerant erepta. Marazinus Saxoniæ Septemviri in exercitu legatus, malè quoque fuit acceptus à Suecis inter Leuzium & Domizium haud procul à Galaſſi caſtris, ubi ex eo milite, quem Galaſſo erat ſociaturus, ad bis mille, & quod excurrit, amiſit. Eam cladem conatus eſt ulciſci Galaſſicus equitatus, ſed eam auxit, rejectus à Stalhanſio in caſtra, centum in conflictu deſideratis. Trecenti item Galaſſiani pedites Perlebergam miſſi, qui annonæ convehendæ forent præſidio, in ipſo oppido, à Suecis, per muri hiatum inopinatò irrumpentibus, cæſi captique fuêre.

Alia Cæsarianorum clades.

Per id tempus Arnhemius è Stockholmenſi cuſtodiâ per aſtum elapſus, revertit in Saxoniam.

LV.

Hoc anno Maximilianus Elector pro ſingulari ſuo in Deiparæ honorem ſtudio, ab Epiſcopis impetravit, ut deinceps Viſitantis & Præſentatæ Virginis dies à populo feſti haberentur. Salisburgenſis Archiepiſcopus ſuos putavit non eſſe ad eam celebritatem præcepto obligandos. Iſtam optimi Principis pietatem remuneravit Deus felici ortu Ducis Maximiliani Philippi Hieronymi, trigeſimâ die Septembris, ſub horam ſeſquinonam ante meridiem. Bonis item auſpicijs Franciſco Baroni Mercio demandavit ſupremam rei tormentariæ Præfecturam in Bavarico exercitu, quem hic annus gravi equorum peſtilitate afflixit, nihilo clementior in cæteros exercitus.

Nascitur Dux Maximilianus Philippus.

BOICÆ

BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS III.
LIBER XXIV.

Mors Ducis Bernardi Weinmarij: Ejus exercitus tranſit ad Francos: Cæſariani ad Chemnitium cæſi: Bannerus fruſtra Pragam obſidet. AN. M. DC. XXXIX.

NAtum hoc anno in Galliâ ſcribunt monſtrum corpore gemino, cuidam molitori, ex ſuâ conjuge: & fuiſſe quidem utrumque ſexu maſculum, formâ venuſtâ, quæ nihil à cæteris partubus diſcreparet; niſi quòd à pectore ad uſque umbilicum corpuſcula adnexa ſibi mutuò cohærerent. Amare ſe invicem videbantur, unde creberrima oſcula. In ſomno capiendo vices mutabant: vigilabat alter, altero dormiente. Quoties hilaritatem unus prodebat riſu, triſtitiam alter præ ſe ferebat ejulatu. Qui de ſacro fonte ſuſcepêre, caſu an meditatè, Lodovici nomen uni, alteri Philippi dedêre. Hinc varia conjectorum vaticinia, de naſciturâ iſto anno inter duos Reges ipſis puſionibus cognomines concordiâ. Augurium faciebat proxima ſanguinis agnatio: enimvero Reges non certare odijs, ſed benevolentiâ, quâ ſe proſequantur mutuò. Inimicitias ali à conſultoribus: illos mox ruituros in pacis oſcula, ſi ceſsârint inimicæ ſuaſiones. Fortunam ſequi Regum ſomnolentiam aut vigilias, & impertiri ſecunda vigilanti, adverſa dormienti: proſperos alterius ſucceſſus alteri ciêre lachrymas, improſperos riſum, ut fit in bellorum eventis. Hæc excipiebantur eò majore plauſu & lubentiâ, quò facilior rerum optatarum fides, & boni deſiderati gratior fiducia. I.

Si quid iſtiuſmodi portentis credendum, non abludebant vates à re (ſi Deus dederit) futurâ aliquando, ſed aberrabant à lineâ temporis. Quando tandem futura ſit pax inter duos iſtos potentiſſimos Reges, dum hæc ſcribo, hominibus incertum, certum Deo. In Germaniâ pax erat quidem oritura, nondum tamen hoc anno. Geſtanda erat utero variorum conceptuum, & votorum orbis calamitoſi, ad modum Elephanti, quem ajunt non niſi anno demum decimo parturiri. Pacem ſuſpirabant populi, non perinde illi, quorum res ſpéſque alebantur ex turbido. Oſtentabant quidem verbis pacis amorem, diſſuaviabantur populorum quietem & ſalutem, ſed ad ſpeciem & ſine animo quieſ- II.

quieſcendi. Alij, quorum ſtudia commune bonum ſpectabant, votis & conſilijs ipſisque rebus aſpirabant ad pacem: ſed nemini licet eſſe quieto, niſi volente vicino; unâ partium refragante, altera nihil poteſt paciſci. Coloniæ hærebatur adhuc extra templi pacis limina, tantum aberat, ut progreſſus fieret ad ipſa pacis adyta, & tollendas cauſas contentionum. Actum quidem de Septemvirûm conventu Norimbergæ habendo, ſed is dilatus fuit in ſequentem annum. Credebatur Caſſellenſis Haſſia Cæſari poſſe reconciliari, ſed vidua Princeps animabatur ad bellum promiſſis à Francico ærario ducentis in ſingulos annos Ferdinandæûm millibus, quorum ſolutio inchoata fuit hoc ipſo anno vigeſimâ die Septembris, repræſentatis quadraginta millibus, & quintodecimo pòſt die, additis ſexaginta millibus, demum ultimo Decembris centum millibus debebat abſolvi.

Fœdus initum Dorſtenæ 22. Auguſt. 1639. art. 8.

III. Bernardus Dux Weinmarius, qui propè à vitæ fine aberat, primus bellicum cecinit. Ipſe rebus Briſaci compoſitis, jam ſecurus Rhenenſis limitis, primis anni incunabulis revertit in Burgundiam, ultimam ſcenam per funeſtas iſtius Provinciæ calamitates ſuo fato præluſurus. Ad alta adſpirabat generoſa indoles, nihil deinceps credens ſibi fore impervium, poſtquam expugnato Imperij propugnaculo, tot onuſtus laureis, ad ſumma quæque viam ſuæ fortunæ videbatur aperuiſſe. Spirabat enimvero priſtinam ſuæ domûs Majeſtatem ipſi connatam ſanguini: ſed cùm non reſponderet fortunarum tenuitas, non deſperabat ſe per priſca Heroum exempla, quibus arma dederunt, quæ non dedit ſors domeſtica, tandem ad faſtigium aliquod graſſaturum. Non obſcurè denique oſtendit, ſe non tam Francis aut Suecis, quàm ſuæ fortunæ militare. Non abhorrebat à demerendâ Cæſaris & Catholicorum Imperij Principum gratiâ, & libens fuiſſet ſua trophæa Aquilæ ſubjecturus, ſi ſuis meritis dignum haberet locum, in quo certò ſuas ſpes defigeret. Quam ad rem magno videbatur emolumento futurum Briſacum, ſi quem præterea ex Burgundico Comitatu, & Alſatiâ adnecteret dominatum.

WEINMARIUS IN BURGUNDIA.

IV. Ergo primas curas vertit in Burgundiam, eáſque tum minùs operoſas, quòd Burgundiones hiemis confidentiâ, more priſco, qui bello per brumam abſtinebat, ſuos fines oſcitantiùs tuebantur, nondum ſatis docti horno Rhenenſium errore. Illi, cognito Weinmarij motu, tumultuarium agreſtium agmen coëgerunt ad flumen Mortaviam, ferox quidem pro gentis genio præſidium; ſed debile atque imperitum adverſus veteranos tot locorum & præliorum victores. Illis primo ſtatim impetu cum nonnullorum cæde disjectis, Weinmarius Mortaviæ trajectu potitus, Joignoviam munitam arcem invadit, quam perdidit Præfecti imprudens incogitantia. Is enim tempore tam alieno, velut eſſet omni prorſus periculo metúque ſolutus, in agro arci ſubjecto oberrans, à Weinmarianis deprehenſus, locum deſtitutum capite, præſidiarijs eo caſu conſternatis, nullo ferè negotio capiendum hoſti præbuit, cum grandi annonâ, quæ bello alendo Weinmarianis fuit opportuna. Itum poſt hæc Pontarlinum oppidum non ignobile, nec immunitum. In eo curabant quinæ tyronum Lotharingicorum centuriæ, & cives ſui defendendi perquam avidi. Suburbani

V. refugêre in civitatem, ſedibus hoſti relictis. Quare Weinmarius parietibus protectus, poſcit deditionem: negant obſeſſi. Tum ille vim portis mœnibúſque cœpit intentare, dum ſuggeſta tormentis aptarentur: oppidani verò tridui impreſſiones cum Weinmarianorum cæde reprimere, rem gnaviter agere ferro, ſclopis, ſaxis, malleolis, picatis coronis, aliiſq; telis ignium miſſilium, unde flammâ in ſuburbanas domos propagatâ, Weinmariani de ſuis ſarcinis & ſervandâ annonâ ſolliciti, intermiſſâ oppugnatione, poſt cladem ſuorum luculentam, convolaverunt ad reſtinguendum incendium. Experti igitur ſe cominus plus accipere damni, quàm inferre; rem eminus aggrediuntur libratis in mœnia machinis, ductiſque ſub terram cuniculis. Conati quidem ſunt obſeſſi hoſtilem foſſionem adverſis fovearum ductibus difflare, ſed in caſſum. Creſcebat in momenta diſcrimen, præſertim ex tormentorum arietatione, vel ſi fornaculæ ſubterra-

PONTARLINUM SUBIGIT.

terraneæ igne erumpente murum aliquâ parte ſternerent. Ergo pugnaci animi vigore deferveſcente, cives ſe circumſpectare, & malle fortunas direptioni, vitam militis irati lanienæ ſubducere, quàm longiore pertinaciâ vinci, & ſimul omnia peſſundare. Impetrato colloquio, honeſtis conditionibus cum Weinmario paciſcuntur præſidij honeſtam cum ſarcinis dimiſſionem, & ſuam tectorum rerúmque ſuarum incolumitatem, redemptione ſexaginta aureorum millium, quibus acceſsêre mille ducenti frumenti modij, ſalis ingens copia, quæ ad Dolanos & Græenſes pertinebat.

VI. Exinde Weinmarius, hibernorum ſpatia laxaturus, arma vertit in montana Burgundiæ, Noiſereto, Ormano, Monſterio, locíſque alijs, quæ prorſus erant indefenſa, ſubactis. Jouxum arcem prætorianæ ſtationi delegit, unde facilè legionibus per diverſa locatis mandata impertiret. In iſtius arcis expugnatione potuiſſet non perfunctoriè diſtineri, ſi Præfecto tantillum fuiſſet animi, quo vim aliquam opponeret: ſed maluit ſervare caput, quo deinde Dolæ pœnas ignaviæ erat daturus.

Coloni arma capiunt. Rusticana plebs iræ propera & pugnax, magno numero, nec minore ferociâ in montibus collecta, ad arma confluxerat, ſed, quæ glebæ potiùs quàm globis catapultarijs aſſueta, remittente, ut ſolet, tumultuario impetu, varijs edocta cladibus, ad aratrũ brevi erat reditura. Cætera defendendo bello in Burgundiâ ne mediocriter quidem adhuc erant comparata. Nemini venerat in mentem, Weinmarium, hieme aſperâ, exercitum Briſaci obſidione feſſum, tam citò ductum in hoſticum: & quod erat perincommodum, Dux Lotharingiæ id temporis gravi morbo conflictatus rebus adeſſe nequibat, & quæ æger imperabat, ægrè & lentè parabantur. Augebatur interim quotidianâ novi militis acceſſione Weinmarij exercitus illectus prædis, ſecundâ fortunâ & copiâ affluentis commeatûs. Peſſimum erat, quòd Burgundionum conſilia (ut in turbatis rebus) abibant in diverſa. Veſuntini medij inter partes ſedere, neutríſque manus commodare, atque eâ de re cum Duce Bernardo paciſci velle videbantur, quicquid tandem Lotharingiæ Dux reclamaret. Dux Savellius aliíque periculo exciti, dabant operam legionum ſupplementis & novis delectibus. Dicebantur adfore Mediolano auxilia, ſed neque certa, neque adhuc ſatis expedita, & fors poſt rem ventura: ad Veſuntionem ſtativa habebant mille ſexcenti circiter Lotharingi, quantilla adverſus tantum hoſtem manus! Salinenſes rebus ſuis metuentes, poſtulatæ per Weinmarium deditionis octiduanas duntaxat inducias impetraverunt. Fanum S. Claudij, Bernatium precibus obtinuerat trium hebdomadum ſpatium, quo Cardinalis Infantis mentem exploraret, atque interea imbelli mulierum, ſenum, puerorum turbâ aliò amandatâ, mille armatorum præſidium, ad vim repellendam acceperat: verbo, turbæ paſſim, ubique terror & trepidatio.

VII.

Diſſentiunt Burgundi.

Weinmarienses affecti clade. Cœpit tamen rei melioris aliqua fax interlucere, cùm Lotharingi, oppreſſis Roſanæ & Mullerinæ legionum ſtativis, utramque ſarcinis exuerant, Weinmario nequicquam ad uſque Romarici montem prædam victoréſque inſectante. His rebus hiems traducta Weinmario: qui, quâ erat providentiâ, non contentus immenſis, quas à Burgundionibus extorſerat, alendi exercitûs impenſis, decem inſuper modiorum frumenti millia Briſacum devehenda, ingentem ſalis copiam aliáque cibaria imperavit. Tandem vere novo, potiore copiarum parte Ohemio ad bellum Burgundicum demandatâ, ipſe cum reliquis legionibus & nongentis quà gravioris, quà levioris armaturæ equitibus, 18. Cal. Mai. Pfeffingam ad Rhenum appulit, atque inde poſtridie Rheinfeldam reverſus, Roſam Tribunum cum ſexcentis alarijs & mille legionarijs, machinis æneis Colmariâ acceptis inſtructum, miſit ad Tannas obſidendas. Luſtrato ſecundùm hæc Lauffenburgenſi præſidio & propugnaculo Hinningenſi, 15. Cal. Maij ſecundo Rheno vectus ad caſtra Tannenſia, miſit mille ducentorum ſclopetariorum ſubſidium, unáque ſex tormenta: ipſe verò cum mille equitibus obviam contendit Lotharingis,

VIII.

Lotharingorum clades. ringis Philippoburgo, quò ſuum Ducem deduxerant, revertentibus. Inter hæc Roſa ultus acceptam nuper ignominiam, profligatis aliquot Lotharingorum cohortibus, Portæum Tribunum, unúmque hipparchum cum tribus vexillis cepit. Pugnârunt etiam Lotharingi per id tempus iniquo Marte adverſus Hallierum Nancij Gubernatorem. Ergo, ſic imminuto eorum robore, Dux Bernardus jam ſecurior, cum reliquâ copiarum parte Tannas profectus, civitatem vi propiore ſic cœpit urgere, ut oppidum 3. Id. Maij, arcem verò quarto pòſt die, ſuæ ditionis fecerit, præſidio Lotharingico centum octoginta virorum per attributos defenſores Romaricomontem deducto.

Tannæ capiuntur a Weinmario.

IX. Ohemius interea, profligatâ quadringentorum colonorum turbâ, deditione accepit S. Hippolytum, Francomontem, aliáque circum Salinas oppida. A Lotharingis viciſſim trecenti Monpeligartenſes cæſi ad S. Hippolytum, & Roſa à Bellovicenſi obſidione repulſus.

Mars varius.

S. Claudii fanum expugnatur. Fanum S. Claudij, quod omnem ſui dedendi pactionem adhuc conſtanter abnuerat, Guebrianus Galliarum Regis Strategus per eos dies expugnavit, cæſis trecentis è præſidio, captis permultis. Cives multavit ter mille armenti capitibus, ingenti cibariorum & cæteræ annonæ lytro. Ejuſce civitatis jactura rei Burgundicæ damni plurimum, haud parùm remoræ Hiſpanorum conſilijs attulit, vel hoc ipſo, quòd intercepto San-Claudiano aditu, bis mille auxiliarij, quos in Helvetiâ collegerant, Burgundiæ acceſſu prohiberentur.

Venerat ex Franciæ ærario ad Weinmarium magna pecuniæ vis: quare ille menſtruum militi ſtipendium viritim ſoluturus, rebus ex voto ad Rhenum compoſitis, exercitûs luſtrationi navaturus operam, ad Pontarlinum proficiſcitur adulto Junio, indéque menſe Julio revertitur ad Rhenum. Id itineris antequam relegeret, cruenta ſævitiæ militaris veſtigia in Burgundiâ reliquit, quæ Weinmarici encomiaſtæ Francis perperam attribuunt. Quocunque demum authore, crudeliter ſævitum fuit in Pontarlinenſes, igne præſertim, qui oppido de induſtriâ ab hoſte ſubjectus multos civium abſumpſit. Nec parſum fuit ſanctimonialium aliarúmque honeſtarum mulierum pudicitiæ. Præſagierunt inde viri ſapientes, opinione citiùs adfore ab irato Deo tantæ atrocitatis ultionem. Diſcedens è Burgundiâ Weinmarius, cùm Fouxiam arcem præſidio muniviſſet, S. Hippolytum & Francomontem Gallis Monpeligartenſibus tranſcripſit, cætera, quæ antè in Burgundiâ occupaverat oppida, ſolo æquavit. Copias inde reduxit in Alſatiam & Briſgoiam, novi quippiam in Imperio, ſi foret vita ſuperſtes, tentaturus. Sed hîc fata magni, fortis, felicíſque bellatoris fortunæ vitæq; metam fixerant. Mortis cauſam varij, pro ſuo quiſque affectu, commenti ſunt. Aliqui crediderunt venenum ab invidiâ & ambitione propinatum, ut timeri deſineret, qui jam aliena imperia ſolito ferre illibentiùs, & victoriarum commoda in rem ſuam vertere velle videbatur.

Sævities in Pontarlinum.

X.

Mors Ducis Bernardi Weinmarii.

Alij peſte ſublatum aſſeruerunt, quæ acre quidem venenum eſt, ſed propinatum innocentius. Cæterùm ipſe ex Hinningenſi propugnaculo navi devectus Neoburgum, 3. Id. Jul. ingraveſcente morbi malignitate cœpit decumbere. Tum ſupremam voluntatem referri juſſit in tabulas. Erlachio, Comiti Naſſovio, Roſæo, & Ohemio, ſingulis dena Ferdinandæûm nummûm millia legans, commendavit exercitum. Pòſt 15. Cal. Aug. ſub horam nonam ante meridiem, vivere deſijt eo ſacrorum ritu & modo, quo vixerat annos triginta quinque. Ferunt pronuntiatum eſſe à medicis, apparuiſſe in exenterati hepate & pulmone aliqua peſtilitatis venenata veſtigia.

XI. Compertâ ipſius morte, Rex Chriſtianiſſimus, ut Duces exercitúmque novo beneficentiæ auctoramento devinctos retineret, centena Duplonum, hoc eſt, quinquies centena florenorum millia per Baſileenſe collybum tranſcripſit, juſſis eſſe bono in præſens animo, immotâq; in poſterum fide: parerent interea, dum aliud conſtitueretur, Erlachio, atque in ejus verba jurarent.

Hohen-

Hohenvillam, Ducis Wirtenbergici in edito monte, toto hoc bello, arcem invictam, Cæſariani Bavarorum auxilio ſemel iterum tentaverunt. Occupaverunt anteriorem atrij cohortalis aream nocte intempeſtâ, cæſis excubijs, abductâque aliquâ armenti & annonæ copiâ, incensâ villâ aliiſque circùm villis. Adhibuêre quidem quicquid ars ſuggeſſit ad frangendos obſeſſorum animos: corruperunt flammis in eorum conſpectu arcem Blumbergam, Hohenhuffam, Roſeneckam, ipſe Dux Wirtenbergiæ imperavit arcem dedi Cæſari: ſed tacendo negaverunt obſeſſi, ſe imperata facturos. Ita conſumptis tormentorum fulminibus, & punicorum miſſilium jaculatione, re infectâ diſceſsêre Cæſariani. HOHENVILLÆ IRRITA OPPUGNATIO.

Ducis Bernardi fato, Burgundia hoſtili exercitu metúque ſoluta reſpiravit. Moverunt Weinmariani per Nemetes in Palatinatum inferiorem & Wetteraviam, atque hinc in citeriorem Haſſiam.

Maximilianus exercitum, anni ſuperioris expeditione per labores, morbos, clades, & jumentorum peſtilitatem vehementer imminutum, Aprili menſe ſupplementis rebúſque neceſſarijs auxit. Satis ſupererat equitum, ſed jumentis extinctis (quæ fuit crebra & oppidò damnoſa multorum annorum calamitas) uſui eſſe non poterant. Quamobrem ex Hungariâ, Bavariâ, viciniſque regionibus, Maximiliani ære ingens equorum multitudo fuit viritim in equites tribuenda. Conficiebat univerſus equitatus decem Veteranorum millia. Gleenio ſuas vices in exercitu demandavit Maximilianus. Mercius cum ſelectâ ter mille armatorum manu, Weinmarienſibus ad Stolhovium adverſa caſtra habuit, ut eorum motus non modò obſervaret, ſed etiam pro re natâ reprimeret. Præterea Bavarici Rhenum ponte junxerunt ad Rhinhuſium, ut eorundem populationes coërcerent. Tentârunt quidem etiam civitates, quas ad Rhenum vocant ſylvaticas, ipſúmque Rheni in Gallicam continentem trajectum, ſed quò minùs res procederet ex ſententiâ, obſtitit Bernatum diffidentia & vigilantia Briſacenſium. XII.

Weinmarienſes interea Coronæ Weiſſenburgum à præſidio nudum invaſerunt: ejuſce loci præfectum, qui cum ſexaginta ſclopetariorum manipulo exinde profugerat, è fugâ retraxerunt. Occupavêre pariter menſe Septembri Landavium & Germersheimium. Spiram tentârunt; ſed quò minùs eâ potirentur, fecit defenſorum virtus, quos è Bavaricis Mercius præſidio urbis miſerat. Etiam tum liberè hac illac prædas agendi facultas Weinmarienſibus multis partibus fuit acciſa, cùm Bavaricæ copiæ plenis caſtris in campum prodivêre. Mox enim eripuêre Phortzheimium, præſidióque, quantum poſcebat neceſſitas, Moguntiæ relicto, per Walloſienſem trajectum movêre in adverſam Rheni ripam. Weinmarienſes etenim Rhingaviam mirè vexabant populationibus; quam ad rem mille quingenti equites Bingâ tranſmiſerant Rudesheimium. Hos Bavarici ex improviſo oppreſſos, magnam partem obtruncârunt, plurimos duxerunt captivos Moguntiam; cæteris ſaluti fuerunt lintres, quibus ſe Bingam recepêre. Et jam erant in procinctu, Gallis inſtigantibus, ut caſtris ad Moſellæ confinia converſis, Treviros rurſus invaderent; cùm Dux Lotharingiæ, qui Moſellanos tuendos ſibi ſumpſerat, adſcitis Beckij vigiliarum magiſtri Hiſpanicis auxilijs, indigeníſque ad arma concurrentibus, eos ex Trevirorum finibus & San-Wendelinenſi obſidione repreſſit. Nondum tamen ab illis quies fuit: nam menſe Octobri, denuo Rheni littus cum equitatu legentes, peditatum bellicúmque inſtrumentum navibus impoſitum ſecundo Rheno, Argentinenſibus conniventibus, permiſsâ ſub ponte navigatione, vehentes, appulêre in Germersheimenſem Inſulam, eámque munierunt aggeribus. Ex eorum navibus una in Rheno perijt cum quadraginta vectoribus, & duobus tormentis. Germersheimium ultro dedit ipſis manus. Landavium verberavêre tormentis, Didesheimium expugnârunt, Anweilerium, Novam Tabernarum civitatem, vetere intactâ, diripuerunt. Ad Haſelochium, ſexcentos equites è Bavaricis aſſecuti, profligârunt, ducentis in loco cæſis, captis cum legionis vicario quàm multis. XIII. EXPEDITIO BAVARICA. WEINMARIANI AD RHENUM MULTA LOCA INVADUNT. XIV.

Sed ipſis contrà res malè vertit in Germersheimenſi Inſulâ. Cùm enim illi, qui excitata iſthic munimenta inſederant, ad 16. Cal. Decemb. Bavaricos advertiſſent imminere, commeatu, réque tormentariâ partim effuſâ in Rhenum, partim humi defoſsâ, aut diffractâ, ipſi conſcenſis navigijs effugêre. Effoſſa fuêre in Inſulâ duo mediæ magnitudinis tormenta, totidem baſiliſci, unum mortarium, & magnus pilarum ferrearum & punicarum cumulus, reperta ſimul hærentia in funibus triginta ſemilacerata navigia.

Ergo Weinmarienſibus ex eâ ſtatione remotis, Franciſcus Mercius Bavariæ Proſtrategus cum valido equitatu movit laturus auxilium Neoſtadio, quod ab hoſte premebatur. Inde flexo ad Rhenum itinere, è regione Moguntiæ pontem conſtruxit nautico opere. Invaſerant Alzeium & Oppenheimium Weinmarij: ſed metu Mercij adventantis, maturato receptu, ſeſe proripuerunt Bingam & Crucinacum, atque hinc in fines Obrincanos. Ex prædâ tum eorum locorum, tum Berocaſtellenſium & Caſtellaunenſium, annonam ſuppeditârunt Bingenſi & Crucinacenſi præſidio. Exinde illis per Wetteraviam ad primæ Haſſiæ hiberna iter fuit. Fridbergenſi præterea civitate & arce ſubactis, Rhingaviam, Wetteraviam, Solmenſem agrum, vicinámque latè regionem ſibi fecêre tributariam. Bavarici è diverſo, rigente jam brumâ, occupatâ Ehrenfelsâ ad Rhenum, ubi ſexaginta ex hoſte curabant, Moguntiæ legionem unam, alteram Rhingaviæ, tertiam Hœchſtæ præſidio imponentes, cum cætero exercitu hibernatum conceſsêre in Franconiam & Wirtenbergiam.

XV. *Hundsruck.*

Egit interea Franciæ Rex Chriſtianiſſimus per Comitem Guebrianum, Choiſium, & Oiſonvillæum, cum quatuor-viris, quos Weinmarius teſtamento exercitui præfecerat, ut eos ipſúmque Briſacum ſibi ex aſſe devinciret. Non caruit ea res aliquâ contentione, quam diremit pecunia, cui omnia obediunt. Expugnavit illa fortia virorum pectora, traxitque in eam ſententiam, ut proximo Octobri, Principi Longavillæo, velut Generali Stratego, ac Coronæ Francicæ legato, ſalvâ Suecici fœderis lege, ſacramento dicerent, & cum certâ quâdam moderatione, officia in exercitu à Rege Chriſtianiſſimo demandarentur. Eâdem negociatione decreverunt, quæ ſatisfactio foret præſtanda fratribus Ducis Bernardi Weinmarij, quos in vivis reliquerat, Wilhelmo videlicet, & Alberto Ducibus Weinmarijs, in causâ herciſcundæ hæreditatis, quídque Regis Galliæ nomine ab Oiſonvillæo, vel à Germanis Ducibus, ad quos ex teſtamento Ducis Bernardi peculium venerat, ipſi deberet obvenire. Atque hic quidem alter gradus fuit ad detrahendum Imperio & Domui Auſtriacæ Briſaci & Alſatiæ dominatum. Progredior ad cæteras Rom. Imperij Provincias.

WEINMARIANI EX ASSE FIUNT FRANCICI.

XVI.

Secundæ Saxoniæ Ordines, in quibus familiam ducebat Georgius Dux Luneburgicus, diuturnis feſſi bellorum injurijs, non improbante Rege Daniæ, qui pacis agebat interpretem, ad medias partes, neutris bellantium inimicas, inclinabant. Reclamabat Comes Ferdinandus Curtius legatus Cæſareus, cauſatus, id verò adverſari pacis Pragenſis pactis conventis, quibus Luneburgicus ſubſcripſerat. Duci aſſenſus fuit Bannerus, eâ tamen lege, ut ille quamprimum annonam repræſentaret Suecico militi. Repræſentavit ille quidem, ſed eâ acceptâ, Bannerus eveſtigio movit in Brandeburgiam anno naſcente, & quaquà patet regio, populationibus ſic graſſatus eſt, ut inductâ in miſeros dirâ famis neceſſitate, quæ etiam in cibos vertebat humana cadavera, eos in Cæſarianos, quaſi authores iſtorum malorum, ſic exaſperaverit, ut non paucos è Cæſariano milite, tumultu concitato interimerent. Cuſtrini Gubernator tentavit id temporis Suecos Piritio eijcere: accepit quidem cladẽ in primo conatu, ſed Majo inſequente tandem voti compos, oppido potitus fuit. Deminam, quæ eſt in Pomeraniæ finibus, Cæſariani annonam invexerunt. Improſpere ijſdem vertit Neobrandeburgi invadendi conſilium: ad hoc deſtinârunt quadringentos equites, quos Sueci cum clade repulerunt. Lanſpergam ſubinde expugnaverunt Sueci: & primùm quidem editâ muri ruinâ per biduanam tormentorum arietationem irrupêre in urbem,

SAXONIA INFERIOR NEUTRALIS.

XVII. SUECI CUSTRINO EIECTI.

SUECI LANSPERGAM EXPUGNANT

bem, ſed oppidanis magno animo reſiſtentibus, coacti fuerunt retro ferre pedem: deinde, cùm non ſucceſſiſſet iſta impreſſio, admotis ſcalis, per murum ingreſſi, quadringentos præſidiarios ejecêre in adverſam profluentis ripam, ubi è regione pontis propugnaculum extruxerant. Eò loci ſe aliquantum fuerunt tutati, ſed cùm omnis eos annona deficeret, denique ſe propugnaculúmque cum machinis æneis Suecorum arbitrio permiſerunt. Supererat altera munitio civitati exadverſum: hanc cùm Sueci cœpiſſent tormentis petere, quingenti, qui in eâ curabant, præſidiarii, factâ in Præfectum conſpiratione, omnem defenſionem detrectantes, ipſum invitum adegerunt ad faciendam deditionem. Quàm ipſi in ſuum ductorem fuêre perfidi, tam experti ſunt hoſtem infidum. Pacti fuerant ſuam & ſarcinarum libertatem, ſed mox ubi ſe dediderant, ad defectionẽ fuêre coacti, hoc obtentu, quòd contra datam fidem aliquot pilas punicas, additis nitrati funis accenſis fomitibus, in propugnaculo ad victorum perniciem abſcondiſſent. Plavienſis munitionis, quæ in Ducatu Megapolitano naturâ & arte eſt apprimè nobilis, eadem ferè ſors fuit. Erat referta omni annonæ genere, cæteróque commeatu, cùm illuc nobiles perinde atque ignobiles familiæ ſuas fortunas contuliſſent. Et credebantur iſthic tutæ prorſus futuræ: ſed defuit animus propugnatoribus, Præfecto præſertim, qui nullam quaſi vim expertus, herbam porrexit hoſtibus. Credebat, ſe nullo periculo ex deditionis lege Havelbergam iturum cum præſidio: ſed à Suecis oppreſſus in itinere, jacturam fecit ſuæ libertatis & ſuorum commilitonum, qui omnes Suecicis legionibus fuerunt permixti.

XVIII. Plaviam item.

Sic res Suecis fluebant ex animi ſententiâ. Vix impendêre tridui operam ad ſubigendam Havelbergam, Rattenaviam, & Brandeburgum. Eâdem propè facilitate potiti ſunt Francofurto ad Viadrum, ipſóque Berlino, unde præſidiarij diffugerant: utrumque paulò pòſt ultro deſeruerunt, Lanſpergâ retentâ; reportavêre tamen ingentem pecuniæ vim, quam à civibus extorſerunt lytri nomine. Iidem Drieſenam, validam in Poloniæ limite munitionem, Centurionis proditione accepêre: Rappinum & Deminam miſêre ſub jugum, jámque arci Domitienſi imminebant, cùm à Brandeburgicis fuêre ſubmoti.

Havelbergam, Rattenaviam, Brandeburgum, Francofurtum.

Res in Haſſiâ per id tempus fuêre paulò pacatiores. Cùm pactæ ante biennium induciæ exſpirâſſent, Melander Haſſorum Archiſtrategus, tametſi, primo ſtatim vere, reparando bello ſtrenuam navabat operã, quia tamen caſtrenſis iuſtitij ad ſex hebdomadas prorogandi author fuerat, Gallis cœperat eſſe odioſus, viduæ Landgraviæ ſuſpectus, ingratus Haſſorum Ordinibus. Id cùm hominem ſagacem advertiſſet, viſus eſt de ponendis faſcibus cogitare, qui ſervientibus graves ſemper ſunt, quando non ſuo tantùm pondere, ſed dominorum quoque ſuſpicionibus vel odio premuntur. Ne ſuum diſſimularet faſtidium, egit cum Batavis, quaſi eorum ambiret obſequia, ſed ſeriò, an nutans & ambiguus, incertum. Ne tranſiret ad Batavos, fecit oblati ſtipendij exilitas, quódque Batavi nollent videri alienum ſervum grandibus promiſſis in ſuas partes pellexiſſe. Quamobrem poſt bidui cum Principe Auriaco colloquium urgere cœpit delectus militares, comparare arma, Lipſtadium, quod Haſſico præſidio tenebatur, munire novis operibus, ſarcire, ſicubi erant, munitionum labes. Ne tamen hoſtilia apertè inferret, prohibebant pacta Pragenſia, quibus ſe Haſſi illigârant. Eam ob rem cùm Haſſi ſuperatis ex improviſo mœnibus Warenbergam invaſiſſent, abſtinuerunt à cædibus, pactâ contuberniorum pacificâ ſocietate contenti. Irrepsêre etiam in Wetteraviam, ínque Fuldenſem agrum, ubi Cæſarianis & Bavaricis promiſcuè ſtativorum & militarium exactionum conſortio devincti, ſibi ab omni hoſtilitate temperabant, & viciſſim (quæ perrara eſt inter tam infenſos, & ſtudia prorſus contraria, conſenſio) quietè & ſine turbis agere ſinebantur: tanti erat non renovare ſuperiorum annorum publicam inimicitiam. Idem ipſis vivendi modus fuit in citeriore Haſſiâ. Sed & aliquas cohortes exauctorârunt, factâ optione, ad quas mallent partes tranſeundi: quæ tamen, neglectis Cæſarianis ac Bavaris, ſeſe Gallis & Batavis omnes addixêre. Quicquid Cæſar pacis ſtudio in

XIX. Melander ſuſpectus Haſſis.

Haſſi Cæſarianis permixti.

XX.

dio in

dio in iſtâ rerum ambiguitate diſſimulandum putaret, non aberat tamen ſuſpicio inſidioſæ molitionis; cùm præſertim Haſſi in locum paucorum, quos à ſignis dimiſerant ad ſuos amicos, multos novis delectibus indies adſciſcerent. Et
Prov.18.1. inhoſpitales illæ ſtativorum uſurpationes verum oſtendebant dictum Regis ſapientiſſimi, quòd occaſiones quærit, qui vult recedere ab amico: id enim credebantur agere, ut arma concitarent, & in Catholicos ruptæ pacis culpam conferrent. Sed & hoc Maximilianum minimè in credendo levem aut præcipitem offendit, quòd Haſſi Comitatum Waldecenſem, Wolrado Comite perinvito, per vim occupâſſent.

XXI. His acceſſit nova ſequiùs de ipſis ominandi cauſa, ex Haſſicâ viduâ, quæ communicatis cum Duce Luneburgico conſilijs, haud obſcurè demonſtrabat, ſe ad abrumpendam pacem inclinare. Quamobrem Bavarici, aliàs jam feſſi damnoſo in ſtativorum emolumentis Haſſorum conſortio, ſimul averſati incertam fidem, illos in Wetteraviâ diutiùs tolerandos non eſſe cenſuerunt; quippe quorum non incommoda modò, ſed & periculoſa videretur eſſe ſocietas, quæ tandem in apertum odium eſſet eruptura.

BANNERUS CASTRIS PRÆPROPERIS SUBMOVET GALASSUM EX HIBERNIS.

De rebus à Galaſſo geſtis adverſus Bannerum, pauca ſubjicio. Bannerus, qui mos Suecorum toto hoc bello fuit, nihil moratus hiemis rigorem, contractis ſubitò copijs, è Megapolitanis & Luneburgenſibus hibernis moturus, indictâ profectione, exercitum juſſit, unius ut minimùm menſis annonâ inſtructum, adeſſe ſub ſignis ſub anni naſcentis initium. Erat Galaſſo iſta expeditio prorſus inopinata & præpropera, quippe cujus miles morbis, jumentorum mortibus, cæteriſque caſtrorum incommodis erat eò uſque diminutus, ut ſub aquilis vix cenſerentur octo expeditorum armatorum millia, quo fiebat, ut Suecis, quos tot jam oppidorum regionúmque ſpolia ditaverant, & verò etiam inflaverant victoriæ, omnino eſſet impar. Quapropter ratus cedendum eſſe tempori, deſertis hibernis per Luſatiam & Sileſiam, in ipſam uſque Bohemiam ſe recepit, abductis è Brandeburgiâ pleriſque præſidijs. Saliſius rei tormentariæ ſupremus magiſter ſuos quoque Galaſſo adjunxit.

XXII. Bannerus patentem fortunæ proferendæ campum nactus, Domitium tormentis acriter concuſſum poſtulavit ad deditionem, ſed fruſtra; cùm enim Præfectus adverſus tam potentem hoſtem ſe gnaviter tueretur, Bannerus conclamatis vaſis, relictâ ad intercipiendos Domitij aditus ſuorum manu, arma vertit ad Albim: Boitzenburgi turmas aliquot equitum, & peditum cohortes transmiſit. Mox arrepto Nienburgum verſus itinere, gravibus cavit ſupplicijs, ne quis hoſtile quicquam in Luneburgicis ditionibus exerceret. Cauſa inſolitæ lenitatis erat, quòd eæ regiones, à bello abſtinentes, neutras partes ſequerentur. Quamobrem, tametſi Luneburgicus militem obtentu finium tuendorum conſcripſerat, tamen non modò nihil obſtitit Bannero, ſed etiam paſſus eſt à ſubjectis benignè haberi. Agebatur tum Conventus Luneburgicus, in quo Comes Ferdinandus Sigiſmundus Curtzius legatus Cæſaris eâ de re graviter eſt conqueſtus. Sed & ipſi Inferioris Saxoniæ Ordines medias partes amplexi, verſabantur in eâdem navi, Cæſari omnia ad bellum ſubſidia negantes: ſic paulatim Pragenſis pactionis vincula ſolvebantur, ſingulis non ad communem cauſam, ſed ad res privatas & temporis rationem intentis.

OCCUPAT NIENBURGUM, HALAM, ZWICKAVIAM, WOLFSBURGUM.

Bannerus interea Nienburgum ſtratagemate occupavit: deinde luſtrato exercitu octodecim circiter millium, movit in ſuperiorem Saxoniam, ubi Halam mox invaſit, arce intactâ, quòd deſperaret, ſe adverſus bene animatos propugnatores quicquam promoturum. Pro occupandâ Zwickaviâ non fuit ipſi magnopere laborandum, cùm enim omni prorſus eſſet nuda præſidio, venienti ultro manus dedit, centum florenorum millibus (quorum partem contulêre ejuſce regionis nobiles) & magno annonæ tributo nihilominus mulctata.
XXIII. Secundùm hæc Erfurti magnam annonam juſſit recondi, imperato omni circùm Provinciæ grandi tributo: pòſt per vim obtinuit Wolffsburgum non longè à Wolfenbutelâ. Vicem egregiè repoſuit Baro Rauſchenbergius Wolfenbutelæ, nomine Maximi-

ſiani Electoris, Gubernator, vir conſilio manúque præclarus. Is menſe Aprili, cognito, hoſtem in vicinis locis propediem vetera præſidia novis mutaturum, ſeptuaginta equites ſclopetarios, ductore vigiliarum Præfecto, emiſit, qui abeuntium itinera infeſtarent. Incurrêre in duas cohortes, quarum altera Hornburgum, altera Schladam tendebat. Priorem invaſerunt ad Oſterwicum, adactámque, ut ſe ſub oppidi mœnia intra tormentorum jactum reciperet; partim ferro conciderunt, partim impulêre in foſſam, in quâ hauſti aquis plerique perierunt. Poſteriorem haud longè ab Hornburgo Bavarici aſſecuti in apertâ planicie, in Hornburgenſium oculis ceciderunt. Cohors utraque internecione deleta fuit, exceptis tredecim manipularijs, duobus centurionibus, totidem vicarijs, & unico decurione, qui omnes captivi Wolfenburelam tracti ſunt. Victoribus ceſsêre ſarcinæ & pecunia collectitia, quam ex contributionibus corraſam ſecum illi vehebant.

Schladenſe caſtrum ditionis Hildeſienſis non ita pridem Sueci expugnaverant: illud Rauſchenbergius eodem iſto menſe, præſidiarijs, qui in munitam turrim confugerant, ad deditionem coactis, ſine ullâ ſuorum jacturâ recuperavit. Pari felicitate invaſit propugnaculum, ab hoſte in aggere Haſſico conſtructum, omni præſidio, quod ſupremam vim voluit experiri, capto vel interempto. Ita ſpatio duarum hebdomadum de hoſte trecenti fuêre deleti; non adnumeratis illis, quos Wolfenbutelenſium excurſiones pluribus locis oppreſſerunt. XXIV.

Inter hæc Cæſariani, qui Steinheimij agebant, ductore Ohrio, luculentâ clade à Kingio fuerunt affecti, mille viris profligatis. Bannerus, Merſeburgenſium regionibus graviter vexatis, progreſſus in Miſniam, à Lipſiâ abſtinuit, memor nuperæ repulſæ, quódque nôſſet, eam rebus omnibus ad defenſionem eſſe egregiè comparatam, cinctámque novis operibus, quæ perdifficilem redderent ejus expugnationem.

Caſſellenſis vidua, quod præſagierant viri ſapientes, captatâ ex Banneri progreſſibus occaſione, apud Cæſarem urgebat per Melandrum Calviniſmi libertatem, cúmque ex animi ſententiâ non referret à Cæſare reſponſum, ſeſe hoſti potiùs & tempori, quàm Pragenſibus conventis accomodabat. Interea, ut in rebus turbatis & oppidò creperis, in Aulâ Cæſaris, conſilia ad reprimendum Bannerum agitabantur. Eam ad rem Marazinus, qui adhuc tum Saxonicis copijs cum legati poteſtate præerat, & Galaſſus, Viennam erant accerſiti. Comes Schlickius, ſollicitè obiens Bohemiam & Moraviam, quæ ad bellum ſpectabant, ſtudioſè comparabat. Tantus terror Bohemiam invaſerat, ut Proceres auguralia Regis inſignia, cæteráraque rei pretioſioris gazam neque Pragæ, neque Caroloſtainij tuta fore crederent. Edicto publico Bohemis nobilibus, conſtitutâ bis mille Ferdinandicorum pœnâ, fuit prohibitum Lutheranæ ſectæ famulitium retinere. Quamobrem aliquot iſtiuſmodi ſervitiorum centuriæ migrârunt ad hoſtem. ÆMILIA VIDUA CASSELLENSIS DEFICIT AD HOSTEM. XXV.

Metum auxit clades Saliſij rei tormentariæ pro Cæſare Præfecti. Ille ex Eichsfeldiâ ducebat ſeptem legiones bello nondum ſatis exercitas. Jam pervenerant ad Chemnizium, cùm Pfulius ſupremus apud Suecos ordinum ſtructor, properatis itineribus, eas aſſecutus ſic oppreſſit, ut ex toto numero quatuor duntaxat equitum turmæ evaſerint. Captus ipſe Saliſius & Ductores aliqui Stralſundam miſſi fuêre: è gregarijs ſexcenti venerunt in Suecorum manus. SALISIUS GRAVI CLADE AFFECTUS.

Cùm Saxonia periculo proxima trepidaret, Septemvir tempeſtivè auxilia petivit à Cæſare, impetravítque perbenignum opis in tempore, quoad ejus fieri poſſet, adfuturæ promiſſum. Cæſar undique contrahebat copias. Tria equitum millia ductore Monrecuculio Gœrlizium venerant; Melnicæ & Auſſigæ legiones aliquot Cæſaris nutum opperiebantur: Saxoniæ Septemvir gnaviter ſe comparabat in hoſtem. Bannerus verò nihil cunctatus, Chemnitium ſubegit. Occupatâ Dreiſchenheimenſi validâ in Bohemiæ finibus munitione, aliiſque circà oppidis, Freibergam coronâ cinxit. MAGNI DEJECTUS. XXVI.

Hactenus cùm arridente fortunâ ipſi prona omnia viderentur, quater mille equitum globum auſus eſt Dreſdæ oſtentare. Audaciam Dreſdenſes, factâ eruptione, egregiè retuderunt hoſte in fugam converſo. Et viſa eſt fortuna faciem aliquantum mutâſſe, quando quadringenti ſclopetarij, & centum quinquaginta Lipſienſes equites poſtrid. Cal. April. ſub ſolis ortum, tranſcenſis mœnibus invaſerunt Altenburgum. Eò Sueci magnam partem ſuas prædas importaverant, quæ omnes ceſsêre victoribus cum ingenti Suecorum dolore. Abduxêre præterea captivum Tubadelium Chiliarcham Guſtavi Banneri conſanguineum cum univerſo præſidio.

SAXONES INVADUNT ALTENBURGUM

Saxoniæ Septemvir Freibergam, quam paulò antè dixi à Bannero obſeſſam, milite & rebus ad obſidionem defendendam neceſſarijs tempeſtivè muniverat. Adventabant interim à Cæſare promiſſæ ſuppetiæ. Balthaſſar Marradius cum ſeptingentis erat in procinctu: alij magno numero, quà per Auſſigenſem agrum, quà per Comotovienſem, pérque alios aditus, properabant auxilio. Comes Schlickius aliíque Pragâ ſuppetias feſtinabant. Wernerus Comes Tillius & Serenocampius, armaturæ magiſtri Generales, diligentem rebus caſtrenſibus navabant operam; verbo, ſpes erat non obſcura rerum meliorum.

Schœnfeld.

XXVII. SUECORUM ALIQUA CLADES.

Fulminabat interea Bannerus Freibergam, oppidum Saxoniæ Ducum monumentis nobile, & viciſſim ipſe fulminabatur ab obſeſſis. Marazinus Freibergæ ſuppetias properans, aliquot Suecorum cohortes de viâ cædit: tum primo à civitate lapide Broius Chiliarcha quatuor eorundem legiones fundit fugátque. Quo in conflictu, equo binis glandibus debilitato, ac fallente veſtigio effuſus, captus ipſe venit in Suecorum manus. Rectâ deinde Marazinus movit in hoſtem, qui noctis uſus beneficio, ex uno oppidi latere, ubi caſtra minùs erant munita, ſuos ſubduxit, cum duarum ænearum machinarum jacturâ. Ex altero latere Bannerus nihilominus oppidum concutere machinis non deſtitit. Ternas fecit impreſſiones, totidem cladibus repulſus. In tertiâ tres amiſit Tribunos, protribunos duos, ſexcentos alios tum ductores, tum gregarios. Tandem expugnatione deſperatâ, ſolvens obſidionem, ſe recepit Chemnizium. In iſto Freibergæ ſubigendæ conatu, ferunt Bannero ad bis mille perijſſe, cum aliquot tormentis, quæ obſeſſi reportârunt.

CUM SUORUM IACTURA FREIBERGAM FRUSTRA OBSIDENT.

XXIIX. CÆSARIANI AD CHEMNITIŨ PRÆLIO SUPERATI.

Augebatur interea novis indies copijs Cæſareus & Saxonicus exercitus: præter antè memoratas, Hatzfeldius octo millia virorum fortium adducebat: aderant quatuor quà Croatarum, quà Hungarorum millia: è Bavaricis Maximilianus ter mille quingentos alarios ſub Comite Furſtenbergio miſerat: undique, quicquid præſidijs conſultò poterat detrahi, confluebat ad caſtra: contrà Bannerus, accitis Halberſtadio, Helmſtadio, aliiſque ex locis unà cum Forſtenhovio auxilijs, ſe comparabat ad ſupremam dimicationem. Magna utrinque fiducia, ardentia Saxonum, præſertim Miſniorum vota & expectatio. Tandem 18. Cal. Mai. haud procul Chemnizio, ad Hohenſteinium pugnæ in paucis cruentæ dies decretorius illuxit. Pridie ejus diei Cæſareo-Saxones Chemnizium inter & Zwickaviam per ſtativa diffuſi conſederant, cùm Bannerus per exploratores eâ de re factus certior, motis caſtris, ſtatuit, antequam Hatzfeldius adveniret, in diſpalatos incurrere. Feſtinatâ profectione, non procul à Cæſarianorum ſtativis, progreſſus ſub ſolis occaſum, comperit, eos, cognito ipſius adventu, aciem inſtruxiſſe. Die poſtero primâ luce trecentos Cæſarianos, adijciales à tergo cuſtodias, rejecit in caſtra prope Chemnizium. Ea dirimebat à Bannero paludoſa intercapedo anguſto aditu, quem equeſtres ſclopetarij tuebantur. Cæſariani ad continendas potiùs copias, quàm ad prælium ſe in aliquam aciei ſpeciem explicaverant, certi Hatzfeldij adventum præſtolari. Et locus ipſe erat anguſtior, foveiſque hinc inde & ſolo uliginoſo iniquior, quàm ut aciem poſſent explicare. Ergo cornu ſiniſtrum locavêre cis Chemnizium, dextrum trans flumen, malo utique conſilio, quòd ſibi mutuò non poſſent manus commodare. Succi, animadverſo, caſtrorum aditum à levioris armaturæ equitatu nullis additis pe-

XXIX.

tis peditibus inſeſſum, facilè poſſe perrumpi, cæterámque aciem mancam disjunctámque ſuperari, primum vertunt impetum in paludis anguſtias, è quibus Cæſarianos equites, quibus nullus peditatus poterat opem ferre, mox deturbant, & apertâ viâ, irrumpere nituntur in aciem alæ ſiniſtræ. Repreſſi fuerunt initio, & venerunt in magnum diſcrimen, turbatis ordinibus, qui non niſi longo ductu brevibúſque ſpatijs denſati poterant incurrere: verùm, cùm à recentibus legionibus erecti rediiſſent in certamen, disjectis, qui primi obſiſtebant, Cæſarianorum; ſtipatâ acie in reliquos invecti, quicquid copiarum cis flumen fuit, fuderunt, ceciderunt. Fugientibus exitio fuit, quod crediderant præſidio futurum. Duæ erant foveæ, quæ caſtra à tergo muniebant, eǽque profundæ & limoſæ. In his fugientium conflictatio, caſus, laniena ab hoſte, cùm ſe miſeri è luto non expedirent, & ſequentes, à prioribus occupato fugæ ſpatio, hoſtium ferro obijcerentur. Tantum abfuit, ut cornu dextrum laboranti ſiniſtro ſuccurreret, ut etiam viſâ ſociorum clade, hoſte non expectato, fugam capeſſeret. Multi ab hoſte in ipsâ fugâ trucidati, multi retracti in vincula. E Cæſarianis captus fuit Comes Buchemius ſupremus in equitatu vigiliarum præfectus, Wanglerus item tribunus, permulti alij cum machinis muralibus, cum impedimentis, vexilliſque quinquaginta duobus. E Saxonicis tribunus Schleinizius, Webelius, Ductores alij: è Suecis, Stalhanſij legatus, Witgenſteinius & Ordinum præfecti bono numero.

Bannerus hâc auctus victoriâ, redijt ad Freibergæ obſidionem. Credebat in obſeſſis minùs quàm antè fore animi, tum ob cladem Chemnizienſem, tum ob deſperationem auxilij: ergo frequente ignium miſſilium jaculatione locum aggreditur: ſed cùm oppidanorum induſtria omnem eorum noxam averteret, & futura videretur non cruenta modò, ſed etiam diuturna obſidio, ut temporis faceret compendium, arma vertit in Pirnam Bohemiæ propiorem. Hîc muro, quantum ſatis, labefacto, ſemel iterum incurrit, paſſus repulſam non ſine ſuorum cæde. Cùm tertiùm incurreret, ſéque obſeſſi magnis animis egregiè tuerentur, ecce tibi exortum in civitate incendium ipſi fatale fuit. Cùm enim ſimul ab hoſte ad mœnia, & à flammis domi oppidani urgerentur, utrique malo impares, ſuperati tandem ceſſerunt Suecorum furori. Magna in oppido ſtrages edita. Multi, qui fugam per Albim tentaverunt, fuêre hauſti gurgitibus: omnium fortunæ datæ direptioni. Qui in arcem refugerant, toties repulerunt hoſtem, donec tandem irritus deſtitit ab illis oppugnandis.

Obsidio Freibergensis repetitur in cassum. XXX. *Pirnæ excidium* *Arce incolumi.*

Inde Bannerus belli ſedem translaturus in Bohemiam, Stalhanſium cum parte equitatûs, & quinque duntaxat ſelectorum peditum centurijs, præmiſit, juſſum Auſſingam & Litomarizium occupare. Penè cum dicto id confecit. Bannerus verò Tetſchinenſem arcem Pirnæ propinquam ad Albim copioſâ refertum annonâ, Melnicham item & Kœnigſteinium invaſit.

Sueci in Bohemia.

Vix Bannerus Bohemiæ pedem intulerat, cùm Saxones reſumptis animis, Chemnizium, Weiſſenfelſam, aliáque loca Suecis eripuêre. Et jam erant in procinctu ad Pirnam tentandam ex improviſo; ſed cùm Sueci de eorum adventu facti certiores ijſſent venientibus obviam, coortâ velitatione, ijdem Sueci ſimulatâ fugâ in oppidum recurrêre. Eos Saxones trecenti inconſulto ardore intra mœnia proſecuti, demiſſis cataractis incluſi omnes ferro obtruncati fuêre, vel captivitati addicti. Non multò pòſt nihilominus Septemvir in Pirnenſem arcem, quam Sueci adhuc clauſam tenebant, per mediam ipſorum ſtragem, annonam intulit. Quamobrem Sueci civitatem, cui deinceps arx foret infeſta, redegerunt in cineres.

Saxones Chemniziũ aliaque loca recipiunt. XXXI. *Pirna concremata.*

In Luſatiâ Saxones inobſervati Bauzam receperunt ſubitâ irruptione, multis Suecorum interfectis: ſed cùm ex arce, atque foris à Schlangio validè premerentur, repreſſis aliquot incurſionibus ſeſe & civitatem reddidêre hoſtium arbitrio.

Cæſar

XXXII. Cæſar de Bohemiâ ſollicitus, coëgit undique nova auxilia. Hatzfeldius cum inſigni peditatu, & triginta duabus gravioris armaturæ turmis, cum octo tormentis caſtrenſibus, & duobus grandioribus, ſociatis duabus Tiffenbachij & Preuſſeri legionibus, properabat in Bohemiam. Ab ipsâ uſque Viennâ omnis generis commeatus & ſtipendia exercitui mittebantur. Ad Pragam, in Albano monte, nova propugnacula quadraginta tormentis inſtructa, à duabus legionibus tenebantur: metus enim erat, ne Bannerus, qui Albim ponte junxerat, Pragam ex eâ regione peteret, vel certè intercederet Hatzfeldij ſuppetijs. Sed Goltzius etiam cum numeroſo milite, tormentis quatuordecim, & aliquot Croatarum vexillationibus expectabatur, támque potens fore ſperabatur exercitus, ut non tantùm bello defendendo, ſed etiam hoſti opprimendo par crederetur eſſe futurus.

Clades Cæſarianorum. Bannerus, qui ſub ſignis recenſebat viginti armatorum millia, inter hæc, ſub ineuntem Junium Brandiſio, quod trecenti Cæſariani tuebantur, magnâq; rei frumentariæ copiâ potitus, trans Albim ſuas copias duxerat. Miſerat quidem Galaſſus ſeptem legiones, quæ earum trajectum morarentur; ſed non tantùm venêre poſt rem, ſed venêre nimis tempeſtivè ad ſui perniciem: interceptæ enim à Bannnero, amiſſis viginti ſignis militaribus, plurimis occiſis, profligatæ fuerunt, capto etiam Hoſkirchio & Montecuculio. Ulti aliquâ ex parte ſunt eam cladem Hungari: cùm enim Sueci præmaturè ſe ad profligatorum ſpolia effudiſſent, Hungari factâ impreſſione, quatuor legiones, multis obtruncatis, disjecerunt.

XXXIII. Bannerus nihilo minùs confeſtim exercitum univerſum Pragæ admovit, cum magnâ ſpe eâ potiundi, ſive per vim, ſive Bohemorum conſpiratione. Ut enim eos ſibi demereretur, primo ſtatim in Bohemiam ingreſſu, publico edicto vulgaverat, ſe non ut hoſtem, ſed vindicem Bohemicæ libertatis, & jugi Pontificij depulſorem, veniſſe opitulatum: abſtinerent proinde Sueci ab omni adverſus Bohemos hoſtilitate, à rapinis, aliiſque militaris licentiæ facinoribus. Confidebat enim fore, ut Bohemi iſtis fictæ clementiæ officijs ſe deliniri paterentur, & non Praga modò, ſed etiam Bohemia univerſa, ſpe rerum meliorum, ipſum, ut liberatorem, obvijs ulnis amplecteretur.

Pragam obsidet Bannerus in cassum. Ergo Pragam adgreditur ex eâ parte, quâ eminet regia Carolina, editâque juſtâ ad incurſionem muri ruinâ, vim propiorem oſtentat, ratus Pragenſes mox ad deditionis pacta deſcenſuros. Verùm ubi eos ad propugnationem paratos animadvertit, non auſus tentare aleam, nullo alio operæ pretio Brandiſium diſceſſit, Leslæo Scoto in Cæſarianorum poteſtate relicto. Brandiſij nonnihil quietis militi indulſit, dum pars equitatûs pontem Hatzfeldio tranſmittendo paratum occupavit ad Salam Regiam, quæ fiduciâ propinquantis Hatzfeldij, ad vim experiendam animata, deditionem recuſavit.

XXXIV. Pragam Banneri metu ſolutam propè implicuiſſet inteſtina ſeditio, propter intolerabilem Cæſariani militis inſolentiam, quæ eo uſque exaſperabat civium animos, ut, cùm ad arma res ſpectaret, eos octo gregariorum & hipparchi unius ſuſpendijs publicè placare oportuerit. Pragam auſpicatò venerat Leopoldus Archidux Cæſaris frater, qui 11. Cal. Septemb. cùm Teutonicæ militiæ crucem, ſacrum Ordinis inſigne, & ejuſdem Principatum Viennæ ſolenni ritu ſuſcepiſſet, ab exercitu viginti millium armatorum in Albo monte Imperatoris ſupremus legatus fuit ſalutatus.

Hîc Bannerus ratus, ſe pugnandi occaſionē nactum, aciei ad ſtellatum vivarium inſtructæ frontem munijt ſedecim machinis grandioribus. Stetit viciſſim cum univerſis copijs Archidux quaſi prælium commiſſurus. Sed cùm viſum eſſet conſultius hoſtem differre, & obſidendâ Pragâ fatigare, relicto in montis albi propugnaculis valido præſidio, copias reduxit in urbem.

Bannerus è veſtigio ſecutus, tormentis rurſus Pragam laceſſivit inutili, ut antè, fragore: nam cùm ſe fruſtra fore ſentiret, motis caſtris Regioſalam ad Moldavam invaſit.

Menſis

Menſis Junius Sac. Cæſ. Majeſtati lugubris fuit. Extulit duos præclariſſimæ indolis filios in primâ ætate, acerbiſſimo bonis omnibus fato, ſublatos intra unum octiduum. Grandis luctus in Aula Cæsarea.

XXXV.

In Eichsfeldiâ, mille Cæſariani equites, & duæ legiones hoc anno à Kingio Sueco fuerunt profligatæ. Idem invaſit Ruderſtadium, Gleichenſteinium, Ruſtenbergam, Heilingenſtadium, & pleraque Eichsfeldiæ oppida. Clades Cæsarianorũ in Eichsfeldia.

Comes Galaſſus adverſam belli ſortem pertæſus, ſupremum exercitûs Cæſariani paludamentum cum primo conſilij bellici apud Cæſarem ſubſellio & arcani Cæſarei Senatûs latoclavo mutavit. Succeſſorem habuit Hatzfeldium, quantumvis feſſum annis & laboribus bellicis. Galassus Generalatum abdicat.

BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS III.
LIBER XXV.

An. M.DC. XL. Comitia Ratisbonenſia: Leopoldus Archidux Bannerum è Bohemiâ, Saxoniâ, Turingiâ ſubmovet: ſuperat levioribus prælijs: plurima loca recuperat: caſtra ſemel iterum caſtris Suecicis opponit.

I.

Summus Pontifex Principes hortatur ad pacem.

QUod annis ſuperioribus factum recenſui pro reddendâ Orbi Chriſtiano tranquillitate, hoc ipſum pronis Catholicorum ſtudijs tentatum rurſus hoc anno. Urbanus VIII. Pont. Max. hac in re ſe præſtitit comunem omnium piorum patrem. Nam litteras dedit tum ad Cæſarem, tum ad Romanæ Eccleſiæ addictos Reges, quibus eos ad ſeriam pacis meditationem eſt cohortatus. Cæſar per ſe propendebat ad mitiora conſilia. Catholicis Principibus nihil perinde erat in optatis, quàm ut non è Germaniâ modò, ſed è totâ Europâ bellum eliminaretur. Quam rem reddebant arduam ſtudia exterorum, atque in primis inveteratæ Auſtriacæ & Gallicæ gentis ſimultates. Imperator, per Ferdinandum Comitem Curtium, Lubecæ jam multa de pace egerat: ſed eo duntaxat ſucceſſu, ut ſpes, tametſi remota multisque implexa difficultatibus, ſolito tamen clariùs emicaret. Quamobrem Cæſar eundem Comitem ad Daniæ Regem cum litteris & ampliſſimâ legatione amandavit, à quo honorificè auditus, id tulit reſponſi, fore ut Rex, quemadmodum aliàs fuerat profeſſus, pacis conciliatorem ageret: quâ de re ſcripſit quoque ad Cæſarem. Cæſar litteras reddidit ad Regem Daniæ, iſto argumento, quòd videlicet ſibi gratiſſimum accideret Regis pro revocandâ pace ſtudium.

Cæsar per legatum et per litteras de eadem agit cum Rege Daniæ.

II. Interim pacis negociationem ita à quibuſdam retardari, ut ſingulis quaſi momentis impingat in novos ſcopulos & remoras. Cæterùm, quæ jam deliberata eſſent, & Cæſareâ authoritate, Suecis Jubentibus, decreta ac confirmata, non debere Gallicâ ac Batavicâ interceſſione infringi, aut novis implicari comperendinationibus. Et quia Daniæ Rex aliquid meminerat de cauſâ Domûs Palatinæ, reſpondit Cæſar, ſe de eâ cum illis, quorum intereſſet, acturum. Porrò ſe, quemadmodum adhuc fecerat, nihil intermiſſurum, quod ſpectat ad pacis conciliationem, ſive ea ſit inter omnes generalis,

ralis, ſive peculiaris aliquarum Europæ partium. Cæterùm ea, quæ pacis conſilia remorentur, nihil aut parùm conſentire cum Regis Franciæ litteris, & Suecorum conteſtatione, quæ non obſcurè indicarent, ipſos in eâ fuiſſe ſententiâ, fas eſſe ſeorſim inire pacem, ſi utrique ſimul inire non poſſent. Porrò non ambigi, quin Rex Daniæ eâ ſit authoritate, ut, ſi Suecis rerum momenta ponat ante oculos, ipſi gradum faciant ad pacis tractationem, ut de ejus inchoandæ tempore poſſit certum aliquid ipſis aſſentientibus conſtitui. Quod ſi fieret, fore in promptu litteras Cæſareas præſtandæ ſecuritatis: & tum quidem Moguntinenſis & Brandeburgici Electoris Legatos, ipſúmque Cæſaris Vice-Cancellarium quamprimum Lubecam profecturos.

Hæc quidem ſalutariter proponebantur à Cæſare, ſed quæ fuit adhuc adverſariorum à pace alienatio, ſic aliò avertêre ſua conſilia, ut tractatio Lubecenſis ſeriò & gravatè ſuum exitum ſortiretur. Súpererat, ut Cæſar Germaniæ ſaltem pacandæ, vel certè, ſi id per exteros liceret, pacis generalis rationes iniret. Quam ad rem viſa ſunt Imperij Comitia multum adjumenti allatura. Ad ea priuſquam Principes & Ordines Imperij convenirent, viſum fuit magnopere profuturum, ſi quæ potiſſimùm ventura erant in deliberationem, in Septemvirûm Conventu expenderentur. Ergò, quod anno ſuperiore jam fuerat conſtitutum, Septemvirûm legati Norimbergam cum ſuorum quique Principum mandatis acceſsêre. Illis prima cura fuit, eorum animos, quos à concordiâ noverant alieniores, flectere ad æquitatem, & modos proponere, quibus ad pacatiora conſilia moverentur. Primùm ergo egêre cum ijs Principibus & Ordinibus, qui Pragenſem pacem nondum admiſerant, vel admiſſam rejecerant, ut reducerentur in viam: neque enim per eos, qui in ejuſce pacis ſocietate perſtabant, quicquam obſtabat, quò minùs diſcordiarum cauſæ è medio tollerentur. Ergo volentibus Septemviris, legati ſcripſêre tum ad Haſſiæ Caſſellenſis principem viduam, tum ad Georgium Ducem Brunovicenſem & Luneburgicum litteras plenas humanitatis, quibus Romani Imperij, totiúſque Germaniæ ſalutem, verbis ampliſſimis ponebant ipſis ob oculos, monebántque, ne per exterorum ſuaſiones ſe patriámque communem diuturnioribus calamitatibus irretiri paterentur: atque id quidem eò magis, quòd hoc ipſum amor patriæ, debita ſummo Imperij capiti reverentia, tot jam retro ſæculis propagata libertas, omnium Ordinum mutua benevolentia, Germaniæ periclitantis neceſſitas, calamitoſiſſimorum ſubjectorum ſalus atque incolumitas, & timenda in poſterum mala expoſcerent. Privatim Æmiliæ Caſſellenſi viduæ potiſſimùm revocabant in memoriam pacta, quæ Elector Moguntinus, ex Cæſareæ Majeſtatis voluntate, cum Viduæ legatis, ipsâ volente ac jubente, inijſſet. Et ea quidem non modò fuiſſe rite relata in tabulas, ſed etiam à Cæſare citra omnem rerum conventarum mutationem, probata & auguſtali diplomate confirmata, depoſitáq; in Imperij tabulario eo prorſus tenore, quo Joanni Wilhelmo Hornio fuiſſent prælecta, viſáque cum ipſis pactis omnino conſentire. Proinde nihil deſiderari aliud, niſi ut quâ par eſſet fide ſervata darentur executioni, reſciſſis exterorum fœderum vinculis, tandémque arma Haſſica, eo, quo conventum erat, modo, ad communem Imperij ſalutem, & Haſſiæ commodum Cæſari ſociata verterentur.

III. Conventus Electorum Norimbergæ.

Litteræ ad Ducem Luneburgicum et Hassiæ Landgraviam.

IV.

Pro Duce Luneburgico coràm reſpondêre Friderici & Auguſti Ducum Luneburgicorum, qui Comitio aderant, legati, ſuos Principes ad pacem, ut qui maximè, eſſe propenſos: ad eam ſtabiliendam æquum eſſe, ut omnes omnino Imperij Principes atque Ordines votis, conſilijs ex animo conſpirant, eóque videri omnes eſſe vocandos ad communes conſultationes, ut cuique ſit integrum, tum de re publicâ, tum de privatâ, ſuam mentem explicare. Eſſe enimvero quàm multa, quæ omnium ſimul & ſingulorum ſeorſim interſit maturè excuti, & denique decerni. Ut verò de aliorum rebus tacerent, hærere adhuc Ducum ſuorum pectoribus infixum aculeum, qui eos lancinet vehementer. Nondum videlicet munitionem Wolfenbutenſem eſſe reſtitutam, nondum eſſe deciſam

Responsa.

V.

Hildeſienſem controverſiam, rem Tillianam adhuc altâ mente eſſe repoſtam. Eapropter mirum non debere videri, ſi Dux Georgius ſuis & ſuæ familiæ rebus proſpectum velit. Hæc & id generis alia non ſinere eorum animos, qui ſe læſos arbitrentur, in præteritorum damnorum recordatione, & recurrentium offenſarum Euripo & agitatione conquieſcere. Res erat videlicet de recipiendâ Wolfenbutâ, quæ adhucdum Bavarico præſidio tenebatur: agebatur de intervertendâ Hildeſienſi Eccleſiâ, tandem etiam de debito à Friderico Ulrico Duce Brunovicenſi & Luneburgenſi cum Rege Daniæ contracto, & per Regem in pactis Lubecenſibus ceſſo Sac. Cæſareæ Majeſtati, ac demum à Cæſare donato Comiti Tillio, quod moderni Duces negabant à ſe deberi.

Æmilia Haſſiæ adminiſtratrix multa de ſuo in ſalutem Germaniæ ſtudio repoſuit: pacta verò ideo à ſe non ſervari, quòd ea negaret à ſe inita, ſuâve ſyngraphâ firmata, quòd eorum confirmatio à Cæſare diu fuerit dilata, & verò etiã aliqua circa religionem redacta in anguſtiores cancellos, quàm ipſa petiviſſet: ſe non eſſe pollicitam, in nuperâ tranſactione arma Cæſari jungere, ſed attuliſſe cauſas, cur id nullo pacto fieri deberet. Multa præterea id generis reſpondit, de amneſtiâ, déque rebus iſtiuſmodi.

VI. Comitia Ratisbonensia.

Cæterum Ferdinandus Cæſar, auditâ Electorum ſententiâ, Comitia Ratiſbonæ indixit: & ipſe quidem etiam menſe Junio illuc profectus, ſolenni pompâ atque honore fuit à Senatu populóque exceptus. Eodem ſe contulêre Imperij Electores, Principes, Ordines per ſe, vel per oratores. Illuc miſit Maximilianus legatos.

Primo conſeſſu, ſacris rite majorum more peractis, Guilielmus Marchio Badenſis, futurarum conſultationum argumenta, tribus potiſſimùm capitibus complexus propoſuit. Primum erat de reſtituendâ Imperio Romano tranquillitate, animorum conſenſione & charitate, ídque ſolidè ac ſtabiliter, ſublatis turbarum ac diſſenſionum cauſis. Alterum ſpectabat ad media belli proferendi, donec pax coaleſceret. Tertium ad reſtituendam juſtitiæ adminiſtrationem.

Venêre interea binæ à Ducibus Brunovicenſibus ac Luneburgicis ad Septemviros, & Imperij Ordines litteræ, quibus ſuæ cum Suecis conjunctionis & ſociatorum armorum rationem reddere conabantur: eæ ferè revocabantur ad neceſſitatem, quæ ipſos ad hoc adegiſſet, veritos, ne ſuorum Principatuum, & circuli Saxonici ditiones cum inſigni Romani Imperij detrimento peſſum irent. Et verò etiam obtendebant, clàm interceptas ex Aulâ Cæſareâ litteras, ex quibus patuiſſent inita conſilia de ijs opprimendis, ubi primùm Bannerus foret debellatus: ſimul addebant, ſe nihilo ſeciùs cum Imperio ejúſque dignitate atque ſalute ſemper fore conjunctos.

VII.

Verùm periculoſiora erant hujuſmodi conſociationis ad reliquos Imperij Principes exempla, quàm ut ex eorum diſſimulatione, Cæſar anſam præberet alijs in poſterum iſtiuſmodi ſeceſſionibus. Ergo litteras dedit ad Ordines inferioris Saxoniæ, in hanc ſententiam: Ipſos haud dubiè noviſſe, quo pacto Duces Brunovicenſes ac Luneburgici decimâſextâ die Maij ſuperioris, adverſus fidos ac obſequentes Imperij ſtatus, arma Bannero ſociâſſent: id verò non modò pugnare cum ſacramento fiduciario, quo ſe obſtrinxerint in ſuorum Ducatuum inveſtiturâ, ſed adverſari etiam illi, quam nuper per ſuos legatos in Septemvirûm Collegio ediderint, conteſtationi. Cæſ. Majeſtatem tale nihil ab ullis principibus, nedum à Saxonibus, quorum majores memorabili fuiſſent in Rom. Imperium fide, expectaviſſe: eam tamen cum non levi animi ſui moleſtiâ cognôſſe, eoſdem illos Principes non modò in ſuſcepto conſilio perſtare, ſed alios etiam, præſertim Saxoniæ ſuperioris Ordines, tum per litteras, tum per legatos in ſuam ſocietatem allicere. Sperare nihilominus Cæſ. Majeſtatem, cæteros ejuſce circuli Principes & Status, ſuæ in Imperium fidei & officij memores, daturos operam, ut, quo par eſt ſtudio, in debitâ obſervantiâ perſeverent, & quâ poterunt ope,

ope, connitantur Imperij damna & diſcrimen amoliri, quò faciliùs exterorum animi ad ſuſcipienda pacis conſilia incitentur.

Addidit Cæſar clementiſſimum reſcriptum, quo hortabatur Imperij Electores, ut Luneburgicis juxtà & Haſſis autores eſſent, arma à Suecis ſejungendi, propoſitâ non modò publicâ Germaniæ ſalute, ſed etiam Cæſareâ gratiâ, quâ initæ cum hoſtibus ſocietatis culpam ipſis eſſet condonaturus, eóſq; omni prorſus tum Cæſariani militis, tum hoſtis cujuſvis violentiâ præſtiturus ſecuros. Quibus de rebus moniti Duces, egêre apud Cæſarem per ſupplices litteras, ut pro eo ac Germanicæ libertatis, ſuæque Domûs ac Ducatuum jura poſtularent, ipſi omnes & ſinguli, more majorum, ad Comitia vocarentur, & ſuam ſententiam permitterentur dicere: tum fore manifeſtum, quàm ardentibus votis ipſi ad pacem adſpirent, quantâ ſint in Cæſarem reverentiâ: oſtenſuros ſe iſtas habuiſſe cauſas, pro ſuâ & ſuorum incolumitate arma cum Suecis ſociandi. VIII.

In eandem ferè ſententiam ſcripsêre ad Collegium Electorum, hoc addito; tandem ſe etiam ſibi jurique ſuo, quâ poſſent ratione proſpecturos, ſi cum Domorum ſuarum ignominiâ à Comitijs excluderentur. Atque his quidem litteris id impetrârunt, ut Septemvirûm rogatu, Cæſar ipſis ad Comitia accedendi & recedendi facultatem litteráſque ſecuritatis impertiret.

Haſſiæ Landgravia pariter conqueſta fuit, ſe in Comitiorum convocatione fuiſſe præteritam. Cùm in conſultationibus quæſtio de reſtitutione tam perſonarum, quàm bonorum, déque Amneſtiâ ſæpe recurriſſet, re in Electorum & Principum Ordinúmque cœtibus diu multúmque expensâ, tametſi plurimi ſentirent, non debere eos, qui nondum eſſent in Cæſaris gratiam recepti, perinde atque alij, qui priſtinæ conditioni plenè eſſent reſtituti, admitti ad Comitia; tamen pervicerunt aliorum vota, ut ijdem illi vocarentur.

Et quia ab Electore Trevirenſi, qui adhuc Viennæ attinebatur, & à Carolo Ludovico Comite Palatino, aliiſque graves conteſtationes & querimoniæ venerant, quaſi immeritò à Comitijs excluderentur, Sac. Cæſ. Majeſtas publicæ ſalutis amore, denique voluit ipſis cum fide publicâ tutò veniendi fieri poteſtatem. Decretũ quoq; fuit, agendum eſſe de pace cum exteris: & quidem gratum fore, ſi ſummus Pontifex apud Regem Chriſtianiſſimum conciliatoris partes ſumeret, ſicque apud Suecos Daniæ Rex foret pacis pararius: demum eos, qui pacis conſilijs obſiſterent, communibus armis velut publicos hoſtes eſſe inſectandos. IX. *Ad Comitia admiſſi qui nondum plenè reſtituti.*

Philippus Ludovicus Simmeranus Friderici Comitis Palatini defuncti germanus, Sedano Non. Septemb. ſupplices litteras dedit ad Comitium, quibus orabat Electores, Principes & Ordines Imperij, vellent innocentiæ ipſius habere rationem. Enimvero penes ſe nullam præteritorum motuum culpam reſidere, ſed patriâ extorrem duodecimum jam annum procul à turbis fuiſſe, & proinde jure repetere hæreditatem, quam parentis ſui morte delatam & aditam Anno M. DC. X. poſſidere cœpiſſet. Reſpicerent Principes Septemvirûm & aliorum patrocinantium interceſſiones, attenderent, quas ipſe in Aulâ Cæſareâ preces adhibuiſſet, nec vellent ſibi eſſe fraudi, quòd Palatinorum pupillorum tutelâ in ſe ſuſceptâ, conatus fuiſſet eorum res nullâ prorſus cujuſquam injuriâ ſervare: non debere verti vitio, quòd ditiones paternas, quas Sueci Hiſpanis ademerant, grato ipſe animo recepiſſet, quandoquidem ne Cæſar quidem ipſe hoc poſtliminij beneficium adhuc revocâſſet in controverſiam. Nihil ſe in Galliâ præter aſylum exiliúmque quæſiviſſe, in quo remotus viveret ab Imperij motibus & perturbatione. *Philippus Ludovicus Com. Pala. Simmerenſis petit reſtitui in integrum.*

Excuſavêre etiam Northuſienſes ſuam cum Duce Luneburgico conjunctionem: Verbo, nemo volebat nocens videri, aut peccâſſe quicquam adverſus Cæſarem aut jura Imperij. Grandis excuſantium confidentia, grandior clementia Cæſaris, qui cum ſubditis iiſque non ſupplicibus, ſed armatis, & qui cum publicis hoſtibus conſpirabant, paciſci ſuſtineret: tanti erat ſalus publica, & in generoſiſſimo Imperatoris pectore cura tranquillitatis. X.

Sed & illud grave atque permoleſtum. Sueci tanquam bonam utilémque Imperio Romano navâſſent operam, exigebant ejuſce laboris, velut bene meriti, ſatisfactionem: tametſi cauſæ non deeſſent, cur ea res reijci poſſet in eos, qui illorum ope erant uſi; decretum tamen fuit, in commune ſuſcipiendam eſſe eâ de re in Comitijs tractationem, atque interea, donec certi quippiam conſtitueretur, decreti ipſis fuerunt duo auri milliones, eâ lege, ut Rugia Inſula & Stralſunda Suecicæ Coronæ manerent obſtrictæ jure hypothecario. Quòd ſi iſta pecunia intra decennium non repræſentaretur, Suecia eas acciperet à Cæſare, nexu beneficiario, qui ad hodiernam Reginam ejúſque hæredes maſculos protendetetur. Si verò Reginam contingeret abſque tali hærede decedere, iſti duo milliones ſeſquitribus reluerentur.

Suecica satisfactio.

XI. Hiſce prælud ijs via parari videbatur ad pacis tractationem: ſed impingebatur ſtatim in ipſo limine. Nam poſteaquam Cæſar ultrà, quàm æquitas poſtulabat, plurima indulſerat, quæſierunt aliqui comperendinationes, effugia, ex ipſis dictionum apicibus, quos, in ipſis ſecuri conductûs libellis, alias ſuper alias nectendo difficultates, appendebant ad libellam. Hoc potiſſimùm in Conventu Colonienſi apparuit, ex varijs altercationibus, quibus demum fatigatus Cardinalis Ginetti legatus à latere ſummi Pontificis, impetratâ à Sua Sanctitate miſſione, Cæſaris licèt legatis, ne diſcederet, obſecrantibus, poſt quatriennes moleſtias afflictámque valetudinem, Romam reverſus eſt. In ejus locum ſucceſſit Machiavellus Patriarcha Conſtantinopolitanus. Poſtridie Cal. Janu. Dux Wirtenbergiæ Monachium profectus, à Maximiliano Electore, quo par eſt honore & benevolentiæ ſignificatione, fuit habitus. Redeo ad bellicas expeditiones.

Cardinalis Ginetti Romam revertitur.

Weinmaricæ copiæ, Duce Longavilleo, tripartitæ conſederant in Rhingaviâ ad Rhenum, in Wetteraviâ, & citeriore Haſſiâ. Eædem auctæ legionum ſupplementis, anno ſuperiori vertente, Crucinaci, Veſaliæ ſuperioris, Boppardiæ, Bingæ, Baccaraci, Hademariæ, Dikirchij tum ex ſtativis, tum ex prædis, inamabile ſibi nomen conſciverant. Limburgi in Monaſterio Ordinis S. Franciſci, non Monachorum pauperiem, ſed miſeræ plebis, iſthic ſecuritatis causâ, tantillas ex bello depoſitas reliquias expilârunt. Ex Lunæ, Hademariæ, Limburgi, aliorúmque locorum ſpolijs, Crucinacum & Bingam mille circiter modiorum annonâ, muniverunt. Fridberga in Wetteraviâ, exeunte Januario, deſperato auxilio, poſt longam obſidionem unà cum arce, ijſdem ſe permiſerat, Centurione cum duodecim duntaxat gregariorum manipulo Francofurtum abeunte, cætero præſidio tranſeunte ad hoſtem. Venit in parem ſortem Braunfelſa, hoc infelicior, quòd Præfecto inermi cum bacillo decorticato fuerit abeundum.

Weinmariani varia loca occupant.

XII. Bavarici, qui in Rheni confinijs degebant, non egêre meras ferias. Junctis enim cum Verdugo Franckentalienſi Gubernatore viribus, Altzeium ejúſque arcem occupaverunt, permiſsâ præſidiarijs trans Rhenum abeundi cum ſuis ſarcinis libertate. Excuſsêre quoque hoſti Baccaracum unà cum arce; & quicquid paulò antè regionis invaſerat Moſellam inter & Rhenum. Tentârunt quidem Crucinacum & Bingam, ſed caſsâ obſidione, ſub hiemem exeuntem. Bingam tandem Gleenus menſe Auguſto cùm primariam turrim tormentis ſtraviſſet, unà cum arce recepit. Crebris interim velitationibus, datis ultro citróque cladibus, Bavarici & Weinmarienſes ſeſe mutuò variâ fortunâ exercuerunt. Reliquis illa fuit gravior, quâ ad Rhenum Bavarici unam hoſtium legionem profligârunt: iſta exigua, quâ Offenburgenſes præſidiarij Briſacenſibus abegerunt armentum.

Bavarici Altzeium, Baccaracum, Bingam recipiunt.

Philippoburgenſes, quibus Bambergerus præerat, aliquoties excurrerunt in hoſticum. Biſingerus equitum magiſter ad uſque Alſatiæ Tabernas progreſſus, Francorum ſtationem oppreſſit, triginta occiſis, captis ſexaginta unà cum duobus centurionibus. Alteram idem ille cum ducentis equitibus expeditionem ſuſcepit menſe Majo in Benfeldæ confinia, ubi pari felicitate ex improviſo aliam Weinmarienſium ſtationem profligavit.

Excursiones Philippoburgensium.

XIII. Tertia, cujus Bambergerus ipſe ductor fuit, longè plus habuit operæ atque periculi, minus utilitatis,

eodem

eodem iſto menſe. Ille cum quadringentorum & quinquaginta legionariorum, & ſeptuaginta equitum manu, per ſylvarum occulta, ſub noctis medium in Hagenoæ ſuburbanum provectus, vigilijs urbis ſtationibúſque exploratis, cùm æneator poſtremæ vigiliæ ſignum daret ad auroram, extimo ponte ſubductario ab excubitoribus de more demiſſo, per patefactum aditum inobſervatus ad uſque clathri cataractam promovens, detectus eſt fragore bombardæ unius è commilitonibus, qui caſu, ſoluto ignitabulo, ſclopum accenderat. Gravis id fuit periculi. Quòd ſi enim excubitores, attracto ponte, occluſiſſent Bambergero exitum, ipſe cum ſuis velut in carcere inter pontem & civitatem hæſiſſet. Verùm excubitorum nemini, cùm exciti ad arma convolâſſent, animus curáve fuit pontis attollendi in eâ trepidatione & turbatæ mentis incogitantiâ. Quare Bambergero patuit effugium nullo è ſuis deſiderato. Excurrêre præterea ſemel iterum Philippoburgenſes exili operæ pretio, niſi quòd Falceburgo aliquot vini dolia, Buſvillero Comitis Hanoviæ pecora abduxerunt.

In meſſe colligendâ, quæ miſeris colonis una ſpes ſupererat, fuerunt Gallo-Weinmarij oppidò diligentes & gnaviter induſtrij. Tubadelius enim, qui ad eam rem Lauffenburgi cum quingentis peditibus, & ſeſquicentum equitibus ſubſtiterat, Briſacenſes item, Benfeldenſes, Colmarienſes, Seleſtadienſes, gladijs in falces mutatis, meſſorum labores occupârunt, [&] aliquot modiorum millia Briſaci, in communi militiæ penu condiderunt, agreſtibus illud Poëtæ identidem occinentibus;

Impius hæc tam culta novalia miles habebit!

Sub id temporis Erlachius ſupremus ordinum ſtructor, & Hutſteinius Tribunus, Cæſarianis, qui ſedebant Engæ (oppidum eſt haud procul ab Hohenvillâ) ſomnolentiam excuſsêre. Occupato enim oppido & caſtro, complures è præſidiarijs atque civibus trucidârunt; cúmque ex comportatis in horrea frugibus, Hohenvillanis rem frumentariam intuliſſent, Engâ relictâ diſceſsêre. XIV.

Menſe Auguſto, Camillus Gonzaga ſex Cæſarianorum legiones adduxit in agrum Francofurtenſem. Ad eas acceſſit Ægidius Haſius cum ſuis. Omnes unà complebant numerum novem millium. Mœnum trajecerunt per pontem Aſchaffenburgenſem moturi ad Rhenum. Verùm cùm mandata alia accepiſſent, converſo itinere, Gleeno duce, per fines Fuldenſium retro ad Cæſaris exercitum fuerunt profecti.

Hohenvillam jam ſæpius fruſtra obſeſſam, tentare hoc quoque anno viſum eſt inſtinctu Enriqueſij legati Hiſpanici apud Archiducem Auſtriæ Ferdinandum. Reddebat arx iſta omnem circà regionem, tum exigendis tributis, tum crebris excurſionibus admodum inquietam. Ut frenarentur præſidiariorum excurſiones, Maximilianus Elector juſſit Truemillerum eam rurſus obſeſſam claudere. Ad copias Bavaricas delectas è præſidijs acceſsêre novæ centuriæ, & miles deſtinatus in Italiam, omnes ſimul ter mille. Inauſpicata fuit iſta obſidio: Weinmarienſes enim, profligatâ unâ ſtatione, ejuſce reliquias, quæ in Stauffenſem arcem refugerant, unà cum arce devicêre, multis interfectis, captis non paucis. Venit in cæſorum numerum Albertus Comes Fürſtenbergius, Cæſarianæ legionis protribunus, qui fortiter pugnans mori maluit, quàm captivus ſupereſſe. Poſt eam cladem cùm miles à ſignis frequens dilaberetur, terræ legiones, Tilliana videlicet, Eichornia & Eſſerica redactæ fuerunt in tres turmas, cùm univerſim è tribus millibus non multi ſupra ſeptingentos ſupereſſent. Hi, quamvis adverſus invictam arcem nihil, aut vix quicquam promoverint, hoc tamen attulêre commodi, quòd, qui in Cellenſi oppido Hiſpanicis ſumptibus muniendo deſudabant, nova circùm opera ſecuti excitârint.

Obſidetur Hohenvilla in caſſum.

XV.

Wolffio Tribuno Bavarico res magis ſucceſſerunt ex voto. Gallo Weinmariani, menſe Majo, ex ſuperiore Haſſiâ à Bannero vocati in Turingiam, aliquam copiarum partem in Wetteraviâ reliquerant ſub Wolmaro Roſâ. Ex illis curabant Urſellæ ſuperioris quinque turmæ ſui apprimè ſecuræ. Id cùm Wolffium

ſium non lateret, ſub naſcentem Auguſtum, die albeſcente, tubo indutili Urſellæ portam emolitur, quóque magis ſemiſopitos Roſanos diſtrahat, quatuor locis jubet ſuos involare in mœnia. Factum cum dicto: Præſidiarij neſcij, quâ parte magis urgeret periculum, hac illac diſpalati diſcurrere, nihil facere ordine, ſuo quiſque ductu agere, cùm Bavarici momento infuſi in oppidum, denis tantùm interfectis, omnes (fuêre autem trecenti, & in ijs ductores viginti quatuor) cum opimâ prædâ redigunt in ſuam poteſtatem.

Weinmariani oppreſſi.

XVI.

Epſteinia exuti.

Eâ clade Roſa excandeſcens immanem in modum, Bommersheimium municipium, incolis crudeliter habitis, flammis abſumpſit. Moguntinenſe præſidium, menſe Auguſto, Epſteiniam arcem, cæſis Weinmarienſibus, recepit. Cæſariani, qui in Comitatu Waldecenſi & ad Viſurgim hibernaverant, diffuſi per Weſtphaliam, per agrum Colonienſem & Haſſiam ſuperiorem, Gallo-Weinmaricis ademerunt, quicquid menſe Majo in Haſſiâ occupaverant.

Pulſi ex Haſſia.

Reinoldus Roſa exercitûs Gallo-Weinmarici director, illius, quem paulò antè nominavi, patruelis circa menſem Octobrem venit in Wetteraviam, novum militem ſcripturus, quem veteranis legionibus, quæ iſthic ſtativa habebant, adjungeret. Ille interim, dum miles legitur, Paulum Matterium hipparchum, qui Hoffheimij cum centum quadraginta gravis armaturæ equitibus agebat, altero à Moguntiaco milliari, oppreſſum coëgit ad deditionem.

Viciſſim opprimunt turmam equitum.

Benzenavius Tribunus itidem Hamburgi inopinatò gravem cladem accepit. E diverſo Cæſariani, rogatu Moguntinenſis Electoris, Amœneburgum Moguntini imperij oppidum menſe Novembri recuperârunt.

Cæſariani Amœneburgum recuperant.

Non multo pòſt prope Zigenheimium pugnatum fuit cum Cæſarianorum clade. Allendorfij Croatarum legio, & ſex Cæſarianorum turmæ fuſæ, fugatæ. Mars iſtis locis id temporis prorſus adverſus fuit Cæſarianis. Nam præter iſtas clades, grandiorem accepêre ſub finem Novembris, in quâ Breda vice-ſtrategus occubuit, duo Tribuni, totidem ſupremi vigiliarum præfecti, cum magno equitum peditúmque numero.

Clades Cæſarianorum ad Zigenheimiū.

XVII.

Gleenus Fridbergam deditione accipit.

Paulò ſecundior Gleeno fuit Fridbergæ in Wetteraviâ obſidio. Tametſi enim hoſtis tres jam incurſiones repreſſerat, ſéque muniverat novis operibus, attamen ubi dirutâ mœnium parte, novam impreſſionem paratam animadvertit, menſe Decembri, honeſtis conditionibus oppidum arcémque Gleeno dedidit, eâ lege, ut quadringenti præſidiarij, qui aliàs Cæſari militaverant, redirent ad Cæſarianas legiones. Reinholdus Roſa vices rependit non procul Francofurto, ſub finem Decembris, cæsâ unâ Cæſarianorum legione, Comite Gallo ſauciato & capto.

Cæſariana legio cæſa.

Tranſeo ad Luneburgicos & Haſſos. Quicquid juberet Cæſar, ſuaderent Imperij Septemviri, aliíque Imperij Principes, obtineri non potuit, ut Dux Luneburgicus & Æmilia Haſſica à Suecis ſua arma ſejungerent. Quare, ne ex ijs partibus res evaderent deteriores, aliquot Cæſarianæ legiones, adjunctis Bavaricis, fuerunt in eos fines ducendæ. Reſciſſis ergo, quæ interceſſerant cum Haſſis, aliquanti temporis inducijs, bellum cœpit recrudeſcere. Comes Wahlius, qui Maximiliani copijs præerat, invaſit Alenenſe oppidum Haſſicum, & Wernæam, quæ Lipſtadio & Coſfeldiæ interjacet. Melander, qui ad hoc temporis Haſſos cum ſummâ poteſtate duxerat, ortâ cum Bannero ſimultate, faſces poſuit, & volente Landgraviâ ſucceſſorem dixit Comitem Eberſteinium, Wertenbergo, qui in Friſiâ curabat, hoc ipſum ægrè ferente; donec diſſidium à Landgraviâ, quæ eam ob cauſam profecta eſt in Friſiam, fuit compoſitum. Georgius Dux Luneburgicus certus Hildeſienſem Epiſcopatum retinere mordicus, auxit ſuas copias novis delectibus, & antehac initam cum Suecis belli ſocietatem renovavit. Quæ res non Cæſarem modò & Principes, ſed etiam Auguſtum & Fridericum Georgij Ducis fratres, ipſámque Brunovicenſem civitatem ſic offendit, ut Magiſtratus vetuerit quemquam intra ſua pomeria militem pro Duce conſcribi. Eâdem conſtantiâ Bannero, ſuperiorum annorum tributa & ſumptus exercitui

Expeditio adverſus Ducem Luneburgicum et Haſſos.

XVIII.

Dux Luneburgicus Hildeſienſem Epiſcopatum conatur ſibi retinere.

ercitui in poſterum exigenti, negavêre, productis etiam in mœnia tormentis, vim, ſi quam Bannerus inferret, repulſuri.

Comes Wahlius interea, vere jam adulto, trans Viſurgim moturus, trajectum ad Rinteliam tentavit: ita Wahlius cum aliquâ ſuorum jacturâ paſſus repulſam, duxit in agrum Hildeſienſem adverſus Suecos & Luneburgicos, qui iſti Epiſcopatui graves incubabant. WAHLIUS MOVET IN HILDESIENSIUM FINES.

XIX. Wolfenbutæ Gubernator Baro Rauſchenbergius occaſioni intentus, eodem propè tempore Steinbrucum, firmum & nobile præſidium Duci Luneburgico eripuit. Cùm verò id Duci eſſet perincommodum, nihil cunctatus, locum arctâ coronâ cinctum cœpit oppugnare. In eo oppugnando multum operæ poſuit. Tanta enim fuit Bavaricorum in eo propugnando pertinacia, ut cùm tormentis tecta propè omnia eſſent diruta, vel ſic lacerata, ut militi receptum non præberent, obſeſſi in hypogæis agentes, tamdiu vim arcerent, donec fame & ultimâ rerum inopiâ coacti, honeſtam pacti deditionem, hoſti munitionem permiſerunt. Deditionis leges, recepto oppido, non ſervavit Dux Luneburgicus, cauſatus eas ſuo injuſſu pactas: quo factum, ut præſidiarij, quibus promiſſa fuerat libertas diſcedendi Lubenburgum, ubi Cæſariani curabant, inviti ad ſigna Luneburgica traherentur. Hoc videlicet cavebat Dux, ne eorum acceſſione Lubenburgum, quod ſtatuerat obſidere, firmatum; pari cum Steinbruco conſtantiâ defenſum, longam & operoſam obſidionem exigeret. Nec eum fefellit iſta cautio: Cæſariani enim, ſuæ paucitatis conſcij, honeſtis conditionibus ſeſe obſidentibus Luneburgicis permiſerunt. Iſtorum locorum recuperatio eò maximè ſpectabat, ut acciſis circùm præſidijs, Wolfenbuta tantò faciliùs poſſet oppugnari. Intererat quàm plurimùm eam, expulſis Bavaris, recuperari, vel ſic coërceri, ut ipſa totam circa regionem frenare, & velut ſudes in oculo affligere deſineret. Nam præter collectitia tributa, vicinis ad præſidij ſuſtentationem imperata, & ſuperioris temporis excurſiones, quibus latè circùm regio à Barone Rauſchenbergio infeſtabatur, hoc anno ineunte, Wolfenbutenſes arcem Scharfenſteiniam occupaverant, ſæpius minutioribus prælijs, menſe præſertim Majo, Corneræ haud procul à Mulhuſio, hoſtem profligarânt: Julio pabulatores cum ducentis equis interceperant: centum recèns Hamburgi & Lubecæ delectos milites cum uno Protribuno, tribus centurionibus unòque decurione oppreſſerant.

BAVARI STEINBRUCŨ ACCERRIME DEFENSUM COGUNTUR DEDERE.

CÆSARIANI LUBENBURGUM DEDUNT.

WOLFENBUTÆ OBSIDIO.

XX. Quamobrem Dux Georgius, menſe Decembri, obſidionis fecit initium, rejectis in ipſam munitionem vicinis Bavarorum ſtationibus. Excitavit deinde propugnacula, quibus Wolfenbutenſibus commeatum & excurſiones interciperet. Acceſſêre ſex Gallo-Weinmaricæ legiones, quæ in agro finitimo excubantes, obſeſſos circumſederant.

Sic creverat interea Cæſarianus exercitus Bavaricarum copiarum, quas Gleenus ducebat, conſociatione, ut Bannerus longè quàm antè cautior, non tam de conflictu, quàm conquirendis auxilijs cogitaret. Eapropter curæ illi fuit, Batavos allicere ad armorum ſocietatem, propoſitâ ſpe rerum magnarum. Eo ſcilicet aſſerebat futurum, ut Saxoniæ Elector à Cæſarianis partibus abduceretur; circulus Weſtphalicus ab ijſdem deficeret; Monaſterium Weſtphalorum in fœdus concederet, ſubigeretur Meppena, tandem etiam in Ubijs, Coloniâ, Bonnâ, ſub jugum miſſis, Batavi proferrent fines ſui imperij. Quod ſi Batavi abnuerent, addebat Bannerus, ſe etiam tandem coactum iri refugere in Batavicas ditiones, atque iſthic belli ſedem figere. Verùm eæ rationes nihil movêre Batavos, quippe quibus pluris erat, non habere Cæſarem & Romanum Imperium aperto bello offenſum. Id enim ſibi in futurum longè intentis, videri plus habere periculi*, quàm ut crederent, rerum incertarum fiduciâ poſſe prudenter admitti. Rebus ſuis non profuturas, ſed obfuturas quàm plurimùm tam potentis hoſtis apertas inimicitias, & novum bellum, quod faciliùs accendi poſſet, quàm extingui.

BANNERUS BATAVOS CONATUR ALLICERE AD ARMORUM SOCIETATEM.

XXI. Quare Bannerus hujus ſpei irritus, menſe Decemb. Hildeſio migrare conſtituit.

In Haſſiâ res ſic habuêre. Haſſi tempeſtivè prodiêre in caſtra prope Caſſellas: movêre inde in Weſtphaliam, ubi menſe Julio Meppenam improviſi occupaverunt. Deerant quammultis equitibus jumenta, de quibus juſſi ſibi ex prædis proſpicere, irrupêre in agrum Halberſtattenſem. Iſthic agreſtes & multas nobilium domos depopulati, cùm arguerentur id facere per injuriam in amicos, dixêre, ſe id non Principis ſuæ juſſu, ſed Banneri, perpetrare.

ANNONA DIFFICILIS IN HASSIA.

Coivêre interim in Haſſiâ Suecicæ pariter & Haſſicæ copiæ, unde tantæ totâ Provinciâ natæ ſunt cibariorum anguſtiæ, ut, cùm non modò militi, ſed ne Caſſellenſibus quidem ſuppeteret annona, à Duce Georgio Luneburgico res frumentaria aliáque vitæ ſuſtinendæ ſubſidia peti debuerint. Annonam flagellabant frequentes Cæſarianorum excurſiones è caſtris Fritzlarienſibus, ad ipſas uſque Caſſellarum portas, eóque fiebat, ut vijs infeſtis, in caſtra Haſſica, niſi cum validâ admodum defenſorum manu, nihil poſſet inferri. Ea rerum & itinerum difficultas, tum primùm remiſit, quando itum fuit ad Viſurgim. Illuc Wahlius ex Ubijs duxit partem militis Bavarici unà cum viginti quatuor tormentis, ſéque cum Hatzfeldij copijs conjunxit.

XXII.

Quæ per Bavaros geſta ſunt in Franconiâ, paucis expediam. Kœnigsmarckius habebat ſub ſignis ad octo millia: Epiſcopus Herbipolenſis immunitatem à ſtativis, & ſecuritatem ſuæ ditionis cum eo ſic erat pactus, ut duabus duntaxat legionibus præberet hoſpitia, adderétque triginta Talerorum Imperialium millia. Hæc cùm Kœnigsmarckius exigeret, Princeps Herbipolenſis erat ſollicitus, ne ille tali obtentu in Franconiam irrumperet. Quamobrem impetraverat à Maximiliano ſex legiones, quæ forent in promptu, ſi quæ vis ipſi à Kœnigsmarckio immineret. Cum Epiſcopo deliberârunt Herbipoli Gleenus, Mercius, Truckmillerus, Kolbius, Nevolkius, Löbenſteinius de belli & arcendi hoſtis rationibus. Viſum in commune expedire, ut Gleenus & Mercius Schweinfurtum moverent cum parte copiarum, exinde futuri ad manum & tutelam Bambergenſibus. Verùm Kœnigsmarckio conſilium non erat Bambergam vel Herbipolim invadere, ſed ire in legiones Saxonicas, quæ ad Naumburgum agebant; ſimul diſſipare delectus, qui Weiſſenfelſæ, Zeitzæ, Geraviæ, Bornæ, habebantur. Quæ res cùm Saxoniæ Electorem haud lateret, juſſit ſuos, Naumburgo relicto, migrare Lipſiam. Ergo Kœnigsmarckius, mutato conſilio, quatuor legiones, quæ Halberſtadio venerant, miſit ad invadendum Querfurtenſe oppidum, & ipſam arcem Saxonico præſidio defenſam. Oppidum Succi flammis ſubjecêre: arcem, crebrâ ænearum bombardarum verberatione, & alterâ jam incurſione fruſtra petitam, deditione accepêre, præſidiarijs ad ſtipendia Suecica coactis. Saxones, qui in caſtro Veldenſteinio excubabant, non expectato hoſtis adventu, vacuam hoſti ſedem reliquerunt.

BAVARICI IN FRANCONIA ADVERSUS KŒNIGSMARCKIUM.

SUECI QUERFURTUM INVADUNT.

XXIII.

BAVARICI COBURGO POTIUNTUR ET ALIIS OPPIDIS.

Kœnigsmarckius inde, quaſi Bannero adjuncturus ſuas copias, per Annabergam Chemitzium verſus profectus eſt, deinde irrupit in Bohemiam. Franconiâ exinde ejus metu liberatâ, Bavaricæ legiones, motis caſtris, Coburgum verſus ivêre. Hiltpurghuſium tenebat una Succorum centuria, quæ paſſa eſt ſibi obſidium admoveri: ſed ubi tormentorum ictibus fractas vidit portas, ſe permiſit oppugnantium arbitrio. Aliqui ad Bavarica ſigna tranſivêre, cæteri cum liberis & uxoribus retenti in cuſtodiâ. Eadem ſors fuit Meinungæ, ubi Kœnigsmarckius impedimentorum partem reliquerat: recepta fuerunt paſſim oppida, quæ idem ille deſeruerat.

SUECORUM CLADES.

Bobenhuſij, quod eſt in finibus Fuldenſibus, Eckardus Weinmarienſis tribunus cum ſuâ legione degebat. Hunc Sporckius & Truckmillerus, ſtipati delectâ quingentorum Bavaricorum equitum catervâ, ſub Martium ineuntem, fecêre captivum, Vigiliarum Præfecto, multíſque gregarijs internecione deletis. Nec melior fuit quadringentorum ſclopetariorum, nonnullorum præterea equitum fortuna, quos Kœnigsmarckius in Eichsfeldiâ conſtituerat ad exigenda tributa & regionem ſub jugo retinendam: utroſque oppreſsêre quingenti Bavarici, & duas equitum turmas, quæ Mulhuſij ſubſtiterant, Erfurtum pepulêre.

Kœnigs-

Kœnigsmarckius redux ex Bohemiâ, expirante Martio, auctus titulo Generalis ordinum ſtructoris, cum aliquot equitum phalangibus, id ferè egit, ut pecunias hinc inde corraderet. Naumburgenſes quater mille Imperiales taleros, Zeitzenſes totidem, Weiſſenfelſenſes ter mille, plures alij, alij pauciores pependêre. Ad Lipſiam prope pagum Machavium, in velitari conflictu, cum Saxonicis paulò ante ſolis occaſum exorto, protractóq; Lunâ ſubluſtri ad noctem uſque concubiam, bina ſigna equeſtria, captivóſque bono numero amiſit: cepit ipſe Calenbergium protribunum cum paucis alijs. Importavit ſemel iterum annonam Mansfeldæ, quam Cæſariani obſidione premebant. Aliquam etiam Saxonum manum profligavit in Geraviâ. Saxones viciſſim Mauritioburgum, capto Præfecto & præſidiarijs, cum magnâ prædâ recuperârunt. Iidem ad Straffordium, menſe Aprili, duas Finonum cohortes, vix decem elapſis, internecione deleverunt. Receperunt quoque Cæſarianorum auxilio Chemnizium, quadringentis Suecis coactis ad deditionem. XXIV. Kœnigsmarckius pecunias corradit. Cæditur viciſſim. Chemniziū recipitur.

Jam in eo erat, ut Cæſariani, ductore Comite Suiſſæo, & Duce Brigantiæ ſummo vigiliarum magiſtro, Zwickaviam obſiderent, cùm ſubitò ad caſtra Cæſarea Salefeldam avocati, ab incœpto deſiſtere itérque ſunt juſſi maturare. Quia verò Suecorum excurſiones omnem circùm regionem mirè divexabant, viſum eſt, Zwickaviam ſaltem ſic circumſedere, ut iſta excurrendi libertas frenaretur. Quamobrem Saxoniæ Septemvir, collecto ex vicinis præſidijs milite, eam laxiori clauſit obſidione, donec tandem poſt crebras velitationes, & importatam à Suecis ad obſeſſos annonam, ſoluta hoc anno obſidio, ſequenti ſic fuit inſtaurata, ut Sueci fracti longis laboribus, eam, numeroſiore licèt munitam præſidio, menſe Junio Saxonicis dediderint. XXV. Zwickavia recuperata.

Quo tempore undique ad Cæſaris caſtra nova indies auxilia confluebant; ad Bannerum viciſſim convolabant Gallo-Weinmarij, Luneburgici, Haſſici. Eodem ſe contulêre Mauritius Comes Rheni Palatinus, Wilhelmus Dux Saxo-Weinmarius. Erfurtum verò conceſſit Comes Guebrianus.

Res in Bohemiâ, Saxoniâ, Turingiâ, Haſſiâ, ab Archiduce Leopoldo adverſus Bannerum & Suecorum fœderatos hoc anno geſtas, ab ipſo Januario juvabit repetere. Bannerus primo ſtatim anni ingreſſu, in Satzenſi circulo, Bohemiam ferro, incendijs, populationibus, mirè vaſtavit. Illato, quantum viſum fuit, in omnia præſidia commeatu, pontes Albi impoſitos paſſim corrupit. Ubi Pryxinenſem arcem fruſtra obſederat, oppidum concremavit. In eodem ipſo circulo tum oppida, tum municipia & pagos propè quadraginta redegit in cineres. Archiducis Leopoldi expeditio.

Archidux è diverſo exercitum ad Taborem per Piccolominium luſtravit vertente Januario. Copiarum pars aliqua ſub Colloredo, ad cohibendos Suecos, Pragæ remanſerat. Ad Colinum, authore Carolo Cappio egregio poliorceticorum operum architecto, Piccolominius pontem Albi impoſuit, quo Archidux in expugnandâ civitate uteretur. Et verò magno fuit uſui. Nam Suecis, qui iſthic conſederant, cùm rem ad ultima protraxiſſent, omnibus propè conciſis, Colinum venit in Archiducis poteſtatem. Vertit inde arma in arcem Clumiziam firmam admodum, & non modò bellico inſtrumento, ſed annonâ quoque copioſâ inſigniter inſtructam. Eam ſeſqui Suecorum centuria cùm propugnâſſet, dedidit tandem, factâ ad Cæſarea ſtipendia gregariorum omnium tranſitione. Præfectum damnatum ad furcam Leopoldus vitâ donavit. Multas præterea clades Bannerianis per variòs conflictus velitares intulit; quarum illa præ cæteris memorabilis, quâ decem alariorum turmæ ex phalange Hoditij Comitis, fuerunt ad internecionem ferme deletæ. XXVI. Archidux Colinum expugnat. Clumiziam recipit. Clades infert Bannero.

Cùm dediſſet Bannerus ad Præfectum Regiogrezienſem litteras, quibus eum jubebat, ſi vis major immineret, civitate direptâ, ſuæ ac præſidiariorum ſaluti tempeſtivè conſulere, Archidux ex ijs interceptis conijciens, Bannerum obſeſſis nihil allaturum auxilij, mox eò movens 3. Cal. Mart. ſuburbijs per Toſcanenſem legionem occupatis, Suecos in proximam parmam, atque inde, incenſo palorum ſepto, Expugnat Regiogræcium.

ſepto, repreſſit in oppidum. Poſtridie occupavit gemina propugnacula: Cal. Martij tormentis in mœnia libratis, nocte proximâ propugnaculo lunato ad Antonianum ſuburbium potitus, tres immiſit legiones in tres obliquè poſitas portæ appoſitas munitiones, iiſque expugnatis, vim ipſis duabus portarum foribus admovit. Earum alterâ perruptâ, alteram admoto igne corrupit. Supererat tertia eáque intima. Dum in eâ emoliendâ Cæſariani occupantur, Sueci, re deſperatâ, legibus militaribus ſe Leopoldi clementiæ permiſêre. Exceſsêre legionarij quingenti, levis armaturæ equites ducenti cum ſuo Gubernatore, uno protribuno, aliiſque ordinum ductoribus. Ingens hic fuit belli apparatus. Regiogræcio potitus Archidux, per Gitſchinum caſtra movit in minorem Bunzelam, quam paulò antè expilatam Bannerus incenderat. Iſthic Archidux aliquot diebus tetendit. Incidêre id temporis novem Cæſarianæ legiones in ſex Suecicas: in his Eberſteinia gravi affecta eſt clade.

XXVII.

Cædit Suecos.

Bannerus ſævit in miſeros.

Bannerus hoc anno totus effuſus in iras, Litomaricenſem Dynaſtiam non habuit mitiùs, quàm habuerat Satzenſem. In illâ enim incendijs, cædibus, miſerorum concuſſionibus graſſatus, Litomaritium & Melnicam diripuit, nec nudavit tamen præſidio. Traxit ex ijs regionibus ſecum magnum captivorum agmen unà cum exercitu, quem per Pulſnizium glacie concretum trajecit in adverſam ripam. Abeuntium veſtigia preſſerunt Cæſariani, multos interemerunt, nec potuerunt tamen efficere, quin acceleratâ profectione Bannerus eos ad Lippam præverteret.

Archidux Smirſitium invadit, aliaque oppida.

Iſte receptus Archiduci cætera, quæ adhuc tenebantur à Suecis, veluti dedit in manus, atque inprimis Smirſitium arcem validam biduo oppugnatam, præſidio Suecico, quod erat ex veteranis, invitis Præfectis, dilapſo. Fuerunt in iſtâ arce ſex tormenta modi majoris cum neceſſario inſtrumento, quingentis ſclopis, & ſexies mille frumenti modijs. Velitium, Scala, Coſtum, cætera circùm loca ilicò etiam dedêre manus.

Castra Cæſariana hoſti oppoſita.

Poſteaquam Bannerus ad Gabelam, Archidux verò duobus indidem milliaribus, caſtra fixerant; videbatur impendere ſupremum certamen, quod Archiduci certum erat non detrectare: ſed perincommoda anni tempeſtas, & regionis ſitus iniquior, nihil præter velitares conflictus permiſerunt, qui ut plurimùm Succis fuêre adverſi: ex ijs ſexcenti Martio menſe auſi laceſſere Cæſarianos, ſic fuêre excepti, ut ex eo numero vix ducenti evaſerint ad caſtra.

XXIIX.

Brandiſium id temporis, Melnica & Litomaritium adhuc Suecico præſidio occupabantur. Bannerus, quò faciliùs Litomaritio ferret ſuppetias, rurſus Albim & Pulſnitium amnem ponte conſtravit. Sub vernum æquinoctium, Litomaritij trajecit, quaſi per Satzenſem tractum Egram petiturus, re autem verâ ut evaderet in Turingiam. Nam corruptis, quotquot à tergo relinquebat, pontibus, & tribus duntaxat arcibus, Tetſcâ videlicet, Tœplitio & Hauſcâ in ſuâ poteſtate retentis, quæ tamen menſe Majo poſtmodum à Saxoniæ Septemviro fuerunt expugnatæ, cæteras munitiones omni præſidio nudatas deſeruit. Croatæ tres æneas machinas, quas ille Brandiſio ſubduxerat, cæſis defenſoribus, interceperunt. Septem alias cum ſuo inſtrumento ob viarum profunda, prope Melnicam reliquit in luto. Fertur eo receptu ſupra quatuor armatorum millia quà cæſa, quà capta aut profuga amiſiſſe, plures amiſſurus, niſi deſtructis pontibus inſectantium celeritatem cohibuiſſet.

Clades Banneri.

XXIX. Archidux poſtrid. Cal. April. Pragam ſe contulit, ut cum univerſis copijs adverſus hoſtem moveret. Quapropter præmiſſis tormentis cum primo agmine, mox ipſe properè ſecutus, juſſit Egram amnem ſterni pontibus, itérque paſſim expedire, quæ res Bannero ſpatium conceſſit elabendi in Turingiam, & tantiſper quieſcendi ad Zwickaviam & Chemnizium. Eum cùm jumenta ad vehenda tormenta deficerent, octingentis quotidie tum militibus, tum calonibus ad eum laborem utebatur.

Cùm jam Franconiæ finibus, præmiſſo Kœnigsmarckio, immineret, Bavarici & Francones ſociatis armis, obviam ituri, ſeſe ad defenſionem comparârunt.

runt. : ne verò Comitatus Hennenbergicus nudus eſſet à præſidio, Ægidius Haſius cum ſuis eò conceſſit.

Archidux ut exercitui quietis aliquid indulgeret, potiſſimam ejus partem diviſis ſtativis, varijs locis locaverat, primo duntaxat agmine, ductore ſupremo excubiarum magiſtro, ad hoſtium molitiones intento. Bannerus iſtâ Cæſarianorum diſpalatione ſecurior, Bredanum habebat neglectui. Kœnigsmarckius verò legionibus per novos delectus ſupplendis, & tributorum exactionibus dabat operam. Quibus in rebus cæteri, Banneri juſſu, nihilo erant ſegniores : in his Wittenbergius ſupremus ordinum magiſter, qui in agro Zwickavienſi cum novem legionibus gnaviter miſerorum pauperiem exſugebat. *Sueci pecunias colligunt.*

Id cùm eſſet Bredano exploratum, 12. Cal. Mai. cum ſex equitum millibus, movit contra Wittenbergium, oppreſſurus, ſi quà poſſet, novem, quas dixi, Suecicas legiones. Quò veniret occultiùs, bis mille equitum phalangem per ſylvarum abdita juſſit præcedere, & ſi res ferat, hoſtem laceſſere : ipſe verò cum cætero agmine ponè eſt ſecutus. Suecos non latuit prioris phalangis adventus. Quare adſcitis Polonis, quos habebant, auxiliaribus, prodiêre in campum, ſui copiam in acie facturi. Cæſariani, velut juſtæ pugnæ aleam detrectantes, illos velitatione tamdiu diſtinuerunt, donec Bredanus cum reliquis copijs adeſſet. Adfuit tempori, cœpitque Suecos vehementer premere. Illi, velut ſuæ cladis præſagi, ſigna amandârunt, certi fugere, ſi graviùs urgerentur. Nihilo tamen ſeciùs non ignavè conſeruerunt manus, ſed non longo certamine, donec victi Zwickaviam verſus quatuor milliarium viam emenſi refugêre. Permulti in fugâ, à Croatis præſertim, cæſi. Baurius tribunus cum ſuâ legione Schœnfelſij, primo à Zwickaviâ lapide, clauſus, venit in Cæſarianorum manus. Signa militaria, quæ nondum erant in tutum recepta, cum omnibus impedimentis, unáque Guſtavus Hornius junior, ſenioris nepos, multi præterea ductores ceſsêre victoribus : Wittenbergius ipſe & Holkingus tribunus vulneribus debilitati. *XXX. Wittenbergius Suecus cum novem legionibus profligatur.*

Bannerus, collectis hujuſce cladis reliquijs, confeſtim movens Zwickaviâ per Ienenſem agrum venit Erfurtum, ubique regionum, per quas inceſſit, militaris ſævitiæ profunda imprimens veſtigia. Zwickaviæ trecentos, Chemnizij paulò plures reliquit defenſores. Schlangius interea extorquendis pecunijs, & abigendo armento, equorum maximè, quibus ad reparandum equitatum Sueci egebant, vexabat Miſniam.

Leopoldus lætus iſtâ Bredani victoriâ, nihil cunctatus, movit Salefeldam, ad quam primum agmen menſe Aprili ſubſtitit, opperiens reliquum exercitum. Archiduci properanti moras inijciebant deſtructi ab hoſte pontes, quibus reficiendis dandi fuerunt ſat multi dies : quapropter Majo naſcente exercitui ad Plaviam fuit ſubſiſtendum. *XXXI. Castra Salefeldensia.*

Cogebat interim Bannerus potentes copias, accitis ab Eichsfeldiâ pleriſque præſidijs, Duderſtadio tantùm & Gleichenſteinâ retentis. Inde ipſi cum Plettenbergio advenêre viri mille quingenti. Longavillæus, qui Æmiliæ Landgraviæ Caſſellis aderat, magnas ſpes faciebat grandis auxilij : ſex Luneburgicorum millia jam tum erant in procinctu : Weinmarienſes verò in motu. Denique, quando 17. Cal. Junias potens exercitus coiverat, confeſtim Salefeldam moventes, prætoriana ſtativa habuêre Ruderſtadij.

Archidux è diverſo, bimeſtri ſtipendio militi perſoluto, acceptóque ex provincijs hæreditarijs auri ſignati, veſtium, equorúmque ſubſidio, Cæſarianos egregiè animavit. Fuit uterque exercitus pro vallis in mutuo conſpectu 15. Cal. Jun. Abſtinuêre tamen à pugnâ, contenti reciproco tormentorum fragore. Nox utroſque in caſtra reduxit. Bavaricorum auxiliarium novem millia ad Cæſarianos acceſſuri, Cronacum uſque venerunt. Magna per id tempus in Cæſarianis caſtris rerum ad vitam tuendam neceſſariarum penuria, intercepto ab hoſte commeatu. Annonam reddebat anguſtiorem multitudo. Cenſebantur eſſe in caſtris Archiducis quadraginta circiter armatorum millia, ſub Banneri ſignis *XXXII. Fames in exercitu.*

ſignis penè totidem. Stabant utrinque brevi admodum octingentorum paſſuum intercapedine dirempti. Piccolominius prælij aleam, ſpemque victoriæ tametſi incertam, præferebat præſentibus famis & aliorum malorum incommodis. Stadianus Dux veteranus ipsâ ſenectâ & longo rerum uſu cautior, Archiduci author erat, ne adhuc rei ſummam unius pugnæ ſupremo diſcrimini exponeret. Inter hoſtes Melander, cui regio apprimè erat perſpecta, rationes annonæ intercipiendæ ſuggerebat: eidem ſuffragabantur Longavillæus & Klitzingus: ſed Bannerus, ſive pugnandi avidus, ſive vetere in Melandrum odio, quod ſubinde voluntates, etiam obnitente ratione, rapit in diverſa, planè alia ſentiebat.

Bavarici, occupatis firmatiſque paſſim valido milite itinerum anguſtijs, Cæſarianis annonæ, quæ ex Franconiâ & Neoſtadio ſuppeditabatur, ſubvectionem præſtitêre tutiorem, ſub medium Junium: ſed vix fieri poterat ſatis tantæ multitudini, & ipſa pabulatio, quæ è longinquo erat petenda, plena erat laboris & periculi. Nec minor fuit in Suecorum caſtris, rerum neceſſariarum, ipſius adeò aquationis difficultas, intercluſo ad Salam fluvium per Cæſarianos acceſſu.

XXXIII. Bannerus inter hæc è quaternis propugnaculis, Archiducis caſtra vehementer fulminabat, & jam ſemel iterum ad mutandum ſitum permoverat, peditatu intra Salfeldæ mœnia rejecto. Schlangio, dum Cæſarea caſtra explorat, brachium tormenti majoris ictu fuit excuſſum.

Nihil interea præter velitares congreſſus memorabile gerebatur per integrum propè menſem: excurſores enim ſat crebrò, vario eventu collidebantur: ſed plures longè ſæva fames, quàm ferrum conficiebat. Tandem, cùm iſtud eſuriendi certamen inglorium multos ſuſtuliſſet, Bannerus, adulto Junio, ſignis refixis Erfurtum, ejus verò fœderati pars Gotham verſus, pars Crucibergam abivêre.

Cæſariani ſub idem tempus ad Coburgum aucti Bavaricorum acceſſione, Kœnigshofium & Neoſtadium, Sueci verò Mellerſtadium, paulò pôſt igne concremandum, occupârunt.

Potiſſima utriſque cura & labor, in fame debellandâ, pro quâ ſuſcipiebant longas excurſiones & conflictus, quibus ferè Sueci vapulabant. Franci inediæ pertæſi & intolerantes, iſtis caſtris memorantur fuiſſe inſigniter extenuati, & majorem quidem habuiſſe curatorum annonæ numerum, quàm cibariorum. Cùm Bannerus Eſchenwegæ per dies aliquot fruges conſumpſiſſet, per Allendorfium movit in Haſſiam. Archidux hoſtem abſque cunctatione ſecutus, Saltzungæ & Vachæ prima caſtra habuit, ſecunda Rotenburgi ad Fuldam fluvium, quo ex loco Fridenwaldam arcem ſubigendam curavit, eventu proſpero. Venerunt ex Auſtriâ, per id tempus, ductore Marchione Caretto de Granâ, quatuor, & quod ſuperat, armatorum millium auxilia in caſtra Leopoldi.

Archidux Fridenwaldam ſubigit.

XXXIV. Ad eum modum, in adultum uſque menſem Auguſtum, res gerebantur, donec Bannerus, Ducis Georgij Luneburgici invitatu, in Gœttingenſium fines conceſſit, ubi ex Luneburgico Ducatu & Hildeſio annonæ copiam à Georgio Duce erat habiturus: Cæſariani verò Hirſchfeldam, atque inde Fritzlariam conceſſêre, quam Archidux ſuæ fecit ditionis. Eodem caſtra movit Bannerus, & 13. Cal. Sept. acie diſpoſitâ venit in Cæſarianorum conſpectum: demum, triduo velitaribus dimicationibus abſumpto, diſceſſit. Per id tempus Marchio de Grana ducentos equites profligavit ex ternis legionibus; quas ducebat Comes Naſſovius, qui Croatas ex improviſo cogitabat opprimere. Legio tertia è Cæſariano equitatu inſignem præterea cladem accepit, duabus alijs actis in fugam.

Clades Suecorum.

Archidux in tantâ Banneri viciniâ caſtra habuit, ut citra prælium non videretur diſceſſurus: ſed dum præſtolatur Hatzfeldij cum quater mille alariorum auxilijs adventum, tempus ad uſque exeuntem Septembrem effluxit. Bannerus autem hoc agebat potiſſimùm, ut Cæſarianos annonâ prohiberet, cogerétque opportunam ſtationem mutare. Atque id quidem fuiſſet aſſecutus, niſi

Bava-

Bavarici è Franconiâ numeroſo milite tutam annonam advexiſſent, & aliquid fuiſſet cibariorum ex agro Fuldenſi ſuppeditatum. Hoc loci rurſus in utriſque caſtris evaſit permoleſta pabulatio.

Tandem circa medium Octobrem, Archiduci viſum eſt Hœxariam petere. Præmiſſis igitur impedimentis, Piccolominius, copijs in acie diſpoſitis, tormentiſque in adverſa hoſtium caſtra diſploſis, in eorum oculis tamdiu ſtetit, donec, ipſis nihil contrà moventibus, totus exercitus diſcederet. Ut ventum eſt ad Hœxariam, ilicò juſſit Archidux vim admoveri. Iſthic curabant nongenti Luneburgici, qui bis Cæſarianos molientes irrumpere fortiter rejecerunt: ſed tertiâ demum incurſione fuêre adacti ad deditionem. Exinde trajecto Viſurgi, Leopoldus Archidux novos Luneburgici Ducis delectus diſſipavit, Provinciales, qui ad arma confluxerant, bene multatos domum remiſit. Sub hæc Holtzmundam expugnavit, mœnibus aſcenſu ſuperatis, & diſſipatâ, quæ iſthic agebat, Auguſti Ducis recèns ſcriptâ legione. Potitus deinde eſt Beverâ & Fürſtenbergâ. ARCHIDUX HŒXARIAM OCCUPAT. EXPUGNAT HOLYMUNDAM, &c.

Bannerus Hammeliam tendens, caſtra metatus eſt ad Steinam è regione Hœxariæ, ut arceret Cæſarianos à cæteris Luneburgici ditionibus, cùm tamen ipſe agendis prædis jumentiſque abigendis toti provinciæ eſſet perquam infeſtus. Fatigato jam utroque exercitu, cùm bruma immineret, ſtatuerat quidem Archidux durare adhuc in caſtris per tres ſaltem hebdomades; ſed cùm in agro Padebornenſi, in quem ducendæ fuiſſent legiones, nullius rei major eſſet, quàm inediæ abundantia, cogitatum quidem eſt de adeundâ ſuperiore Haſſiâ, ſed Dux Georgius, pro ſuis in Cæſarem meritis, tam oneroſa contubernia, coràm ab Archiduce eſt deprecatus. Ergo Piccolominio in Franconiâ, Hatzfeldio in Ducatu Juliacenſi, Wahlio in Monaſterienſi ditione, Gleeno in Sileſiâ, alijs Bavaricis ad Mœni confinia fuerunt hiberna attributa. Miſit quidem Bannerus, ductore Schlangio, bis mille equites trans Viſurgim, qui Cæſarianos abeuntes carperent; ſed eos Hatzfeldius luculentâ ducentorum clade affectos, multis præterea captis, fortiter repulit. XXXVI. CLADES SUECORUM.

Jam Banneri miles, remoto deinceps Archiducis metu, cùm nihil eſſet, cur Luneburgici ejus operam magnopere in præſens requirerent, exhauſtâ præſertim regione, Duci Georgio erat gravis & permoleſtus: quo factum, ut Bannerus illic non hæſerit, niſi ad menſem uſque Decembrem.

Gallo Weinmarici conſtitère in Viſurgis confinijs: unde miſſâ in Eichsfeldiam equitum manu, Heiligenſtadium, Suecis, qui iſthic hibernabant, nequicquam reclamantibus, miſerandum in modum diripuerunt, eo obtentu, quòd cives addictam collectam in tempore non repræſentâſſent. DIRIPIUNT HEILIGENSTADIUM.

Ducem Longavillæum afflicta valetudo in Franciam retraxit, Guebriano Comite, qui copijs Gallo-Weinmaricis imperaret, in hibernis relicto.

Atque hæc quidem de vario Marte, qui Germaniam, Bohemiam, hoc anno exercuit: domeſtica hæc ſunt.

Hic annus dedit Albertum Sigiſmundum Ducem Bavariæ, Maximiliani ex fratre Duce Alberto nepotem, Vito Adamo Epiſcopo Friſingenſi ad Epiſcopatum cum ſpe ſucceſſionis, Coadjutorem, ſummi Pontificis permiſſu, & Vito Adamo aſſentiente, à ſummæ Friſingenſis Eccleſiæ Collegio electum, nullo prorſus Canonicorum refragante, citra omne ſcrutinium 15. Cal. Majas. DUX ALBERTUS SIGISMUNDUS ELECTUS FRISINGENSIS COADIUTOR.

Succeſſit, ut in rebus humanis, lætis ſubnaſcuntur triſtia, magnus luctus ex immaturo funere Caroli Ducis item Bavariæ, Alberti Sigiſmundi fratris natu majoris, qui uno pòſt menſe, hoc eſt 13. Cal. Jun. Monachij vivere deſiit, Princeps optimus, & tantâ magnarum virtutum commendatione, ut dubium reliquerit, probitáſne natalium ſplendorem, an natales probitatem magis exornârint. XXXVII. MORS DUCIS CAROLI.

Maximilianus Elector propè abfuit à ſupremâ lineâ, menſe Aprili, ex vehementibus cholicæ cruciatibus, quibus accedebant importuni ſingultus. Eum morbum ſibi conciliaverat nimium religiosâ quadragintadialis jejunij obſervatione, MORBUS MAXIMILIANI.

tione. Deo viſum in vivis illum ſervare, non tantùm ad ſalutem Bavariæ, ſed Eccleſiæ quoque bonum & Germaniæ univerſæ.

REFUTATUR MAXIMILIANI OBTRECTATOR.

Filum hiſtoriæ aliquoties interrupit ineptus (de quo jam ſæpius) calumniator, ídque importunè: ne id deinceps faciat, operæ pretium eſt, illum pro merito ſemel expedire. Ad cæteras calumnias, has addidit. 1. accuſat Maximilianum, quaſi Ferdinando III. Imperatori ad Imperij faſtigium evehendo *ſuffragium inauratus præſtiterit.* Prô nebulonem, qui integerrimo Principi talem notam auſit affingere! Dic ſodes, quis inaurârit? quanto auro? quis aurum acceperit? ubi, quando? Non fuit Maximilianus tam abjectus, ut nomen optimum auro contaminaret, ut, quâ valebat apud Cæſarem, gratiam auro mutaret: non fuit tam avidus, ut quippiam iſtiuſmodi admitteret; nec tam pauper, ut iſtis ſordibus egeret, qui non ſemel ſuo ære, etiam cùm eſſet ipſe in ſummis bellorum difficultatibus, alios ſeipſo ſublimiores adjuvit.

2. Pergit idem objicere, quaſi *Galaſſus fuerit conqueſtus, cùm Bannerum ad maris Baltici oras redegiſſet, ſpéſque eſſet, ibi locorum bellum conſtiturum, copijs Bavaricis ad coërcendos Haſſos revocatis, optimâ exercitûs parte ſe nudatum deſtitui.* Nolens laudat Maximilianum etiam cùm vituperat, ſi laus quidem ſit à tali homine laudari. Ergo optima pars Galaſſici exercitûs erant cópiæ Bavaricæ: magna laus Maximiliani tam egregias copias habuiſſe. Ergo ſine Bavaricis copijs

XXXVIII. Galaſſus erat nudus? Quorſum igitur Cæſariani? non tegebant Galaſſum? an hi tam pauci & exiles, ut non tegerent? Atqui conſtat Bannero ad oras maris Baltici redacto, Galaſſi exercitum adhuc tam fuiſſe potentem, ut nihil eſſet, cur Galaſſus ſibi à rejecto hoſte timere deberet, niſi præmatura Banneri caſtra ejus diligentiæ prævertiſſent. Iterum magna laus Maximiliani, quòd, quibus locis hoſtis erat coërcendus, illic Bavarici deberent occupari. Non erat certè deſtituendum Rom. Imperium in Haſſiæ liminibus; quæ ſi fuiſſent neglecta, ingratum fuiſſet Cæſari, noxium rei Catholicæ, inglorium non Maximiliano tantùm, ſed etiam Galaſſo, pro quo tegendo (ſi vera refers) Imperium debuiſſet nudari.

3. Miratur homo ſagax ſcilicet & ingenioſus, quid rei ſit, cur Werthius, *rejecto trans Rhenum Weinmario, non quæſierit* illic *hiberna æquè atque Weinmarius?* Sed cur Cæſariani non quæſierunt, quorum erant regiones Alſaticæ, quique eas tuendas ſibi ſumpſerant? Cur hoſte trans Rhenum, virtute Werthij & copiarum Bavaricarum, rejecto, Werthius cum ſuis copijs longè extra Alſatiam, Briſgoiam & Rheni oras, ſtativa quærere fuit coactus, nec priùs ad Rhenum reverti permiſſus, quàm anno ſequenti cum neceſſitas & Cæſariani, cùm Weinmarius rurſum Germanicum littus occupâſſet, in auxilium ad Rhenum revocârunt?

4. Relinquit *in medio, an Briſacum ſervari potuerit?* Egregius diſceptator! Potuit, potuit utique ſervari, uti jam à me demonſtratum, ſi ijs, ad quos ſpectabat ſervare, ſatis tempeſtivè libuiſſet. Cùm licuit, noluerunt: cùm voluerunt, ampliùs non licuit: tales ſunt belli errores.

XXXIX. 5. Atqui *extincto Weinmario, ſi Bavarici Rhenum confeſtim transjeciſſent, magnam rerum occaſionem in manibus habuiſſent.* Bellerophontes videlicet fuêre Bavari, qui meris Pegaſis maria, flumina, montes, tota orbis terrarum ſpatia, momento quaſi tranſvolarent. Sed dic bellator ſapiens, cur Cæſariani non trajecerunt? Dices ipſis non fuiſſe integrum aut conſultum: cur Bavaris? utriſque nimirum erat animus tum abhorrens à præſenti rerũ uſu, cùm hoſtis utrumque Rheni littus firmis præſidijs inſideret: cùm, tametſi Weinmarius foret extinctus, ſpiraret nihilo ſeciùs ſub quatuor-viris Weinmarij potens exercitus: cùm Galli adhuc viverent & juvarent: unde tam vegeta & formidabilis, mox à morte Weinmarij, in Nemetes, in Palatinatum, in Wetteraviam, in ipſam uſque Haſiam ſuperiorem Weinmarianorum expeditio. Illi videlicet, ſi Bavarici vel Rhenum aſpexiſſent, tibi videntur Alſatiam fuiſſe deſerturi, qui & Cæſarianos & Bavaricos auſi ſunt procul inde laceſſitos ſic diſtinere, ut non eſſet, cur de recuperandâ tum Alſatiâ cogitarent.

6. Cur

6. Cur *ſequentibus annis Bavari nihil ſibi unquam trans Rhenum negotij eſſe voluerunt?* Ante hunc annum Cæſariani id negotij occupârant, idque ſatis infeliciter, duobus exercitibus, totidem caſtris, propè in caſſum conſumptis: ſed te meminiſſe oportebat, ne tum quidem Bavaricos à Cæſarianis abfuiſſe. Trans Rhenum curabant Cæſariani, Lotharingi, Burgundi, plerumque in tantis annonæ anguſtijs, ut vix ſuppeterent neceſſaria vitæ ſuſtinendæ. Quorſum Bavarici in alienam meſſem & egeſtatem veniſſent? Verè præclarus es Archiſtrategus, qui Bavaricos vis eſſe ad mare Balticum, in Saxoniâ, in Haſſiâ, Weſtphaliâ, cur non ubique ſimul? XL.

7. Ait præterea, Maximilianum *perſuaſum fuiſſe, pacem à Gallis haberi non poſſe, niſi Alſatiâ & Briſaco conceſſo.* Id commentum eſt cerebri malignè affecti: ſed demus tamen id Maximiliano fuiſſe cogitatum: certè ea cogitatio non aberrâſſet à ſcopo: hoc ipſum enim verum tandem eventus oſtendit. Nunquid & illud Cæſari & Domui Auſtriacæ fuit perſuaſum? qui alioqui Briſacum & Alſatiam, res videlicet caras & præſtantes, Gallis non conceſſiſſent, quicquid tandem Maximilianus ſibi habuiſſet perſuaſum.

8. Atqui Maximilianus *ſcripſit litteras in Franciam.* Quid mali? ſcripſit ſciente & volente Cæſare: ſcripſit de pace, ſcripſit de ſalute communi.

9. Miſit in Franciam *Ephorum* (ita lubet ſciolo noſtro vocare) *ſuæ conſcientiæ* P. Veriaccium: hoc nomine pòſt paulò homo ignorans, Ephorum iſtum appellat. Quid inde? Miſit non Veriaccium, ſed alium conſcio & probante Cæſare, quo volente jam antè Comes Trautmanſtorfius Pariſios miſerat P. Herberſteinium Religioſum ex Ordine S. Dominici.

10. *Veriaccio* (inquit) *ſine ambage Galli demonſtrârunt, nullam aliam à Bavaro pacificationem admiſſuros, niſi præcipuis arcibus ſibi traditis, & uno filiorum dato obſide.* Sed hæc omnia mera ſunt delirantis impoſtoris ſomnia. Nam Veriaccius iſte nihil prorſus iſtiuſmodi à Gallis audijt, nec ipſe habuit quicquam in mandatis de rebus ſimilibus.

11. Vaticinatur deinde vanus augur in monte Aventino de Gallorum mente, de Bavariæ everſione, de futuris expoſtulationibus adverſus Maximilianum ejúſq; hæredes, de neſcio quibus aliis figmentis: ſed ea tam nihil officiunt, ut ne lectione quidem, nedum refutatione digna ſint: Vates enim iſte de corde ſuo loquitur, non eum miſit Dominus, ſed ſpiritus, qui mendax eſt in ore ſimilium prophetarum.

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS III.

LIBER XXVI.

An. M. DC. XLI.

Bannerus è Palatinatu pulſus: Schlangius profligatus Maximiliani conſilio & ſuppetijs: Comitia Ratisbonenſia: Amneſtia: Archiducis Leopoldi res geſtæ in inferiore Saxoniâ, ad Wolfenbutam: Oiſonvillæus profligatus: Hohenvillæ fruſtranea obſidio.

I. BANNERUS MOVET IN PALATINATUM SUPERIOREM.

CÆſar Ratiſbonæ ſedulam dabat operam pacandæ Germaniæ, cùm Bannerus reparato in Luneburgicis exercitu, auctus Turingiæ & Miſniæ ſpolijs, per Voitlandiam movit ad Danubij confinia. Præmiſerat Tubadelium in Franconiam, qui Bambergâ nullo negotio potitus, Hersbrucum etiam fecit ſuæ ditionis. Prædas & terrorem circumtulit adventus tam intempeſtivus. Nondum enim ſe ex diuturnis ſuperioris anni caſtris miles Cæſaris & Bavaricus collegerat, magnâ equitatûs parte jumentis deſtitutâ, tormentorũ apparatu necdum reſtituto, cùm, adoleſcente Januario, in campum gelu & nivibus obſitum difuit prodeundum, ne latiùs malum ſerperet, expilato jam ab hoſte Waldſaſſo, direptis paſſim nobilium & Religioſorum domicilijs, multis in captivitatem abductis, totóque non modò Palatinatu & Danubiano tractu, ſed etiam vicinâ Bohemiæ & Bavariæ circùm regione trepidante; ideo præſertim, quòd, Danubio conglaciato, metus erat, ne belli ſedem hoſtis transferret in citimam Boicam, quod non difficile videbatur, ſi per glaciem, gravium onerum tunc patientem, copias in adverſam ripam trajeciſſet. Et reipsâ jam trajecerat quingentos alarios, quos, ſoluto Danubio, aura mitior veſtigia in adverſam ripam coëgit relegere. Mercius copiarum Bavaricarum ductor, contracto raptim ex hibernis milite, aliquem numerum coëgit, præſidio tantiſper futurus, dum è ſtativis remotioribus tum Cæſariani, tum Bavarici advenirent.

II. Conſilium erat Bannero, Comitia disjicere, ſi poſſet, ſin minùs, ſaltem Cæſari inſultare & Imperij Ordinibus, ac deinde fortunæ ductum longiùs ſectari. Jam Chambum in ſuperiore Palatinatu, Furthum, & Glattoviam ad fines Bohemiæ, Neoburgum ad ſylvam Bohemicam, aliáque loca malè defenſa ſubegerat:

ad

ad Hambacum aliquot Bavarorum vexillationes luculentâ clade affecerat, Truckmillero & Colbio Tribunis Ambergam rejectis; cùm 8. Cal. Febru. ſe atque exercitum dedit viſendum ad Ratiſbonam, & tormenta aliquoties in civitatem diſplosit. Fuêre aliqui ex legatis, qui de ſolvendo conventu cogitârunt: verùm Cæſar geminato decreto omnes bono juſſos eſſe animo ſic retinuit, ut de conſueto rerum agendarum ſtudio nihil remitterent. Bannerum inceſſit diſſipandi Comitij deſperatio, ubi Ratiſbonam, accito longè quàm antè Bavarici militis numeroſiore præſidio, à Cæſare munitam eſſe animadvertit. Ergo verſo in Palatinatum itinere, Chambum ipſe, Neoburgum verò ad Bohemicam ſylvam, & ſubinde Schwandorffum Schlangius conceſsêre.

Commodùm acciderat, quòd legati Ordinum Imperij, qui Ratisbonenſibus Comitijs aderant, ternas litteras ſcripſerant in Sueciam, uno ferè argumento, ad Reginam unas, ad Regni ſenatores alteras, tertias ad Regni Ordines, quibus illos hortabantur ad capeſſenda pacis conſilia, & ſeligendum locum, ſive is Hamburgum eſſet, aut Lubeca, vel Norimberga, ſive alius, qui magis ipſis alluberet, quò ſuos legatos, de reddendâ Orbi Chriſtiano tranquillitate, ad futurum Imperij conventum mitterent. Iſtas litteras legati Ratisbonâ per tubicinem ſtatuerant curare perferendas, quod ut tutò poſſent, petiêre à Bannero teſſeram publicæ ſecuritatis, quâ in itinere tubicen uteretur: ſimul ſignificavêre, quid ipſæ litteræ continerent. Bannerus maluit ipſe eas Hamburgo in Sueciam per ordinarios curſores deſtinare: & deſtinavit quidem, retulitq; legatis reſponſa. Iſta pacis mentio aliquantum minuit ejus vigilantiam, curâſque futuræ impreſſionis, quòd crederet Cæſarem & Imperij Ordines Suecorum adventu perculſos, de pacis potiùs, quàm belli rationibus, in præſens eſſe ſollicitos: & tum quidem anni nivoſa tempeſtas ac fluviorum interjecta divortia obſtabant, quò minùs Cæſaris & Maximiliani conſilia, vel exercituum motus poſſet explorare.

Litteræ Ordinum Imperii in Sueciam.

III.

Quare ſecurus, ſuo genio & miſerorum depopulationibus Chambi fruebatur, ratus ſe in iſto otio mitiorem anni tempeſtatem ad arma proferenda tutò poſſe expectare. Maximilianus interea dies noctéſque de eo opprimendo curas modóſque verſabat animo, & Cæſar ipſe haud mediocriter erat ſollicitus, ne vere proximo iſta Suecorum tempeſtas in Bohemiam, aliáſve hæreditarias provincias, vel in ipſa Imperij viſcera deſæviret, nec facile tamen erat, nedum in promptu, ilicò tantæ rei idoneas rationes expedire. Equitatui (quod poſterioribus annis ſolenne fuit) jumenta in caſtris permulta perierant, nec uſui eſſe tamen poterant equites, niſi equis rurſus inſtructi: ſparſæ per diverſa legiones vix tanto ſilentio colligi poſſe videbantur, ut earum fama non deferretur ad hoſtem: attamen rei ſumma potiſſimùm pendebat ab arcano, quod eò poterat ſervari operoſiùs, quia multi ordinum legati cum Suecis haud obſcurè Ratisbonæ conſpirabant. Ad alendum in caſtris militem nihil annonæ erat paratum, ad paucos dies futura erat copia pabuli: & urgebat tamen opémque præſentem flagitabat neceſſitas. Solis Bavariæ copijs res, niſi cum certo diſcrimine tentari non poterat; antequam Cæſarianæ jungerentur, plus videbatur requiri temporis, quàm eſſet reliquum ad primum uſque veris ortum, quem primis ſtatim caſtris Suecus deſtinabat; celeritate nihilominus erat opus, antequam Pfulius, qui ex Saxoniâ cum tribus millibus, & Tubadelius cum numeroſo milite expectabantur, ad Bannerum accederent, futuri loco Weinmarienſium, qui poſt Suecorum à Ratisbonâ diſceſſum, ſeſe in Bambergenſem agrum ſubduxerant. Quare Maximilianus nihil cunctatus, ad Cæſarem allegat Joannem Georgium Herwartum Ordinum Bavariæ Cancellarium, qui, exploratâ ſuæ Sac. Cæſ. Majeſtatis de præſenti rerum ſtatu ſententiâ, Maximiliani verbis auxilia operámque ad removendum hoſtem offerat. Grata fuit Cæſari iſta denunciatio, ad quam acceſſit altera non ingratior, quâ per Joannem Georgium Teiſingerum, rei bellicæ conſultorem, Maximilianus animi ſui ſenſa de hoſte citra moram invadendo ſigillatim explicabat digeſtam in certa capita, quæ ſua Sacra Majeſtas ſic probavit,

Bannerus curis ſolutus.

Conſilia de opprimendo Bannero.

IV.

MODUS EXEQUENDI CONSILIA.

V.

vit, ut confeſtim ea mandaverit referri in tabulas, ut darentur executioni, cum eâ accuratione, quam tantæ rei momenta requirebant. Dictus fuit locus tempúſque, quibus Cæſariano militi Bavaricus jungeretur, Straubingæ annona debuit à Maximiliano curari. Paucos intra dies, quod vix intra trimeſtre credebatur poſſe fieri, idem multa equorum millia miſit ad exercitum, ne militi, cujus opera in iſtâ expeditione deſiderabatur, aut jumenta ad annonæ & tormentorum ſubvectionem, aut cibaria caſtris deeſſent. Convenêre ad diem condictum ex hibernis Cæſareis equites ſepties mille trecenti, ex Bavaricis quinque omnino millia: pedites Cæſarei ter mille quingenti, Bavarici ter mille, univerſi octodecim millia octingenti. Gleenus è Sileſiâ & Bohemiâ, per ſylvam Bohemicam, quò rectior foret expeditio, ad ſex ferè millia adduxit: maluiſſet Maximilianus eum cæteris copijs accedere; verùm cujuſdam è Cæſarianis ductoribus inſtinctu, juſſus fuit ſeorſim Chambum verſus movere, & movit quidem tam propè, ut vix unius horæ itinere diſtaret, quando Bannerus de periculo factus certior, cœpit ſuum receptum moliri.

Litt. Leopold. 22. Mart. ad Maximil.

SCHLANGIUS NEOBURGUM REFUGIT.

Expeditioni præfuit Archidux Leopoldus, qui 17. Cal. April. ſeſe contulit in caſtra prope Ratisbonam. Conſilium erat, rectâ Chambum progredi, atque iſthic Bannerum opprimere. Conſilio interceſſit clades Schlangij, quem Caſpar Mercius ſupremus Bavaricorum ordinum ſtructor & Proſtrategus, cum univerſo propè equitatu ab Archiduce præmiſſus, fugam ad Bannerum ex agro Schwandorfiano parantem ſic preſſit, ut refugeret cum tribus legionibus, & prætorianâ Banneri turmâ, Neoburgum ad ſylvam Boiohemam, debile oppidum, ubi mox circumſeptus, cùm poſtulatam deditionem detrectaret, mœnibus ad juſtam impreſſionem apertis, vigeſimâ primâ Martij manus dedit arbitrio Archiducis Leopoldi. Venerunt in captivorum ſortem quatuor Tribuni; Schlangius videlicet, Rudolphus Birckenfeldius cum uxore & liberis, Kinskius, Heuckingus, duo protribuni, totidem præfecti vigiliarum, Hipparchi octodecim, in in quibus Carolomagnus Marchio Durlacenſis: præter hos, pedeſtrium cohortium ductores omnes, mille octingenti equites, ducenti pedites.

FACIT DEDITIONEM.

VI.

DUCITUR RATISBONAM CAPTIVUS.

Omnes, ipſo deditionis die, miſſi velut in triumpho Ratisbonam, ſpectaculo futuri Cæſari & Ordinibus, quibus auſi fuerant antè inſultare. Qui à Bavaricis ſignis defecerant, coacti fuerunt illa repetere. Inermes omnes habiti in cuſtodiâ, eo diſcrimine, ut ductoribus præcipuis liceret bene cuſtoditis & exarmatis urbem obire. Acceſsêre equi quater mille in gregarios victores diſtributi.

BANNERUS SE RECIPIT IN MISNIAM.

Bannerus, tentata in caſſum Schlangij liberatione, ſuæ ipſe ſaluti conſulendũ eſſe tempeſtivè eſt arbitratus. Itaque ad 14. Cal. April. collectis copijs, citatis itineribus, Chambo relicto, ſe vertit in Bohemiam. Feſtinantis agmen poſtremum Gleenus & bismille præterea Cæſariani equites juſſi carpere, & univerſum receptum remorari: incurrerunt quidem ſæpius in extremos, ſed cum exiguo operæ pretio. Adhibuit reliquus Cæſarianorum exercitus diligentiam, quâ Bannerum ad figendum pedem ſignáque conferenda adigeret; ſed progreſſus eſt tam obliquis itineribus, ut neque eum potuerit aſſequi, neque impedire, quò minùs Egram fluvium cum ſuis ſalvus tranſmitteret ad Cadenam. Supererant anguſta viarum ad Presnizum prope Boiohemam ſylvam, ubi adigi potuiſſet ad prælij neceſſitatem: atque illuc quidem prævertere conatus eſt Archidux: ſed cùm nix alta, interjecti montes, paludes, & machinarum vecturæ inſectantem morarentur, properanti defuit unica ſemihorula ad hoſtem in iſtis anguſtijs occupandum. Sic elapſus in Boiohmum ſaltum Bannerus cum impedimentis, quorum partem aliquam ipſi Sueci in Boiemâ ſylvâ deripuerunt, longo progreſſus agmine prid. Cal. April. Zwickaviam Archiducis manus evaſit, non evaſit tamen mortem, de quâ in loco. Redeo ad Comitia, quæ ille contrà, ac ſuprema ipſius verba præ ſe ferre viſa ſunt, cum pacis conſultationibus non illibens diſturbâſſet.

VII.

MORITUR.

Erant

Erant in eâ ſententiâ ex legatis nonnulli, ad majorem pacis ineundæ facilitatem multum momenti habiturum, ſi externis Regibus ac Principibus, qui ad Comitia ſe legationes miſſuros addixerant, publicæ ſecuritatis ſyngraphi à Cæſare mitterentur: aſſenſus eſt Cæſar, pro ſuo in communem tranquillitatem ſtudio, juſsitque expediri litteras, quibus Regibus Franciæ, Britanniæ, Daniæ, fide publicâ, tuta itinera & habitatio in Comitijs præſtarentur, ſi vel per ſe ipſi, aut per legatos Conventui vellent intereſſe. Ejuſdem propè modi libellos mitti voluit ad Juniores Principes Palatinos, eorum matrem & ſorores. Verùm Regibus, eorúmque legatis, quâcunque tandem formâ dictarentur iſtæ litteræ, non poterat ita fieri ſatis, quin eſſent aliqui apices, quos ipſi non probarent: unde variæ ortæ ſunt comperendinationes.

Expediuntur litteræ Cæsareæ publicæ securitatis.

VIII.

Principibus Palatinis, Luneburgensibus, Cassellensibus.

Invitati fuerant Principes Luneburgici & Caſſellenſes ad Septemvirale Comitium Norimbergæ anno ſuperiore; quia tamen indies novis ſuper alia vinculis ſe Suecis aligaverant, viſi quidem ſunt eſſe promeriti, ut Ratisbonam non vocarentur; tamen Daniæ Rex à Cæſare parem quoque commeandi facultatem ipſis tandem impetravit.

Amnestia.

Inter deliberandi capita difficillimi erat argumenti cauſa Amneſtiæ, ob rationum, quæ utrinque adferebantur, gravem conflictum, cùm præſertim generalis admiſſorum oblivio & reſtitutio abſoluta pro omnibus promiſcuè, per quoſdam, maximè per Brunovicenſes & Caſſellenſes legatos, ex principum ſuorum mandato, ad tollendas penitus omnes diffidentiæ & diſſidiorum rationes, generatim poſceretur, nullo omnino delictorum, perſonarum, rerum, actionum, pœnarum, aut clauſularum adhibito diſcrimine; quaſi omnes omnino Imperij Ordines atque ſubditi, tam in civilibus, quàm Eccleſiaſticis, ad eundem ſtatum, in quo ante ultimum hoc bellum fuerunt, forent reducendi.

Nimium confusa et absoluta.

IX.

Verùm cùm nonnulli inter reſtituendos eſſent ex Imperij Ordinibus, qui inſuper habitâ ratione debitæ Cæſari fidei, enormiter in Imperij leges peccaverant, & ejurato velut Imperij obſequio, acceptóque ab externis Regibus poſſeſſionum ſuarum quaſi beneficiario jure; ſeſe alienis dominis devinxerant, Sac. Cæſ. Majeſtati non videbatur, illæsâ juſtitiâ, ſalvíſque omnium gentium & Imperij ſanctionibus, citra pernicioſas in futurum malorum conſecutiones; tam crudam & abſolutam Amneſtiam universè poſſe concedi. Ergo, tametſi in cæteris Sac. Cæſarea Majeſtas oſtenderet, ſe non fore difficilem, attamen juſſit certa capita Ordinibus conſideranda ſcripto exhiberi, in quibus, cùm ratio peculiaris tam abſolutæ condonationi quibuſdam refragaretur, non viderentur omnes poſſe in Amneſtiæ lege pariter comprehendi.

Excepta ab amnestia.

Atque inprimis quidem oſtendit, eius generis eſſe illa, quæ legitimo juris ordine & ſententijs in rem judicatam tranſiviſſent, vel partium conventione atque conſenſu, cum debitâ tranſactionum, pactionúmve normâ compoſita jam eſſent, & litteris more ſolenni conſignata. Item ea jura & actiones, quæ ex cauſis legitimis, vel paciſcentium voluntate in bonis fundata, ex belli hujus occaſione non proveniſſent, titulóve oneroſo, & non per modum pœnæ, ſed juris intuitu (quales eſſent Monaſteriorum & Collegiorum cauſæ) niterentur. Ab Amneſtiâ debere excipi Sac. Cæſ. Majeſtatis Regna hæreditaria, incolas & ſubditos, fructus perceptos & percipiendos, damna & expenſas, *litis pendentias*, ſive quorum controverſiæ in judicio jam eſſent conteſtatæ. Inter excepta debere haberi Palatinum Electoratum, réſque ab eo nexas ac dependentes: tandem etiam ſolutas reipsâ, aut poſtulatas multas pœnæ pecuniariæ.

X.

Querimoniæ quorundam Principum.

Hæc quamvis cum ipsâ ratione convenirent, tamen illi, quos memoravi, Principes, à ſuis poſtulatis ne latum quidem unguem ſe diſceſſuros oſtendebant, quiritantes præterea, ſe quaſi precariò ad Comitia eſſe admiſſos, impetrato duntaxat fidei publicæ ad veniendum & recedendum commeatu, cùm perinde atque cæteros Imperij Principes ſe cenſerent debuiſſe ſcriptis libellis advocari, ídque jure proprio & communione prærogativarum, quas leges Imperij fundamentales

mentales ipſis impertirent. Quibus de rebus, cùm Brunovicenſes legati Saxonicis fuiſſent collocuti, Saxoniæ Septemvir per ſuos factus certior de quibuſdam habiti colloquij capitibus, & ijs præſertim, quæ Lampadius Brunovicenſis legatus protulerat, occaſione inde acceptâ, per binas litteras ad ipſos Duces ſcriptas, eorum ſententiam graviſſimis rationibus confutavit. Inter cæterà magnopere improbavit, quòd, qui ſe exteris hoſtibus, res ſuas, ſuáque arma arctiſſimis vinculis alligârant, vellent omnino reſtitui in integrum, nollent tamen reſtituti adverſus hoſtes Cæſaris, armis Cæſareis ſua ſociare, ſed id agere viderentur, ut oppreſſâ Catholicorum factione, per vim eas pacis conditiones exprimerent, quæ amabili potiùs compoſitione deberent obtineri, ſúſque déque habentes, an viciſſim Catholici, quorum res hoſtis occupabat, forent in integrum reſtituti. Hanc verò non videri rationem Germaniæ pacandæ, nedum in libertatem aſſerendæ: neque enim Catholicos uſque eò eſſe exhauſtos, ut ſe ſub jugum mitti, aut adigi ad tolerandam injuriam, per iniquas conditiones, pro hujus vel illius factionis arbitrio, patiantur. Eſſe enim ipſos Romani Imperij membra & cives, qui ſalvis Imperij ſanctionibus, jure gentium illæſo, & citra humanæ ſocietatis violationem nequeant violari. Liberam non fore Germániam, ſi contempto ſummo Imperij capite, externo dominatui (quod tamen agi videretur) pateret. Nô eſſe porrò, cur Luneburgici cauſentur, Cæſarem contra leges Cæſareæ Auguralis promiſſionis arma, inconſultis Imperij Ordinibus, ſumpſiſſe, adhibitis exterorum auxilijs: tametſi enim Cæſari arma externa in Imperium, citra Electorum, aut etiam conſentientium Ordinum ſuffragationem, vocare non liceat, hoc ipſum tamen locum non habere, ſi unus pluréſque ex Imperij Ordinibus, externum militem, & adverſus quidem ipſum Cæſarem advocârint. Non poſſe Luneburgicos improbare juſtam, quâ Cæſar uſus ſit in Bohemicis motibus, ſui juris defenſionem, niſi injuſtam Bohemicarum turbarum cauſam, quam nunquam ipſi probârint, velint juſtam cenſere. Non cenſeri denique eos, Cæſarem pro ſummo Imperij capite agnoſcere, qui Cæſaris hoſtem in Germaniam propriáſque ditiones reciperent; nedum habere Cæſarem amicum, qui cum hoſte ſua conſilia, vires, operam, animóſque ſociarent.

Litteræ Electoris Saxon. ad Bruno Luneburgicos.

XI.

Reſpondêre quidem Luneburgici Duces multa in rem ſuam; ſed quibus obfirmatum potiùs in ſuis poſtulatis animum, quàm ſtudium rerum æquiorum, aut æquabilis concordiæ demonſtrarent.

Respondent Luneburgici.

XII.

Remotis jam longiùs Suecicorum armorum turbationibus, ibatur ab Imperij Ordinibus, menſe Aprili, in ſolitas conſultationes, nec poterat tamen veniri ad præcipuum illarum ſcopum, quem ſibi Cæſar de reducendâ pace præfixerat: eò quòd exteræ Coronæ id negotium extraherent, & Proteſtantes, ſuis poſtulatis ipſas rerum componendarum difficultates exaggerantes, Catholicos adigerent ad proponenda viciſſim ſuarum querelarum momenta, eóque fieret, ut controverſiarum multitudine pax interciperetur.

Pacis obices.

Aderat quoque Ratisbonæ Thomas Rowæus Regis Britanniæ legatus, qui cauſam Palatinam ſic urgebat, ut intra dies quatuordecim reſponſum in alterutram partem abſolutum, de reſtituendis in integrum Comitibus Palatinis, poſceret, aſſerens, ſibi eſſe vetitam à Rege longiorem moram. Porrexit ſimul Sac. Cæſ. Majeſtati libellum, quem Rex de causâ Palatinâ, aſſenſu Senatûs Anglici, publicaverat, cum interminatione, per arma vindicandi, quod cum lubentiâ pro Comitibus Palatinis non aſſequeretur. Reſponſum nihilominus Rowæus accepit ejuſmodi, ut non modò præſcriptum duarum hebdomadarum ſpatium excederet, ſed etiam Cæſarem lubens Viennam comitaretur finitis Comitijs.

Legatio Anglica pro Comite Palatino.

Advenerat etiam à Rege Daniæ legatus, cum mandatis, de Palatinâ quoque reſtitutione peculiariter agendi: verùm cùm Regis litteræ decentibus Cæſareæ Majeſtatis titulis eſſent deſtitutæ, non fuit ad Cæſaris audientiam admiſſus, donec alias emendatiores à Rege acceptas exhibuit. Auditus ſubinde fuit benignè,

XIII. ſed cùm Cæſar per Decretum jam ſignificâſſet Ordinibus proximum Comitiorum

rum exitum, negotium Palatinum Viennam fuit rejectum, quò tum Anglicus, tum Danicus legati fuerunt ad tractandum invitati. Satis habuit Danicus, id negotiationis Widenbachio ordinario Regis apud Cæſ. Majeſtatem Reſidenti cum plenâ poteſtate relinquere. CAUSA PALATINA DILATA VIENNAM.

Amneſtia 13. Cal. Septembr. fuit promulgata, ac deinde publico diplomate affixa ad valvas Ratisbonenſis curiæ 5. Cal. Octob. in quâ confirmabantur ea, quæ Cæſar quibuſdam ex peculiari clementiâ in gratiam receptis jam ante condonaverat, deinde addicebatur ijs, qui à Pragenſi pace excluſi, nullam adhuc prorſus noxarum remiſſionem acceperant, fore ut citra pœnam aliúdve incommodum in poſſeſſiones tam eximij, quàm beneficiarij juris, ínque jura, dignitates, actiones activas & paſſivas, tam in Eccleſiaſticis, quàm politicis pari cum jam reſtitutis indulgentiâ admitterentur, ſi priùs pro eo ac decebat, ſeſe iſtiuſmodi beneficio accommodarent. Denique circa eos, qui cùm jam quidem eſſent reſtituti, crederent nihilominus ſe adhuc habere cauſas querelarum, id fuit conſtitutum, ut pro ſtabiliendâ mutuâ animorum conſenſione inter Ordines Imperij, ipſis omnibus, qui certis quibuſdam conditionibus eſſent reſtituti, eæ ditiones ac ſubjecti, cum omnibus juribus tam Eccleſiaſticis, quàm civilibus, citra exceptionem redderentur, nihil obſtante Pragenſis pacis appendice, perinde atque ſi ſtatim initio ad ejuſdem pacis beneficia, legéſque fuiſſent recepti, & ab ijs nunquam excluſi; eo tamen pacto, ut pariter Catholicis ea reſtituerentur, quæ ipſis ex Pragenſis legis præſcripto deberentur. AMNESTIÆ PUBLICATIO.

XIV.

Ab iſtâ Amneſtiâ diſertè excluſit Imperator hæreditaria Regna & Provincias Auſtriacas, unà cum ſubditis eorúmque bonis ac poſſeſſionibus, ijs exceptis, qui feuda Bohemica habeant, & Imperij Ordines cenſeantur, ſi qui etiam Saxoniæ Septemviro & Confeſſioni Auguſtanæ ſint addicti, & uſque ad Pragenſis pacis abſolutionem ſub ejus ſignis meruerint, qui quidem Amneſtiæ beneficio ſint uſuri. EXCEPTI AB AMNESTIA,

Voluit autem illud, quod de Magdeburgico Archiepiſcopatu conveniſſet, in eâdem iſtâ pace Pragenſi porrò fixum immotúmque manere. MAGDEBURGICUS ARCHIEPISCOPATUS,

Rejecit verò cauſam Palatinam ad tractatus peculiares jam propoſitos, in omnibus, quæ ad perſonas réſve ipſas, aut eiſdem connexa pertinerent. CAUSA PALATINA,

Excluſit item ab hac Amneſtiâ poſtulationes, actiones, & prætenſiones, ſive pertinerent ad rem communem Imperij, ſive ad privatum alicujus ordinis commodum, quæ non penderent ab hujus Amneſtiæ exceptione, ſed aliunde ſuam haberent originem, & eas quidem aliam judicij rationem debere ſortiri.

Inſuper declaravit, eos, quibus vigore generalis Amneſtiæ incumbit aliqua reſtitutio bonorum, quæ ipſi titulo oneroſo, in ſolutionem debiti, vel jure hypothecæ hactenus poſſederint, vel ſi alio id generis nomine ſint ijs uſi; retinere jura & actiones, quas antea habuerint. Veluti etiam actiones evictionis & reluitionis, quæ ipſis competant, & ſuum ortum habeant ex ejuſmodi reſtitutione, ita tamen, ut bona reſtituenda nullo evictionis nexu teneantur, aut poſſint ex eâ causâ à reſtitutione eximi: non fore etiam reſtituentes (ſive bona habuerint titulo oneroſo, ſive lucroſo) obligatos ad ullam fructuum perceptorum refuſionem: nihilo tamen minùs, excipi ſenioris Viduæ Palatinæ alimenta, aliáque id generis ad ipſam ſpectantia, ad Palatinos tractatus, aut Cæſaream aliam diſpoſitionem reſervari. Præterea omnia damna, impenſas, multas pecuniarias jam repræſentatas, juxta Pragenſis pacis normam, remitti, ſi ex belli nuperi occaſione contigerint. Cæteroqui mulctas promiſſas duntaxat, aut novatione tralatas nullo pacto debere exigi. Eos verò, qui ad Amneſtiam eſſent admiſſi, & in ſuas fortunas poſtliminio reducti, nihil habituros juris, quod ſibi arrogent, in bona aliorum Ordinum, hiſce bellorum turbis occupata, vel factas exinde ceſſiones, ſive ex contractu, ſive aliunde, ſed cuique rem ſuam, quam ante bellum poſſediſſet, ex pacis Pragenſis præſcripto eſſe reddendam: cui quidem paci ejuſce decretis, NOMINA ONEROSA, XV. VIDUA PALATINA, DAMNA, IMPENSÆ, &c.

cretis, aut jam incœptis gravaminum tractatibus, quâcunque tandem causâ prognatis, per hanc Amneſtiæ legem nihil cenſeatur eſſe derogatum.

Terminus reſtitutionis. Reſtitutionis terminũ iniri debere in rebus profanis ab anno M. DC. XXX. ex quo Sueciæ Rex Germaniam eſt ingreſſus: in Eccleſiaſticis verò ab anno M. DC. XXVII. reſtitutionem eſſe faciendam, in utriſque verò menſis Novembris diem duodecimum fore præfixum.

XVI. **Conditio neceſſaria.** Ad extremum hanc Amneſtiam tum primùm, non verò antè, ſuum effectum habituram, ubi animos & arma Imperij Ordines cum Cæſare ſociâſſent, alioquin ejuſdem decreta fore irrita, & omnis roboris expertia, quæcunque tandem fortunæ rerúmque mutatio oriretur: poſſe autem hanc ſanctionem inter Imperij decreta referri.

Archidux Leopoldus Maximilianum inviſit. **Imperator et Auguſta Monachiũ veniunt.** Dum Ratiſbonæ Comitia agerentur, Leopoldus Archidux, pro ſingulari ſuo in Maximilianum Electorem & Electricem ſuam ſororem amore, Monachij eos inviſit Aprilis vigeſimoſeptimo, ubi honorificè & peramanter ad uſque diem Maij ſecundam habitus, per citatos equos diſceſſit in Bohemiam. Cæſar unà cum Auguſtâ, ut tantiſper levarent longa & aſſidua rerum tractandarum faſtidia, decimaquartâ Maij Monachium diverterunt, ubi à Maximiliano & Mariâ Annâ Electrice, cum inſigni honore & benevolentiâ excepti, animos relaxârunt. Die ejuſdem menſis vigeſimoſecundo Ratiſbonam repetentes, Maximilianus unà cum Sereniſſimâ Conjuge, totâq; Aulâ, honoris causâ Dachavium eſt proſecutus.

Ratiſbonam redux Ferdinandus Imperator tam propensè ad pacandam Germaniam incubuit, quàm quibuſdam alijs cordi non fuit, ut adhuc pacaretur; cùm nondum eam cenſerent ad eum rerum ſtatum eſſe redactam, quem ipſi ſuis conſilijs deſtinabant. Quare, cùm Cæſaris curæ & animi contentiones fructus laboribus pares non referrent, id tamen optimus Imperator eſt aſſecutus, ut veri pacificatoris laudem apud bonos ſit adeptus.

XVII. **Brunovico Luneburgici Duces et Haſſo-Caſſellici reſpuunt Amneſtiam.** Amneſtiam fruſtrati ſunt Luneburgo-Brunſvicij & Haſſo-Caſſellici; quippe qui illimitatam, abſolutam, nulliſque affectam conditionibus ſic urgebant, ut etiam reſtitutionem ab initio belli inchoandam omnino poſtularent. Quare cùm nihil de poſtulatorum extremis remitterent, neque ſpem facerent ullam ineundæ cum Cæſare belli armorúmque ſocietatis, Cæſar juſſit eos intra dies quatuordecim Decreto Cæſareo ſeſe ſubmittere, vel domum ad ſuos Principes, poſt iſtius temporis lapſum, reverti. Diſceſsêre igitur Ratisbonâ, cum Cæſareo tubicine, qui vicem eſſet teſſeræ publicæ ſecuritatis. Erigebat eorum ſpes adventûs Dorſtenſonij, qui propediem cum novis auxilijs è Sueciâ erat adfuturus: Eoſdem ſtimulabat Epiſcopatus Hildeſienſis, cujus ipſi poſſeſſionem in futurum affectabant: ægrè ferebant, ſibi ex Wolfenbutâ manere frenos injectos.

Secundum hoc, actum de adminiſtratione juſtitiæ, de rationibus ſuſtentandi exercitûs Imperij, tandémque creatis tribus novis Imperij Principibus, Eitelio Friderico Hohenzollerano aulæ Maximiliani ſupremo præfecto, Eggenbergio, & Lockovizio, Comitiorum placita X. Octob. Imperij Ordinibus à Reigerſpergero Moguntino Cancellario fuêre prælecta.

Rebus ad eum modum Ratiſbonæ conſtitutis, Cæſar 3. Id. Octob. à meridie, cum potiſſimâ Conſiliariorum & Aulicorum parte, conſcensâ navi, Straubingam vectus, à Maximiliano & Mariâ Annâ Electrice, quâ decuit reverentiâ & amoris ſignificatione acceptus, navigationem proſecutus eſt.

Tam Saturninus fuit iſte annus, ut præmaturum frigus 3. Cal. Auguſti canâ circum Monachium pruinâ campos induxerit, & die Octobris duodecimo, vindemiam aliquibus Germaniæ locis nondum maturam congelârit, tantâ frigoris aſperitate, ut gelu durata humus par eſſet gravibus vecturis.

Robertus Com. Pal. libertati reſtitutus. Cæſar reverſus Viennam, Robertúm Comitem Palatinum in cuſtodiâ trienni habitum, cùm anno M. DC. XXXVIII. prælio devictus, in Comitis Hatzfeldij manus veniſſet, libertate donavit, eâ lege, ne arma adverſus Cæſarem vel domum Auſtriacam deinceps gereret.

Lega-

Legatus Britannicus Sac. Cæſ. Majeſtatem Viennam ſubſecutus, cùm eodem Danici, Moguntini, Bavarici, Saxonici, Colonienſes, & Brandeburgici ad cauſæ Palatinæ tractationem legati appuliſſent, ineunte Decembri, habitis hac ſuper re jam aliquot conſultationibus, Regis magnæ Britanniæ nomine repetivit omnes ditiones Palatinas, Electoratum, omniáque privilegia & jura ijſdem annexa in eo ſtatu, in quo Anno M. DC. XVIII. fuiſſent, ídque citra omnem prorſus exceptionem, ita ut nullæ munitiones everterentur, intacta manerent armamentaria, annona, ſupellex Electoris: omnia Archiva, documenta: Indiculi, quotquot veniſſent in manus alienas, redderentur, quæ adhucdum in præfectorum poteſtate eſſent, penes eoſdem relinquerentur. Petivit item damnorum illatorum, fructuum perceptorum & percipiendorum, collectarum item & exactionum reſtitutionem, ſubditorum ab ulterioribus oneribus immunitatem, útque Ludovicus Philippus Comes Palatinus, ad quem Septemviratus pertineret, in iſtorum omnium poſſeſſionem abſque morâ mitteretur. XVIII.

Petitiones legati Regis Angliæ pro Comite Palatino.

Viſa hæc petitio ardua & nimis confidens, non Bavaricis modò, ſed alijs quoque ad hoc negotium conſtitutis actoribus, eò præſertim, quòd non modò nihil de Maximiliani Electoris ſervandâ dignitate, ſed ne quidem etiam de tredecim millionibus, quos idem in belli Bohemici ſumptus pro Cæſare expoſuerat, ullo verbo meminiſſet; tametſi non eſſet neſcius, Cæſarem ad grandis iſtius nominis diſſolutionem Maximiliano cum evictionis obligatione vendidiſſe ſuperiorem Palatinatum, partémque aliquam Ciſrhenani inferioris, quæ ob Friderici Comitis Palatini noxam, in Cæſaris liberam poteſtatem devenerant. Quâ de re, quamvis anno M. DC. XLII. libellus editus omnem culpam fruſtratæ hujus tractationis luculenter à Maximiliano Septemviro depulit, non erit tamen abs re, hoc loco ejuſce libelli ſynopſin ſub unum velut aſpectum ponere. XIX.

Velut exorbitans improbatur.

Hâc ipsâ de causâ Friderici Comitis Palatini demortui hæredes per Hiſpaniarum & Magnæ Britanniæ Reges impetrârunt, ut Bruxellis colloquium haberetur. Annuerat Maximilianus, miſsíſque legatis lubens iſtam tractationem inierat, quâ ab adverſarijs extrema ſemper ſpectantibus diſſolutâ, Daniæ Rex & Imperij Septemviri, aliam, volente item Maximiliano, velut medij rei componendæ ſequeſtres, Ratisbonæ, uti jam dixi, ſuſceptam, Viennæ ex Cæſaris placito integrârunt. Tenuit hæc novem ipſos menſes & quod ſuperat, licèt ex ipsâ legati primâ poſtulatione nulla vel certè perexigua ſpes appareret rei ad exitum cum aliquâ æquitate deducendæ.

Causæ dilatæ compositionis.

Conſtat ex actorum tabulis, ex Septemviralium legatorum teſtificatione, ex ipsâ adeò legati Anglici confeſſione, quam voce & ſcripto edidit; Maximilianum ſe eouſque facilem æquúmque præbuiſſe, taléſque ultro ineundæ concordiæ rationes aperuiſſe, ut ultrà nihil ab eo poſſet, niſi iniquè deſiderari. Etenim ipſe ſtatim in tractationis ingreſſu oſtendit, ſe è Palatinatu inferiori diſceſſurum, ſi diſcedentem ſequerentur cæteri, qui alias ejuſdem Palatinatûs partes occupabant. Alterum addidit, quo nihil poterat eſſe æquius, ad univerſam tantæ rei compoſitionem. Haud dubiè Palatinatus ſuperior ipſi ære quantocunque erat carior: comparari enim induſtriâ poſſunt pecuniæ, Principatus pecuniâ vix unquam poſſunt acquiri; nihilo tamen minùs, cùm legatus Britannicus & cauſæ Palatinæ patroni oſtenderent, niſi reſtituto ſuperiore Palatinatu, quicquam poſſe componi, Maximilianus reſpondit, ſe eundem iſtum Palatinatum Cæſari, à quo illum acceperat, redditurum, ut de eo Cæſ. Majeſtas pro arbitrio ſtatueret, redderétque, ſi videretur, Comitibus Palatinis, modò pretium perſolutum ſive à Palatinis Principibus, ſive à Rege Angliæ, ſive à quovis alio reciperet, vel, ſi in promptu pretium tredecim millionum non eſſet, ſineretur redire in poſſeſſionem Anaſſinæ hypothecæ, eâque frui, donec iſti milliones ære præſentaneo refunderentur: alterutrum enim debebat præſtari juxta pacta conventa cum Ferdinando Imperatore II. & confirmata à Ferdinando Imp. III. ut videlicet Cæſar vel evinceret Maximiliano venditam poſſeſſionem Palatinatûs ſuperioris, XX.

vel redderet hypothecam Auſtriæ. Ut enim tot milliones projiceret, Comites Palatini nullo in Maximilianũ officio erant promeriti: ut donaret Cæſari, nec poſcebat Cæſar, nec ſuadebat ratio, ſed vetabat potiùs tantæ rei profuſionẽ in Monarcham tot Regnorum & Provinciarum potientem. Satis enim erat donatum, cùm de quindecim millionibus, quos Maximilianus in bellum pro Cæſare im-
XXI. penderat, duos liberaliter remiſiſſet, quod legati ex rationum ultro citróque probatarum tabulis apertè oſtendebant. Meritò negabat Cæſar, ſe pœnam clientis ſui, ſumptúſque in eo coërcendo factos debere luere, & jure quo optimo negabat Maximilianus, ſe, cùm rem Cæſaris utiliter egiſſet, cum ingenti ſuo labore & periculo, alienæ cauſæ ſumptus debere ſuſtinere. Cauſabatur quidem legatus Anglicus tot millionum reſtitutionem nullis Principum Palatinorum viribus poſſe repræſentari: ſed hoc ipſum non erat ſatis, tum quòd iſthæc impotentia debitum non dilueret, tum quòd non poſtulabatur ab ipſis pecunia, ſed quies aditæ poſſeſſionis in eâ Provinciâ Palatinatûs, quâ utique Principes Palatini carere poterant, donec vel ſuâ parſimoniâ, vel ex ære Anglicano, aliorúmque amicorum ſubſidio, tredecim milliones conficerent. Quod ſi ne hoc quidem à Principibus poterat obtineri, ut Maximiliano tranquillam poſſeſſionem relinquerent, ad Cæſarem redibat ex pacto onus refundendi tredecim milliones, vel reſtituendi Anaſſinam hypothecam, ſi quidem Maximiliano fuiſſet de Palatinatu decedendum. Præter hæc Maximilianum ſui juris retinentem faciebat ipſa neceſſitas, quâ ſe videbat alligatum ſuis creditoribus tam ſubditis, quàm exteris, ex quorum ære tredecim millionum partem contraxerat, cum obligatione non refundendi modò ſortem principalem, ſed etiam præſtandi, donec refunderetur, cenſus annuos, quos ſupra viginti annos ingenti impendio, jam tum cùm hæc cauſa ageretur, præſtiterat.

XXII. Quibuſdam de alieno profuſis videbatur convenire, ut paci ac bono publico Maximilianus omnia iſta donaret: Hoc quidem fuiſſet in ipſius arbitrio: ſed cur ipſe potiùs id in ſe damni ſuſciperet, quàm Principes Palatini, quàm Imperium, quàm Cæſar, quibus non fuiſſet arduum conflare ſummam tredecim millionum, vel poſſeſſiones Palatinatui non impares in ejus locum aſſignare? Non decebat eum ſolum id ferre damni, qui ſolus non ſenſiſſet ex eâ donatione commodum. Non remiſère Franci Briſacum & Alſatiam: Sueci non condonârunt Pomeraniam, Rugiam, loca alia, Epiſcopatus, quinque Imperialium talerorum myriades: Hiſpani nec remiſerunt, quæ juſtum eſſe cenſebant fieri pro reſtitutione Palatinatûs, nec Franckentalio abſceſſerunt gratis: Principes Imperij tam liberales non fuerunt, ut communis ſalutis ſtudio, quas res animo ſibi deſponderant, vel jure ad ſe pertinere credebant, gratis abdicarent.

Quare mirum non eſt, ſi Maximilianus rem tantam projicere noluerit, ex cujus jacturâ tranquillitas non fuiſſet ſubſecuta in Imperio, cùm multa præterea eſſent longè majoris momenti, quæ ſupereſſent cum Regibus externis, cum Imperij Principibus & Ordinibus componenda, quæ longè plus remoræ, quàm iſti Bavarici milliones paci conficiendæ attulerunt, uti ſuo loco videbitur. Tandem etiam Maximilianus, ne quid defuiſſe ſuis partibus videretur, rogavit ſequeſtres hujuſce tractationis, ut ſuggererent modos finiendæ diſceptationis circa dignitatem Electoralem, ne ex eâ parte ulla belli proferendi cauſa ſupereſſet. Verùm cùm legati Palatini Provinciarum reſtitutionem urgerent ante cætera, nec quicquam ab ipſis poſſet æquum impetrari, re infectâ, in aliud tempus ejuſce cauſæ tractatio fuit dilata.

XXIII. Et ex iſtis quidem eſt, unde pateat error hiſtoricorum, qui ſcriptis mandârunt, Maximilianum mordicus Palatinatûs poſſeſſioni adhærere voluiſſe: eſt quoque unde palàm fit eorum calumnia, qui auſi ſunt aſſerere milliones iſtos, bello proferendo unicè atque ex aſſe cauſam dediſſe. Venio ad alia.

Fœdus Gallicum cum Suecis renovatũ. *Dananx.*

Hoc anno Ludovicus XIII. Galliarum Chriſtianiſſimus, per Claudium Meſmium Comitem Avallium, fœdus ante triennium cum Chriſtinâ Sueciæ Reginâ

initum

initum, agente Joanne Salvio ejuſdem Reginæ ſecretiore Conſiliario, Hamburgi, ultimâ die Julij, pro bello ad uſque pacem univerſalem producendo in Germaniâ, renovavit, auctis auxiliaribus pecuniarum ſubſidijs, quibus Rex bis centena librarum Turonenſium millia adjecit ſupra nuper pactum millionem, quæ Suecis ad belli ſumptus quotannis repræſentaret, anticipatâ ſemper trium menſium ſolutione. Acceſſit quoque ex hoc fœdere, ut, ſi cum hoſte generales plurium annorum induciæ tranſigerentur, ceſſarent quidem tantiſper prædicta nummorum auxilia, Rex tamen Sueciæ Reginæ quotannis Amſterodami, *ad teſtandum ſuum nullis non temporibus gratificandi animum*, numerari curaret trecenta talerorum Imperialium millia. Adjectum in pactione induciarum, utrinque eſſe collaborandum, ut Duces Brunovico-Luneburgici & Haſſiæ Landgravia, & quicunque porrò Principes aut Status Imperij ad fœdus accederent, commodas ſibi quoque conditiones obtinerent: quæ viſa ſunt digna, quæ huc referrentur, ut vel hinc appareat, quibus alimentis bellum ſuccreſceret, quibus retinaculis Imperij Principes à pace abſtinerentur. *Artic. 3.* *Artic. 4.*

XXIV. BANNERO ACCEDUNT AUXILIARES COPIÆ.

Bannerus porrò, exercitu valde attrito, quemadmodum ſuperiùs memoravi, Zwickaviam evaſerat, redactus ad eam paucitatem, ut, cùm ſe Leopoldo Archiduci prorſus ſentiret imparem, Hodizium in Sueciam, Kœnigsmarckium ad Ducem Luneburgicum ſuppetias petituros amandaret. Weinmarianos, qui in ſuperiore Palatinatu, anno ineunte, ab eo diverterant in Franconiam, denuo junxit periculi conſiliorúmque ſocietas. Seſe etiam poſtea Bannero conſociavêre cum ſuis copijs Tubadelius, Stalhanſius, & Alexius Lilius. Banneri veſtigia preſſerunt Cæſariani & Bavarici, tantâ feſtinatione, ut per undecim dies, ne depoſitis quidem ephippijs, equitatus vix quicquam moræ ad quietem ſibi tribuerit. In iſtâ deproperatione Bannerus amiſit multa jumentorum millia continuis fracta laboribus, nec paucos militum, qui vel profugêre à ſignis, vel ab inſectantibus fuerunt oppreſſi, ſive extra ordines, ſive in creberrimis velitationibus, quæ in iſto itinere interceſsêre. Cæſarianorum progreſſus ſtitit aliquantum Sala fluvius, dedítque hoſti, in cujus poteſtate erant pontes & trajectus, ſpatium aliquod reſpirandi, dum Cæſariani tranſitum molirentur. Hi 7. Id. Mai. ad Weiſſenfelſam, flumen ſtravêre gemino ponte. Eorum alterè citeriore ripâ porrigebatur in mediam Inſulam, alter cum Inſula jungebat littus adverſum, opere infirmo & malè materiato, quale ſolet eſſe tumultuarium; defendebatur uterque tormentis ex loco editiore: qui ad ripam ulteriorem pertinebat, jam obductus erat vallo extemporaneo, cùm Gallo-Weinmarij Cæſarianos aggreſſi, retro egêre in pontem, qui conferto refugientium pondere ſolutus, aliquammultos demiſit in ſubjectos vortices: è reliquis aliqui periêre ferro, alij retracti in vincula. Stetêre Gallo-Weinmariani à Bannerianis adjuti in acie, extra tormentorum ictum, parati Cæſarianorum tranſmiſſionem reprimere. BANNERI FUGA. CÆSARIANORUM CLADES.

XXV.

Quare cùm eò loci res non ſuccederet ex ſententiâ, Cæſariani locum opportuniorem nacti, ad Berneburgum, in oram adverſam delati, hoſtem nequicquam obſiſtentem retrusêre Halam & Merſeburgum. Dum in itinere eſt Piccolominius, nuntium accepit, Bannerianos Halâ deſertâ, Merſeburgum evaſiſſe. Quare motis illuc caſtris, Comitem B[illegible]æum cũ valido equitatu, & mille ſelectis ſclopetarijs miſit Merſeburgum, ut hoſtem ad fugam pronum eo loco dimoveret. Supervenit inopinanti; & occupato ſuburbio, incensíſque aliquot domibus, validè reſiſtentem, cum luculentâ clade, multis trucidatis, captis pluribus, potitus haud contemnendâ prædâ, retudit in civitatem, itáque perculit, ut motis inde caſtris, ſe Halberſtadium reciperet, qui locus 13. Cal. Junij Bannero fatalis fuit, cùm puris & ſanguinis magnam copiam, poſt febris intermittentis languoris, ejeciſſet. SALAM TRAJICIUNT. *Comes de Bruay.* HOSTIS PELLITUR MERSEBURGO.

XXVI.

Eodem iſto die Tribunus Cabæus Cæſarianus ex improviſo Quedlinburgum invaſit, quingentis Suecis, mille caſtrenſis annonæ propolis, tribus nobilium matronarum vecturis, magnâque pecuniæ vi (in quâ fuêre collectitiæ ex eâ regio- *Caba.* CÆSARIANI QUEDLINBURGUM OCCUPANT.

regione contributiones) in ſuam poteſtatem redactis: eâ prædâ ditatus, ad caſtra revertit.

Clades Gallo-Weinmaricorum.

Suecorum clades variæ.

Triduo pòſt, Sporckius Chiliarcha cum octingentis alarijs ad Quedlinburgum conſedit ad uſque diem poſterum, quo ſub auroram movens Halberſtadium, magnam Suecicorum pabulatorum turbam ex itinere oppreſſam reduxit ad Quedlinburgum. Revertentem ſexcenti Gallo-Weinmarici inſecuti, poſt forte certamen profligati, unum Rheni Comitem Roſæ Tribuni vicarium, cum multis alijs inter proſtrata occiſorum corpora reliquerunt. Pari felicitate, ductore Feduario, Croatæ, Albi ad Magdeburgum tranſmiſſo, irrumpentes in Suecorum ſtationem ad Halberſtadium, magno eorum numero internecione deleto, trecentos equos abduxerunt. Non impari fortunâ Gaſpar Mercius non contemnendam ſtragem edidit in Livonicâ legione, quæ ſtabat pro excubijs. Sub idem tempus centum quinquaginta Cæſariani & centum Bavarici equites, centum triginta alarios ex hoſtibus, ad prohibendam pabulationem emiſſos, paucis vitâ donatis, neci dederunt.

XXVII.

Sueci in Saxonia e variis locis exturbantur.

Eorũ Triumviratus.

Archidux redux ad exercitum.

Zwickavia Suecis eripitur.

Sporckius ſub hæc, Tubadelij prætoriam legionem inter Quedlinburgum & Halberſtadium cecîdit, protribuno potiſſimiſque Præfectis interemptis, multis captis, in quibus ſupremus præfectus vigilum. Kirmreitterus trecentos item equites profligavit. Dum Sueci crebras iſtiuſmodi clades acciperent, Saxoniæ Septemvir in Mansfeldicâ & Querfurtenſi Dynaſtiâ, Nebram, Querfurtum, alia loca, iiſdem extorſit. Eorum res erant id temporis penes Treſviros, Adamum videlicet Pfulium natione Germanum, Carolum Guſtavum Vrangelium Suecum, & Arfurtum Wittenbergum Finnonem, quibus Bannerus ſupremam poteſtatem Merſenburgi extremæ lineæ propinquus, ad uſque Dorſtenſonij è Sueciâ adventum commendaverat. Aderat tum Bavarico exercitui Comes Wahlius: Archidux Leopoldus ad exercitum rediverat cum Bohemico equitatu, vigeſimo quarto Junij. Ejus juſſu, Tribunus Pigelius, menſe Majo, cum tribus legionibus Zwickaviam circumſederat, qui cùm ad caſtra fuiſſet revocatus, ejuſce obſidionis cura fuit demandata Borrio ſupremo vigiliarum Præfecto, ad quem novæ copiæ ex Bohemiâ per Joachimi Vallem, Dresdâ verò murales machinæ ad oppugnationem fuerunt ſubmiſſæ. Vix propiùs per octiduum vim admoverat, cùm Sueci colloquium de faciendâ deditione poſtulârunt. Impetravêre quidem, ſed cùm leges ſibi nimiùm commodas exigerent, ijs inductis, alias præſcripſit Borrius, quas ſi mox non acciperent, longè incommodiores vel poſtero die eſſent accepturi. Annona quidem obſeſſis reliquúſque belli commeatus non deerat; ſed ubi Banneri mortem habuerunt compertam, cùm remotiora eſſent Suecorum caſtra, quàm ut auxilia in tempore poſſent ſperare 13. Cal. Jul. leges à Borrio præſcriptas ſubiêre, traditis vexillis, equis & armis, cum non modico annonæ & pyrei pulveris apparatu.

XXIIX.

Cæsariani fugantur.

Sueci fœdus renovant.

Augebatur interea Suecorum exercitus novarum copiarum acceſſione è Luneburgicis, ductore Klizingo, qui bis mille recentes alarios adduxerat, jámque reſumptis animis incurrebant in Cæſarianos, à quibus turmas aliquot Roſa Tribunus, ſub Junium ineuntem egit in fugam. Eorundem ſpés erexerunt renovata fœdera cum Duce Brunovico-Luneburgenſi, cúmq; Haſſiæ Landgraviâ, per legatos, qui Halberſtadij Suecicis Triumviris fuêre polliciti, fore ut, ſi à Cæſarianis premerentur, quatuordecim auxiliariorum millia confeſtim laborantibus ſociarent.

Suppetiæ e Suecia.

Triumviri dissident.

E Sueciâ Larus Kagius ſexaginta equitum, & quadraginta octo peditum vexillationes ad Viſmariam, in continentem, ſub Junij exitum expoſuit, quem Dorſtenſonius, cum cæteris auxilijs, erat propediem, ſi faveret tempeſtas, ſecuturus. Antequam adveniret, orta eſt in Triumviros diſcordia, quæ eò faciliùs inter plura capita contingit, quò difficilius eſt, multos cum pari poteſtate eâdem animorum conſenſione, omni ſepoſito ambitu, præeſſe. Eos quidem neceſſitas, debile nec diuturnum amicitiæ vinculum, utcunque conjunctos initio tenuerat, verùm

verùm ubi minuto diſcrimine, ſinguli ſe cœperunt circumſpicere, Vrangelius & Wittenbergius rati non eſſe è Suecicâ dignitate partes potiores Pſulio Germano à duobus Suecis deferri, re paulatim ad ſimultates inclinante, Pſulius, poſitis Commiſſarij Generalis faſcibus, relictâ militiâ, Hamburgum ſeceſſit, à Cæſare præteritorum veniam rogaturus. Cæterùm Tribuni plerique, aliique ductores, Suecis rei caſtrenſis curatoribus, ob ſtipendiorum reſidua nomina, erant permoleſti. Pacârunt eorum querimonias octoginta talerorum millia, Hamburgum miſſa è Sueciâ, & amplæ in futurum promiſſiones, ſpéſque proxima Dorſtenſonij adfuturi. Hæc ſi defuiſſent, levi momento potuiſſet magna pars iſtius exercitûs ad defectionem excitari. XXIX. EXERCITUS POSCIT STIPENDIA.

Dum Sueci caſtra haberent bene munita ad Halberſtadium, Cæſariani unáque Bavarici tendebant circa Egelam. Diſceſſêre utrique: Sueci quidem Schwanbecam verſus & Oſcherſlebium; Cæſariani verò Schœningam vigeſimo ſexto Junij. Res erat utriſque de Wolfenbutâ; Cæſarianis; ut Luneburgicos ab ejus obſidione removerent: Succis, ut ex pactorum fide Luneburgicis ferrent ſuppetias. Iſtud obſidium, utpote varijs rebus memorabile, juvabit altiùs repetere. Grave erat Ducibus Brunovico-Luneburgicis, atque inprimis Auguſto Duci, in cujus patrimonio ex hæreditatis partitione erat Wolffenbuta princeps ſedes & apprimè valida munitio, ſæpe petitam, & in nuperis etiam Comitijs ardenter deſideratam ejuſce loci reſtitutionem differri, tum quòd Bavaricum præſidium oneri foret agro vicino, tum vel maximè, quòd Ducibus moleſtum eſſet habere in ſuis regionibus Baronem Rauſchenbergium, ingratum nimiúmque attentum arbitratorem, qui non modò exploraret conſilia, ſed etiam ſubinde ſufflaminaret. *Litt. Wahlij 1. Jul. ad Maximil.* WOLFENBUTENSIS OBSIDIO.

E diverſo motus antegreſſi inferioris Saxoniæ, Ducum fœdera belli armorúmque ſocietates cum exteris hoſtibus, haud dubia à re Catholicâ, à Domo verò Auſtriacâ ſat apparens averſio, immodica & pertinacia in Comitijs poſtulata, periculum ſolutioris licentiæ, ſi liberi à tantillo freno pergerent cum hoſte conſpirare, frigidam Cæſaris benignitati injiciebant, quò tardiùs Ducum vota impleret. Similes curæ Maximilianum retardabant, quò minùs author eſſet, cum malo publico, ex iſtâ velut arce removendi præſidium, quod aliquam ſaltem regionis nondum amicæ partem utcunque cohibebat. Cauſam ſuam Duces non reddiderant meliorem in Comitijs, quia, tametſi promiſerant, ſe reipsâ oſtenſuros, quàm propenſo eſſent in pacem animo, eóque impetrârant, ut, quamvis adhuc arctè cum hoſte conjuncti, tutò poſſent ſub fide publicâ conventui adeſſe, nihilo ſecius tam duras & ultimæ quaſi neceſſitatis ac diſcordiæ leges obſtinârant, ut, ſi cæteri Imperij Proteſtantium Ordines adverſus Catholicos pares animos attuliſſent, omnino de pace fuiſſet ſpes omnis intercepta. Difficultatem augebat, quòd rebus ſuis non contenti, Hildeſienſi Eccleſiæ inhiabant tam avidè, ut Goſlarienſis privata tractatio, quam cùm Cæſare de pace ſingulari privatim ſuſceperant, in hunc ſcopulum illiſa, fecerit naufragium, atque oſtenderit, non tam fuiſſe Ducibus pacem propoſitam, quàm novam Eccleſiaſticæ poſſeſſionis uſurpationem. XXX

Quamobrem ex illâ rerum ac cauſarum colliſione natum eſt, ut Dux Auguſtus cæterorum cognatorum auxilio, per ipſam hiemem, Wolfenbutam obſidione cingeret. Cùm cinctus eſſet laxior, erupêre frequenter obſeſſi Rauſchenbergio fortiter & ſapienter defenſionis imperia moderante. Mars fuit in eruptionibus varius: menſe Februario cinctus evaſit arctior, ad quem expectabantur è Friſiâ Orientali ſex legiones, agebatúrque cum Haſſis, qui differebant auxilia, donec quid certum de ipſorum ſtipendio & ſuſtentatione conſtitueretur. Quicquid Luneburgici moliebantur novorum operum, tam nihil movebat obſeſſos, ut, cùm ipſis probè de annonâ eſſet proſpectum, nihilo quàm antè infrequentiùs hoſtem carperent, & aliquid etiam obſidionalis munimenti ſolo æquarent. Ter mille nihilo minùs agreſtes in moliendis aggeribus erant aſſidui, quibus à vicinis regionibus, Zellenſi præſertim, Calenbergenſi & Hildeſienſi, non ſine quiritationibus, perillubenter & malignè cibaria præbebantur. Wolfenbutam perlabitur Ockera fluviolus XXXI. OCKERÆ RESTAGNATIO.

violus tali alveo, ut infra munitionem aggere cohibitus, ad multorum pedum altitudinem ipſum oppidum poſſit inundare. Ejuſce rei experimentum fecerat Pappenheimius, eóque domuerat Wolfenbutam, quæ alioqui credebatur invicta. In ſimili molitione Luneburgici ponebant ſupremum momentum rei conficiendæ. Qui aggeri conſtruendo præerat architectus, pollicebatur, ſe quatuordecim pedes altiùs ducturum aquam, quàm Pappenheimius duxiſſet: inde velut certa ſpes victoriæ, niſi Rauſchenbergius majore fuiſſet animo, quàm ut exemplo Danici Gubernatoris aquis reſtagnantibus ſe vinci pateretur. Jam annonam præſentem curaverat in ædium ſuprema tabulata comportari, & indies novam ex agro finitimo per medium hoſtem inferebat.

EXCURSIONES WOLFENBUTENSIUM BAVARICORUM.

Menſe Martio in ipſos Stolbergæ fines excurrit. Cùm enim valli, quod fluvio obſtruebatur, objecta moles lentè aſſurgeret, atque in defendendâ obſtructione potiſſimæ Luneburgenſium operæ & excubiæ locarentur, patebat obſeſſis, menſe Martio & Aprili, via ad clancularias & improviſas excurſiones, im-
XXXII. mo adulto jam Majo, prope Goslariam, triginta ſex Luneburgicos equites profligârunt, viginti quinque in loco trucidatis, cæteris pleriſque unà cum vexilliferi vicario, equíſque omnibus Wolfenbutam adductis: tantum aberat, ut à Suecis quicquam ſuppetiarum id temporis acciperent Luneburgici; ut etiam ipſi poſt Banneri fugam, auxilia à Suecis rogarentur.

Adoleſcente Junio, vallum eò uſque jam excreverat, ut fluvius reſtagnans, Wolfenbutæ molettrinas redderet inutiles: ſed & Brunovicum, quod eſt infra Wolfenbutam, querebatur, agendis rei piſtrinæ machinis aquam deeſſe.

Inter hæc Sueci, renovato cum Luneburgicis fœdere, auctíque novis copijs, comperto, Cæſarianos ad ſolvendam obſidionem proficiſci, eodem properârunt, ut ante Cæſarianorum adventum in obſidionalia munimenta recepti, præſidio forent Luneburgicis, quos alioqui facili negotio Cæſariani loco fuiſſent dejecturi. Gallo-Weinmarici huic quoque expeditioni voluerunt intereſſe, caſtris poſitis ad Detlebam, duobus ab Halberſtadio milliaribus, haud procul ab Heſſumenſi aggere, qui à Klizingo Stratego Luneburgico tenebatur.

Litt. Wahlij 1. Julij ad Maximil.

Leopoldus Archidux 26. Junij Egelâ Schöningam caſtra promovit, atque inde mediâ nocte, dato profectionis ſigno, rectâ contendit Wolfenbutam, ſperans, ſe hoſtem præventurum. Verùm cùm præmiſſis per Horneburgum im-
XXXIII. pedimentis, plenis caſtris totâ nocte hoſtis fuiſſet progreſſus, ſic prævertit Archiduci, ut prior adeſſet Wolfenbutæ. Eo die nihil tentatum, præterquam quòd aliquot captivi ad caſtra Cæſarianorum fuêre adducti: die ad veſperum inclinante retulerunt Croatæ, legionem hoſtilem cum quadringentis alarijs ad Luneburgica caſtra proficiſcentem haud procul abeſſe. In eos juſſus eſt invehi Spigelius tribunus cum ſexcentis equitibus. Ille quadringentorum turmam momento profligavit: pedites verò in pagum vicinum recepti, noctis beneficio per paludes evaſerunt, multis captis, nec paucis interfectis, amiſſo ſimul tormento grandiore, omnibúſque impedimentis. Vigeſimo octavo Junij, Cæſarianus exercitus per Wolfenbutam tranſmiſſo Ockerâ, hoſtem è vicinis aggeribus depulit, centum ſupráque trucidatis. Hoſtis animadverſo, primum Cæſarianorum agmen per urbem movere, legiones immiſit in impedimenta, quæ poſt agmina ſequebantur. Mercius rei tormentariæ præfectus venientes ſic excepit, ut fuſas fugatas retro egerit in grandius propugnaculum, quod hoſtis juxta majorem aggerem inſidebat. Iſto in conflictu ex hoſte quàm multi cecidêre. Eodem veſpere, tametſi hoſtis loco ſtaret Cæſarianis periniquo, decrevêre tamen cum totis caſtris inceſſere ad diem inſequentem. Verùm cùm, ſitu meliùs per Franciſcum Mercium explorato, viſum eſſet, fieri non poſſe, ut citra præſentiſſimum diſcrimen iretur rectâ in hoſtium munitiones, pugnâ in diem trigeſimum dilatâ, conſtitutum fuit, acie per obliquum ductâ, hoſtem ex eâ parte aggredi, quâ nudior à munimentis apparebat. Jam ordines erant in campo ad pugnam dige-
XXXIV. ſti, cùm Piccolominius primum agmen juſſit ire in hoſtem, ipſe verò cum tormentis

ARCHIDUX TENDIT WOLFENBUTAM.

TURMA 400 EQUITUM HOSTI CÆDITUR.

MERCIUS HOSTEM CÆDIT.

CONFLICTUS AD WOLFENBUTAM.

mentis ad pagum Fimelſum aggeribus, foſsâ, & uliginosâ intercapedine munitum progreſſus, hoſtem devectis in propugnaculum tormentis inde abegit, depulitque ab operibus, quæ jam in pago affecerat. Ergo aperto, per id loci, aditu, toto exercitu ultra interpoſitam foſſam delato, Franciſcus Mercius, qui in alâ lævâ curabat, cognito, in ſylvâ proximâ tres hoſtiũ catervas novum opus ductâ foſsâ aggeribúſque moliri, Rauſchenbergium cum quatuor Bavaricis catervis eò judicavit eſſe mittendum. Ivit ille cum dicto, hoſtémque profligatum ex loco disjecit. Quò minùs autem locum retineret, obſtitit ſylvæ denſitas, quæ hoſtium receptum tegebat, vetabátque, ne equitatus peditatum, niſi longo lentóque ordine ſequeretur. Obſtitit item hoſtis, qui paulò ultrà obvallatus, Rauſchenbergio ſic incubuit, ut occupatum aggerem deſerere cogeretur. Qui ex Cæſarianis erant in ſiniſtro cornu, ne latum quidem unguem hoſti ceſsêre: hinc acerrima dimicatio multis utrinque cadentibus, multis ſauciatis. Plurimùm obfuit loci anguſtia, quæ non ſinebat aciem explicare, cùm equitatus longo ordine per denſa arborum procedens, quaſi divulſus deberet moveri. Reportârunt nihilominus Bavarici ex hoſte novem vexilla, quæ Wahlius Archiduci obtulit. Dextrum cornu pariter hoſtem animis ingentibus urgebat, inter continua tormentorum fulmina, quæ è propugnaculis in Cæſarianos librabantur: XXXV. ſed cùm hoſtis nullâ vi extra valla poſſet ad juſtam pugnam elici, viſum eſt tandem canere receptui, qui tam imperturbato ordine factus eſt, ut ne unus quidem eques extra lineam prodiret. Hoſti non fuit tantum animi, ut vel unicam catervam emitteret in apertum, quæ Cæſarianorum poſtremos laceſſeret, cùm tamen receptus quadringentorum circiter paſſuum duas propè horas tenuerit. Ex diverſorum relationibus conſtat, utrinque ad quater mille universè occubuiſſe. Magnus fuit vulneratorum numerus: captivi plures è Cæſarianis & Bavaricis, quàm ex hoſte: nec à vero abludit plures quoque cecidiſſe, cùm in præcipuo certaminis æſtu Cæſariani in aperto campo hoſtilium telorum procellâ peterentur, hoſtis verò potiorem partem tectus aggeribus, deſtinatis ictibus non pateret; iniquâ pugnæ conditione, quæ adverſus omnino clauſos & inſuperabiles aggeres, viróſque fortitudine ac numero præſtantes, à nudis propè, & numero impari committebatur. Nam hoſti poſt eum conflictum ſuperfuêre viginti duo millia, Archiduci verò ducenti ſupra octodecim millia tantummodo. *Litt. Wahlij ad Maxim. 9. Iul.*

Ergo cùm hoſtis meritò crederetur è ſuâ ſtatione non poſſe dimoveri, & Wolfenbuta procul adhuc eſſet à ſupremâ neceſſitate, eò quòd ipſi abunde ab annonâ cæteróque propugnationis apparatu in plures menſes eſſet proſpectum, nec ab aquæ reſtagnatione adhuc quicquam eſſet periculi, Archidux exercitum duxit in agrum Halberſtattenſem, iſtic aliquantùm reſpiraturum, donec frugibus matureſcentibus, annona ad reliquum caſtrorum tempus pararetur. *Lit. Archid. ad Maxim. 9. Iul.* ARCHIDUX A WOLFENBUTA DISCEDIT.

XXXVI. Poſt Cæſarianorum diſceſſum, hoſtis obſidionis cinctum cœpit facere arctiorem, objectúmque flumini aggerem indies tollere altiùs, aquâ paulatim domos ſic inundante, ut ijs relictis, militum magna pars in vallis tentoria figeret. Ne turba civium imbellis annonam inutiliter conſumeret, permiſit Rauſchenbergius, ut, quibus non eſſent in promptu cibaria ad unum annum, liceret è civitate migrare, quo factum, ut aliquo numero migrarent Brunonis vicum. HOSTIS SEQUITUR.

Adulto Julio, hoſtis relicto in obſidionalibus munimentis conveniente præſidio, cum potiſſimâ copiarum parte ad Schöningam caſtra per aliquot dies habuit. Quamobrem Archidux, accepto è Magdeburgo bellico inſtrumento & commeatu, rurſus aleam tentare ſtatuerat; verùm eo non expectato, hoſtis refugit in ſua munimenta; jam antè expertus, tutiùs ſe inde, quàm in apertâ arenâ, pugnaturum. Cæterùm non erat quies à velitationibus, in quarum unâ Croatæ trecentos, in alterâ Truemüllerus octoginta equites, magnam partem cæſos captóſq; profligârunt. Cur juſto prælio detrectaret hoſtis decernere, cauſam Suecis tribuerunt Luneburgici, quòd illi copias ſalvas vellent in adventum Dorſtenſonij, quódque moniti de privato Auguſti Ducis cum Archiduce colloquio, *Litt. Archid. ad Maxim. 23. Iulij.* REDIT IN CASTRA OBSIDIONALIA. SUECI VEXANT LUNEBURGICOS.

quio, Luneburgicos ſuſpectarent eò uſque, ut Klizingo in cuſtodiam dato, ipſis ſigna militaria ademerint, coëgerint extinctis nitratis funalibus à fronte atque à tergo Suecicis legionibus protectos, diviſósque inter agmina, quacunque iter erat, proficiſci: qui deſpicatus non potuit non eſſe triſtis ac permoleſtus Luneburgicis, ſecum reputantibus, quibus ſocijs ſe, libertatem, fortunas, ſalutémque ſuam credidiſſent.

Helvic. an. XLI. pag. 25.

XXXVII.

Litt. Archid. 8. Auguſt. ad Maximil.

ARCHIDUX VARIA LOCA INVADIT.

Litt. ejuſd. 12. Aug.

KŒNIGSMARCKII CLADES.

Litt. Wahl. 8. Auguſt.

Profuit iſta diſcordia rebus Archiducis, qui inde eſt nactus occaſionem varia loca occupandi. Etenim poſtrid. Cal. Sextil. movens Oſcherlebiâ, die inſequente tetendit ad Oſtervicum, quod triduo pòſt coëgit ad deditionem, præſidio ducentorum militum, è quibus non pauci ad Cæſaris ſtipendia defecerunt, cum ſarcinis abire permiſſo. Octavo ejuſdem menſis Horneburgum arcem egregiè firmam, extráque tormentorum jactum quaſi poſitam, ductis infrà cuniculis, territóque gubernatore, qui capite ſuum poſtea terrorem expiavit, redegit in ſuam ditionem. Pari felicitate Schladam, commodam ad Ockeram ſtationem invaſit, unde facilis erat in Hildeſienſem Epiſcopatum trajectus. Septimâ Auguſti bini pabulatores à Kirmreitero emiſſi Suecicum equitem reduxêre captivum: ex hoc cognitum, medio à caſtris milliari Kœnigsmarckium cum mille quingentis equitibus ex inſidijs præſtolari pabulatorum adventũ. Quare Mercius, unáque Sperreuterus cum expedito equitatu, & pleriſque Croatis, incidêre in quadringentos equites, ex quibus ceperunt ducentos, cæteros ceciderunt & fugârunt. Eâ clade perculſus Kœnigsmarckius, refugit in caſtra Wolfenbutenſia. Hæſit exercitus ad Horneburgum in adultum uſque Sextilem, in colligendis frugibus, quæ non caſtris modò, ſed etiam Wolfenbutenſibus uſui forent, occupatus. Igitur decimoſeptimo Auguſti Archidux univerſos Croatas ad inferendam Wolfenbutæ annonam cum mille Germanis equitibus expedivit. Hi in hoſtium conſpectu, poſitis in oppido ſarcinis, ne laceſſiti quidem, rediêre in caſtra, quæ eodem die ducta fuêre ad Lebenburgum, arcem non contemnendam, quam Crafto Magnus Comes Hohenlous, aperto jam ex continuâ machinarum arietatione muri hiatu, paratâque impreſſione, permiſit Archiducis arbitrio.

XXXVIII.

Litt. Archid. ad Maximil. 17. Auguſt.

HOSTIS VARIAS CLADES ACCIPIT.

Hæc dum agerentur, hoſtis anguſtias Haſſici aggeris deſeruit, ſibíque ipſe viam ad Halberſtattenſem agrum, eo clauſtro in Cæſarianorum poteſtate relicto, præcluſit. Borrius prætereа ſupremus vigiliarum magiſter, occupatâ Boclenâ & proximâ arce Waldenbergenſi, haud procul Hildeſio, quatuor vexillationes prætorianas legionis Luneburgicæ fuſas, fugatas, multis in fugâ unà cum Ductore necatis, multis captis, ad uſque Hildeſij portas eſt perſecutus.

Super hæc Sporckius Tribunus Alfeldam expugnatam diripuit, Suecicum præſidium internecione delevit, & rediens ad caſtra, centũ quinquaginta equitum turmam fudit, fugavit. Acceſſit clades viginti centũ Haſſicorum & Luneburgicorum, quos Immernuchterus hipparchus ex Wolfenbutæ præſidio, & Hebranus ex Archiducis prætorianis, prope Steinbrucum cecidêre. Kirmreiterus trecentos equos, cum non contemnendo captivorum numero, de hoſte in caſtra reduxit. Hoſtis interea Hildeſio metuens, viginti ænea tormenta illuc miſit cum cætero apparatu, juſsitque colonos Provincialiúmque omnes centurias eſſe in armis, ditità paſſim famâ, periculum ipſis à Cæſariano milite imminere: Goslaria verò, non expectato Ducis conſenſu, præſidium à ſe removit, hoc ipſo teſtata, ſe ad partes Cæſarianas accedere.

XXXIX.

CÆSARIANORUM CLADES.

Wahl litt. 26. Aug. ad Max.

Iſtas, quas memoravi, clades hoſtis aliquâ ex parte repoſuit vigeſimâ quartâ Auguſti. Comperto enim in ipſius caſtris tam eſſe difficilem pabulationem, ut ab uſque Grœningâ, cum validâ defenſorum manu, eſſet advehenda, Archiduci viſum, Comitem Brouæum cum octingentis alarijs, ducentis equitibus catapultarijs, totidémque Croatis mittere, qui iſtiuſmodi pabulatores interciperent. Die vigeſimâ tertiâ, ſub veſperum, tranſmiſsâ palude ad Horneburgum, ſubſtitit Brouæus in ſylvâ, pabulatorum adventum præſtolaturus: bini Cæſariani equites tardiùs

tardiùs agmen ſequentes, in hoſtium manus delati, Brouæi conſilium detexerunt. Eo factum, ut hoſtis, ipſâ nocte, cum univerſo equitatu, Brouæum è veſtigio ſecutus, manè poſtero, improviſus oppreſſerit. Primum Suecorum agmen Lewenſteinius, qui Bavaros ducebat, perrupit disjecitque, Comite Naſſovio, Tribuno Mullero, protribuno Fleckenſteinio cum magnâ equitum manu, in loco conciſis: ſed cùm cæteræ hoſtium multitudini Cæſariani prorſus eſſent impares, à fugâ petivêre præſidium, ad Horneburgum uſque & aggerem Haſſicum cæſi & repulſi. Deſiderati fuerunt ex eo conflictu, Bavarici ducenti ſepteni, Cæſariani treceni triginta tres.

Exacto ad eum modum menſe Sextili, Leopoldus Archidux, qui hactenus id præcipuè egerat, ut hoſtem è Wolfenbutenſibus propugnaculis ſive per vim, ſive intercluſo commeatu dimoveret, ſextâ Septembris movens Waldenbergâ, ad Saleram, quæ Wolfenbutæ & Hildeſio interjacet, caſtra metatus, arcem Steinbruccenſem expugnavit. Et jam in eo erat, ut, poſteaquam Gallo-Weinmarij munimentis ad Leonisburgum igne corruptis, & à Wolfenbutæ Gubernatore demum ſolo æquatis, diſceſſerant, Cæſariana caſtra diſcedentium veſtigia premerent, ac penitius in Brunſviciæ ſuperiora ducerentur: quia tamen hoſtis 3. Id. Septemb. ultro, noctis ſilentio à Wolfenbutâ, deſtructis pleriſque obſidionalibus operibus, & majore vallo, quo Ockeræ fluxus inhibebatur, aperto, turbatis ordinibus Gifhornum properè receptus, pòſt Sarſtettæ, medio inter Hanoveram & Hildeſium itinere, caſtra muniverat; Archidux 12. Cal. Octobris, quò propiùs ipſius conatibus intercederet, & liberum ad Hatzfeldium, qui Dorſtenam oppugnabat, ſervaret acceſſum, Alfeldæ caſtra eſt metatus. Sic Wolfenbutæ operoſa, longa, ſumptuoſa, multóq; ſanguine imbuta obſidio abijt in irritum, Tribuno Roſa relicto, qui aquarum è ſuo carcere erumpentium vehementiam ſolutis paulatim obicibus moderaretur. Solvit is quidem duas duntaxat cataractas, ſed cùm undarum impetus ſuâ mole omnem induſtriam ſuperaret, tantâ profuſione ſeſe laxârunt, ut Brunovici forum ad duarum ulnarum altitudinem operirent, moletrinas ac pontes disjicerent, & domos malè fundatas, ſuo allapſu, inclinarent ad caſum. Aliquot florenorum myriadibus damnum fuit æſtimatum.

XL.

Levvenburg. Litt. Archid. ad Maxim. 12. Sept.

Litt. ejuſd, 25. Sept.

OCKERA BRUNOVICUM INUNDAT.

XLI.

Wolfenbutæ ædes longâ reſtagnatione fuêre labefactæ, ipſa valla, humeſcente terrâ, multis locis faciebant vitia, jámque ſic erant prona ad lapſum, ut, ſi paulò fuiſſet obſidio diuturnior, futurum fuiſſet, ut diſſoluta omnino ſubſiderent. Viſus eſt poſt iſtam obſidionem Dux Auguſtus ad pacata conſilia eſſe proclivior, ad quem proinde, fide publicâ, Brunovicum, juſſu Archiducis, ſub decimam ſeptimam Septembris profectus Wahlius, perbenignéque exceptus, obtinuit, ut Dux addiceret, ſe Gifhornum ad Archiducis colloquium eſſe venturum.

Litt. Wahlij ex Salleren.

Sperabant Sueci, ſe Dorſtenæ, quæ ab Hatzfeldio obſidebatur, auxilio tempeſtivè futuros. Quam ad rem Tubadelius cum quinque millium equitatu jam erat in viâ, cùm, accepto de illius deditione nuntio, caſtra Sarſtettenſia repetijt. In reditu centum de ſuis amiſit, quos Kirmreiterus partim cecîdit, partim fecit captivos.

DORSTENA A LEOPOLDO SUPERATUR.

Tameſi longa caſtrorum incommoda copias mirum in modum atterebant, viſum tamen fuit Archiduci, tantiſper arma proferre, dum diviſus hoſtis ſe ad hiberna reciperet. Ergo, poſteaquam aliquot diebus ad Cromaviam tetenderat, caſtra locavit ad Einbecam poſtridie Idus Octob. Tenebatur Einbeca alioqui vallis & foſsâ aquis ſtagnante bene firma, Luneburgico præſidio. Tantum verò in parandâ oppugnatione ſexto pòſt die profectum, ut crederentur obſeſſi de faciendâ deditione colloquium rogaturi. Verùm, cùm & numero defenſorum & munimentorum, foſſæ præſertim fiduciâ, tale nihil præ ſe ferrent, & jam imminens brumæ tempeſtas ſuaderet acriorem oppugnationem, juſſit Archidux punicos ignes adhiberi, ratus cives, metu incendij ſaniora conſilia capturos. Res ſucceſſit ex ſententiâ: Flamma enim duobus locis excitata, abſumptis ducentis, & ſuprà ædificijs, obſeſſos gravioris periculi admonitos egit ad deditio-

EINBECA DEDITUR.

XLII.

nem, quam vigeſimo quinto Octobris impetraverunt honeſtis legibus. Dum obſideretur Einbeca, caſtrum Spigelbergenſe, & Northeimium ceſsêre etiam armis Archiducis.

Hatzfeldius Duderſtadio et Mulhuſio potitur

Comes Hatzfeldius inter hæc Duderſtadio potitus, quadringentorum Suecorum præſidium ad Cæſariana ſtipendia admiſit. Mulhuſium à præſidiarijs ultro deſertum, eidem citra vim in manus convenit. Potuiſſet laborum caſtrenſium eſſe in hunc annum ſatis, niſi hoſtis cunctando intra ſua munimenta, obſtinâſſet ſimul hiemem, & Dorſtenſonij adventum opperiri, vel certè Cæſaris & Imperij exercitus ipsâ morâ & intempeſtæ fatigationis iniquitate debilitare.

Oetinga fruſtra obſeſſa.

Agebat interim ferias in caſtris Sarſtattenſibus, dum Archidux nunquam otioſus Oetingam obſedit, perincommodâ anni tempeſtate, cùm frigidis imbribus cœlum militi eſſet admodum infeſtum. Ne perinde atque alia oppida à Suecis deſerta fuiſſe Oetinga videretur, Roſa Tribunus Gallo-Weinmaricus cum bis mille equitibus prid. Cal. Novemb. ſuppetias duxit tantâ feſtinatione, ut, antequam Cæſariani de ejus itinere facti certiores poſſent occurrere, quadringentos Luneburgicos duxerit intra Oetingæ mœnia. Ut tutiùs regrederetur, non revertit in caſtra, ſed Mindam verſus iter flexit: Nicolaus Chiliarcha, qui erat in excubijs cum centum duntaxat equitum manu, poſtremos recedentium tamdiu carpſit, donec, acceſſione Mercij, Sperreuteri, & aliquot Cæſarianarum turmarum, Roſa datus in fugam, Mindam uſque ſuorum terga cædenda præbuit inſequentibus, cum non levi clade. Ducenti levis armaturæ equites, quos à tergo locaverat, plerique venerunt in perſequentium manus, multi gravioris armaturæ cæſi, multi capti cum Roſâ Audaci, cum equitum Catapultariorum Tribuno, ſex item legionum ſtructoribus, quindecim hipparchis, aliiſque ductoribus. Tenuit Oetingæ obſidio ad uſque decimum ſeptimum Novembris. Nihil intermiſſum, quod faceret ad expugnationem; ſed cùm, algente jam brumâ, miles diutiùs ſub pellibus haberi non poſſet, Cæſariani poſtridie, motis caſtris, Heiligenſtadium, Halberſtadium, Grœningam, & loca vicina; Bavarici verò Dingelſtadium, Eiſenacum, Franckenhuſiùm, & finitima ſtativis occupavêre, ubi tantæ rerum erant anguſtiæ, ut vix annona pellendæ fami ſufficeret.

Roſa cladem accipit.

XLIII.

Adventus Dorſtenſonii e Suecia.

Succi proinde & Gallo-Weinmarij ſe receperunt Goſlariam, Wenigrodam, Planckenburgum, & ad fines ſylvæ Herciniæ, dum Dorſtenſonius, Decembri menſe cum copijs auxiliaribus, & non exiguâ pecuniæ vi, adveniret. Fama fuit, ipſum è Sueciâ ad octo armatorum millia adduxiſſe, quem numerum parte ferè mediâ minorem fuiſſe quidam memorârunt; unde, quas clades dedit, Germaniæ viribus, non externis copijs in acceptis meritò poſſunt referri. Inſtaurato tum inter ſe fœdere, Gallo-Weinmarici, Sueci & Haſſi diverſi ad hibernacula abivêre, Gallo-Weinmarici ad Rheni confinia, Haſſi in Ubios.

XLIV.

Wahlius domat Dorſtenam.

Hatzfeldius, dum Haſſi Suecis ac Luneburgicis implicati Cæſarianis obſiſterent, Dorſtenam obſedit in Weſtphaliâ, & operosè domitam, adegit ad deditionem vertente Septembri. Vigeſimo Octobris, caſtra verterât in Mindam Haſſico præſidio inſeſſam, eam oppugnaturus, niſi Goslarienſis tractatio, in quâ Haſſi fingebant ſe velle comprehendi, querebantúrque ſe, dum de pace ageretur, bello appeti, Cæſarem moviſſet, ut Hatzfeldium à Mindæ obſidione avocaret.

Fruſtra Erfurto adſidet.

Saltzam, Heldrungam invadit.

Quamobrem mutato conſilio, profectus in Turingiam, Erfurtum hinc inde occupatis aditibus circumſedit citra vim propiorem, eò quòd brumæ aſperitas cinctum arctiorem prohiberet, forétque difficile, tametſi Saxonicis & Herbipolenſibus auxilijs foret firmior, grandem civitatem rebus omnibus ad propugnationem probè inſtructam tali tempeſtate invadere. Invaſit tamen oppida invalidiora, Saltzam videlicet, trucidato Suecorum præſidio; Heldrungam, præfecto cum quinquaginta præſidiariorum manu, dum Erfurtum tenderet, oppreſſo, cætero præſidio ad Cæſaris ſigna adacto. Masfeldenſem arcem Roſa obſidione liberavit, & Ægidium Haſium Meinungæ fruſtra obſedit.

Oiſon-

Oiſonvillæus Gallus, ineunte vere, octingentis equitibus, mille peditibus per pontem Briſacenſem transmiſſis, loca quædam immunita redegit in ſuam poteſtatem. Is, ineunte Aprili, Wildſtadij primo ab Argentinâ milliari conſidens, Hagenoæ Gubernatorem & Roſam protribunum cum quingentis equitibus, & aliquâ ſclopetariorum manu ſuppetias acceperat, cùm Ægidius Haſius è Steinbacenſibus caſtris, comperto ipſorum adventu, ſuos educens, locatis in pago, quà tranſituri erant, inſidijs, aciéque in apertum explicatâ, ſic excepit venientes, ut fuſo primùm fugatóque ipſorum equitatu, capto Roſâ cum alijs Ductoribus, & ſeptuaginta equitibus, multis in veſtigio necatis, cæſo Otterſvillæ peditatu, luculentam cladem Oiſonvillæo intulerit. Idem Wildſtadium, Malbergam ſuæ ditionis fecit: Offenburgi caſtrum ſolo æquavit, Brugam & Crucinacum invaſit; Briſacenſes in tribus Rittæ pagis, ad meſſem defendendam obſeptos, adiutus à ter mille ſexcentis Bavaricis, trans Rhenum retudit, multos tum viros, tum equos Rheno in confusâ fugâ ſubmerſit. XLV. *Litt. Ægid. Haſ. ad Cæſarem.* Oiſonvillæus cæditur.

His ſucceſſit Hohenwillana obſidio. Ductore Spario, menſe Octobri jam adulto, quæ contra Maximiliani Electoris ſententiam ſuſcepta, præter magnam ſumptuum jacturam, militem non Bavaricum modò (qui petente Cæſare, iſtius obſidionis, ductore Horſtio ſupremo excubiarum magiſtro, pars fuit) ſed ipſas etiam Cæſarianas copias mirè vexatas penè attrivit, nullo præterea operæ pretio. Neq; enim cum obſeſſis duntaxat certandum fuit, ſed etiam cum nuditate, cum tempeſtatis injurijs cum inediâ, cum morbis, & immani ægrorum neglectu, qui frigori, ventis, pluvijs expoſiti, pane & aquâ duntaxat caſtrenſi, non ſecus atque valentes, malignè reficiebantur. *Lit. Maxim. ad Cæſarem.* Hohenvillæ improspera obsidio.

XLVI. Quibus ex cauſis, permultis extinctis, multis ab exercitu dilapſis, copiæ fuerunt vehementer imminutæ. Excitavit Sparius propugnacula tormentis locandis: verberavit portam pontis medij, multas injecit pilas incendiarias, accendit in arce minorem alariam moletrinam, & in cohortali areâ fœni congeriem: permultas globorum centurias irritâ machinarum jaculatione diſploſit, & tandem, cùm nihil proficeret, adulto Decemb. præmiſſis impedimentis, à malè cœptâ, peiùs continuatâ, conſultò finitâ obſidione diſceſſit, cum lacerato exercitu, documento futurus, nihil tentandum, cujus exitus tentantem temeritatis reum ſit facturus. In Sileſiâ & Luſatiâ nihil præter variæ fortunæ velitares conflictus, & agri devaſtationem à Goltzio Cæſariani militis ſupremo Præfecto, & Stalhanſio Sueco, potiſſimâ anni parte patratum, fertilibus alioqui regionibus ad eam paupertatem redactis, ut; cùm panis alendo militi, caſtris abſolutis, deeſſet, Cæſariani ſua hiberna ab uſque Lignizio Troppaviam, ad viginti ferè milliaria, extenderint; Succi verò pari modo diffuſi fuerint ex inferiore Luſatiâ, ad ipſos propè fines Marchiæ, in quâ Vranglerus cognomento ferox, Brixenam & Mittewaldam crudelem in modum diripuit, Zoſſam concremavit. Res gestæ in Silesia et Lusatia.

Cæſareo-Saxones Gorlizium longâ & cruentâ admodum obſidione, menſe Octobri, Suecis eripuerunt, Stalhanſij copijs, poſt exactam miſerorum depopulationibus æſtatem & autumnum, ad eam paucitatem redactis, ut, cùm è toto numero vix quatuor millia ſupereſſent, nec ferre Gorlizio ſuppetias, nec cum hoſte juſto Marte auderent congredi. Eam ob rem Cæſariani nullâ propè vi Beutham, Grünbergam, Saganum recuperârunt. Lubena validâ tormentorum arietatione coacta, ſeſe Ducis Franciſci Alberti Lauenburgici, qui Goltzio ultro decedenti ſucceſſerat, arbitrio manus dedit, cujus exemplum Heinzendorffium, arx in palude apprimè firma, pôſt paulò eſt ſecutum. Gorlizium deditur.

BOICÆ GENTIS
ANNALIUM PARTIS III.
LIBER XXVII.

An. M. DC. XLII.

Poſt cladem Lamboij, Vbij à Maximiliano adverſus Gallo-Weinmarienſes adjuti: Res à Leopoldo adverſus Suecos geſtæ: Pugna Lipſienſis.

I. Exitus tractationis cauſæ Palatinæ.

RΕcenſui compendio, quæ anno ſuperiore Viennæ in cauſâ Palatinâ fuerunt acta ultro citróque, tum à Septemvirûm Legatis, tum à Bavaricis & Palatinis rei componendæ diſceptatoribus. Supereſt, ut quando iſti tractationi hoc anno finis fuit impoſitus, referam, quem tandem res iſta habuerit exitum. Thomæ Rowæo Regis Magnæ Britanniæ legato acceſsêre Georgius Joannes Peblitius, & Conradus de Spina Conſiliarij Palatini. Urgebant utrique abſolutam, & nullâ ſui parte diminutam omnium Palatinarum poſſeſſionum, & dignitatis Electoralis reſtitutionem, uti ſuperiore anno urgere cœperant. Paratus erat Maximilianus non modò remittere Heidelbergam, ſed cæteras etiam Palatinatûs inferioris, quas cis Rhenum à Ferdinando II. emerat, regiones, ſi pari modo Hiſpani à Palatinatu inferiori decederent. Interim repetebat pretium ſuperioris Palatinatûs, quod Ferdinando II. Cæſari perſolverat, aut certè, ſi Cæſari omnino dimittendus videretur, loco pretij repoſcebat hypothecam Anaſſinam ſuperioris Auſtriæ, eo nomine ipſi adhucdum obligatam. De Septemviratu expectabat à ſequeſtribus modum aliquem, qui utrique parti foret acceptus.

Marchio Caſtello-Rodericius nomine Regis Catholici declaravit, *Regem promptiſſimum eſſe ad reſtitutionem ejus, quod in Palatinatu inferiori poſſidebat: ſatisfactionem ipſius in ipsâ pace, & iis conſiſtere, quæ pro reſtitutione Palatinatûs Regi ſuo clementiſſimo fieri juſtum eſſet: ſupereſſe itaque, ut ex altera parte declaratio fieret, quid pacis & ſatisfactionis pro reſtituendo Palatinatu inferiori ſperari poſſet.*

Tandem Cæſar, cupiens rem componi, prid. Non. Maij Decretum edidit, quo ſuam mentem diſertè explicavit; verùm cùm neque Rowæus, neque Palatini Comitis Conſiliarij propoſitis à Cæſare conditionibus acquieſcerent, neque ipſis placeret, quam ſuggerebant tractationis ſequeſtres, rei conficiendæ moderatio, in irritum abijt tota iſta negociatio.

Vidua

Vidua Palatina, in Aulâ Cæſareâ per litteras repetijt ſuæ viduitatis alimenta, & Franckentalium, ſedem à defuncto marito ex tabulis connubialibus conſtitutam: verùm cùm Reginæ Bohemiæ, Marchioniſſæ Moraviæ & Luſatiæ, Duciſſæ Sileſiæ titulos, & inſignia Bohemica in ijs litteris adhuc ſibi ſumeret, ad ipſam velut inanes fuerunt remiſſæ. Jam in eo erat, ut Ludovicus Philippus Comes Palatinus poſt longum exilium, Crucinacum poſtliminio, volente Cæſare, reperteret; cùm cauſâ primariâ Palatinorum adhuc dilatâ, ob belli rationem in Crucinaci poſſeſſionem redire non potuit. PETITIONES VIDUÆ PALATINÆ.

Antequam ad Moguntinenſem Catholicorum Electorum congreſſum gradum faciam, exigit rerum ſeries, ut Lamboij cladem, quæ iſti Comitio cauſam dedit, deſcribam,

II. Haſſici, menſe Novembri anni ſuperioris, irruperant in inferiores Ubios, cùm Lamboius illuc è Belgio cum decem armatorum millibus ilico profectus, tandem ad 17. Cal. Febr. prope Kempenam, ad S. Antonium & Hulſtæ, ſtativa habuit. Iſthic locorum Hatzfeldij, cujus copiæ jam Antonacum uſque moverant, adventum opperiens, certus erat differre pugnam, donec ille ſuppetias adduxiſſet. At Gallo-Weinmarici, Guebriano Duce, Idib. Janu. Batavis aſſentientibus, ad Weſaliam, nautico ponte Rhenum transmiſère. Nemo credebat, ipſos in Ubijs inferioribus hoſtile quicquam auſuros, locis omnibus milite & popularibus centurijs ſic inſeſſis, ut nihil imminere videretur, tali præſertim anni tempeſtate, periculi, niſi ſi forſan à colonis collatitias penſitationes, ad redimendas excurſiones hoſtis exprimeret. Verùm junctis cum Haſſico milite viribus, Ordingâ & Lunâ occupatis, rectâ moverunt in Lamboium, qui ad Hulſtam & in agrum Antonienſem ſe receperat. Ipſo die D. Antonio ſacro, qui decimus ſeptimus eſt Januarij, horâ circiter unâ ante meridiem attigere aggerem, cujus oppoſitu regio clauditur. Lamboius eâdem horâ menſæ accubuerat. Cognoverat quidem aliquantò antè, hoſtem eſſe in propinquo, ſed eo neglecto, ſibi perſuaſerat, illum non venturum ad manus: juſſerat quidem legiones eſſe in promptu, ſi quæ vis immineret; ſed nullam aciem inſtruxerat, & velut incurioſus pergebat cibos carpere, donec monitus, hoſtem jam adeſſe vallo, feſtinus occurrens cum duabus legionibus & aliquo equitatu, Guebrianum, qui in limitaneum aggerem ingreſſum moliebatur, repreſſit. Reliquus hoſtis jam vicinum campum, ordinibus ad pugnam inſtructis, occupabat: Lamboij miles hac illac ſparſus confuſúſque, tam ſubitò in aciem duci non potuit, quin hoſtis triplicem loricam, totidémque foſſas è regione Hulſtæ, perruptis repagulorum longurijs ſuperaret. GALLO-WEINMARICI HASSIS SOCIANTUR. LAMBOIUM INVADUNT.

III. Quare aditu aperto, infunduntur alarij juxtà ac legiones. Tametſi Lamboij copiæ juſtam aciei formam non referrent, certavère tamen ad duas propè horas, dubiâ victoriâ. Magnis animis pugnantes tandem obruit hoſtis, deditque in fugam, potitus omnibus propè ſignis militaribus & impedimentis, unà cum machinis æneis cæteróque inſtrumento. Occubuère in veſtigio bis mille quingenti, capti fuerunt quater mille, in quibus ipſe Lamboius, Mercius ſupremus vigiliarum magiſter, & plerique tribuni ac legionumvicarij: cecidêre Tribuni ſeni, protribuni duo. Ex hoſte pauci fuère deſiderati. Triduo poſt prælium, trecenti Lamboiani levis armaturæ equites, qui Dormagum evaſerant, ab Haſſis fuerunt oppreſſi. Bis mille alarij, quos fuga cladi eripuerat, pulſi ad uſque Monaſterium Eiffliæ multis hinc inde trucidatis. Sub eam victoriam Guebrianus Oetam arcem, & ſubinde Noveſium, cùm oblatas ab Electore ſuppetias reſpuiſſet, poſt breve unius diei obſidium occupavit. Kempenam civitatem ſeptimâ Februarij, ejus arcem decimâ ejuſdem menſis, ſuæ ditionis fecit. Roſa Tribunus, dum agit de deditione cum Marcoduranis, immiſsâ per portam legione oppido potitus, cives miſerum in modum vexatos, grandi annonâ rebúſque alijs ſpoliavit. Idem Aquiſgranum non auſus obſidere, Uriettam & Willenſteinium arces ſubegit. Cætera Ubiorum inferiorum oppida hoſtem paſſim admiſère. Ne pari ratione ſuperioribus potiretur, vetuit Hatzfeldius, qui Bonnam PRÆLIO SUPERANT.

aliáque loca firmavit præſidijs : hoſtiles ſtationes Brouilerij & Berchemij oppreſſit : acceſsêre deinde Bavarica auxilia, quibus auctus nonnihil fregit Guebriani conatus, qui nihilominus Hulkeradum, Zulpicum, Eiskircum, & Eiffliæ Monaſterium invaſit, totam circùm regionem vertit in prædam & exactiones, quas metu incendiorum extorſit.

IV. Reiiciuntur a Lechenico.

Stitit ejus progreſſus Lechenicum infirmum oppidum cum arce parùm munitâ, in quâ alebantur canes venatici Electoris Colonienſis, quæque exinde à Francis contemptim caninum ſtabulum vocabatur. Hoc loci mediocre erat præſidium, quod tamen vix ſperari poterat, par eſſe futurum exercitui à recente victoriâ mirum quantum inſolente. Sub exeuntem Aprilem Guebrianus vim loco admovit tredecim muralibus machinis, & non exiguâ equitum peditúmque manu. Mœnibus ad juſtam impreſſionem apertis, ſæpius aggreſſus expugnationem, & cum luculentâ ſuorum clade identidem ab oppido rejectus, eo denique expugnato, arcem fruſtra tentavit, ac proinde ex ipſo etiam oppido repulſus, cum nonnullâ exiſtimationis jacturâ, multis viris fortibus in oppugnatione amiſſis, Floncourtij legati ſui interitu mœſtus, diruptis aliquot ex crebrâ jaculatione tormentis, cùm Bavaricæ ſuppetiæ jam cum Hatzfeldico exercitu ipſi imminerent, irritam ſolvens obſidionem, ſuum dolorem, multorum circùm pagorum, quos exuſſit, cineribus obruit, edoctus, à cane non magno aprum ſæpe teneri. Creditum fuit id deſpicatûs ipſi à Deo immanium depopulationum vindice fuiſſe immiſſum. Ad exercitum Hatzfeldij & Wahlij, qui Bavaricos menſe Martio ex ſtativis trans Albim collectos, properè auxilio adduxerat, acceſſit Baro Vehlenius cum bis mille legionarijs & mille quingentis equitibus, quos è Weſtphaliâ contraxerat: omnes ſimul luſtrati ab Electore Colonienſi, explebant numerum viginti millium, tametſi nonnulli annonæ inopiâ ad hoſtem transfugiſſent.

V. Hatzfeldius et Comes Wahlius Rhenum traiiciunt.

Univerſi Rheno ad Agrippinæ Coloniam trajecto, caſtra firmaverunt ad Zonſam. Tametſi Gallo-Weinmarienſes juncti Haſſis eſſent majore numero, tamen dimiſſas à Batavis cohortes, quas ſibi ſociârant, locaverunt in præſidijs, eductis in caſtra, quos antè in varijs oppidis habuerant defenſores. Iiſdem ſe junxerant quater mille trecenti quinquaginta Angli pedites, ita ut res utrinque quidem ad prælium ſpectare videretur : ſed præter leves expeditiones nihil memorabile fuit tentatum.

Werthius redit ad Bavaricum Exercitum.

Sub id temporis Maximilianus Elector Joannem Werthium in longâ ſaltûs Vincennenſis habitum cuſtodiâ, & nuper cum Guſtavo Hornio, qui à prælio Nordlingenſi, Burghuſij in arce captus hæſerat, permutatum, creavit ſupremum Bavarici equitatûs legatum, qui mox Gravenbrucum ab hoſte deſertum, ſexcentorum virorum præſidio, noviſque operibus communivit, ratus ex eo loco hoſti poſſe prohiberi pabulationem & liberum ad Trajectenſes commeatum.

Latomus cæditur.

Sparrius ei loco impoſitus, Latomum legionis protribunum, prædis è Juliacenſi agro onuſtum, ad Erckelam, per validam præſidiariorum manum aſſecutus, vitâ & ſpolijs omnibus exuit. Cum Latomo occubuit ſupremus vigiliarum præfectus, multíque alij: capti fuerunt ſupra centum viceni ſepteni, equi omnino ducenti.

Caſtris Zonſenſibus Gallo-Weinmarici ſua quoque caſtra in propinquo ad Grevenbrucum primùm, deinde ad Ordingam, objecerant; cúmque ad rei ſummam nihil ageretur, utrique duntaxat in eo erant, ut de retinendis caſtris certantes, cunctando ſuperâſſe poſſent videri.

Weinmarienses mutatis castris.

Priores exceſsêre Weinmarici Botbergam verſus, ut deſertis à Principe Auriaco caſtris ſeſe tuerentur, nacti majorem pabulationis facultatem. Eos diſcedentes cum bis mille equitibus inſecutus Werthius, cùm pabulatores ſupra nongentos, bis mille potitus equis, profligâſſet, & ſemel iterum, poſtremum hoſtis abeuntis agmen laceſſiviſſet,

VI. Werthium fugant.

ab iiſdem circumventus, permultis in loco amiſſis, ægrè cum paucis eſt elapſus. Subinde Hatzfeldius Bodburgum, Oudenkirchum, Mülendunckium, Hulckenrathum, aliáque loca recuperavit. Kirmreiterus ſub Auguſti medium, non longè à Cæſareo-Werdâ, quadringentos ex hoſte cecîdit, cepit unum Ilarchum, quadraginta

ginta gregarios, centum quinquaginta equos, & ſejugem rhedam Tubadelij. Cæſariani non multò antè ducentos equites ad Bobertum fuderunt.

Lamboij exercitu profligato, Electores Catholicos gravis cura inceſſit, ne Rheni confinia, in quibus pleræque Moguntini & Colonienſis Septemvirûm ditiones, ab hoſte obruerentur. Eam ob rem Ferdinandus Colonienſis Archiepiſcopus, iſtarum regionum pericula ſuo fratri Maximiliano Bavaro ob oculos tempeſtivè poſuit, obtinuitque ab Anſelmo Caſimiro Moguntino Electore, ut Moguntiæ colloquium haberetur, in quo tres Electores Catholici, Moguntinus videlicet, Colonienſis, & Bavarus (nam Trevirenſis adhuc tum Viennæ attinebatur) quorum maximè intererat, ſaluti Rhenenſium finium conſulere; ſtatuerent, quid tali re conſilij eſſet capiendum. Cœptum eſt colloquium 6. Id. April. atque in eo non modò de Rheni defenſione, ſed etiam de ratione reddendæ pacis Germaniæ ſaltem, ſi generalis conciliari non poſſet, déque alijs capitibus ad commune Imperij bonum ſpectantibus, ad uſque exeuntem propè Majum deliberatum eſt, hoc duntaxat fructu, quòd, cùm quædam fuiſſent propoſita, quæ citra frequentiorem Conventum decerni non poſſent, conſtitutum fuit, ut proximis Auguſti Calend. Francofurti aliud Septemvirale, vel Imperij potiùs Comitium haberetur, quod in Septembrem menſem fuit dilatum. Decretũ quoque, ut Legatus, Electorum Catholicorum nomine, Romam mitteretur, qui ſummo Pontifici oſtenderet, Suam Sanctitatem rem Electoribus & Ordinibus Imperij gratam facturam, ſi, credens Regem Franciæ ad peculiarem cum Romano Imperio pacem poſſe adduci, eundem ad talem ineundam hortaretur. Ad eam legationem deſtinatus fuit Reckius Eccleſiæ Padebornenſis Decanus. VII.

Ad Francofurtenſem Conventum Maximilianus maturandæ pacis ſtudio ſuos legatos miſit primus omnium: ſucceſsêre alij miſſi à Catholicis Imperij Ordinibus: Marchio Brandeburgicus negavit ſe miſſurum, Saxoniæ Septemvir bello Suecico & Lipſienſi obſidione occupatus, ſuos diſtulit in menſem Decembrem: quibus ex cauſis factum, ut in Januarium anni inſequentis deliberandorum capitum propoſitio rejiceretur. *Conventus Francofurtensis.*

Videbatur in Goslarienſi tractatione ſic eſſe profectum, ut Duces Bruno-Luneburgici, certis legibus, quæ jam in tabulas relatæ, Cæſari, ut probarentur, miſſæ fuerant, redirent ad Sac. Cæſ. Majeſtatis obſequium; verùm ne id confectum daretur, interceſsêre varia tum à Suecis (qui privatam iſtam pacem non probabant, ſed ſuadebant Luneburgicis, ut generalem potiùs ſectarentur) & ab Hildeſienſibus præſidium Cæſarianorum detrectantibus; tum ab Electore Colonienſi, qui ſuum jus iſtis pactis imminutum arbitratus, per ſuos legatos contrà erat conteſtatus, quódque nondum res in eo eſſet, ut Wolfenbuta Ducibus reſtituenda videretur. Egêre etiam Caſſellenſes de reconciliandâ Cæſaris gratiâ cum Cæſarianis Deputatis: verùm cùm pergerent Fuldenſem Eccleſiam gravibus collectis premere, nec oſtenderent, ſe à fœdere Gallorum & Suecorum diſceſſuros, aut citra eorum conſenſum quicquam pacificæ pactionis inituroſ, crediti fuerunt egiſſe minùs ſeriò, ſed ad ſpeciem tantùm, aucupandámque famam pacis affectatæ. *Goslariensis tractatio irrita.* VIII. *Cassellensium frustranea.*

Pro generalis pacis conſultationibus expediverat Cæſar litteras liberi commeatûs & publicæ ſecuritatis, eáſque Hamburgum ſuo legato miſerat tradendas Regi Daniæ, qui eas velut pacis ſequeſter, Regum & Principum, ad quos ſpectabant, legatis juberet exhiberi. Hinc exhibitioni dies dictus fuit, Regis & legatorum voluntate, primus Decembris; ita tamen, ut legati ſibi reſervarent novam iſtarum litterarum examinationem, tametſi legatus Francicus quereretur, ſe jam quinquennio in pacis veſtibulo fatigatum, diutiùs hærere non poſſe, ſed de repetendâ Franciâ paucos intra dies cogitare. Addidêre legati, fore ut, poſteaquam publicæ fidei teſſeras admiſiſſent, certum tempus inchoandis de ſummâ rei congreſſibus poſſet nominari: ſic videlicet ad pacem lentè feſtinabatur. *Litteræ securitatis Cæsareæ.*

Vix

Salvi conductus Hiſpanici.

Vix quicquam moræ attulerunt Salvi (ut vocant) Conductus, quos Franciſcus de Melo Regis Catholici cum plenâ poteſtate mandatarius, regiæ manûs ſyngrapho deſtitutos, ex Belgio, pro Batavis miſerat: nam alios tempeſtivè curavit ex ipsâ regiâ. Redeo ad res bellicas.

Hasso-Weinmarii traiiciunt Viſurgim.

IX. Gallo-Weinmarici & Haſſi egreſſi ex Ubijs animum adjecerant capiendis ſtativis in Comitatu Oldenburgico. Id Comes tempeſtivè ſubodoratus, implorato Regis Daniæ, qui pro ſuorum finium defenſione exercitum conſcripſerat, auxilio, eos ultra Viſurgim averſos movit in Luneburgicas ditiones ad Leinam. Iſthic dedêre operam, ut Duces à propoſitâ cum Cæſarianis mandatarijs tractatione avocarent. Hæſerunt aliquantùm in agro Hildeſienſi, donec Francicam pecuniam Bremâ allatam acciperent. Eos ſubinde Torſtenſonius ad arma ſocianda per varios curſores invitavit: quamobrem, quaſi ad ipſum acceſſuri, moverunt in Turingiam, unde annonæ & pabulationis inopiâ non multò pòſt excedere coacti, rebus cum Torſtenſonio Budſtadij compoſitis, in Franconiam atque inde in Wirtenbergiam caſtra moventes, ſimul in Marchionatum Badenſem effuſi, magnis fuêre ditati prædis. Viſi ſunt id temporis eſſe in ancipiti, peteréntne Bavariam, an potiùs minore diſcrimine ſibi ſtativa alibi compararent: dubium ſuſtulit, quòd limitem à Mercio ſic viderent cuſtoditum, ut non niſi cum periculosâ dimicatione ſe per interpoſita præſidiorum & fluminum divortia penetrare poſſe, ſi præſertim Hatzfeldius cum cætero Bavarico milite accurreret, deſperarent. Poſtremus labor fuit adverſus arcem Flensbergenſem Trevirenſis imperij, quam Haſſi annonâ aliiſque rebus refertam diripuêre.

Movent in Turingiam. Inde in Wirtenbergiam.

Marcodurum recipitur.

Poſt Gallo-Weinmariorum ex Ubijs diſceſſum, Marcodurum, quod ipſi Franciſco Brunckhorſtio tuendum commiſerant, ab Hatzfeldio & Wahlio, vigeſimo die Octobris, cœpit obſideri. Triduum omnino tenuit obſidio, cùm rebus ad impreſſionem compoſitis, Brunckhorſtius impetrato colloquio, pactus honeſtas leges, Hatzfeldij excubias in ipſis muri dejecti parietinis, per quas futura fuiſſet oppugnatio per noctem admiſit, poſtero die paulò ante meridiem cum præſidio diſceſſurus. Animadverſum eſt in diſceſſu, Ductores, contra deditionis pacta inter ſuas ſarcinas arma, rotatas videlicet catapultas, muſqueta, manuarios ſclopos avehere; quoſdam è gregarijs accenſis funalibus, & preſſis ad trochos ſcloporum lapillis igniarijs incedere; impoſitum item Brunckhorſtij currui famoſum exploratorem, alióſque plures comitari; cùm tamen nemini, qui ad præſidium non pertineret, liceret eſſe in iſto comitatu, haberi item inter eorum impedimenta bona aliqua, quæ ejuſce regionis hominibus abſtulerant, quæque prohibiti fuerant aſportare. Quare juſſi fuerunt ductores tradere ſinguli rerum ſuarum indiculum, niſi mallent ſarcinas omnes luſtrari. Actum etiam cū quibuſdam gregarijs, ut ad Cæſaris partes tranſirent, quod cùm lubentes aliquot feciſſent, orto inter partis utriuſque milites tumultu, ſpretis ductorum & defenſorum imperijs, patratæ non paucæ cædes. Quæ res Hatzfeldio & Wahlio ita diſplicuit, ut præfectos, quos tutelæ ac ſecuritatis causâ hoſtibus addiderant, juſſerint cuſtodiri, donatiſque ſarcinis omnibus, & gregarijs, qui defecerant, ad ſua ſigna remiſſis, dedititios curârint tutò deducendos Weſaliam inferiorem, non autem ſuperiorem, tametſi id ex pactis licuiſſet, eò quòd neutra diſertè eſſet nominata. Unde eſt, cur erroris poſſint argui ſcriptores, qui prodiderunt, pacta à Cæſarianis fuiſſe violata. Rebus utcunque in Ubijs jam ſecurioribus, copiæ Cæſareo-Bavaricæ adverſus hoſtiles molitiones in Franconiam, Saxoniam, aliò, relictis ſex legionibus, Ductore Saradezkio, quæ Weinmarianos Noveſij, Kempenæ, Lunæ, cohiberent, Rheno trajecto, diſceſsêre. Venio ad res geſtas in Saxoniâ, lociſque finitimis.

X.

XI. Cùm Suecorum vicinitas, Cæſariani exercitûs operam in ſuperiore Saxoniâ depoſceret, Septemviri permiſſu, ex inferiore Saxoniâ tres legiones ad ſtativa fuêre receptæ, quas deinde magna pars ſubſecuta injuſſu ejuſdem Septemviri: quæ res Dreſdæ malè accepta, occaſionem dedit ſermonibus de paciſcendâ cum hoſte

hoſte mediarum partium quiete. Exceſſêre tamen paulatim Cæſariani è Saxoniâ, cùm Sueci Luſatiæ & Sileſiæ imminerent. Migrare jam cœperant menſe Aprili, donec, ſeneſcente Junio, paucis exceptis, qui ad Erfurtenſium crebras eruptiones eſſent attenti, conceſſêre adverſus hoſtem. Jam Sueci eò pervenerant, ut, cùm Saxonia exiguum defenſorum numerum retinuiſſet, ad uſque Dreſdæ vicina excurrentes, prædas agerent, omnémque circà regionem infeſtarent. Hi fuerunt prodromi Kœnigsmarckij, qui, poſteaquam menſe Auguſto, medius inter Bornam & Zeitzam tetenderat, profectus eſt in Turingiam. Illic machinis & copijs pedeſtribus Erfurto acceptis, Northuſio expugnato, Duderſtadium & arcem Gleichenſteiniam invaſit. Sporckius Tribunus Bavaricus, comperto, Erfurtenſis præſidij potiſsimam partem ad Kœnigsmarckium acceſſiſſe, ineunte Septembri, cum ſexcentis equitibus movit in Erfurti conſpectum. Cùm verò Erfurtenſis Gubernator, ob præſidij infrequentiam, nihil contrà tentaret, Sporckius coactos circum urbem armenti greges abegit tanto numero, ut Erfurtenſes eam jacturam triginta Ferdinandicorum nummûm millibus æſtimarent, quantam ab annis triginta non accepiſſent. Sub idem tempus, Kœnigsmarckius Miſniam pervagatus, actis latè prædis, firmatus novo milite, Naumburgum obſedit cum non levi ſuorum clade. Nam cùm tormentorum vi triginta muri orgyias disjeciſſet, dato ad oppugnationem claſſico, ſuos juſſit incurrere. Goldackerus cùm ſexcentis ſclopetarijs in civitate curabat, eodem refugerant viri nobiles & turba agreſtium. Horum labore Gubernator, ducto aggere, palorum ſepto, cratibus occatorijs, ſparſis muricibus, mœnium labem obduxerat. In hos obices incurrêre Kœnigsmarckiani, primo ſtatim impetu amiſêre nonaginta, alterò ſedecim ſupra centum: & plures non dubiè erant perituri, niſi Kœnigsmarckius damnatâ oppugnatione, ſpei irritus, ſignum dediſſet receptui, multiſque, quos vulnera debilitaverant, avectis, ſolviſſet obſidionem. Iter abeuntis Erfurtum, ad communicanda cum Gubernatore belli conſilia, Naumburgenſes inſectati, poſtremum agmen ſic carpſêre, ut bis térve terga cædentibus, copias univerſas fuerit coactus obvertere. Fruſtra ſubinde niſus eſt intercipere Sporckium; qui annonâ in arcem Masfeldicam invectâ, cum mille legionarijs & octingentis alarijs ad Meinungam conſtiterat, & propediem ad Cæſarianos erat moturus, unà cum milite, qui circa Wittenbergam, Torgaviam, locáque vicina, è Luſatiâ & Sileſiâ proficiſcendi imperium expectabat. Verberavit interea Meinungam, jámque oppidi Gubernatorem, injecto in oppidum igne, & muro labefacto, eò neceſſitatis adegerat, ut propugnationem deſperans, de faciendâ deditione conſilia agitaret, quando, accepto ab Electore Maximiliano mandato ſe mox in ſuperiorem Palatinatum conferendi, diruptâ alterâ è machinis, quas habebat binas duntaxat, Meinungâ abſceſſit.

Sporckius Erfurtenſe armentum abigit.

XII.

Kœnigsmarckius Naumburgum irritus oppugnat.

Sporckius Meinungam obſidet.

XIII.

Kœnigsmarckius novis rurſum ditatus miſerorum ſpolijs, auctúſque quindecim Luneburgicarum cohortium, & trecentorum Erfurtenſium acceſſione, ex Zeitzâ arce, quam menſe Auguſto invaſerat, munierátque præſidio & neceſſario commeatu, ad Dorſtenſonij caſtra contendit. In eâ profectione, ad Arnſteiniam, è Baronis Furnij legione turmam unam equitum catapultariorum, occiſo hipparcho & uno protribuno, profligavit. Sporckius viciſſim Knorrium legionis legatum ad Ilmenaviam cum ſuâ cohorte cæſum, repulit Erfurtum: & Saxones, capto equitum magiſtro, ejúſque vicario, turmam unam Kœnigsmarckiorum malè multaverunt. Jam habebat ſub ſignis Kœnigsmarckius, præter peditatum, novem equitum phalanges, cùm Aſcherslebiam & Querfurtenſe caſtrum fecit ſuæ ditionis. Atque hæc potiſſimùm, quæ à Cæſareo-Saxonibus geſta adverſus Kœnigsmarckium.

Clades ultro citroque datæ.

Supereſt paucis explicare, quæ ijdem geſſêre adverſus Dorſtenſonium. Franciſcus Albertus Dux Saxo-Lauenburgicus è Sileſiâ Suecos propè exegerat, operâ non admodum difficili, eò quòd Stalhanſij copiæ vehementer eſſent imminutæ. Luſatia eodem ferè erat loco, pleriſque præſidijs hoſti ademptis.

Arma Bavarica Cæſarianis, anno ineunte, acceſſerant, nec dubitabatur, quin de ſummâ rei brevi liceret experiri. Comes Wahlius Standelæ, Tribunus Wolfius Oſterburgi ſtativa habebant: Archidux verò Leopoldus prætorium locaverat Tangermundæ, Albim ponte navali juncturus, quò faciliùs in Trans-Havelanas partes, & ſi res ferret, Wittenbergam, Dœmizium, vel prout belli ratio poſceret, Botzenburgum exercitum transportaret.

CASTRA CÆSARIANA.

XIV.

EXERCITUS DORSTENSONII.

Dorſtenſonius è diverſo tametſi res Suecicas propè jacentes, & à Gallo-Weinmarianis prorſus deſertas repererat; tamen ſic auxit exercitum, ut ſub ſignis, equitum novem millia, peditum duodecim numeraret, Stalhanſij copijs in hunc calculum non relatis. Caſtra metatus ad Salſo-Wedelam omnem exercitum luſtravit.

CÆSARIANORUM EXCURSIONES, FINNORUM CLADES ET CÆSARIANORUM. DISCESSUS BAVARICORUM AB ARCHIDUCE. SUECI PRÆDAS AGUNT.

Archidux, ponte Tangermundenſi abſoluto, ſub exeuntem Februarium, robuſtam Liburnorum & Germanorum equitum manum in Havelanum agrum transmiſit, qui Suecis infeſtam navigationem redderent, &, ſi quà poſſent, caperent Suecis pontem Bleckedenſem. Piccolominius cum expedito equitatu movens Mechlinburgum, quadringentis Sueco-Finnonibus profligatis, Botzenburgum uſque excurrit, nullo prorſus obſiſtente. Sueci Cæſarianis vicem repoſuêre Oſterburgi, oppreſsâ ſat numeroſâ ſtatione.

Inter hæc clades, quam retuli, Lamboiana, réſque in Ubijs afflictæ Wahlium cum Bavaricis copijs ad ferendas Hatzfeldio ſuppetias, ad Rhenum inferiorem, per Franconiam, propere revocârunt, haud parùm imminuto ex eorum diſceſſu Archiducis exercitu. Quamobrem, reducto milite & bellico apparatu ex Havelanis, Leopoldus Tangermundenſem pontem ſolvit, juſsítque caſtra tendere Magdeburgum, indéque Albi adverſo Barbium movere, & Ackæ ſeſqui ſupra Barbium milliari pontem inſterni.

Mox ubi Cæſariani ex vetere Brandeburgicâ Marchiâ migraverant, Sueci in priora ſtativa reverſi, Dannenburgum uſque & Osfeldam, occupato & munito Haldesbio, Magdeburgi finitima crebris excurſionibus cœperunt infeſtare.

ARCHIDUX VIENNAM PROFECTUS.

XV.

Cùm Cæſarianos regio jam exhauſta diutiùs nequiret alere, Albi rurſus trajecto, movêre ad Unſtrutam & Salam. Sub id tempus Archidux, impetratis in certis Saxoniæ regionibus à Septemviro ſtativis, numeratóque militi bimeſtri ſtipendio, per Bohemiam reverſus ad Cæſarem Viennæ agentem, exercitum Piccolominio demandatum reliquit.

DORSTENSONIUS IN MEDIAM MARCHIAM. LUCKENAM, GABAM, INVADIT.

Dorſtenſonius, adulto Aprili, Garlebiâ & Salſo-wedelâ firmo munitis præſidio, ex vetere in mediam Marchiam contendit cum famelico exercitu, cui Zerbſta, Berlinum, aliæque civitates, ſubmiſsâ annonâ, opem tulerunt, cùm Elector Brandeburgicus medias bellantium partes eſſet amplexus. Primis caſtris Dorſtenſonius Luckenam, inferioris Luſatiæ oppidulum à Saxonicis inſeſſum, deditione accepit. Auxit ſubinde ejus copias Stalhanſius acceſſione ter mille armatorum, qui poſt ſat longam eámque cruentam obſidionem, non ſine ſuorum clade, Gubam, menſe Majo ſubegit, & octingentorum quà Cæſarianorum, quà Saxonum præſidium ad Suecica ſigna redegit.

DORSTENSONIUS SORAVIAM, SAGANUM OCCUPAT, GLOGGOVIAM EXPUGNAT.

XVI.

Dorſtenſonius interea, qui proſperis iſtis initijs ſecundam famam collegerat, ſolo adventûs ſui nomine Galaſſicæ legionis legatum, Sagano; Soraviâ verò unius turmæ magiſtrum ejiciens, utroque loco ſine vi eſt potitus. Ejus exiſtimationem in majus extulit deproperata majoris Gloggoviæ expugnatio. Eſt Gloggovia inter præcipua Sileſiæ præſidia, quam proinde Dux Franciſcus Albertus Saxo-Lauenburgicus copioſo ſupra mille militum præſidio firmaverat. Eò caſtra movit Dorſtenſonius exſpirante Aprili, & poſtridie quàm illuc advenerat, ducentos equites, & quinquaginta pedites Gloggovienſibus ſubſidio miſſos, profligavit. Credebatur obſidio futura longa ac operoſa ob defenſorum numerum & alacritatem: verùm eos fortuna deſtituit, cùm quartâ die Maij Sueci, qui cis & ultra Viadrum, urbem cinxerant, primo manè Ædis ſummæ propugnaculum, Viadro amne circumfuſum, & nullâ adhuc arietatione labefactum aggreſſi,

greſſi, disjectis defenſoribus expugnârunt, atque inde in urbem provecti, omnibus munimentis potiti, tanti momenti civitatem, non omnino quatuor horarum dimicatione in ſuam poteſtatem redactam, diripuerunt cum fœdis militaris licentiæ exemplis, ne parœciali quidem templo parcentes, quod incenſum unà cum plateâ connexâ redegerunt in cineres. Ex propugnatoribus octingenti fuêre trucidati, ſeptingenti capti, in quibus Baro Rochavius Gubernator, Chiliarcha Schœnkirchius, bini legionum legati, aliique ductores. Hoſti ceſſerunt frumenti iſthic ad militarem annonam conditi trecenta modiorum millia, tormenta majora viginti octo, pulueris nitrati ingens copia. Hujus victoriæ appendix fuêre Irketſnavia, Gurania, Hermſtadium, Prauſnitzum, Warta, Dracoberga. Stalhanſius bis mille ſtipatus legionarijs, & octo alariorum turmis, trans Viadrum, in orâ, ut vocant, Luſaticâ, Freyſtattelam arcem invaſit, victoris deditam arbitrio, expugnavit caſtrum Wolavium, ubi trecentos è præſidio delevit. Rebus uſque adeo ſecundis, Dorſtenſonius Dracobergam, non ignobile præſidium, bidui obſidione, Steigam ſolâ exercitûs oſtentatione ſuperavit. Hinc motis caſtris ad Schweinizium, copiam nactus eſt cum Duce Saxo-Lauenburgico confligendi. Hic à Preslaviâ cum ſeptem armatorum millibus digreſſus, Schweinizio firmum expeditorum ſclopetariorum ſubſidium immiſſurus, medio ab oppido milliari, obvium habuit Kœnigsmarckium cum dextrâ Suecicarum copiarum alâ, quem ilico fugatum, ad Dorſtenſonij caſtra rejecit. Nondum eò pervenerat, cùm accepto de totius exercitûs adventu nuntio, gradum figit, ſe adjuncturus mox adfuturo Dorſtenſonio. Dux Lauenburgicus faventem Martem ſecutus, incidit in hoſtem viribus ac numero longè ſuperiorem, à quo brevi certamine victus, & à ſuis non deſertus modò, ſed etiam duplici vulnere ſauciatus, captúſque ab hoſte, Schweinizij, decimâ Junij, hoc eſt, decimâ ſextâ poſt pugnam die, ex putreſcente plagâ fuit extinctus. In hoſtium manus venêre præterea ſupremus ordinum ſtructor Hanovius, Chiliarchæ quatuor, duo ſummi vigiliarum præfecti, quadraginta minoris notæ ductores, bis mille equites. Sex legiones fuêre ſic cæſæ, ut paucos fuga Preslaviam abſtulerit, amiſſis quadraginta ſignis militaribus, quatuor machinis caſtrenſibus, cum cætero inſtrumento, bis mille equis, & argentariâ duorum mulorum ſarcinâ. Schweinizium ſecundum iſtam pugnam, toleratâ brevi obſidione, Suecis acceſſit cũ quingentis præſidiarijs. Exinde Kœnigsmarckius Nyſſam Epiſcopi ſedem juſſus fuit obſidere. Qui in civitate curabant octingenti tum pedites, tum Croatæ, & venatores certi ad ſcopum tela collimare, Kœnigsmarckium, triplicem irruptionem molientem, ter cum clade rejecerant, cùm juſtâ ad impreſſionem muri parte dirutâ, colloqui cœperunt de honeſtâ deditione. Jam conventum erat de legibus, unâ exceptâ, quòd præſidium omnino vellet tutò Brigam deduci, Sueci contrà deducere vellent Olomuzium pòſt paulò à Dorſtenſonio ſubigendũ. Dum tempus paciſcendo teritur, obſeſſi mœnium labem objectis operibus obſtruunt, negántque ſe ultrà de admittendo hoſte acturos. Ergo Kœnigsmarckius, qui velut certus de civitate dedendâ equitatum dimiſerat, è caſtris Oppelenſibus ſena armatorum millia cum machinis muralibus accerſit; novam edit muri ruinam, pilas punicas in tecta conjicit, denique decimâ ſextâ Junij, factâ irruptione, expugnat, trucidátque omnes Croatas ac Venatores, quos cæteris infeſtiores ſenſerat, eò præſertim, quòd duos inſignes tormentorum libratores Dorſtenſonio apprimè charos confeciſſent. Qui è præſidiarijs ſuperfuêre ex Borrij legione, ad partes Suecorum tranſivêre coacti. Civitas alioquin opulenta ex vini Hungarici cæteróque commercio, ære quindecim millium Imperialium, trecentis vini dolijs, cereviſiæ ducentis, frumenti magnâ collectâ, ingenti pecudum grege, mille quingentis equis, & quatuor legionum alendarum onere, incendia direptionémque redemit. Epiſcopi tabularium, & opulenta Provincialis Capitanei, ditiorúmque civium ſupellex, dum ante obſidionem Preslaviam aveheretur, venit in manus Dorſtenſonij.

Alia loca subigit.

Dux Lauenburgicus victus ad Schweinizium.

XVII.

Moritur.

Dorstensonius Schweinizium deditione accipit.

Kœnigsmarckius Nyssam expugnat.

XVIII.

Dorstensonius varias civitates invadit.

Huic non fuit operoſum, Oppelam, Coslam firmam arcem ad Viadrum, Jagerndorfium, Ratiborum, Troppaviam uno velut ductu occupare, cum Cæſareo-Saxonico exercitu ad Schweinizium propè deleto, nemo eſſet, qui currenti fortunæ poneret obicem, & magnus fieret ad Suecos, impellente rerum ſecundarum aurâ, undique novi militis confluxus. Cùm ergo præter Preslaviam, Lignizium & Brigam, totâ Sileſiâ, nihil in Cæſarianorum poteſtate ſupereſſet, arma vertit in Moraviam, ſecum trahens ingens rei bellicæ inſtrumentum, & longè ſupra viginti armatorum millia. Moraviam ingreſſo patuêre infirmiores arces nobilium, oppida indefenſa, ager denique totus ad prædas & direptionem.

Movet in Moraviam.

XIX. Primum impetum fecit in Olomuzium, quod arctè cinctum, triduanâ viginti tormentorum verberatione laceratum, tertiâ impreſſione ad eam neceſſitatem redegit, ut Miniolus Tribunus Italus (Antonium Miniatum vocant alij) qui loco præerat, deditionis paciſcendæ moram peteret, quam & impetravit honeſtis conditionibus, Viennæ poſt hæc ignaviam capite expiaturus. Ingens fuit iſta jactura. Nam præter trecenta Imperialium nummûm milliâ, quæ Dorſtenſonius à civitate exegit, potitus fuit templorum pretioſâ ſupellectile, reconditis rebus nobilium, ingente rei bellicæ apparatu, equis ter mille, tormentis quinquaginta, veſtium caſtrenſium quinque millibus, immensâ frugum ac vini copiâ.

Brigam, ſub hæc in Sileſiam regreſſus, obſedit, fruſtra conſumptis omnibus obſidionalis induſtriæ facinoribus. Tantum fuit animi propugnatoribus, ut nihil moti machinarum fulminibus, ſubterraneorum ignium eruptione, inteſtino civium & gregariorum militum adverſus ductores tumultu, punicis ignibus, cæteràque oppugnationis diritate, obſidentes mulctatos bis mille viris fortibus, obſidionis conſilium diris devoventes repulerint, cùm Archidux Leopoldus Olomuzio cum valido exercitu immineret, ad ferendum Olomucenſibus auxilium. Nyſſam ſubinde direptam, portis & aliquot turribus concrematis, igne varijs tectis ſubjecto, extincto tamen civium diligentiâ, Sueci deſeruerunt, rapto ſecum in vinculis Conſule, Senatoribus aliquot, & bono nobilium numero, qui debitæ adhuc redemptionis forent obſides.

XX. Sub hæc Suecorum fortuna in Moraviâ nonnihil viſa nutare. Etenim Archidux Leopoldus redux ad exercitum, collectis ad Brunam copijs, quindecim equitum, novem peditum millia habebat ſub ſignis, accepto ſtipendio probè ad rem fortiter gerendam animata. Tribunus Schutzius, qui diſciplinæ militaris impatientiâ à Bavaricis ad Suecos defecerat, à Croatis primùm cæſus, deinde à Barone Rublando Dynaſtiæ Olomucenſis & Glazæ Gubernatore, prorſus profligatus, vulnere inſuper accepto, ſuam legionem duxit ad lanienam. Glazenſes item Cæſariani Braunæ Suecicorum ordinum ſtructorem, alióſq; Bohemicarum concuſſionum collectores oppreſſerunt; cúmque in Bohemiâ res Suecis fierent paulatim anguſtiores, nonnullis, quos ridens fortuna conciliaverat, eâdem paulò triſtiore ad Cæſarianos deficientibus, reverterunt in Sileſiam. Movit ergo Archidux Preslaviam, Viadro iſthac trajecto, Majorem Gloggoviam obſeſſurus, à quâ ſua caſtra Sueci ad Creſſenam paulò antè tranſtulerant, ter mille ad Gloggoviæ defenſionem relictis. Anteaquam Archidux obſidionem inchoaret, altero à Gloggoviâ milliari, prope Corwitzium Viadro pontem impoſuit, quò faciliores forent in Suecos excurſiones. Preslavienſes interea annonam convehebant ad Leopoldi caſtra, qui Auguſto jam maturo Gloggoviam cœpit obſidere. Vrangelius, cognomento Audax, in urbe curans, frequentibus eruptionibus foſſores vehementer exagitabat, unde tantum erat operarum humum molientium pretium, ut ſex aureûm Hungaricorum mercede decempedalis foſſio emeretur. Sæpius in civitatis munimenta incurrêre Cæſariani, ſed in caſſum, multis in eo conatu cadentibus.

Archidux Gloggoviam obſidet.

Novus miles ex Suecia.

XXI. Adduxit interea Generalis Vrangelius Dorſtenſonio ex Sueciâ novas triginta vexillationum ſuppetias, quas ſecutus eſt bis mille quingentorum equitatus ductore

ctore Alexio Lilio, quibus acceptis, Dorſtenſonius conſtituit deinceps ſui facere copiam. Jam menſem integrum obſidio tenuerat, cùm, annonâ & pabulatione indies difficiliore, Sueci liberè latéque populationes, terrorémque circumferrent, & obſeſſi validis operibus ſubſidiiſque firmati, longè à conſilio dedendæ urbis abeſſent. Quare Archidux, obſidione ſolutâ, in Lignicenſium fines ducens, regionem ad Viadrum è Sileſiæ littore inſedit. ARCHIDUX GLOGGOVIA ABSCEDIT.

Olomuzium tenebant clauſum laxiore cinctu Cæſarianorum quatuor millia; ſed Stalhanſius locum ſic firmaverat, ut de eo oppugnando non videretur eſſe cogitandum.

Dorſtenſonius, Audaci Vrangelio cum parte equitatûs in ſuperiorem Luſatiam dimiſſo, Buntzelam verſus & Lembergam contendit. Quæ res Cæſarianorum copias contraxit in agrum Lignicenſem, Lubenâ à tergo relictâ. Hinc Sueci nacti campum laxiorem, ad uſque Preslaviam ſuas excurſiones prædáſque proferebant, Cæſariano commeatu ſemel, iterum ad Herrendorfum & Stracowizum intercepto.

Tandem conſumptâ utrinque iſtarum regionum annonâ, uterque exercitus contendit in Bohemiâ. Sueci, occupatâ Buntzelâ, Lembergâ, Laubenâ moverunt ad Fridlandam. Ne ijdem aditum haberent in Bohemiam apertum, Archidux caſtra oppoſuit tam propinqua, ut, cùm vix mediocris ſclopi jactu ab hoſte diſtarent, tormentorum fulminibus ſe mutuò acriter inceſſerent. Nullâ re præterea memorabili, Sueci Sittaviam propè ſine vi occupârunt. MOVET IN BOHEMIAM.

Dum Archidux laboraret in hoſte à Bohemiæ finibus arcendo, Dorſtenſonius flexit in Saxoniam, quem Leopoldus mox inſecutus, in Dreſdæ confinio caſtra habuit ad hoſtium motum attentus. Illi, Albi ad Torgaviam trajecto, ca ſtriſque ad Lipſiam poſitis, Kœnigsmarckij ſubſidiarias copias accepêre. Eodem tempore Enkevortus ſupremus ordinum ſtructor, cum tribus peditum millibus, & mille equitibus ad Archiducem acceſſit. Hatzfeldici nondum Rhenum trajecerant, eóque nihil tempeſtivi auxilij poterat ab ipſis expectari, contrà verò Gallo-Weinmarici non niſi tridui itinere ab hoſte aberant. XXII. DORSTENSONIUS IN SAXONIAM.

Quamobrem Archidux nihil cunctatus, ilicò movet in hoſtem, qui Lipſiam jam cœperat tormentis arietare, & muro aperto, irritus licèt, incurrere. Is, cognito Cæſarianorum adventu, obſidione omiſsâ, ſe dedit in apertum campum, primo à Lipſiâ milliari, de ſumma rei, niſi detrectaret Archidux, experturus. Pares erant utrinque vires, campus neutris æquior, utriſque commodus ad explicandum equitatum, quo multùm valebat Archidux. Ergo poſtridie Cal. Novemb. primâ luce, inſtructâ utrinque acie, ubi primùm venêre in mutuum conſpectum, certamen à machinarum fragore ſunt exorſi. Subinde ventum ad manus. Alam Cæſarianorum dextram regebant Annibal Gonzaga ſupremus rei tormentariæ præfectus, & Comes Bruæus ſummus excubiarum magiſter: In lævâ curabant Bornivalius, & Comes Bucheimius, hic excubiarum, ille bellicarum machinarum præfectus. Dextræ præerat Archidux, lævæ Piccolominius. Prælium cœptum eſt à Cæſarianorum ſiniſtro cornu commiſſo cum dextro hoſtium. Reſtitit aliquantùm Archiducis equitatus, ſed ubi incurrit in pagum Breitenfelſum, quem Sueci, loco paulùm edito, ſclopetarijs inſeſſum muniverant, laxatis ordinibus, ad fugam inclinatus, nullâ, ne ſubſidiariorum quidem ope, immo ne Archiducis quidem fortiſſimè pugnantis exemplo, aut ductorum cohortationibus, in aciem potuit reduci. LIPSIENSE PRÆLIUM. XXIII.

Interea Cæſarianæ machinæ loco percommodo locatæ, ſtragem edebant in Suecorum agminibus, cùm Suecicæ altiùs poſitæ innoxia ferè tonitrua ederent. Cæſarianorum ala dextra Marte ſecundiore ſiniſtram hoſtium mox disjecit, dum peditatus lævæ Cæſarianorum, tametſi ab equitatu deſertus, Suecorum dextram pariter fregit, tormentis & multis vexillis potitus.

Suecis res redierat ad triarios, quos habebant in ſubſidijs, qui & ipſi ſæpius pulſi ac confuſi. Collegerat ſe dextra Suecorum acies, quæ repetito certamine

tamine in lævæ Cæſarianæ latus invecta, ſic eam fregit, ut effuſa in fugam terga verteret. Eam conatus eſt Piccolominius erigere aliquot catervis ſubſidiarij equitatûs, ſed & hic ipſe equitatus, ne inito quidem certamine, dilapſus, laborantes deſtituit. Anceps nihilominus adhuc erat victoria, cùm Archiducis dextra acies univerſa adhuc infracta; ſiniſtræ hoſtium victrix eſſe videretur. Verùm, ubi dextra Suecica ipſius terga cœpit premere, Cæſareus equitatus quaſi circumſeptus, fugam cœpit non modò meditari, ſed & re ipsâ capere, quicquid tandem tum Archidux, tum Piccolominius quà minis, quà precibus, animos addere fugacibus niterentur. Ergo peditatus undique deſertus, à fronte, à tergo, ab utroque latere circumventus, acriter quidem in hoſtem incubuit; ſed multitudine Suecorum tandem obrutus, deſertis ordinibus, ſe cædendum vincendúmque præbuit. Prima equitatûs fuga orta eſt ab Hungaris ad

XXIV. dextrum cornu, pòſt à Croatis ad lævum, ad cæteros valuit eorum formido & exemplum. Legiones omnes cum incredibili fortitudine pugnavêre. Non facilè quiſquã verbis exprimat, quanta Archidux ediderit imperterritæ fortitudinis exempla. Victoriâ jam deſperatâ, cùm adhuc manus confereret, ductorum precibus ſibi paſſus eſt perſuaderi, ut cum prætorianâ legione, quæ ſteterat adhuc immota, comitante Piccolominio, cum ſuis item prætorianis, per medias hoſtium phalanges ſibi ferro viam ad receptum aperiret. Peditatus, quem hoſtile telum non ſuſtulit, vitam exoravit, cætera captivus.

BARON DE SOY.

Occubuêre è Cæſarianis Baro Soyus, qui præerat agmini ſubſidiario legionariorum, quinque Tribuni: Protribunus legionis Ludovici Gonzagæ, ſeptem legionum vicarij, tres excubiarum ſupremi magiſtri. Sauciati Marchio Palavicinus, tres Tribuni, totidem protribuni. In manus hoſtium captivi venêre Comes Suyſius, Fernamontius, quatuor Chiliarchæ, legionum legati octo, omnes ferè vulnerati: cohortium Centuriones, paucis exceptis, aut occiſi, aut capti, cum pleriſque minorum gentium ductoribus: capti ex gregario milite ultra quater mille: tormenta omnia hoſti ceſsêre ſupra quadraginta: ſigna quà equeſtria, quà pedeſtria centum nonaginta cum impedimentis, in quibus Archiducis militare tabularium.

Ex hoſte cecidêre ſupremus rei tormentariæ præfectus, Generalis Commiſſarius, Schlangius ſummus ordinum ſtructor, Tribuni tres quà in loco cæſi, quà

XXV. ex vulneribus poſt pugnam extincti, tres legionum legati, non exiguus cæterorum præfectorum numerus, ex quibus poteſt gregariorum calculus iniri, qui non potuit eſſe niſi magnus, in tam pertinaci prælio & utriuſque alæ confuſione. Stalhanſius & Kœnigsmarckius vulnera non lethalia reportârunt cum duobus Chiliarchis, aliquot legionum vicarijs, octo ſupra centum legionum ſtructoribus & centurionibus, cohortium vicarijs & vexilliferis.

PŒNA FUGITIVÆ LEGIONIS.

Exeunte Novembri Archidux in unam legionem, quæ poſt Hungaros & Croatas fugam inierat, Rockezanæ juſſit ſeverè animadverti, centurionibus per catapultarios vita erepta, vexilliferis & decimo cuique, quem ſors in decimatione ſupplicio addixerat, gula fracta: Tribunus, ejus legatus, & duo præterea Chiliarchæ ejuſdem flagitij participes, Pragam in vinculis deducti, ut causâ iſthic dictâ, promeritâ pœnâ plecterentur. Dorſtenſonius ad Lipſiam regreſſus, arcem ac civitatem ad deditionem coëgit. Archidux, collectis Lipſianæ cladis reliquijs, ad Raconizum, octo alariorum millia numeravit præter ter mille, qui hinc inde per oppida ſparſi, acceptis vulneribus curam adhibebant. Pedites ab hoſte capti, paulatim redibant ad ſigna, & cùm ſupereſſet adhuc Hatzfeldij exercitus & miles Bavaricus, civitates paſſim per hæreditarias Cæſaris provincias, numeroſis erant inſtructæ præſidijs. Non multò poſt luſtratum equitatum, Comes Bruæus cum octo equitum millibus, in ipſum Lipſienſium caſtrorum conſpectum venit. Donavius Pilsnâ excurrens, Merani, haud procul Zwiccaviâ, integram Suecorum hippotoxotarum legionem, Tribuno interfecto, profligavit: juniorem Ochſenſternium impedimentis exuit. Sporckius Bavaricus Ilmenaviæ

LIPSIA SUECO DEDITUR.

turmam

turmam Erfurtenſium equitum oppreſſit, tam non conciderant ex adverſâ fortunâ Cæſarianorum animi.

Præter copias, quas antè memoravimus, habuiſſe Maximilianum in Ubijs, ductore Comite Wahlio, habuit in Wirtenbergiâ ſub Franciſco Barone Mercio caſtra tralatitia, ad tuendos Briſgojæ, Brigantiæ, Vindeliciæ, & vicinorum fines, ſimul prohibendas Briſacenſium & Hohenvillanorum excurſiones, quibus menſe Martio finitimos magnis affectos damnis vexaverant. Widerholdus præfectus Hohenvillanus, vir in paucis verſutus & peritus rei militaris, ex arce toto hoc bello invictâ, toti viciniæ, quam ſibi magnam partem reddebat vectigalem, erat non infeſtus modò, ſed etiam ob ſubitas irruptiones & ſtratagemata formidandus. XXVI.

In arce Wildenſteiniâ inſigniter validâ, Comitis Fürſtenbergij ſtipendio, curabant ſub Auguſtum ineuntem, ſeptem duntaxat præſidiarij, ſive munitionis fiduciâ, ſive Comitis parſimoniâ. Comperit Widerholdus, præſidiarios, more Catholico, conſuêſſe in vicino pago divina diebus ſacris frequentare, unico tantùm ad arcis excubias relicto. Hac ille uſus occaſione, 3. Idus Auguſti nondum diluceſcente, emiſſos equites quinquaginta, farinam & bellicum commeatum à tergo vehentes, in nemore non procul ab arce jubet ſtare in inſidijs, duos verò pedites ante arcem ſeſe in fimetum abdere, capit ſtramine ſic obtectos, ut commodè anhelitum ducere, & caſtri portam extimam vigiliáſque poſſent arbitrari. Appetijt hora divini officij: ſex præſidiarij de more exeunt ad paræciam ſemihoræ itinere diſſitam, uno duntaxat relicto, qui pro caſtro excubias ageret, & duabus mulieribus, quæ curarent rem domeſticam. Cùm abeſſent ſatis procùl præſidiarij, duo Hohenvillani erumpunt è fimo, & excubitorem cum alterâ mulierum colloquentem, à tergo aggreſſi, armis exuunt, priusquam ab exclamante muliere monitus hoſtem adeſſe, ſe poſſet in arcem recipere. Eo capto, dant ſignum quinquaginta equitibus, qui ex inſidijs advolantes, correptis è vicino ſcalis, mox ingreſſum in arcem per apertum tectum ſibi patefaciunt. Clauſerant quidem oſtia mulieres, ſed cùm nihil ipſis præter eiulatus, ad denfenſionem, muliebris imbellia ſuggereret, hoſtem irrumpentem è tecti faſtigio admiſere.

Wildensteinium stratagemate invaditur.

XXVII.

Id ubi Mercius réſcijt, iraſci primùm Fürſtenbergio, quòd invictæ alioquin arci tam malè proſpexiſſet, mox ducentos equites expedire, qui omnes arcis aditus occupantes, prohiberent, ne plures Hohenvillani ingrederentur: mittit deinde Carolum Baronem Marimontium, Chiliarcham, virum domi militiæque nobilem, qui, explorato arcis ſitu & munimentis, referat, an & quis ſit modus illam expugnandi. Refert ille, arcem in duas partes eſſe diviſam, quarum altera ſit area & ædificium cohortale bene munitum & cuſtoditum ab hoſte, altera ſit ipſa munitio, quæ vix pateat expugnationi, ſitque medio ponte ab areâ cohortali diviſa. Hunc pontem poſſe tormentis dejici, eóque præſidiarios, qui in areâ curabant, vel capi, vel rejici in munitionem. Hoc ſi ſuccedat, areâ occupatâ ſpem aliquam ſupereſſe arcis recuperandæ. Placuit Mercio conſilium. Ergo acceptis è Conſtantiâ quatuor machinis muralibus, Marimontium jubet cum trecentis peditibus rem tentare, ratus neminem meliùs exequi conſilium, quàm qui dedit. Marimontius igitur tormentis ex adverſum locatis, pontem verberat. Jam propè erat in eo, ut pons ruptus concideret, cùm areæ cuſtodes territi, ſtatione relictâ, in arcem fugerunt, & aream Marimontio cedunt occupandam. Parabatur arcis reliquæ expugnatio, cùm Hohenvillani, rogantes inducias, & facultatem de ſuo ſtatu monendi gubernatorem Hohenvillæ, impetrant, quantum ſatis eſſet ad eam rem temporis, & tympanotribam funibus demiſſum ablegant. Hunc Marimontius jubet duci ad Mercium, exploraturum, quæ ſpes obſeſſis ſupereſſet, ac deinde iturum Hohenvillam, ſi Mercius permitteret. Remiſſus fuit ilico ad obſeſſos, cum ſeverâ interminatione, fore ut, ſi vel

Recuperatur a Marimontio.

XXIIX.

vel unicum adhuc tormenti ictum expectent, omnes ad unum arce expugnatâ in furcam agantur. Ea denunciatio ſic terruit miſeros, ut vitam ac libertatem pacti, Hohenvillam ſe reduci paterentur. Erant omnino triginta duo (nam cæteri ante obſidionem Hohenvillã redierant) quos Widerholdus capitali ſupplicio erat addicturus, niſi Hohenvillæ tuendæ neceſſitas ipſis veniam exoráſſet.

Franci ad Mottam prælio victi.

Sub hoc ipſum tempus, Dux Lotharingiæ haud procul à Mottâ, Hallierum Francicarum copiarum ducem memorabili prælio, ad Liffouxium ſuperavit. Mottam arctè obſidebat Hallierus egregiam in Lotharingiæ finibus munitionem. Ea ne veniret in Francorum poteſtatem, Dux, qui agebat in Alſatiâ, auxilium obſeſſis putavit eſſe properandum. Ergo magnis ac difficilibus itineribus ſecum trahens exercitum, cùm nondum eſſet in Mottæ conſpectu, Hallierum tam celeri profectione & proximè adfuturi nuntio perculſum removet ab obſidione haud procul à Mottâ, ubi caſtris poſitis, ſtatuit ſupremam belli fortunam experiri. Danda fuit aliqua reſpiratio Lotharingico militi, mirum quantùm ex longâ & perincommodâ feſtinatione fatigato.

XXIX. Illuxit dies ſecundus Septembris, cùm Dux, caſtrorum hoſtilium ſitu explorato, per nocturnas tenebras, viâ ob copioſum imbrem infeſtâ, cum equitatu profectus, movit in hoſtem, qui trans amnem vicinum, fixis ſignis, aciem in loco editiore explicavit. Vadum erat unicum, quo poſſet amnis transmitti: hoc ipſum Dux mox occupat ad lævam hoſtis. Trajicit deinde copias per denſam telorum grandinem, Francicis ſclopetarijs nequicquam trajectum amoliri conantibus; & inſtruit aciem in oculis Hallieri. Superanda erat collis acclivitas, idque magno niſu & periculo, antequam cum hoſte veniretur ad manus. Id negotij Dux imperat tribus legionibus, turmæ prætorianæ, & aliquot levis armaturæ catervis, quas legio Maillardi ſuſtinebat. Hi eniſi in clivum, tantis animis invecti ſunt in hoſtem, ut loco motum adegerint in ſylvam confinem. Secutus eſt interea reliquus Ducis exercitus: tum equitatus in Hallieri turmas immiſſus eſt tantâ vi, ut fuſum momento in fugam verterit. Peditatus hoſtilis inter denſos frutices deſertus, nihilo fortiùs irrumpentes ſuſtinuit: ſclopis enim ſemel duntaxat ſolutis, quà data via armis abjectis, quò pes foret ad fugam levior, terga vertit. Hic demum cruenta cædes per ſeſqui horam, ſtrage tantâ hoſtium, ut niſi ſpoliorum præmatura aviditas finem indixiſſet, ne Halliero quidem futura fuiſſet poteſtas evadendi. Eam tamen eſt nactus, dum Lotharingis in diripiendis Gallorum ſarcinis laborantibus, ſpatium habuit trecentos equites colligendi, cum quibus profugit in Novocaſtrum, cætero milite, paucis exceptis, quos fuga & ſylvarum latebræ ſubduxerant, in Lotharingorum manu relicto, amiſſis inſuper omnibus vexillis, & cæruleâ faſciâ cum cruce aureâ, quibus Hallierus velut regij Ordinis S. Spiritus inſignibus utebatur.

XXX. Clades Metenſium

Jam antegreſſo menſe Junio, Dux Lotharingiæ Metenſe præſidium malè multaverat. Emiſerat in agrum Metenſem mille legionarios, alarios octingentos, Ductore Xiverio, qui provecti in urbis vicina, locatis à tergo inſidijs, ſeſe oſtentare auſi, Gubernatorem cum duobus armatorum millibus mœnibus egreſſum ilico habuêre obviam. Ceſsêre fugientibus ſimiles, donec ille deferretur in inſidias. Hîc pugnâ coortâ, Metenſium cæſæ tres centuriæ, totidem captæ, cæteris effuſsâ fugâ in urbem elapſis. Abegerunt Lotharingi armenti bis mille capita, direptis circùm aliquot caſtellis.

Hagenoæ Francicum præſidium cæditur.

Bambergerus Philippoburgi Præfectus, Gallico Hagenoæ præſidio non abſimili ſtratagemate cladem intulit. Collegit tum ex Offenburgenſi agro & Franckentalio, tum ex Philippoburgi præſidio quadringentorum partim equitum, partim peditum manum, ſpecie præſidij ab Offenburgo deducendi. Hos medio Junio, quadripartito agmine, jubet quantum liceret tectos ex inſidijs præſtolari Hagenoenſium eruptionem. Armento mœnibus egreſſo, viginti duntaxat equites in campum promicantes, in Hagenoenſium oculis, gregem cœperunt

runt abigere. Franci circiter quadringenti mox erumpentes, diſcedente armento, proliciuntur in diſpoſitas inſidias, donec ijs animadverſis, parârunt defenſionem diviſi in duas catervas. Harum altera ſclopis unicâ vice diſploſis, refugiens Hagenoam, magnam partem fuit conciſa: altera in Bilſteinianum prædium recepta, poſt ſemihoræ dimicationem, poſitis armis, ſe victorum arbitrio permiſit.

Venerunt in captivorum cenſum bini centuriones, cum totidem vicarijs; ſigniferi quatuor, ſtructores quatuordecim, centum viginti duo gregarij, totidem ferè interempti. XXXI. FRANCIS IN BELGIO FORTUNA ADVERSA.

Hoc anno Maximilianus Henricus Alberti Ducis Bavariæ Filius, Maximiliani Electoris Nepos, aſſumptus eſt Capituli Colonienſis electione, in partem curarum Ferdinandi Septemviri Colonienſis cum ſpe futuræ ſucceſſionis, Coadjutor, Princeps eo faſtigio digniſſimus ob egregias virtutes, quarum jam ſpecimen ediderat, erâtque in iſtius Eccleſiæ gubernatione, defuncto patruo, editurus. ELECTIO COADIUTORIS COLONIENSIS.

Maximilianus Elector, Monachij poſtrid. Non. Jun. habuit hoſpites gratiſſimos, Eleonoram Auguſtam Ferdinandi II. Imp. viduam, unà cum Duce Nicolao Franciſco à Lotharingiâ & Claudiâ ejus conjuge, qui 16. Cal. Julij, relictâ ſui ſuaviſſimâ recordatione, Viennam repetierunt.

Adfuêre etiam ab 8. Id. Sept. ad uſque 16. Cal. Octob. Philippus Wilhelmus Dux Neoburgicus cum conjuge Annâ Catharinâ Conſtantiâ, Poloniæ Regis Filia, & Caſimirus hujus frater, hodie Rex Poloniæ, jucundiſſimi juxtà ac amiciſſimi conſanguinei.

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS III.

LIBER XXVIII.

An. M DC. XLIII.

Maximilianus ternas Gallo-Weinmarienſium expeditiones trans Rhenum fruſtratur: tertiâ ad Tutlingam memorabili victoriâ potitur. Cæſarianorum in Bohemiâ, Sileſiâ, Moraviâ res geſtæ.

I. Comitium Francofurtense.

CUm bellum in Germaniâ nihilo mitiùs, quàm ſuperioribus annis arderet, ei reſtinguendo dabatur opera, tum à Cæſare, Daniæ Regis interpoſitu, tum ab Ordinum Imperij legatis, qui Francofurti omnes, exceptis Brandeburgicis, ad Comitium convenerant. Hoc loci 9. Cal. Mart. in Curiâ civicâ, à Cæſareis legatis prælecta eſt rerum agendarum ſumma, quæ in hoc præcipuè vertebatur, ut tandem Ordines in commune ſua ſenſa explicarent de pacis tractandæ proluſionibus, atque inprimis de die, quo Monaſterium & Oſnabrugum, quæ duo loca generali conventui erant conſtitûta, judicarent poſſe conveniri, ut Sacræ deinde Cæſareæ Majeſtati referrent, quæ ipſi bene deliberata, putarént eſſe è re communi. Cæteroqui, cùm Cæſar jam probâſſet ea, quæ inter ſuos, & Franciæ ac Sueciæ legatos anno ſuperiore, & antè conveniſſent, miſiſſet Hamburgum teſſeras Imperiales publicæ fidei, expectabat indies, ut de certo tempore congreſſus inchoandi tandem aliquid explicatè ſtatueretur. Habiti poſthæc frequentes conventus, tum de his, tum de rebus alijs, quæ componendis, in Germaniâ præſertim turbis, idonea eſſe videbantur.

Rex Daniæ litteras dat ad legatum Galliæ.

Rex Daniæ, quò efficaciùs ſuſceptas conciliatoris partes tueretur, urgerétque legatum Gallicum, Hamburgi agentem, ad omittendas longiores protelationes, Coppenhagâ poſtrid. Cal. Mart. ad eum dedit litteras in hanc ſententiam: ſe ex Langermanni arcani conſultoris epiſtolâ non ſine ſingulari animi commotione cognoviſſe, nondum omnino probari litteras ſecuritatis à Cæſare & Rege Hiſpaniæ impetratas, tametſi forent eâ formâ, ut ex illis mori antehac ſive ſcrupuli, ſive errores, ſublati eſſe viderentur. Eapropter ſe revera non mediocri curâ ac perturbatione affici, dum rebus ipſis compertum haberet ante oculos, florentiſſimas Orbis Chriſtiani Provincias, totâ Europâ, adhucdum pernicioſo bello

bello obrutas & Chriſtiani ſanguinis rivis indies cum haurientium aviditate ſuperfuſas, populationibus, ferro & incendijs redigi ad extremam vaſtitatem, & ſpeciem quandam ſolitudinis. Quando igitur pacis tot afflictiſſimorum hominum votis expetitæ reductio, in quâ rerum & publicæ ſalutis ſumma verſaretur, tam lentè & languidè ageretur, & in ipſo quidem tractationis limine ſive præludio, ſubinde novi difficultatum obices naſcerentur, ex quibus foret periculum, ne illis impacta ſumma rerum agendarum conſilia tandem prorſus hæreant; ſe pro eâ, quâ eſſet ſollicitudine & animi dolore, quem caperet ex præſente rerum perturbatione, lamentabilíque miſeriâ, adductum, ut paulò liberiùs ac fidentiùs Gallicum legatum moneret, eas rationes, quibus jam dicta diplomata impugnari poſſent, eſſe ejuſmodi, ut meritò cenſeri poſſint nullius eſſe momenti, nedum tanti ponderis, ut legatum remorentur, quò minùs iſtas litteras publicæ ſecuritatis, velut idoneas, & ſuis numeris omnino abſolutas probet & admittat. Enimvero ſe intellexiſſe, ipſum legatum, ubi eas primùm accepit, nullâ prorſus ratione improbâſſe, aut cenſuiſſe minùs aptas, immo nihil adhuc ſigillatim protuliſſe, quamobrem non deberent habere locum; ſed hoc duntaxat habuiſſe obtentui, quaſi Hiſpanica diplomata nondum eſſent ijs clauſulis & abſolutione perfecta, quæ ad ea probanda optarentur, quódque Hiſpanicæ comprobationis optima forma adhuc deſideraretur. II.

Quamobrem ſuam Majeſtatem habere omnino deliberatum, hujus negotij ſumma capita, quorum comperendinatio, ſingulis diebus multorum millium hominum ſanguinem poſſit fundere, & ingentes parere miſerias, ſic promovere, ut quicunque defectus, per quos mora poſſit adferri, prorſus reſcindantur & tollantur è medio: cùm jure meritò non ſit tam religioſè ſpectandum, an conceſſa diplomata in abſolutiſſimâ formâ concepta ſint, quando nulla juſtior melíorve deſiderari poſſit aut excogitari: ſed ſatis eſſe debeat, ſi uſu probabili & recepto ſint expreſſa, idque eò magis, quòd illorum emendatio ex tam longinquis regionibus, vix intra longum non modò hebdomadum, ſed etiam menſium ſpatium, poſſit ullo modo obtineri. Se igitur impensè optare, & à legato petere, ut diem ad traditionem iſtorum diplomatum conſtitutam approbet, quo tandem ad principem pacis diſſertationem gradus fieri poſſit. Idem Rex miſit de pace legatum ad Cæſarem. Ille flexo per Tutingiam itinere, antequam iret Viennam, divertit 3. Nonas April. Monachium, ubi ſeptidui legatione perfunctus, & à Maximiliano ſolenni more habitus, ſuum iter eſt proſecutus. Ut verò Rex majore authoritate, medio inter diſſidentes ſuſcepto pacificationis munere fungeretur, terrâ maríque juſti exercitûs delectus habuit. III. LEGATUS DANICUS VENIT MONACHIUM.

Inter hæc, tametſi Francici ac Suecici legati tam ardens pacis deſiderium præ ſe ferrent, ut Hamburgo fama peretebreſceret, ipſis certum eſſe, & communi voluntate conſtitutum, die undecimâ Junij ad inchoandos congreſſus pacificos Monaſterij & Oſnabrugi adeſſe: tamen indies prolationum cauſas alias ex alijs nectebant, quibus res ipſa in proximè ſequentem annum fuit protracta.

Articuli nihilominus (ut vocant) pacis præliminares, partium conſenſu admiſſi, tempeſtivè fuerunt editi, quos operæ pretium eſt tradere poſteritati, quò nôrit, quem fructum quinquennij laboris aſſiduitas produxerit. Eos dedit publico Conradus Lutzovius Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius aulicus, & ad Saxoniæ inferioris circulum pro pacis tractandæ præparatione cum plenâ poteſtate Mandatarius, in hæc capita:

Loca generali pacificationi deſtinata ſunt Monaſterium & Oſnabrugum in Weſtphaliâ: ex utroque horum locorum, ubi primùm ultro citróque traditæ fuerint litteræ ſecurè commeandi; præſidia bellica utrinque abducentur: civitates verò ambæ præſtabunt neutralitatis juramentum. Interea eorum locorum Magiſtratibus licebit civitates proprio milite, vel civium excubijs cuſtodire. Iurabunt etiam Magiſtratus, ſe toti conventui fidos fore, legatorum & tractatorum perſonis, rebus, comitatui, ſecuritatem ARTICULI PACI TRACTANDÆ PRÆVII. IV.

 ipſis

ipſis verò tractatibus, ſi quando requireretur, ſuam opem operámque, utrâque parte conſciâ & exigente, obedienter promptéque accommodabunt.

Tractatorum omnium Conventus inſtar unius corporis æſtimabitur. Quamobrem via & itinera inter Monaſterium & Oſnabrugum, ijs omnibus libera erunt ac ſecura, qui illuc ultro citróque negotiandi causâ commeabunt. Si quis præterea locus medius inter utramque civitatem ad particulares congreſſus deligetur, pari cum civitatibus ipſis ſecuritate gaudebit.

Liberum etiam erit commercium litterarum, veredariorum, rerum promercalium, cibariorum, negotiationum, eorúmque omnium, quæ ad talem Conventum requiruntur, ita ut nemo, in commeando, ullo omnino prætextu perturbetur, ſed juvetur potiùs. Quòd ſi (quod Deus avertat) rebus infectis, contingeret has tractationes finiri, Oſnabrugum, Petroburgum & Monaſterium in hodiernum ſtatum reſtituentur, ſuáque præſidia recipient, eo pacto, ut poſt tractationis exitum, inviolata Neutralitas obſervetur.

Teſſeræ ſecuritatis ab utrâque parte ultro citróque dabuntur infra duos menſes à primâ die Conventûs numerandos. Ne autem traditio iſtarum teſſerarum, ob locorum diſtantiam novas moras patiatur, eadem fiet Hamburgi per Regis Daniæ mandatarios. Nominatim ex parte Cæſaris ejuſmodi teſſeræ tradentur. 1. Reginæ & Coronæ Sueciæ Plenipotentiarijs. 2. Regis Franciæ Reſidentibus. 3. Domui Palatinæ. 4. Domui Brunovicenſi & Luneburgicæ. 5. Domui Haſſo-Caſſellenſi. 6. Omnibus Statibus Romani Imperij in genere, qui Coronæ Suecicæ ſunt fœderati.

V. *Ex parte Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ, tradentur teſſeræ. 1. Sac. Cæſ. Majeſtatis Plenipotentiarijs. 2. Deputatis Electoris Moguntini. 3. Deputatis Electoris Brandenburgici. Omnes verò iſtæ litteræ Sac. Cæſ. Majeſtatis & Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ tradentur in eâ formâ, quæ nuper per Mediatorum legatos fuit cum partibus communicata, & ab ijs ipſis approbata.*

A Sac. Cæſ. Majeſtate, & Rege Catholico Hiſpaniarum, litteræ ſecuritatis tradentur 1. Regis Chriſtianiſſimi Plenipotentiarijs. 2. Coronæ Suecicæ Reſidentibus. 3. Sereniſſimæ Duciſſæ Sabaudiæ. 4. Generalium Fœderatorum Bataviæ Statuum Plenipotentiarijs. 5. Electoris Trevirenſis Deputatis. 6. Principi Carolo Ludovico Palatino Rheni, ejuſq; Fratribus & Deputatis. 7. Ducibus Brunovicenſibus ac Luneburgicis; eorúmq; Deputatis. 8. Sereniſſimæ Principi Æmiliæ Landgraviæ Haſſiæ Viduæ, eiúſq; Deputatis. 9. Omnibus & ſingulis Statibus Sac. Rom. Imperij in genere, qui Coronæ Franciæ ſunt fœderibus conjuncti, eorúmque Deputatis. Ex parte Regis Chriſtianiſſimi, per Regis Daniæ Miniſtros tradentur teſſeræ. 1. Sac. Cæſ. Majeſtatis Plenipotentiarijs. 2. Regis Hiſpaniæ Plenipotentiarijs. 3. Vtriuſque partis confœderatis, & adhærentibus in genere, vel eorum Deputatis. 4. Electoris Colonienſis Deputatis. 5. Electoris Bavariæ Deputatis.

Litteræ ſecuritatis ex parte Sac. Cæſ. Majeſtatis, & Regiæ Majeſtatis Hiſpaniarum, pro Plenipotentiarijs Duciſſæ Sabaudiæ tradentur eâ formâ, quæ ſcripta & depoſita eſt apud Sereniſſimum Regem Daniæ, cui ſoli titulus Tutricis ipſius filij, Ducis Sabaudiæ, & ſtatuum ad ipſum pertinentium Regentis, poteſt addi.

VI. *Omnes aliæ litteræ ejus generis tam ex parte Cæſaris & Regis Hiſpaniæ, quàm Regis Franciæ, tradentur eâ formâ ac modo, quo nuper à Dominorum Mediatorum legatis, partibus fuerunt communicatæ & comprobatæ.*

Vt interea ex parte Regiæ Majeſtatis Hiſpaniæ, litterarum prædictarum commutatio ſuum habeat progreſſum; valebunt illæ, quæ à Sereniſſimo Cardinale Infante, cum in vivis eſſet, fuerunt expeditæ, caſu quo à Catholicâ Majeſtate confirmentur.

Omnibus & ſingulis iſtis litteris ſecuritatis inſeretur dies & locus dictus generali tractationi juxta tenorem ſequentis articuli. Deponetur etiam apud Sereniſſimum Regem Daniæ exemplar apographum præſentium generalium tractatuum, eâ lege, ut cuivis legatorum auctentica eorundem copia detur.

Dies Conventui tam Monaſterienſi, quàm Oſnabrugenſi conſtitutus ſit vigeſimus quintus Martij proximè ſequentis, cui Deus pro univerſi Chriſtiani orbis ſalute, benignam ſuam benedictionem dignetur impertiri.

Hæc tractatio, quæ circa generalis pacis conventus Præliminaria hodie fuit concluſa, inter Conradum Luzovvium nomine Sac. Cæſ. Majeſtatis, & Excellentiſſimum Dominum Ioannem Salvium, nomine Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ, non debet niſi pro unicâ tractatione haberi, nec ex ullâ parte valida æſtimari, niſi priùs expletis conditionibus. In quorum omnium fidem hanc notulam propriâ manu ſubſcriptam ſigillis noſtris munivimus. Promittimus autem fore, ut iſti articuli, ſimúlque litteræ ſalvi conductûs à noſtris Dominis Principalibus utrinque confirmentur, & ad loca conſtituta mittantur. Hamburgi, &c. VII.

Atque hæc quidem fuêre templi pacis, quod moliebantur armati pacificatores, limina. Ejus ſtructura, quòd tardè proceſſerit, mirum non debet videri: unâ manu pugnabant, ædificabant alterâ: quod hæc ſtruebat, deſtruebat illa; dum fortuna, quæ eſt quidem in rebus humanis, ſed maximè in bellicis apprimè mobilis, pro modo ſpei aut metûs, conſilia, diſſertationum materiam, ipſámque molitionis Ideam aliquando mutaret: ut vel hinc conſtet, bella facilè poſſe ſuſcipi, difficilè finiri; præſertim cùm, qui bello accendendo ſunt acres, ſunt temperandæ victoriæ impares, & non ea ſolùm exiguntur, quæ velit victor, verùm etiam ijs mos eſt gerendus, quibus adjutoribus parta eſt victoria.

GALLO-WEINMARIANI AD MŒNUM.

De Gallo-Weinmarienſium in Franconiam profectione dixi anno ſuperiore. Poſteaquam enim Haſſis juncti in Rheni confinijs aliquanto tempore hæſerant; ductore Guebriano, per ſylvam Turingicam irrumpentes, occupatâ ad Mœnum ſine vi Gemindâ, Lohrâ, Rotenfelsâ, aliiſque locis indefenſis, fruſtráque petitâ ab Aſchaffenburgenſibus, quos ſeptingenti præſidiarij tuebantur, deditione, vel lytro bis mille aureûm Hungaricorum; verſi in Franconiam, latè terrorem intulerunt, ponte ad Gemindam Mœno impoſito, direpto Lauttenbachio, Zellingâ, aliiſque oppidis, Kœnigshoffium ad Tuberum amnem ex improviſo tranſcenſis mœnibus invaſerunt. Eos Epiſcopus Herbipolenſis Dux Franconiæ per legatos, miſſúmque aliquot vini plauſtrorum donativum conatus fuit mitigare, ne, quæ popoſcerant ſtativa, & muniti alicujus præſidij receptum, pergerent poſtulare: ſed Guebrianus dimiſſis cum repulſâ legatis, & velut per contemptum vino in milites juſſo diſpertiri, intolerabilem pecuniæ vim à Franconibus exegit. Schweinfurtum interea Cæſariani novo duarum turmarum ex equitatu Ægidij Haſij, & legionis Lodronicæ ſubſidio firmârunt. VIII. IN FRANCONIA.

MAXIMILIANUS SE AD DEFENSIONEM COMPARAT.

Maximilianus Elector, quem è vicino deinceps belli tempeſtas, poſt binas Cæſarianorum clades memorabiles, ſpectare videbatur, quique, ſi pariter fuiſſet victus, cum Annibale à Scipione ſuperato potuiſſet dicere, ſe cum victoriâ bellum amiſiſſe; credidit ſuarum eſſe partium, fortunæ ad Imperij exitium graſſanti, quibus poſſet viribus, ire obviam. Prima ergo cura fuit, copias Bavaricas latè per hiberna ſparſas colligere ipſo ſtatim hujus anni initio, deinde augere, demum auxilia Ducis Lotharingiæ, qui Rheni ac Moſellæ confinia tuebatur, ſibi adjungere. Neque enim vires Cæſarianorum adhuc eo uſque, poſt Lipſienſe prælium, creverant, ut adverſus Dorſtenſonium in Bohemiâ, Saxoniâ; ſimul & in Imperio adverſus Guebrianum ſuperioris anni victoriâ tumentem, jámque rerum ad Tuberum & Mœnum amnes paſſim potientem, tantâ terrarum intercapedine poſſent conſultò dividi. Erat quidem Hatzfeldius in propinquo, ſed cùm Sueci, ineunte Januario, Annabergæ magno numero viſi, Bohemiæ imminere crederentur, Egram movit ſuas copias Archiduci juncturus, relicto tamen mandato, ut conſulto priùs ac volente Herbipolenſi Epiſcopo, duæ legiones, quæ in Franconiâ ſubſtiterant, ad Bavaricos accederent.

IX. MERCIUS COPIAS COLLIGIT.

Franciſcus Mercius, Comite Wahlio ob affectam valetudinem abſente, Maximiliani juſſu, Boici exercitûs habenas moderabatur. Is quantâ licuit celeritate, legionibus, quæ in ſuperiore Palatinatu, locíſque finitimis hibernabant, Neoforum coactis; Weiſſenburgum ac Dinckenſpilam, hoſtium molitionibus vim oppoſiturus, contendit. Ne Palatinatus nudus maneret à præſidio, Am-

bergæ, Neoforo, Weidæ, caſtelliſque Montanis Wahliam legionem, cohortem Wolfenbuticam, & recens delecta ſupplementa impoſuit.

Sociat Duci Lotharingiæ. Guebrianus Lauffam occupat. Haſſi expeditionem detrectant. *Litt. Guebriani Mergenth. 15. Ianuar.*

Guebrianus, occupato Mergentheimio, ubi comperit Mercium, Dinckenſpilam; Lotharingos ad Philippoburgum adveniſſe eo conſilio, ut ſociatis copiis Gallo-Weinmarianos invaderent, pontem Lauffenſem Neccaro inſtratum occupavit, ut amnè tranſmiſſo, eam conſociationē medius inter utroſque dirimeret. Juſſerat Erberſteinium, Haſſorum ſupremum ordinum ſtructorem, prægredi, verùm ille cauſatus, ſibi injuſſu Landgraviæ non licere trans Mœnum ferre pedem, eam profectionem aliquamdiu detrectavit cum non levi Guebriani offenſione. Habebat id temporis ſtativa in locis Tubero amni finitimis, & in Oxenfurtenſi agro, Grensfeldæ videlicet, Kœnigsheimij: Creiſſæ, Rotingæ, Kreglingæ, Pittertæ, Ufenheimij: quibus relictis, medio inter Eslingam & Canſtadium ſpatio caſtra firmavit. Quare cùm is locus viſus eſſet Mercio iniquior, quàm ut poſſet, iſtâ præſertim anni tempeſtate, prudenter oppugnari, author fuit Joanni Werthio ſuſcipiendæ excurſionis, cum mille alarijs, & majore parte levioris equitatûs. Ille è Bacanano prid. Cal. Febru. profectus, haud procul Schorendorfio irrupit in ſtativa Ohemicæ & Witgenſteiniæ legionis, quibus erant junctæ quatuor turmæ equitum catapultariorū. Primo impetu ducentis ex hoſte deletis, captóque non exiguo equorum numero, dum movet in reliquos, incurrit in pontem validâ hoſtium manu inſeſſum, neq; ultrà progreſſus, multis captis, ſeſe Schorendorfium verſus recepit. Fuêre in ejus comitatu aliqui, qui periculo territi, vim proferre in hoſtem noluerunt. De ijs jubente Maximiliano, ſeveræ quidem habitæ quæſtiones, ſed nemo ejus flagitij compertus, eò quòd nocturnæ tenebræ & commilitonum ſilentium, authores texiſſet. Niſi per eos ſtetiſſet, potuiſſet utraque legio & junctus equitatus deleri. Sub hæc Mercius, ut hoſtem magis in arctum cogeret, & à Sueviâ cohiberet; poſtrid. Cal. Febru. Crucium legionis legatum cum trecentis, quà levioris, quà gravis armaturæ equitibus, præmiſit, cum mandato, ut Gœppingâ & Nœrtingâ occupatis, hoſtis motum retardaret. Verùm is, 3. Non. Febru. renuntiavit, Gœppingæ centum equites, ſeptuaginta ſclopetarios, à Guebriano impoſitos, citra vim majorem ad deditionem cogi non poſſe. Ergo Mercius 4. Februarij Aurbaco movens cum exercitu, Gœppingam tormentis verberatam expugnavit, ipſámque arcem, in quam Guebrianæi refugerant, deditione accepit. In Nœrtingæ occupatione minus videbatur futurum eſſe negotij, quandoquidem hoſtili præſidio deſtituta, perpaucos tantùm habebat ſecuritatis tutelares. Ea nihilominus fuit civium obſtinatio, ut Crucio & Wolfianæ legionis vicario tantiſper ad portam detentis, verba darent, donec correptis armis convolantes in mœnia, uno ſignifero & aliquot gregarijs, ſcloporum jaculatione proſtratis, Bavaricos ſubmoverent: Tantum erat Wirtenbergicæ regionis in externum hoſtem ſtudium, in Bavaricos odium.

XI. Werthius duas hoſtis legiones opprimit.

Mercius Gœppingam expugnat.

XII. Nœrtinga Bavaricos reiicit.

Jam Kirchemium uſque moverat Mercius, cùm iſthic Guebrianum reperit cum univerſis copijs, occupato jam ſuburbio, & acie in colle vicino explicatâ, conſediſſe. Suam viciſſim explicuit Mercius, diémque integrum ſtetit in hoſtis conſpectu: quò minùs veniretur ad manus, prohibebant binæ foſſæ antiqui operis, loco uliginoſo ductæ in longum, & per hibernos imbres aquis repletæ altioribus, quàm ut tutò poſſent in hoſtium oculis tranſvadari: ſimul obſtabat Mercio, quòd cùm hoſtis locum eminentem & acclivis aſcensûs teneret, nimis iniqua foret ejus expugnatio. Ergo utrinque ſatis habuêre eminus certare tormentis, quæ Bavaricis fuêre prorſus innoxia, hoſti non item. Cùm eæ fulminationes diem tenuiſſent, nec ſpes eſſet, Guebrianum ad juſtam pugnam è ſuis munimentis deſcenſurum; ne incommodiſſimâ tempeſtate, & pabuli inopiâ miles ſimul ac jumenta conſumerentur, Mercius Auracum revertit.

Acies ad Kirchemium oppoſitæ.

XIII. Ne verò hoſtis impune progrederetur, quod univerſarum copiarum dimicatione obtineri non poterat; viſum eſt prælijs levioribus, & ſubitis expeditionibus experiri. Ergo Mercius cùm haud procul Reitlingâ Idib. Febru. tetendiſſet;

diſſet; comperto, aliquot hoſtium legiones Ramenſpaci noctem acturas, communicato cum Joanne Werthio conſilio, credidit è re fore, ſi illæ nocturnâ irruptione invaderentur. Id expeditionis lubens in ſe ſuſcepit Werthius nocte intempeſtâ. Incommodùm accidit, quòd per obſcuras tenebras properantem aberratio à viâ & propoſitâ ſtatione avertit. Errorem correxit caſus ſecundior. Nam dum oberrat, incertis ductoribus, defertur in pagum Offerlingenſem. Hoc loci pernoctabant Eberſteiniana, Wittigſteinia & Canofskiana legiones, cum Guebriani equitibus catapultarijs. Quâ re cognitâ, Werthius impreſſione factâ, mox ubi turmam equitum, quæ agebat excubias, fuderat fugarâtque, multis occiſis, in pagum irrupit, eóque incenſo, ſemiſopitorum magnam ſtragem edidit. Incendio aliqui, cum multis jumentis & pleriſque ſignis militaribus perierunt: venerunt nihilominus in Werthij manus equi octingenti, magna præda, & duo ſigna equeſtria cum totidem æneis, moris Germanici, tympanis. WERTHIUS RURSUS PROFLIGAT DUAS HOSTIUM LEGIONES.

Periculum erat, ne, ut in Kircheimium aliáque in oppida, lubentibus civibus, hoſtis receptus, eâdem colluſione Tubingam invaderet. Jubet ergo Mercius Truckmillerum quàm celerrimè Auraco illuc feſtinare, atque loco, ſi quà daretur, in poteſtatem redacto, hoſti prævertere. Ille pridie Id. Febr. citato itinere cum expedito equitum numero progreſſus, in civitatem, non æquis admodum, ſed incogitantibus civibus irrepens, portas vigiliáſque invaſit. Perſuaſum erat hoſti, ſe ex civitatis conſpiratione gratum hoſpitium reperturum perinde atque alibi, eò quòd paſſim civitates, ſpe moderationis & mediæ inter bellantes quietis, volente Wirtenbergiæ Duce, à Guebriano delinirentur. Huic cùm nondum Tubingæ fortuna innotuiſſet, ſupremum unius legionis ſtructorem cum parte alæ ſiniſtræ illuc deſtinat. Paſſus eſt Truckmillerus ad uſque propè mœnia promovere, ignarum, quòd locus jam à Bavarico milite teneretur, tum erumpens ſubitò cum potiore præſidio, in malè cautos invectus, inopinatò ſic eos oppreſſit, ut ex toto numero vix ſupra decem evaſerint, capto expeditionis anteſignano & tribus hipparchis. TRUCKMILLERUS TUBINGAM INVADIT. XIV. HOSTEM CÆDIT.

Creverat interea Bavaricus exercitus acceſſione mille quingentorum, quos tum Princeps Herbipolenſis, tum Hatzfeldius è Franconiâ miſerant: indies prætera expectabantur Lotharingiæ Ducis ſuppetiæ, quarum adventus erat paulò lentior, quòd tam ſubitò non poſſet Rhenanis partibus de ſufficienti defenſione provideri, & hoſtis ſe huc illúcque verſans, dubiam faceret profectionis ſecuritatem. Viſus fuit vigeſimâ primâ Februarij iter retro relegere, cùm Rotenburgi ad Neccarum duxiſſet equitatum; verùm tribus pòſt diebus fuit compertum, iſtum trajectum eò tantùm ſpectâſſe, ut ſecuriùs trans flumen in agri Rotenburgenſis quatuor pagis tantiſper quieſceret. Non quievêre nihilominus Bavarici. Mercius enim, aucto Wolfianæ legionis acceſſione Tubingæ præſidio, & Kirmreitero miſſo Weilerſtadium cum levioris armaturæ equitatu, ſingulis ferè diebus, non ſine cæde & ſpolijs hoſtium, ſtativa infeſtans, Guebrianum cogebat in arctùm. HATZFELDICÆ & FRANCONICÆ SUPPETIÆ.

Jam erant in procinctu mille Lotharingici pedites, & trecenti alarij, qui in Palatinatu inferiore & agro Vangionum hibernaverant, credebantúrque propediem adfuturi, eò præſertim, quòd hoſtis videretur, fixis ad Neccarum caſtris, nova auxilia velle opperiri, atque tum de ſummâ rei certare. Ne tantum ipſi temporis concederetur, conſtituit Mercius, volente Maximiliano, & Generalium ductorum conſenſione, tranſmiſſis Tubingæ copijs, accitiſque Philippoburgo & Offenburgo binis turmis, totis caſtris movere in hoſtem, itáque eum ſtringere, ut ſui faceret copiam, vel ſe Briſacum verſus reciperet, quod longè futurum eſſet opportunius, quàm ſi rediret in Franconiam. Hoc tamen poſtremum Guebriano eò minùs erat expeditum, quòd Mercius jam ex parte præcaverat, occupatis aliquot Neccari præſidijs, & Kirmreitero Weilerſtadij excubante, quódque miles Lotharingicus Pforzheimium, Bambergerus Chiliarcha Etlingam, Horſtius Brettenheimium validis præſidijs occuparent, poſſéntque diſtinere hoſtem, XV.

quouſ-

quouſque Bavarici ipſum aſſequerentur. Quòd ſi poſſet Briſacum retrudi, hoc naſciturum erat commodi, quòd omnem circà regionem eſſet redacturus ad eam rerum inopiam, ut Francicum præſidium, conſuetis incolarum collectis orbatum, ab uſque Franciâ annonam cæteráque cogeretur expectare.

Dux Lotharingiæ venit ſuppetias.

Voluit Dux Lotharingiæ ipſe tam ſalutari & generoſæ expeditioni non intereſſe modò, ſed & præeſſe. Auraci etenim cum Mercio collocutus, ſibi junxit Bavaricas copias, dum hoſtis adhuc Reitlingæ moraretur. Is, iſtâ conjunctione compertâ, nihil cunctatus, motis ad Hohenzollerenſem arcem caſtris, póſtque Eslingâ, Conſtadio, Nœrtingâ, Reitlingâ relictis, Rotenburgum verſus ſe recepit eâ celeritate, ídque ſub noctem, ut poſtremum ipſius agmen, à Bavarico, medij milliaris itinere, nocte adultâ diſtaret. Voluit nihilominus Lotharingiæ Dux ipſe, adſcito Mercio, ejus ſitum & caſtra inſpicere: comperit verò

XVI.

eum adhuc Hemmendorfij, Ravedingæ, Hfingæ, aliiſq; circùm locis conſtitiſſe. Quare caſtris eò motis, primum agmen Werthio demandat, jubétque confeſtim cum parte equitatûs & ſexcentis legionarijs, ſi res ferat, hoſtem adoriri, dum reliquus exercitus è veſtigio præeuntem ſequeretur. Hoſtis per Wirtenbergicos agreſtes de imminente periculo factus certior, ſtare in excubijs, agere omnia, ne ſubita aliqua vis incautum opprimeret. Duæ equeſtres phalanges, pedeſtris una legio, Hemmendorfij, quod oppidulum pertinet ad Ordinem Melitenſium equitum, ſtabant in acie; cùm Werthius impreſſione factâ, legionarios momento disjectos internecione delevit, provectúſque in equites, multis interemptis, cæteros egit in fugam, impedimentis omnibus exutos. Nactus eſt interea Guebrianus ſpatium, vaſis collectis, evadendi in collem è regione Rotenburgi; cùm Bavarici viarum anguſtijs prohibiti eum nequirent aſſequi, donec illic ſe ita muniviſſet, ut citra temeritatem, loco tam iniquo non poſſet invadi. Secuti ſunt tamen lentis ordinibus, & aciem in ejus conſpectu ad ſeram uſque noctem explicârunt, ſolis machinarum fragoribus, nullâ prætereà vel levi velitatione excepti. Nox & cœlum perfrigidum cecinêre receptui, Bavaricos Hechingam, ínque vicinóſque pagos abeuntes, ne unus quidem hoſtium auſus eſt inſequi, tametſi tardo agmine recederent.

Werthius hoſtem cædit.

Hoſtis ad Rotenburgum.

Inde migravêre Mœſſingam, & vigeſimâ ſextâ Februarij, Neccaro trajecto, Iſſingæ tetendere. Guebrianus eorum adventu cognito, cùm Herrenbergam, Weilerſtadium, Pforzheimium, Etlingam jam antè accepiſſet Bavarico præſidio teneri, ne ſenſim occaſionem perderet elabendi, ſignis refixis, ex improviſo è caſtris Rotenburgenſibus Briſacum verſus, & loca vicina ſylvæ Herciniæ propere ſe ſubduxit.

Refugit ad Rhenũ.

XVII.

Id ubi primùm fuit Lotharingiæ Duci compertum, relictis à tergo impedimentis omnibus, duos omnino dies, eum, citatis itineribus, plenis caſtris proſecutus, aſſequi tamen non potuit. Jam haud procul aberat Oberndorfio, cùm ei renuntiatur, Guebrianum turbatis ordinibus, fugienti propè ſimilem, ſecundum Alberſpacenſe cœnobium in Kintzingenſem vallem evaſiſſe. Illuc ob clauſtra, viarum anguſtias, defectúmque pabulationis, non fuit viſum progredi, cùm iſtis anni primordijs ſat videretur per tot importuniſſimæ tempeſtatis incommoda profectum, quòd hoſtis, alioqui non contemnendus, aliquoties bene mulctatus, exutúſque Wirtenbergiæ præſidijs, in Franconiâ, Sueviâ, & lacus Conſtantienſis finibus, jam deſineret formidari.

Stativa Bavarica.

Subinde exercitu intempeſtivâ expeditione fatigato aliquid quietis fuit indulgendum. Stativa prætoria fuêre Tubingæ & Reitlingæ cum Hagenbachicâ legione. Res tormentaria, Herrenbergæ, Boblingæ & Leonibergæ: legio Werthiana & Goltiana Ehingæ, locíſque vicinis ad uſque Altzuſium. Merciana & Holtzia Weilerſtadij: Calbæa Widtbergæ, Gröningæ, Mappaci: Gailingia & Merciana pedeſtris Bibraci, Buchaviæ, Ravenſburgi, Waldſeæ, Leitkirchij: Truckmilleriana & Edlinſtettenſis, Rotenburgi, Horbæ ad uſque Oberndorfium: Colbiana & Mirena Geiſlingæ, Albecæ, locíſque vicinis Gemundæ Suevicæ: Sporckiana

ckiana & Rouyerina, Baſlingæ, Ebingæ, ínque oppidis interjectis ad uſque Trochtelfingam: Petrina & Haſlangia, Gœppingæ, Nœrtlingæ, Conſtadij, & medijs in oppidis: Wolfiana & Winterſcheidia, Mœsburgi, Moskirchij, Dutlingæ, Pfulendorfij: Horſtiana Brettenæ, Eppingæ, Hilsbaci, Surtzaci: Kœnigſeckia, Lucaſſia & Gallaſſica, Durlaci, Etlingæ, in Comitatu Eberſteinio, Gerſpaci, Raſtadij, Kauppenheimij, Novoburgi, Wildbadij, Hiſchaviæ, Frauenalbæ: Lotharingicæ auxiliares, Pfortzheimij, Urchingæ, Pittigheimij, Peſſigheimij, Prackenheimij, Giglingæ, Wimpfenæ, Weibſtadij, Saxenheimij. Hæc accuratiùs viſum eſt recenſere, ut nôrit lector, quot & quas legiones Maximilianus id temporis, cùm plerique exercitus ad inſuetam paucitatem eſſent redacti, in caſtris habuerit. Conqueſtæ quidem fuerunt de iſtis ſtativis more ſuo tum Wirtenbergicæ, tum aliæ regiones, ſed dandum hoc fuit neceſſitati, ne hoſtis vicinus rurſus irrumpens in vacua præſidia rediret: & Wirtenbergici minus habebant, quod quererentur, eò quòd Imperij defenſoribus paſſim excluſis, tam proclivi facilitate hoſtem externum velut amicum admiſiſſent. Ergo in expeditione Maximilianus numerabat bene completas viginti legiones, non additis ſeptem alijs, quæ alibi diſtinebantur. XVIII.

Non longa Bavarici exercitûs quies fuit: cùm enim Guebrianus Gegenbaco potitus, in Marchionatum Badenſem nunciaretur aliquid copiarum miſiſſe, Duce Lotharingiæ Philippoburgum profecto, ne Marchio Badenſis, qui auxilia rogabat, deſertus fuiſſe videretur, Mercius ſextâ Martij accitis, quæ circum Tubingam erant, legionibus, juſſóque Kœnigſeckio, qui Etlingæ curabat, hoſtis motum & actiones explorare, octavâ Martij Pfortzheimium movit, ubi ſibi ſociavit auxiliares Ducis Lotharingiæ copias. **Mercius redit ad castra.** *Cancell. Bellica.*

Cæterùm cùm hoſtis potiſſimam partem in valle Kintzingenſi ſeſe adhuc contineret, nec tutum foret Lauffam in ejus poteſtate à tergo relinquere; Mercius eam ſibi ſumpſit recuperandam. Oſtendêre quidem Guebrianæi, ad obſidionis initium, animos ad defenſionem obfirmatos, verùm ubi, muro vi æneарum machinarum aperto, advertêre præſentius ſalutis ſuæ diſcrimen, ſeſe Mercij arbitrio permiſerunt. Ex præſidiarijs undecim, qui aliàs Cæſari militârant, ad priſtina ſtipendia redivêre, cæteri ferè omnes per legiones Bavaricas fuêre diſtributi. XIX. **Lauffam occupat, et**

Supererat Stettenfelſa arx probè munita, quæ adhuc ab hoſte tenebatur. Hæc, compertâ Lauffenſium fortunâ, viſóque obſidionis apparatu, Mercio deditionem fecit, eâ lege, ut præſidio tutò Argentinam abire liceret. Id permiſſum omnibus, ſed ex toto numero ſeptem duntaxat fuerunt, qui iſtâ conditione uterentur, cæteris ultro ad Bavarica ſigna tranſeuntibus. **Stettenfelsam.**

Dilabebatur interea à ſignis indies Guebriani miles, ob ſtativorum anguſtias, & rerum ad vitam neceſſariarum inopiam: contrà augeſcebat Maximiliani exercitus novis ſupplementis, cùm Tribuni ſuas quique legiones, denis, ad ſingulas vexillationes, ut minimùm additis, juſſi eſſent inſtaurare, ſic, ut nulla legio eſſet, quæ millenarium numerum non impleret: quam ad rem ingentes ex Maximiliani ærario ſumptus fieri oportuit. **Bavaricæ legiones supplentur.**

Guebriani expeditionem, quam ipſe faſſus fuit Regis injuſſu ſe ſuſcepiſſe, magnopere improbârunt tum Haſſi, quod inſinuavi ſuperiùs, tum Sueci. Non potuit ſe continere Mockelius Benfeldæ Gubernator, quin eâ de re apud Grotium Reginæ Sueciæ Pariſijs legatum, per litteras vigeſimâ Martij datas, vehementer expoſtularet. Etenim Guebrianum cum immodicis impedimentis, quibus vix ulla terra ſufficeret, ad Rhenum veniſſe, diſciplinâ militari in exercitu corruptâ, afflictâque fœderatorum fortunâ, Ducis præſertim Wirtenbergiæ, Marchionis Durlacenſis, & miſerandorum populorum, qui à Guebriano levamen aliquod expectabant. Quantò enimvero ſatiùs fuiſſet in hoſticum arma convertiſſe, quàm nihil præter exercitûs pericula, amicorum extremo diſpendio emiſſe? Hæc & plura queſtus, cohortatus fuit Grotium, ageret Pariſijs etiam atque etiam, ut abſque ullâ morâ, tametſi Rex Guebrianæo exercitui ſeſquiduorum XX. **Litteræ Mockelii interceptæ.**

rum menſium ſtipendia curaret jam tum repræſentari, nihilo ſeciùs ei inſtaurando duo minimùm vel tria equorum, & quinque peditum millia confeſtim, & quidem ſolito meliorum, mitteret, alioqui honeſtas pacis conditiones ſperari non poſſe. Iſtæ litteræ, quòd nomina Ducis Wirtenbergiæ & Marchionis Durlacenſis in numerum fœderatorum & amicorum Suecicorum viderentur referre, non parùm ſermonum & ſuſpicionis dederunt. Quod verò ſuaſit Mockelius de ſupplendo exercitu, non ſuaſit imprudenter, nam vigeſimâ tertiâ Martij ad eam paucitatem Guebrianus redierat, ut non numeraret ſupra mille quadringentos pedites, equites quater mille, quorum major pars jumentis deſtituta uſui eſſe non poterat.

Herciniani coloni in sylvis abditi.

Sylvæ Herciniæ, quam Nigram vocant, agreſtes (quod illis toto hoc bello ſolenne fuit) cognito Guebriani adventu, ſeſe in ſuam, ut vocant, Hagam, qui locus eſt ſylvæ denſitate viarúmque anfractibus obſeptus, receperant cum ſuis ſarcinulis & armento, objectíſque deciſarum arborum truncis aditus ſic obſtruxerant, ut, cùm ipſi non raró per notos calles excurrerent Guebrianæis infeſti, ſeſe tamen, réſque ſuas clauſtrorum objectu tuerentur. Hoc fiebat, ut, cùm hoſtis nihil poſſet ab ipſis habere ſubſidij, loca Briſacenſium collectis obnoxia, ſic exhauriret, ut Erlachius Briſaci Gubernator collatitio indigenarum ære ſuos ſuſtentare non poſſet, ſed, quod longè antè prævideret Maximilianus, ab ipsâ uſque Franciâ, & ſtipendia & annona peterentur.

XXI. Adfuit inter hæc Maximiliano Electori Dux Lotharingiæ, & prolixè de rerum atque exercitûs conditione, déque belli deinceps gerendi ratione conſilia agitavit per quinque omnino dies, quos jucundè Monachij à decimo octavo Martij ad uſque vigeſimum tertium conſumpſit, gratiſſimus hoſpes, cùm ob arctam ſanguinis & amicitiæ conjunctionem, tum ob præſtitam operam, promptámque in hoſte coërcendo voluntatem.

Hactenus de præmaturâ Guebriani expeditione: dum alteram parat in proximam æſtatem, juvabit aliorum geſta memorare. Et in viciniâ quidem, primo loco occurrit Uberlinga, trigeſimâ Januarij, ab hoſte, manè ſub horam quintam, ſtratagemate expugnata. Widerholdus Hohenvillæ Gubernator, collectâ mille armatorum manu, nocturno ſilentio ad civicis tantùm excubijs malè cuſtoditæ civitatis mœnia ſucceſſit, tantâ vigilum ſomnolentiâ, ut ne ſenſerint quidem ejus adventum, aut ſtrepitum tormenta tubi indutilis portæ inſerentis. Duo accenſas fores perruperunt, anteaquam Endymiones iſti evigilarent. Ad arma primùm conclamârunt, cùm hoſtis portas occuparet. Cives alioqui pugnaces, clamoribus exciti, malo conſilio, dum hoſti rectâ eſſet eundum obviam, concurrunt ad armamentarium, binas majoris modi machinas educunt, portam earum oppoſitu tutaturi. Seriùs venêre, portâ expugnatâ. Pauci cives irrumpentibus hoſtibus interim occurrentes, momento pelluntur, quadraginta in loco trucidantur. Sic hoſtis portis mœnibúſque potitus, ad prædam verſus, civitatem univerſam expilavit. Magna iſthic fuit vini, frumenti, cibariorum, rerúmque aliarum copia, è quâ Widerholdus trecentorum curruum (ſi vera fama fuit) ſarcinas Hohenvillam avexit. Mirum quantum incommodi attulerit finitimis jactura iſtius ſitu atque opere bene munitæ civitatis.

Uberlingæ expugnatio.

XXII.

Dorſtenſonius fruſtra obſidet Freibergam.

Dorſtenſonio, quem in obſidionibus haud ſemel fortuna deſtituit, minùs proſperè cecidit, Freibergam in Miſniâ obſidenti, poſt Lipſienſem victoriam. Ille, rebus Lipſiæ pro arbitrio conſtitutis, adjecit animum ad montanam Freibergam, ratus, non fore diuturnam aut difficilem ejus expugnationem, Cæſareo-Saxonum viribus recenti prælio inſigniter imminutis, quódque exploratores retuliſſent, octiduo poſſe rem confici. Invitaverat etiam pabulationis opportunitas, cujus inopia in Lipſienſi agro eum non ſinebat diutiùs hærere. Freibergæ curabat Baro Georgius Hermannus Schweinizius cum mille ducentis Saxonibus, quibus ſe junxerant permulti de tribu venatorum. Ergo Dorſtenſonius Lipſiâ movens Rochlizium, Januarij duodecimo, tormenta mœnibus Freibergenſibus

genſibus admovit. Ruinâ ad impreſſionem editâ, binas catervas juſſit incurrere. Jam obſeſſi aditum firmis operibus obſtruxerant. In eorum obices ut impegêre Sueci, duobus centurionibus & octodecim circiter gregarijs deſideratis, ſauciatis pluribus, retro ferre pedem coacti ſunt. Perſeveravit obſidionem nihilominus Dorſtenſonius. In eâ diſponendâ deſudanti, adfertur nuntius, ſeptem Cæſarianorum equitum millia, cum nonnullo peditatu, ad Pilſnam eſſe in procinctu. XXIII. Quamobrem Dorſtenſonius, peditatu ad Freibergam relicto, diſceſſit decimâ ſeptimâ Januarij, cum univerſo equitatu, & mille levis armaturæ ferentarijs, quaſi manum conſerturus, ſi res ferret, aut involaturus in Cæſarianorum ſtativa. Progredientem detinuerunt altæ nives, quibus id temporis regio montana obtegebatur, ſimul podagra, familiaris Dorſtenſonij ægritudo, ad relegendum iter, capiendámque quietem coëgit. Quatuor ipſas hebdomades dedit curandis pedibus. Redux in caſtra turrim urbanam invaſit, actíſque ſub mœnia cuniculis, furnulum accendit irritum. Quare ſpe fruſtratus, jubet caſtrenſes operas moliri ſubterraneas alias foſſiones, quibus paratis, Schweinizius, ſive facturus temporis compendium, ſive revera poſtulaturus inducias, ſigno per æneatorem dato, poſtulat à Dorſtenſonio colloquendi facultatem. Credebat Dorſtenſonius, eum mox de civitate dedendâ acturum: verùm id duntaxat cives, & quæ intra mœnia refugerat nobilitas, rogârunt, liceret ablegare quempiam ad Saxoniæ Septemvirum, qui ipſum de ſtatu Freibergæ edoceret. Quâ re nihil motus Dorſtenſonius, vigeſimâ ſextâ Februarij ignem jubet ſubjici cuniculis, qui mox erumpentes, magnam muri ſtragem ediderunt. Jam res in eo erat, ut generalis impreſſio fieret (ad quam, nonnemo ſcribit, ipſos etiam equites, Dorſtenſonij invitatu, magno numero fuiſſe comparatos) dum per exploratores adfertur, Piccolominium unáque Hatzfeldium, ſociatis viribus, ſolvendæ obſidioni imminere. Ergo intermiſsâ oppugnatione, Dorſtenſonius, ſtationibus circum caſtra accuratè munitis, ſtatuit Cæſarianorum adventum opperiri intra aggerum loricas. XXIV. Verùm cùm Cæſariani pabulationi & annonæ prohibendæ duntaxat darent operam, fixíſque juxtà caſtris, nihil oppugnationis molirentur, jámque Dorſtenſonij militi annona, jumentis pabulum deficeret, rebus convaſatis, obſidionem ſolvens, Strelam ſe recepit; unde, Albi tranſmiſſo per pontem extemporaneum, Elſterwerdæ, Liebenwerdæ, Sonnenwaldæ, & Finſterwaldæ nonnihil cepit quietis, dum è Marchiâ Brandeburgicâ, Pomeraniâ, & Megapolenſibus reliquæ copiæ cum annonâ cæteróque apparatu propiùs advenirent.

Cæterùm quicquid oppidorum, civitatum aliorúmque locorum occupavit, ea, nullo diſcrimine, conceſſit militari arbitrio & ultimæ direptioni. Ex Wurtzâ, quæ tertio diſtat à Torgaviâ milliari, quicquid cibariorum, poculentorum, frumenti, pecoris, veſtium fuit, in Strelenſia caſtra curavit aſportari. Eadem ſors fuit Leiſnickæ, Colditzij, Poſſæ, aliarúmque civitatum.

Tandem profectus eſt Francofurtum ad Viadrum, ut præſidijs in Sileſiâ & Moraviâ laborantibus, adjutis, conaretur Olomutzij obſidionem prævertere. Eum ſecutus eſt Kœnigsmarckius, qui, captâ Lipſiâ, conceſſerat in fines Halberſtadienſium, in quibus vix quicquam memorabile effecit, præter inſignem vaſtitatem. Oſchutzij ad Albim, præſidio remanſère aliqui Suecici equites: Chemnitzij verò, quod Wittenbergerus poſt Lipſienſem cladem occupaverat, hæſit una legio, & tres equeſtrium catapultariorum vexillationes. DORSTENSONIUS MOVET IN SILESIAM.

Menſe Januario Hoffkirchius caſtrorum præfectus, contractâ ex Moravis, & aliunde validâ Cæſarianorum manu, in Sileſiâ Oelſam Principum ſedem inobſervatus muro ſuperato invaſit, & Suecorum præſidium, quod è civitate in arcem refugerat, mox coëgit ad deditionem. Fuêre omnino tam ductores, quàm gregarij quingenti triginta, qui ſe victoris arbitrio permiſerunt. CÆSARIANI OELSAM INVADUNT. XXV.

Hæc ubi ſucceſſerant, idem Oppelæ coronam admovit ſucceſſu minùs ſecundo: nam muri ſtrage editâ, bis ab impreſſione rejectus, dum ſubterraneam ſuffoſſionem molitur, Stallianſij adventu, menſe Februario fuit ſubmotus. AB OPELA REPELLUNTUR.

OLOMUTZII OBSIDIO SOLVITUR.

Olomutzium Croatæ, Hungari, Valachi, jam per aliquot menſes circumſederant, diſpoſitis per ſtationes remotiores Provincialium excubijs: erumpebant nihilo ſeciùs Sueci è civitate, & cladibus ultro citróque datis & acceptis, omnem circùm regionem reddebant inquietam. Urgebant quidem inferioris Auſtriæ Ordines, oblatis, ad bis mille armatorum delectum, & ſuſtentationem ſumptibus, ut arctiore cinctu civitas premeretur; verùm ubi, Dorſtenſonio Sileſiæ imminente, Enckevortius, qui obſidioni erat præfuturus, ad Galaſſum Cæſarianis copijs (Piccolominio in Hiſpaniam profecto) rurſus admotum, fuit avocatus, Hungaris & Valachis domum dilapſis, Croatæ & Sileſij ab obſidione diſceſſerunt.

COMITIS BRUÆI CLADES. 16. Martij.

Sub hæc, menſe Martio, Comes Bruæus gravi periculo fuit perfunctus Senſtenbergæ: cùm enim delectâ mille ducentorum manu ſtipatus, pleriſque in ſuburbio ſubſiſtentibus, ad oppidum divertiſſet, Sueci cum valido equitatu adfuêre, disjectisque excubijs, ſic preſſere Bruæum, ut vix ſpatium habuerit cum Calenbergico-Saxonicæ legionis protribuno, conſcenſo equo, tranatúq; per foſſam, in arcem evadendi, trecentis circiter equis, quatuor centurionibus, & gregarijs aliquot, in hoſtium manu relictis.

XXVI. UNGARUS TRIBUNUS CAPITUR.

Ungaro Tribuno calendæ Aprilis longè infauſtiores fuerunt. Jam antè à Suecis captus, à Dorſtenſonio, datâ fide intra dies quatuordecim redeundi, fuerat in Poloniam, rei domeſticæ causâ, permiſſus abire; verùm promiſſo ſúsque déque habito, ad Cæſarianos reverſus, Suecos frequentibus excurſionibus laceſſebat. Recidit eo, quo dixi, die in eorum manus, haud longè à Sittaviâ, & cum alijs non paucis captus, juſſus fuit per Caſtrenſem prætorem ſervari in vinculis. Aliquot centuriones ductoréſque alij cum non exiguo gregariorum numero, qui in vicinum prædium confugerant, ſubjecto à Suecis igne, incendio perierunt. Fides ipſi adeò hoſti ſervari debuerat.

CASTRA GALASSI.

Galaſſus eodem menſe habuit exercitum in agro Regiogrezenſi; hoſtis verò inter Gœrlizium & Budiſſinam. Kœnigsmarckius circa Dreſdam agebat prædas; pagos omnes, Kezaviam uſque, abductis in captivitatem haud paucis nobilibus, Abbate item Dopelenſi, & abacto bis mille capitum armento, fortunis evertens, longè quàm antè exitialiùs. Cætera, quæ ad adultam æſtatem à Galaſſo & Suecis geſta, hæc ferè ſunt. Quinquies circiter mille Cæſariani quarto à Gœrlitzio milliari, in Freiwaldenſi oppidulo opimâ prædâ potiti, Suecos oppreſſerunt.

SUECI FRIDESWALDÆ OPPRESSI.

XXVII.

Dorſtenſonius hærens adhuc in Tornaviæ, Buntzelæ, & Lockowitzij confinio, totus erat in annonâ comportandâ ad Sittenſe promptuarium, quaſi longam in viciniâ obſidionem tentaturus, ubi primùm Stalhanſius, qui cum mille Finnonibus & Lapponibus propediem expectabatur, adveniſſet. Galaſſus viciſſim indies augebat novo milite ſuas copias, ad quas etiam è Styriâ Soiana legio fuit evocata. Pragæ fervebat opus in excitandis circùm munitionibus, &, ne quà hoſtium ſubita impreſſio crearet aliquid periculi, in dies ſingulos civium Pragenſium octo vexillationes erant in excubijs.

TRES SUECORUM LEGIONES à DUCENTIS CÆSARIANIS PROFLIGATÆ.

Memorabilis eſt victoria, quam duo ſigniferi, alter è Buchemiâ, alter è Palavicinâ legione, ducentorum duntaxat alariorũ ope, de Dœbitio, Duboldo & Wernero Suecis, in Moraviâ, ad Dribam, reportârunt. Duo illi è Coythinenſibus Cæſarianorum caſtris ad explorandam viciniam emiſſi, ex homine agreſti compererunt, trium iſtorum Tribunorum legiones ad Dribam conſtitiſſe: quare obſcuræ noctis uſi beneficio, ſtationem invadunt, Dœbitiũ & Wernerum Duboldum cum quinquaginta minoris notæ ductoribus, & centum triginta gregarijs equitibus, captivos faciunt, reliquos pleroſque in loco obtruncant, non exiguis manubijs, & magno equorum numero potiti. Eam cladem tam ægrè tulit Dorſtenſonius, ut lytro perſoluto, mox in caſtra acceptæ ignominiæ authores promeritis pœnis plectendos accerſierit. Wernerum Tribunum egit in furcam: Dœbitium perpetuâ notatum infamiâ relegavit ab exercitu, pollicitum, nunquam profeſſurum,

rum, ſe Coronæ Suecicæ militâſſe. Ea diſciplinæ accuratio, in quâ exercituum ſalus conſiſtit, valuit ad alios, ne ſimili ſe flagitio contaminarent.

XXIIX. SUECORUM PROGRESSUS IN MORAVIA.

Fecit interea Dorſtenſonius magnos progreſſus in Moraviâ, multis arcibus occupatis. In Bohemiâ Landiſcoronam fecit ſuæ ditionis, ex quâ Comitatum Glacenſem, Regiogræzenſem & Faverſchenſem circulos, ſibi fecit vectigales. Ipſe caſtra firmavit Dobitſchaviæ, (cujus amiſſæ pœnas capite luit Cæſarianus Præfectus) loco inter Marcham fluvium, & circumpoſita ſtagna perquàm munito: cúmque iſthic locorum ſedem belli fixurus videretur, in causâ fuit, cur Cæſarianus miles, cujus opportunus uſus fuiſſet alibi, ad Galaſſum conflueret, ut, ſi quà poſſet, ex iſta lacunâ Dorſtenſonius pelleretur. Proſnitium iidem Sueci expilatum magnâ pecuniæ vi multârunt, arce ſubjecto igne nitratóque pulvere everſâ. A Tribaviâ Moravicâ fortunis omnibus everſâ, ſex florenorum millia extorſerunt. Par fuit Lenckenaviæ conditio & Cremnaviæ, in quâ ſupra centum equeſtris dignitatis nobiles fecêre captivos.

WALACHORUM AD SUECOS DEFECTIO.

Auxerunt ſubinde vires Sueci Walachorum conſociatione, qui Cæſare deſerto, magno numero ad ipſos defecerunt, vexilli inſcriptione profeſſi, ſe id conſilij religionis causâ cepiſſe, hiſce verbis: *Pro verbo Dei & patriâ ſuſcipimus hæc omnia.* Tranſitionis faciendæ opportunam rationem dedit Vrangelius, auſus per dies pluſculos cum tribus equitum millibus Ponti Viennenſi aſſidêre.

HUNGARI AUXILIA RECUSANT.

Expectabat Cæſar ab Hungaris auxilia decem ut minimum millium, quæ jam erant ſub ſignis: ſed, cùm plerique eſſent è numero Proteſtantium, & neſcio quas Ragotzij Tranſſylvani in Hungariam ingreſſuri, ſimul atque ipſi fines exceſſiſſent, minas obtenderent, reipsâ autem Ragotzio flagitanti, ut Proteſtantibus denuo templa aperirentur, colluderent; conſtanter detrectârunt ſua arma Cæſarianis extra Pannoniam jungere.

KINSKII SUECI CLADES. XXIX.

Kinskij legio, menſe Julio, ad pagum Rembdam, tertio ab Erfurto milliari, à Cæſarianis non modò fuit profligata, ſed ipſe Kinskius cum multis ductoribus & gregarijs equitibus, venit in victorum manus. Idem ille, jam aliàs captivus, diu Viennæ fuerat habitus in cuſtodiâ.

KŒNIGSMARCKII GESTA. DŒMITIUM A SUECIS OCCUPATUR.

Habuit per id tempus Kœnigsmarckius ſeorſim diverſum à Dorſtenſonio exercitum: eo ſubegit Wellerſtadium, arcem Damenſem, haud procul à Quedlinburgo, Aſcherslebiam, Gotterslebiam, Wigelebiam, Oſterwicum, Halberſtadium, & hoc quidem inſigni ſtratagemate. In Megapolitanis Dœmitium à Suecis menſe Auguſto cœptum obſideri, tertio pòſt menſe manus dedit.

HASSICÆ EXPEDITIONES.

Dum hæc à Suecis gererentur, non quievêre Haſſi. Ineunte Majo, invasêre in Weſtphaliâ, non longè à Monaſterio, Burgſteinfortenſem munitionem, poſt paucorum dierum obſidium; non multò pòſt, cùm Dortmundam ex improviſo irrupiſſent, à præſidio retruſi fuerunt cum clade.

SCHNETTERUS SCHLEUSBERGAM HASSIS ERIPIT.

Tenuerunt à menſe Decembri anni ſuperioris Schleusbergam arcem imperij Trevirenſis, hanc illis Schnetterus, adſcitis in auxilium Trevericæ militiæ ſuppetijs, expreſſit poſt acrem oppugnationem, Præfecto dato unà cum uxore ac liberis in vincula, cætero præſidio ad ſigna Bavarica adacto, ruſticano homine, qui loci invadendi adjutor & ductor fuerat, reſti addicto.

XXX. HASSORUM CÆDES GRONSFELDÆ.

Grandi iiſdem ignominiâ ſtetit, Gronsfeldam arcem, Comitum Gronsfeldiorum avitam ſedem, Trajectenſium ope invaſiſſe in Eburonum finibus. Jam cœperant locum munire novis operibus, cùm Leodienſes veriti, ne ex eo velut tributi à vicinis exigendi præſidio, concutiendæ regioni propúgnaculum pararetur, Aquiſgranenſium ſuppetijs adjuti, confeſtim ſex armatorum millia educunt, arcem æneis machinis verberatam, ſuóque deditam arbitrio recipiunt, præſidiarios leberidum inſtar nudatos trucidant, præfecti cadaver de feneſtrâ ſuſpendunt ad publicum ludibrium. Haſſis loco vindictæ fuit, halecum aliquot dolia, & pauculos cives Leodienſes non longè à Noveſio cepiſſe.

CÆSARIANI LEMBERGAM, SITTAVIAM RECUPERANT.

Sub anni finem, Cæſariani in Sileſiâ Lembergam à quingentis Suecis inſeſſam, oppugnatione receperunt, præſidio Francofurtum ad Oderam abire permiſſo.

miſſo. Sittaviam ſæpius amiſſam, ſæpius recuperatam, quintâ Decembris cœptam obſideri, eodem exeunte recuperârunt. Laubenam Gœrlizenſis gubernator Saxo, mœnibus tranſcenſu ſuperatis, Septemviri obſequio reſtituit.

DORSTENSONIUS HOLSATIAM OPPRIMIT.

Dorſtenſonius, circa id temporis, prorſus inexpectatus irrumpens in Holſatiam, Kielam, Ditmarſenſem Principatum, Pinnebergenſem Comitatum, Dynaſtiam Haderslebenſem, Trittavienſem, Rheinbeckenſem, Neodorfenſem, Segebergam occupavit. Redeo ad ſemeſtria Bavaricorum cum Guebrianæis certamina.

GUEBRIANUS BELLUM REPARAT.

XXXI. A menſe Aprili cœperat Guebriani exercitus novis è Galliâ auxilijs inſigniter inſtaurari. Jam acceperat è Lotharingiæ & Mediomatricum præſidijs pedites octingentos, legionem item Ranſerolliam ducentorum quinquaginta capitum, Totienſem legionem quadringentis peditibus conſtantem: expectabantur Hiberni nongenti, ſeptingenti equites è turmis Buſſianâ, Bullionæâ & Chambræenſi, jámque plerique per Ravonam in Alſatiam moverant. Propediem etiam erant adfuturi Trilliani, Streiffiana turma, & quadraginta vexillationes è veteranis legionibus, è Pedemontanâ videlicet, Campanicâ, Navarræâ & Normannicâ, denæ cohortes è ſingulis, totus numerus auxiliariorum erat bis mille equitum, peditum ſexies mille.

MAXIMILIANUS DEFENSIONEM ADORNAT.

Quamobrem Maximilianus tempeſtivè juſſit Mercium, qui hac illac in hibernis ſparſas adhuc habebat copias, eaſdem confeſtim contrahere, & ad hoſtium molitiones eſſe attentum. Ineunte Majo convenerant ad Tubingam Bavaricæ legiones, equitatu è veſtigio ſecuturo. Deſiderabantur adhuc majores à Duce Lotharingiæ ſuppetiæ, quas ad Rheni & Moſellæ tuendum limitem variæ periculorum rationes, incertus præſertim hoſtis progreſſus, detinebant.

AUXILIA LOTHARINGICA. *Canc. Bellic.*

Acceſsêre demum decimâ octavâ Junij Briſingæ, ductore Comite Lignivillæo, ſex legiones, dum reliquæ ſequerentur. Eò loci Mercius caſtra locaverat, ut, quoquò ſe hoſtis verteret, ipſi poſſet occurrere. Quò tamen foret promptior, vigeſimâ ſecundâ Junij Ebingam movit, Simmeringam inter & Rotvilam: inde enim facile erat prævertere, ſive Rotvila (quod futurum videbatur) ſive Uberlinga, à Guebriano peteretur.

Hic ab Haſſis aliò digreſſis ſejunctus, medijs inter Briſacum & Briſgojæ Friburgum caſtris diutulè tetenderat, ſive Regis Franciæ imperium opperiens, ſive dubius, quorſum moveret, ſive ut incertâ variarum impreſſionum expectatione Bavaricas copias diſtraheret. Eò famâ de induſtriâ per multiplices ru-

XXXII. mores niditâ, ferebatur exercitum in naves, quas magno numero Briſaci paratas habebat, impoſito, ſecundo Rheno moturus in Vangiones, Nemetes, Moguntiam, aliò, & ab Argentinenſibus infra ipſorum pontem navigandi commeatum impetrâſſe: quam rem Mercius gravibus litteris, miniſque cædium, incendij, & devaſtationis, Senatui Argentinenſi diſſuaſit: aliàs Guebrianus nunciabatur iturus ad Theodoniſvillæ, quod tum parabatur, obſidium; aliàs per Algoiam penetraturus in Boicam. Tandem ſignis refixis, plenis caſtris progreſſus eſt Engenam, indéque ad Hohenvillam cum viginti duorum tormentorum bellico inſtrumento.

DUX LOTHARINGIÆ REDIT AD CASTRA BAVARICA.

Illic ſtetit ad uſque decimam quintam Julij, donec caſtra metatus eſt ad Salmensweilerenſe cœnobium. Quare Dux Lotharingiæ, eodem ipſo die jam ad occaſum præcipitante, Mercium cum mediâ parte equitatûs, & peditatu univerſo (relictis ad Mengenam aliquot Lotharingicis legionibus) cúmque tribus campeſtribus machinis, juſſit hoſti ire obviam. Pervenit citatis interdiu noctúque itineribus per viarum anguſtos ſylvoſóſque anfractus, decimâ ſeptimâ Julij Lelluacum, quò hoſtem à Marcdorfio, Neohuſio, & Ravensburgo prohiberet. Cognovit Guebrianus per exploratores Mercij profectionem, quæ cùm lento diſtractóque in longum ordine, rebus neceſſarijs, ob ſylvarum montiúmque incommoda procederet, credidit Guebrianus facili negotio agmen poſterius, vel impedimenta ſaltem poſſe intercipi. Quam rem demandavit Tubadelio,

delio, attributis Guebrianæis, Tubadelijs, & Kanofskianis alarijs, medióque cornu peditatûs. Tubadelius ultra rivum Salmensdorfenſem provectus, equites immiſit in Cæſarianos Bavaricorum poſtremos. Eo cognito, Mercius cum duabus Lotharingorum legionibus, cúmque Gehlingi & Caſparis Mercij turmis advolat, & mox ſignum dat hoſtem invadendi. Cæſariani, quos poſt principia ducebat Kœnigſeeckius, ductore acriter pugnante, non ſuſtinuêre hoſtis impetum: Gehlingij momento legionem Guebriani disjecêre ad uſque hoſtilem peditatum, qui aciem in proximâ ſylvâ inſtruxerat. Ne victoriam proſequeretur Mercius, obſtitêre paludes, arcti inter eas tramites, denſáque ſylvarum, quibus hoſtilis exercitus tegebatur. Eo die, qui fuit Julij decimus nonus, Bavarici caſtra metati ſunt medio à Marcdorfio milliari, ſic, ut non niſi unius horæ itinere ab hoſte diſtarent. Dum iſthic agerent, Tribunus Sporckius cum quadringentis equitibus incidit in trecentos Guebrianæos, quos unius legionis ſtructor ducebat, ad viam explorandam, Pfullendorfium verſus & Sigmaringam. Ex eo numero viginti duntaxat cum ductore evaſerunt, centum triginta capti, cæteri occidione deleti. Sub idem tempus Sporckianæ legionis legatus de centum ſexaginta Guebrianæis peditibus, centum triginta dedit internecioni, reliquos fecit captivos, haud procul à Villingâ. Nocte, quæ præceſſit vigeſimam primam Julij, hoſtis Salmansweilero pedem retulit ad Stocacum, quaſi Tutlingam iturus; verùm converſo ad Rotwilam itinere, eam civitatem non ignobilem, & annonâ refertam cœpit obſidione tentare. Boicæ copiæ properè cum fuerunt inſecutæ, ne aſſequerentur, vetuit nox intempeſta & ſylva intermedia: ut verò Rotwilenſes in proximo adeſſe auxilium intelligerent, trinâ majoris tormenti diſploſione fuêre moniti. Quamobrem Guebrianus die poſterâ, quæ fuit Julij vigeſima ſexta, non expectato Bavarorum adventu, rebus convaſatis, à Rotwilâ, quam pridie quadringentis machinarum pilis verberatam, tribus diverſis locis, irritus cum ſuorum clade incurrerat, receſſit. Ne penetraret ulteriùs, Bavari, cùm eum feſtinantem propter inſidioſos mediæ regionis ſinus nequirent attingere, deflexâ ad latus profectione, ſectati patentiores campos, ſic prævertêrunt, ut, acie progredientibus obversâ, libratíſque exadverſum machinis, ad Gruelam oppidulum coëgerint pedem figere, valle ſat anguſtâ utramque aciem dirimente. Hîc nihil tentatum, niſi tormentorum fragoribus: hoc obtentum tamen, ut, cùm hoſtes annona & pabulatio deficeret, diu iſthic ſtare, cùm verò à fronte Boios haberet oppoſitos, ſtringeretúrque ab utroque latere, ultrà nequiret progredi; tandem fugienti ſimilis ad notum Herciniæ ſylvæ receptum redire cogeretur. Profuit ipſi, vias ſuperiore hieme tritas, per Schiltacum & Kintzingenſem vallem tenuiſſe. Bavarici ſejuncti à Lotharingis (quos menſe Auguſto Theoniſvillæ obſidio Sircij, Longovici in Lotharingiâ, ipſius Treviris pericula, & Franciſci de Melo, nomine Regis Catholici, litteræ vocabant in auxilium) ut Guebrianum à Badenſi Marchionatu arcerent, difficillimo per abrupta Knibiſſi montis itinere, ſic eum pervenêre, ut, cùm in devaſtatâ Ciſrhenanâ regione annona deeſſet, arce Schiltachiâ incensâ, Rhenū exeunte Auguſto trajecerit. Aliquid ille præſidij reliquerat Oberkirchij & Wildſtadij; utrumque Mercius recepit, deditione factâ ad ſuum arbitrium: deinde cùm Transrhenani Guebriani adventu perculſi trepidarent, volente Maximiliano, ponte nautico Bavaricus exercitus in Gallicam Rheni ripam tranſmiſſus, ad Coronæ-Weiſſenburgum caſtra firmavit, hoſti iturus obviam, ſive Rheni inferioris fines peteret, ſive rurſus Rheno trajecto bellum transferret in partes citeriores. Conſilium ipſi erat, auctis ex Franciâ copijs, tertiò tentare aleam ijſdem in regionibus cis Rhenum, in quibus jam bis improſperè ipſi ceciderat. Eam ad rem, ſub exeuntem Septembrem, collecta erant nova ſubſidia, quæ à Muſſiponto in Lotharingiâ, Dieuzam uſque ſtativa habebant, curante Barone Siroto, dum Ramſæus, cum legati generalis poteſtate adveniens, ad Guebrianum duceret. Erant ſub ſignis ſex legiones

Velitare prælium. XXXIII.

Sporckius 400. equites cædit.

Guebrianus dimovetur a Rotwila. Canc. bellic. XXXIV.

Repellitur in vallem Kintzingenſem.

Mercius Oberkirchium et Wildſtadium recipit. XXXV.

Tertia Guebriani expeditio cis Rhenum.

nes ex Francis, Germanis, Scotis, Helvetijs, & quinque equitum phalanges. Fama, quæ rem in majus augebat, addebat quatuor legiones.

Jam iſta auxilia movebant in Alſatiam, ut ſe Guebriano ſociarent, cùm Mercius quintâ Octobris, relictis caſtris Cronoæ-Weiſſenburgenſibus, Lauterburgi Rhenum, præmiſſis pridie impedimentis, tranſmiſit, præſtò futurus, quocunque tandem ſe hoſtis verteret, ſive Rheinaviæ, (quod Argentinâ nunciabatur) pontem Rheno imponeret, ſive Briſaci aut alibi trajectum moliretur. Intererat etiam pontem Lauterburgenſem ſolutum, Spiram transferri, ut Dux Lotharingiæ, qui denuo auxilio venturus, cum parte ſui exercitûs erat Wormatiæ, paratum haberet trajectum.

Ergo Mercius, caſtris ad Durlacum poſitis, ſtatuit hoſtis motum præſtolari. Mercii motus. Iſthic per exploratores factus eſt certior, Guebrianũ ponte, quem Ottenhemij ſtruxerat, exeunte Octobri, Rhenum tranſijſſe; ejus peditatum ad Schutteram, equi-

XXXVI. tatũ verò ad Goltſcheuram Calend. Novemb. noctẽ egiſſe. Ergo mutatis caſtris, Mercius ad Pfortzheimium (quod Dux Lotharingiæ popoſcerat) conſedit, unde movens, Malmesheimij octavâ Novemb. ſtativa prætoria habuit. Iſthinc Sporckium cum quingentis alarijs miſerat, ut pro re natâ hoſtem, qui ad Friburgum Briſgojæ, pérque vallem, quâ ſylva Hercinia dividitur, à Regno cœlorũ nuncupatam, cum florentiſſimo exercitu eruperat, laceſſeret. Res evenit ex ſententiâ. Roſa ſupremus ordinum Guebrianæorum ſtructor, cum ſuâ, unâque Guebriani

Sporckius cædit quatuor legiones. & Ohemij legione, junctis levioris armaturæ Roſanis equitibus, Bahlingâ fruſtra tentatâ, in oppidulo Geiſiingenſi, non procul à Bahlingâ conſederat: die Novembris ſeptimâ, Sporckius quieſcenti improviſus ſuperveniens, totam ſtationem, oppreſſis quatuor jam memoratis legionibus, profligavit. Supremus Guebrianeæ legionis ſtructor, quinque centuriones, tres vicarij, totidem ſigniferi, ducenti gregarij, equi trecenti, octo vexilla venêre in Sporckĳ manus, paucis cum Roſâ elapſis ex cæde & oppidi incendio, quo multi milites, jumenta, & pleraque vexilla perierunt. Uſſit ea clades vehementer Guebrianum, quòd infauſto in futurum auſpicio, fortiſſimi ex toto equitatu concidiſſent.

Sed & ipſum ultima fata paulatim urgebant. Dehinc Rotwilæ obſidionem admovit. Dum ſubterraneâ ſuffoſſione & tormentorum vi obſeſſos premit, machinis in mœnia librandis poſt qualos humo fartos intentus, tormenti mediocris glande, fracto brachio, ſaucius, civitatem vivens victor quidem eſt ingreſſus, ſed mortuus paucis pòſt diebus à fugiente Roſâ fuit elatus.

Dux Lotharingiæ venit ſuppetias. Subinde Lotharingiæ Dux reverſus ad Bavaricum exercitum, Herenbergam decimâ quartâ Novembris quatuor circiter millia auxiliarium adduxit: eo ipſo tempore Kirmreitterus Bavaricæ legionis legatus ad caſtra redijt cum ducentis quinquaginta ex hoſte captivis, & equis ducentis.

XXXVII. Vigeſimâ Novembris Comes Hatzfeldius Ballingæ Ducem Lotharingiæ convenit: copiæ auxiliares, illo ductore, miſſæ à Cæſare bis mille legionariorum &

Auxilia Cæſariana. mille ducentorum equitum, id temporis jam appulerant Rotenburgum, non multò pòſt Bavaricis adfuturæ.

Iſtis paſſibus ſenſim ibatur ad ſupremam hujus anni cataſtrophen. Hoſtis Rotvillâ potitus, per Speichingeram vallem movit Tutlingam, quam antè præſi-

Hoſtis tendit Tutlingam. dio occupaverat. Deliberatum in concilio Bavarico, præſtarétne eum ſequi è veſtigio, an nonnihil ad latus deflectendo rei bene gerendæ captare occaſionẽ. Valuit ſententia, divertendum eſſe Sigmaringam, atque iſthic Danubij trajectum

Bavarici Sigmaringam occupandum. Alioqui fore, ut, ſi hoſtis, tranſmiſſo Tutlingæ Danubio, pontem à tergo dejiceret, per longas ambages, ne ſe exercitus in montium anguſtias induceret, Sigmaringam nihilominus petere oporteret, dum interea Guebrianus otium nanciſceretur in Algoiam penetrandi.

Ballingam Primo igitur agmine, vigeſimâ ſecundâ Novembris, Sigmaringam verſus præmiſſo, poſtridie reliquus exercitus per Strasbergam eodem fuit ſubſecutus. Sigmaringæ

maringæ retulerunt exploratores, hoſtes Tutlingæ, Mutenij & Mœningæ copijs ſparſis ad Danubium, Bavarici inceſsûs prorſus ignaros ſecuróſq; tetendiſſe, prætoriam verò ſtationem, in qua pleriq; ductores, Tutlingæ agere. Quamobrem Mercij ſuaſu, arduo licèt conſilio, & nonnullis diſcrepantibus, viſum, nihil eſſe cunctandû, ſed totis caſtris movendum in hoſtem, ut vel juſtâ pugnâ decernatur, vel ille opprimatur in ſtativis. Impedimentis Riedlingæ relictis, properato itinere venitur Meskirchium. Hîc, ob imminentem noctem, viæ longæ ac ſylvoſæ impeditos tranſitus, quódque Hatzfeldici nondum advenerant, lux proxima fuit expectanda, inſtructâ ſub dio acie ad ſylvæ marginem. Hoc loci ex captivis reſcitum, Roſam cum parte equitatûs circa Mulenium, potiſſima autem Francorum ſigna ſupra Tutlingam, Mœringæ & Geislingæ duarum propè horarum itinere ſparſa, agere citra omnê metum. Vigeſimâ quartâ diluceſcente, cûm Hatzfeldici jam adeſſent, ſilentio per ſylvam cœptum moveri. Primum agmen ducebat Werthius, cum quo mille delecti alarij, Wolfiani velites, & ſexcenti ſclopetarij ſub Tribuno Ulrico Goltio. Propter anguſta ſylvarum, montium ac vallium divortia, exercitui tramite tardo, longâque ſerie via fuit ineunda, & cûm tormenta lentè veherentur, diutulè hærendum ad pagum Neohuſium, mediæ horæ itinere à Roſæ ſtatione diſtantem; ut mirum ſit, potuiſſe eam profectionem latere, quaſi ſopor Domini homines alioqui vigilantes oppreſſiſſet. Iterum haud procul Tutlingâ ſtandum fuit, dum legiones viarum anguſta tranſmitterent, poſsétque acies reſtitui. Ita factum, ut tertiâ denique poſt meridiem horâ in Tutlingæ conſpectum, nullo planè hoſtium conſcio, veniretur. Adventum texit denſa nix quaſi immiſſa divinitus, ne è longinquo exercitus notaretur. Hoſtis machinas æneas habebat cum paucis excubitoribus ſub mœnibus civitatis ad ſclopi manuarij jactum, juxta cœmiterium, cui arx Homburgum imminebat. Ergo, tametſi totus exercitus nondû aderat, viſum eſt machinas occupare: præmittuntur igitur triginta Croatarum manipuli, ſequuntur equites Wolfiani & Eppiani citato curſu; qui hoſtiles excubias momento obtruncant, tormentis potiuntur, cœmiterium invadunt. Hos ſecuta è veſtigio prima alariorum phalanx, pedem figit ad tormenta, quibus in civitatem obverſis, nonnulliſque diſploſis, primùm hoſtis fuit excitatus. Tum undique omnes Tutlingæ aditus fuerunt occupati, ut ne cui egrediendi, nedum ingrediendi foret facultas, & ſi qui tormentorum fragoribus exciti auxilio accurrerent, facilè poſſent deleri. Arcem Homburgenſem mox occupârunt Bavaricæ primi agminis legiones, ne uno quidem deſiderato, omníque capto præſidio, cui tamen ſi locum tueri fuiſſet animus, ſine vi longè majore ſubigi nequiviſſet. Appulit interea totus exercitus, qui mox civitati ſic fuit circumpoſitus, ut hoſtis, qui ſupra atque infra Tutlingam ſtativa habebat, non poſſet ſociari, aut opem adferre obſeſſis. Promicuit quidem Roſa cum equitatu infra Tutlingam, ſed ubi Bavaricam aciem conſpexit, ſeſe confeſtim è conſpectu proripuit, juſſis ſequi, quotquot vellent fugæ eſſe comites. Ejus veſtigia inſecutus Caſparus Mercius ſummus vigiliarum Bavaricarum præfectus, equitatum non eſt quidem aſſecutus, ſed in pago, qui Mullenio vicinus, tres peditum catervas cæſas profligatáſque disjecit. Werthius cum bis mille equitibus Mœringam, ubi decem Gallicæ legiones agebant, provectus, equitatum & legionarios, plurimis cæſis captiſque, in fugam effuſos palantéſque avertit. Stabat Mœringæ, quod ſupererat de Gallico peditatu, exceptâ prætorianâ cohorte, & Klugianâ legione, quæ Tutlingæ clauſa tenebatur. Eppius Cæſarianus Tribunus, Mazarini Cardinalis legionem ex quingentis Italis compoſitam, quæ ad protegendam equitatûs fugâ, obversâ fronte ſteterat, totam, paucis demptis, quibus ferrum pepercit, internecione delevit. Septem Gallicæ legiones, quæ Mœringæ mœnibus tegebantur, deditionem poſtulatæ, detrectârunt. Ne elaberentur, cinctæ fuerunt à Colbiano, Petrino, & Eppiano equitatu, per totam noctem, ductore Caſparo Mercio, perinde atque ſummi hoſtilis exercitûs Duces, à reliquo exercitu, Tutlingæ concludebantur. Utriſque nox & neceſſitas dedit

XXXVIII.

Tutlingana victoria.

XXXIX.

Homburgum invaditur.

XL.

de la Piere.

ſalutare conſilium, ut vigeſimâ quintâ Novembris victorum arbitrio ſeſe omninò permitterent. Sporckius inter hæc fugientium hærens veſtigijs, decem equitum phalanges, Durlacenſem, Betzeinam, Ruſwurmiam, Ohemiam, Ibeckenſteiniam Weinmarianas; Gallicas verò Nothafftiam, Chambræam, Rantzoviam, Bellovaſiam, & Reginæ Prætorianam, fuſas diſpalavit, multis interfectis, captis pluribus, cum Chambræo tribuno & octo ſignis. Pauci ex univerſo equitatu evaſiſſent, niſi nox intercesſiſſet. Roſa cum non uſque adeò multis Rotwilam, alij Blumbergam, in Helvetiam alij confugêre. Rari admodum è peditatu necem aut captivitatem evitavêre. Victoria hæc ſingulari Dei præſidio fuit adſcripta, non à victoribus duntaxat, ſed etiam à devictis, obſtupeſcentibus, per tot tantâque viarum ac periculorum obſtacula, auſum fuiſſe Lotharingiæ Ducem & Mercium, duos exercitus nuper Lamboij, & recèns Hiſpanorum in Belgio victores, inceſſere.

Beauvaux.

Roſam fugientem per vallem Kintzingenſem, ultra Rhenum, ſecuta fuit Guebrianea legio, & Tubadelius affectâ valetudine. Rotwilæ relicta Galgrea, Wirtenbergica, Hibernica, Scotica, Flersheimia & Litzavia legiones, universè bis mille milites. Multi ex palantibus, paſſim ab agreſtibus, præſertim Hercinianis, trucidati. Captivorum numerus longè exceſſit ſex millia, occiſorum non potuit iniri.

XLI.

Machinæ æneæ omnes, impedimenta omnia, in quibus magna auri, argenti, facti, infecti vis, menſtruum totius exercitûs ſtipendium, res argentaria centum aureûm millium, veſtis ad Francici ſplendoris modum plurima, alia magni pretij, ut gemmæ, equi quammulti, ſigna militaria propè omnia ceſſêre victoribus.

In captivorum numerum venêre quinque primates caſtrorum Præfecti; Marchio Noirmonterius, Comes Rantzovius, Baro Syrotus, Marchio Maugironus, Marchio Monculerius: Novem Tribuni; Ohemius, Schœnbeckius, Klugius, Chambræus, Folevillius, Kolhaſius, Nothaftius, Scotus unus, Tisfelus: unus Generalis caſtrorum metator, cum duobus vicarijs: caſtrorum Prætor unus, unus Commiſſarius, cum rei ærariæ curatoribus, legionum legati duo, in quibus Marchio Vitrius: quatuor ſupremi vigiliarum magiſtri, nonaginta hipparchi & centuriones, nonaginta octo vicarij, quinquaginta duo ſigniferi. Ex iſtâ victoriâ luce palàm eſt, quàm levi momento, cùm divinum numen manus adhibet, magnæ res vertantur & evertantur, quámque verum ſit, fruſtra ab eo vigilari, quem Deus non cuſtodit.

XLII. Poſtridie ejuſce victoriæ, qui fuit vigeſimus ſextus Novembris, motis à Tutlingâ caſtris, obſidio ad vigeſimam ſeptimam fuit admota Rotwillæ. Utrumque ſuburbium patuit venientibus. Fridericus Junior Wirtenbergiæ Dux obtulit honeſtas leges deditionis; ſed id duntaxat, adhibitis ſacrorum hominum & civitatis precibus obtinuit, ſibi ut liceret cum ductoribus præcipuis, cúmque ſarcinis diſcedere: cæteri omnes bis mille & centum ſaucij cum vexillis retenti, & per victrices legiones diſperſi. Rotwillæ præſidio fuit impoſitus Baro Rouierus tribunus Bavaricus, cum idoneo armatorum numero.

Clades iſtæ nonnihil temperârunt Gallorum adverſus Hiſpanos res ſecundas in Catalauniâ, ad Caſtellum Mirabellam: ob devictum præterea Franciſcum de Melo pertinaci & cruentâ pugnâ ad Rocroiam à Duce Enguieno, deleto univerſo propè Hiſpanico peditatu, cæſis & captis ad ſexies mille: ſubactam, non omnino bimeſtri obſidione, Theoniſvillam Ducatûs Luxenburgenſis firmum propugnaculum.

WOLFENBUTA REDDITA. Hoc anno, menſe Septembri, ex Cæſaris voluntate, educto Boico milite, Wolfenbuta fuit Auguſto Duci Brunovicenſi reddita.

BOICÆ

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS III.

LIBER XXIX.

Conventûs pacificatorij Monaſterij & Oſnabrugi initia: Maximiliani geſta adverſus Ducem Enguiennum & Vice-Comitem Turrenium: utriuſque clades ad Friburgum: Vberlinga capta: Philippoburgum ab Enguienno occupatum: Bellum Danicum.

An. M.DC. XLIV.

NAſcente anno, diditi paſſim rumores belli in longum adhuc proferendi metum ſpargebant in vulgus. Ferebantur Franci fœdus cum Suecis in triennium prorogâſſe, addicto triginta millium armatorum ſtipendio: Pariſienſes litteræ nunciabant, Reginæ Succiæ legatum, oratione prolixâ, vehementer ſuaſiſſe Reginæ Galliæ Regenti, ne hoc anno pacem iniret, bellum potiùs porrò produceret in Germaniâ, ita enim fore, ut pax, qualis eſſet in optatis, naſceretur, vel obtritus hoſtis herbam porrigeret. Eam ad rem inter pacta, cum Batavis Hagæ Comitis hoc anno 16. Cal. Majas conventa, Rex Franciæ ſpopondit, non modò ſe terrâ marique continuaturum bellum adverſus Hiſpanos, eorúmque ditiones, ſic, ut *intra octo menſes nihil tranſigeret, intra duodecimum menſem, initio ſumpto à calendis Maij proximè venturi, nihil concluderet cum Rege Hiſpaniæ, de negotijs & diſſidiis mutuis*; ſed etiam *ſuam authoritatem interponeret apud Miniſtros Coronæ Suecicæ, Principéſque Germaniæ confœderatos, ut idem facientes* in unam ſententiam conſpirarent.

Theatr. Europ. part. 5. pag. 234.

I. Conſilia de bello continuando.

Miniſt. Card. Mazar. pag. 282. Art. 1. & 2. pact.

Nihilo tamen minùs 17. Cal. April. Claudius Meſmius Comes Avallius, Regis Franciæ legatus, cum ſplendido comitatu, magnóque Batavicorum curruum numero, quibus impedimenta & famulitium vehebantur, Monaſterium Weſtphalorum appulit. Ejus adventum cohoneſtârunt, Joan. Ludovicus Comes Naſſovius, Sac. Cæſ. Majeſtatis legatus, Don. Diego de Saavedra, & Comes Zapata Regis Hiſpaniæ, ipsíque Venetæ Reipub. legati, qui venienti ad medium milliare cum magnifico rhedarum apparatu, & militum civiúmque turmis aliquot progreſſi obviam, eum deduxêre honoris causâ ad ædes ipſius habitationi adornatas, intertonante majorum juxtà ac minorum tuborum fragore. In diem ſequentem

Legatus Franciæ Monaſterium ingreditur.

II.

quentem expectabatur S. Sedis Apoſt. Nuncius Fabius Chiſius. Erant certi honorum fines mutuo conſenſu conſtituti, quibus conſalutationum officia legati acciperent & redderent, ordine in orbem continuato per omne tempus Comitiorum.

Menſe Aprili jam adulto, parabantur hoſpitia legatis Brandeburgicis & Batavis; Widenbrugi, Coloniæ Septemviri legati præſtolabantur, dum ipſorum diverſorium ornaretur. Ad 11. Cal. Mai. quadraginta horarum comprecatione Deo pacis authori, Comitiorum conſilia felíxque progreſſus cœpêre commendari. Addita celebris publicè ſupplicantium religio, cui magnum attulêre ſplendorem Nuntius Apoſtolicus, Cæſaris, Regis Franciæ, aliique legati, Princeps Senatûs, Magiſtratus civicus, Sacer ordo, civitas univerſa, ſupra mille bonarum litterarum ſtudioſi. Didacus Saavedra Hiſp. legatus pedum debilitate prohibitus fuit intereſſe: quam rem Galli inveteratæ, de honoris prærogativâ, controverſiæ tribuerunt.

Comprecationes publicæ pro Comitiis.

Exhibuêre invicem poſt hæc legati, Apoſtolici Nuncij interpoſitu, ſuorum Dominorum legitima mandata, quæ ſinguli perlecta atque expenſa probarent: ſelegêre etiam locum idoneum habendis Conventibus.

Oſnabrugi pariter pro Acatholicæ fidei legatis id temporis omnia parabantur. Quæ hinc inde in legatorum Diplomatis deſiderabantur, lentè fuêre compoſita, partibus (ut amat fieri, cùm ſæviente bello pax agitur) in eventa rerum perinde, an magis, quàm in reparandam animorum conſenſionem, intentis. Verbo, ut illi, qui ex longâ ægritudine convaleſcunt, tardum retinent inceſſum velut morbi reliquias, ſic inter pacis deſideria apud quoſdam parùm efficacia, trahebatur ex diuturnâ belli propè internecini intemperie, neſcio quæ lentitudo, quæ rebus moras publico ingratas, privatim funeſtas, omnibus noxias faciebat. Poſt varias cunctationes, menſe Septembri, Oſnabrugi, ſua denique mandata legati dedêre in apertum: Baro Rortæus Franciæ legatus, qui paulò antè advenerat, ex equo lapſus, lecto hærebat affixus: Suecicus legatus profectionem Caſſellas parabat: ita non leve fiebat temporis & rerum diſpendium. Monaſterij negotiationes ibant paulò expeditiùs. Illuc advenit cultu, ut vocant, incognito à Cæſare miſſus Comes Lembergius, qui, quòd cæteros legatos de ſuo adventu, de induſtriâ non feciſſet certiores, ſolenni pompâ non fuit exceptus: ſimili modeſtiâ ingreſſus fuit Oſnabrugum: quæ ideo creditus fuit feciſſe, ne anſam daret legatis Hiſpanicis, cum Gallicis, de potiore loco, in ipſo colendo, contendendi. Iſti cogitationum apices, nihilo plùs juvabant rerum agendarum proceſſus, quàm augere poſſunt atomi grandium molitionum ſtructuras, populis ſub calamitoſiſſimo belli pondere, inter non inanes ingentium malorum perpeſſiones contabeſcentibus.

Lenta conſilia.
III.
de Rorte.

Dum in hujuſmodi rerum agendarum rudimento hæreretur, Catholicorum Electorum legati ſe fruſtra Monaſterij & Oſnabrugi futuros rati, dilato in ſerum adventu, ſub annum ſeneſcentem primùm adfuerunt. Bavarici Baro Haslangius, & Doctor Crebſius, adulto Decembri, Monachio diſceſſerunt.

Serus adventus Catholicorum legatorum.
IV.

Nondum ſatis convenerat de ijs, qui medias partes & ſequeſtrium officia ſuſtinerent, cùm de Venetorum legato nonnihil ambigeretur, & Daniæ Rex inopinatâ Suecorum in Holſatiam irruptione offenſus, ſuos legatos demum avocâſſet. Ne tamen interea meræ feriæ agerentur, fuit conventum, ut inter mutuas viſitationes, vel in curiâ, Oſnabrugi, aut quovis alio loco tractaturi privatim convenirent, ſive per ſe, ſive per internuntios.

Monaſterij Cæſaris legati tractandi primordia aperuêre poſtulando à Francis I. obſervationem pacis inter Ferdinandum II. & Ludovicum XIII. Anno M.DC.XXX. initæ. II. reſtitutionem eorum, quæ exinde à Francis Imperio fuerant detracta. III. reſervando jura & actiones in ea omnia, quæ jam olim antè Franci Romano Imperio ademiſſent.

Poſtulata Cæſarianorum.

Franci

Franci contrà declarârunt, ad nullam ſe tractationem deſcenſuros, anteaquam Imperij Electorum & Ordinum omnium legati adeſſent, & ante omnia Trevirenſis Septemvir libertati foret omnino reſtitutus, poſsétque, ſi is quidem vellet, ipſe Comitio intereſſe. Quæ res novam remoram conſultationibus injecit, multis ambigentibus, an expediret, omnes Imperij Ordines paci tractandæ, quæ ad ſumma Imperij Regnorúmque capita, quibus bellandi jus eſſet, ſpectaret, intereſſet: cùm præſertim nihil ſit facilius, quàm in Comitijs, ubi plures ſententiæ, efficere, ut magnis conatibus nihil agatur, ſed omnibus conſilijs obſtacula ponantur à diverſis factionibus. Dubitabant etiam, num reſtitutio Trevirenſis Archiepiſcopi, quæ inter primas rerum componendarum cauſas cenſeretur, ante omnem compoſitionis ingreſſum, foret præmittenda. GALLORUM PETITIO.

V. Oſnabrugi etiam apertus fuit tractationum aliquis aditus, de quo primùm Monaſterij à Cæſarianis deliberari oportuit. Inter hæc Oſnabrugum advenit Ducum Megapolitanorum legatus: illic Luſitanus Orator Rodericus Batellus fato fuit functus. Ejus funus à Cæſariano hipparcho, inſcio quid veheretur, interceptum, nonnihil ſermonum & querimoniarum in Francis & Suecis creavit. Petebatur à Stralſundanis libera veniendi ſecuritas, quam negabant Cæſariani, eò maximè, quòd ea civitas non cenſeretur eo numero, ut nullo interpoſitu inter Imperij partes deberet haberi. Sueci verò eo nomine contendebant debere concedi, quòd iſta libertas, ex pactis, conveniret illis, qui inter Sueciæ fœderatos & adhærentes locum haberent: acceſsêre Oſnabrugum à Lubecâ, Hamburgo, & Bremâ, nomine omnium Anſeaticarum civitatum, legati. Quieverunt ſub hæc deliberationes, donec legati de rebus ultro citróque propoſitis à ſuis Principibus ac Dominis reſponſa acciperent.

Sub anni exitum, Cardinalis Roſetti Pontificius Nuntius, Coloniam appulit, ad pacis negotia deſtinatus. Iſthic in templo Jeſuitarum ab Electore Ferdinando, in magnâ Principum, Comitum, & Magnatum frequentiâ, Cardinalitium galerum Româ miſſum, perlecto Brevi Apoſtolico, ſolenniſſimè accepit inter gratulantium plauſus & ſuaves muſicorum concentus. Venio ad res bellicas.

VI. Cùm Comitis Wahlij valetudo, caſtrenſibus curis atque laboribus deinceps impar, vitáque cum magnâ bellicæ fortitudinis & probitatis laude peracta, quæ cum menſe Auguſto felicem ſortita eſt exitum, notaretur non fore diuturna; eo lubente, Maximilianus Elector Franciſcum Baronem Mercium cum legati poteſtate Boico exercitui præfecit, anno vixdum naſcente. Iſtâ auctus dignitate, poſtridie Non. Janu. redijt ad hiberna prætoria, quæ tum Reitlingæ habebantur. Dum eſt in itinere, ex varijs diverſorum litteris accepit, Vicecomiti Turrenio à Rege Galliæ delatam eſſe Weinmariearum copiarum præfecturam, jámq; paulatim collectis nuperæ cladis reliquijs, de delendâ ignominiâ, augendíſque Gallico ære viribus, cogitare. Eam ad rem primarij ductores Colmariæ Turrenio adfuerant, habitóq; conſilio, Roſam miſerant Pariſios, qui Regi explicaret ſtatū exercitûs. Scribebantur Weinmariani Lugduno indies expectare quadrimeſtre ſtipendium, & quantum legendis ſupplementis foret ſatis. Quicquid demum in re eſſet, tempus aperuit, eos ab invadendâ Germaniâ, nondum tot acceptis damnis eſſe abſterritos, nec antè quieturos, quàm Boicæ, ex quâ aliæ ſuper alias ſuſtinendo bello vires prodierant, vicem repoſuiſſent: quod non ſperarent eâ ſalvâ atque integrâ ſe voto potituros. Cis Rhenum adhuc tenebant præter Briſacum, vicináſque aliquas civitates, Uberlingam, Friburgum, Blumbergam, atque arcem Montis ſancti, Liechtenbergam, pauca alia. Veniebant frequentes nuntij, quaſi quinque quà alariorum, quà legionariorum millia eſſent jam in procinctu, quæ Rheno trajecto, de commeatu Uberlingam importando conſilia agitarent: & reipſa pauci, ſubitâ irruptione, Blumbergæ aliquid intulerant. MERCIUS EXERCITUI PRÆFICITUR. TURRENII ADVENTUS IN ALSATIAM.

VII. A Cæſare venerant ad Maximilianum litteræ, ſub medium Januarium, videri Kœnigſmarckium & Haſſos ad Turingiæ confinia tendere, ut ſociati ad Rhenum & Gallo-Weinmarienſes accederent. Eapropter Maximilianus, de prohi-

bendâ iſtâ conjunctione, ſi ea quidem tentaretur, ſollicitus, Mercium juſſit prompta habere aliquot legionum Kolbianæ præſertim & Sporckianæ auxilia, quæ Hatzfeldio mitteret actutum, ſi hoſtis ejus hibernis immineret. Quamobrem miſſi ſuppetias pedites mille quingenti ſexaginta ſeptem, equites ferè totidem. Mandatum ſimul Mercio, pervigilaret, ne Gallo-Weinmarij ſuppetias Uberlingæ ſuppeditarent: quod tametſi difficilè poſſet prohiberi, eò quòd hoſtis per ſylvæ Herciniæ abdita, intra ſex horas inobſervatus Uberlingam poſſet penetrare, antequam ex hibernis cogi poſſent à Mercio, qui occurrerent, attamen data fuit opera, diſpoſitis in confinio præſidijs, ne facilè quicquam ejuſmodi ab hoſte gereretur.

Heiligenberga recepta a Bavaris.

Heiligenbergam pauculis præſidiarijs inſeſſam, oſtensâ duntaxat vi, citra ſanguinem recepit Nusbaumius Wolfianæ legionis legatus, quintâ Januarij, dimiſſo cum ſarcinulis Uberlingam præſidio.

Rotwila munitur.

Quia verò ad ſiſtendas hoſtis irruptiones profuturum videbatur, ſi Rotwila, ſitu alioqui opportuna, novis operibus muniretur, Maximilianus, ære ad hoc attributo, litteris vigeſimâ quartâ datis ad Mercium, juſſit, comportatâ tempeſtivè ejuſce ſtructuræ materiâ, ubi primùm ſe commoda ædificandi tempeſtas aperiret, id opus feſtinari. Apud Uberlinganos creſcebat indies rerum ad vitam neceſſariarum inopia, eóque fiebat, ut è præſidiarijs non pauci transfugientes, referrent, exiguo tempore poſſe inediam, quæ paulatim ſe intendebat, à milite tolerari. Hoc ipſum prodebant Corvallij Uberlingæ Præfecti datæ ad Caumartinum, Soloduri, Regis Franciæ legatum, duplici exemplo interceptæ litteræ, quibus indicabat, ſe non niſi ad uſque finem Martij ex præſenti annonâ militem poſſe alere. Ergo Maximilianus locum laxiore cinctu juſſit terrâ circumſideri; ne verò navigijs per lacum Conſtantienſem annona inveheretur, Lindavienſis Gubernator continuò naves in Uberlingæ conſpectu habebat in excubijs, quæ dabant operam, ne obſeſſi tribus, quas armârant, navibus excurrentes, finitimos infeſtarent.

VIII.

Turrenius in Burgundia.

Sub hæc Turrenius, undecimo Martij, inſpecto Briſacenſi præſidio, quatuor campeſtres machinas in proxima caſtra abduxit. Habito deinde Enſisheimij cum Weinmarianis ductoribus conſilio, cùm è Lotharingiâ nova ſubſidia accepiſſet, videbatur, Rheno Briſaci transmiſſo, ſuppetias venturus Uberlingæ; unde colonorum Ciſrhenenſium orta paſſim fuga. Verùm Martij vigeſimâ primâ fuit nunciatum, ipſum in Burgundiam divertiſſe: quæ res nonnihil quietis copijs Boicis ad ſtativa reductis conceſſit, quò ſe ad proximam Uberlingæ obſidionem, interpoſitâ tantiſper reſpiratione, compararent; ut illa maturaretur (quamvis contra ac nuper Gubernator ſcripſerat, ad medium uſque Junium annonæ ſatis futurum obſeſſis crederetur) ſuadebant multæ rationes, atque hæc in primis, quòd, cùm Turrenius, qui Burgundiæ Comitatum cum infeſto bis mille equitum, & ſeſquimille peditum agmine ingreſſus, toto agro dominaretur, cùm Bauffremontius Baro Seyus auxilia Boica imploraret, videbatur hoſtis per Uberlingæ obſidionem è Burgundiâ poſſe revocari.

Litt. 26. Martij.

Uberlingæ obsidio.

IX.

Litt. Merc. 18. April. Epiſt. Cornalij.

Quamobrem decimâ octavâ Aprilis, cœpêre grandiores machinæ ſuggeſtis admoveri, coronâ obſidionali jam paratâ. Triduo pòſt Mercius à Vicecomite Courvallio, qui loco cum poteſtate præerat, miſſâ per æneatorem epiſtolâ, & poſtulatâ deditione, reſponſum accepit, non fore Mercio glorioſam Uberlingæ expugnationem, niſi foret generoſa obſeſſorum propugnatio, quæ reſponderet Mercij exiſtimationi, cui crederet ſe notam ſequiorem inuſturum, niſi omnem adhiberet defenſionem & moras, quas devotum Regi obſequium, propria fama, & tantilla armorum experientia ipſi poſſent ſuggerere: ſe noviſſe, quid debeat præſtare, & quid poſſit, adeóque ſe neutri defuturum. Præſidiarios viros eſſe fortes: omnes functuros gnaviter ſuo officio, ſi ſuo fungantur adverſæ machinæ, & ruinam ediderint, non defuturos, qui laterum objectu, pro muro ſint futuri. Hæc Gallicus ſpiritus militari urbanitate.

Vige-

Vigeſimâ quartâ ejuſdem menſis, Mercius, turribus & loricis hoſti ademptis, obſidionales procurſus ad ipſum uſque foſſæ marginem adduxerat: ut militi parceret, quamvis labor futurus erat paulò diuturnior, adhibuit ſubterraneam ſuffoſſionem, dum interea exteriora aliqua munimenta, in quibus hoſtis adhuc curabat, occuparet.

X. **Obsessi erumpunt.**

Non deerant obſeſſi ſuis partibus. Noƈte, quæ præceſſit Aprilis vigeſimam quartam, eruptione factâ in foſſores, Haslangum Tribunum cum ſupremo legionis Haslangicæ vigiliarum magiſtro, & novem gregarijs, qui ad luſtrandos laboratores è caſtris exiverant, captivos in oppidum traxêre, nonnullis occiſis & vulneratis, in quibus ipſe vigiliarum præfectus.

Paucæ adhuc erant in iſtâ obſidione legiones; quare cùm, hieme jam exactâ, Gallo-Weinmarici è Burgundiâ crederentur non diu moraturi ſuas obſeſſis ſuppetias, cæteræ Boicæ legiones ad caſtra fuerunt accerſitæ.

Seditio Brisacensis.

Menſe Martio, Briſaci ingens præſidiariorum tumultus exarſerat, Gallis auctoribus. Sub veſperum, antequam excubiæ mutarentur, Galli manipulares omnes, exceptis ijs, qui agebant vigilias, admiſſis in facinoris ſocietatem decurionibus, excluſis majoribus, armati proceſſêre in forum, eóque occupato, inſtructis ad defenſionem ordinibus, excepêre Germanos ad agendas vigilias eductos minis atrocibus: non evaſurum ſcilicet cædem, quiſquis extra ordines deflecteret. Ergo ſimul conſtitêre omnes. Adfuêre mox ductores Gallici vultu ac voce ad ſeveritatem compoſitis, ſciſcitantes, quid rei eſſet, cur ad deſtinatas excubias non procederent? cùm ab irato milite nihil moderati reſponderetur, ſtricto ferro, quatuor circiter vulnerant, & viciſſim à ſclopetarijs, quinque quà vicarij, quà vexilliferi, vulnerantur, cæteri dantur in fugam.

Res militi erat de octo menſium ſtipendio. Briſaci imperabant Baro Oiſonvillæus, & ſupremus ordinum ſtructor Erlachius, gente Helvetus. Hi, conſulto in medium de ratione ſedandi tumultûs, in forum progreſſi, lenibus verbis tumultuantes annituntur revocare ad mentem æquiorem: ſed fruſtra; mox enim miles clamores tollere, Oiſonvillæum correptâ cæſarie raptare ad necem, quam non effugiſſet, niſi ab Erlachio, penes quem plus apud iratos reverentiæ, fuiſſet ſervatus. Saluti fuit, unà cum cæteris Gallis ductoribus in Hatſteinij Chiliarchæ diverſorium fugere. Illis jam amotis, Erlachius reverſus, quærit, quid tandem velint? Occlamant octimeſtre præſentaneum ſtipendium. Juſſos bono eſſe animo, Erlachius rogat, ut in ſua quique hoſpitia quieti ſe velint recipere. Negant, ſe id facturos, niſi numeratâ priùs pecuniâ. Igitur Erlachius Oiſonvillæo collocutus, ad eos redux pollicetur in manè craſtinum trimeſtre ſtipendium, & quod ſupra poſtulabant, intra menſem. Circa horam noctis decimam videbantur eâ conditione, poſt demiſſas Erlachij preces, noctem tranquillè acturi. Verùm vix ille abiverat, cùm everſo ac concremato patibulo, cæteriſq; militarium ſuppliciorum machinis, omnia cauponum domicilia involant, vina hauriunt aut effundunt, pleroſque piſtores ſpoliant, & mercatores; macello carnes exportant, totam noctem prædando, rapiendo exigunt. Die poſtero, Erlachius reverſus ad temulentos, heſternis verbis dat longè meliora. Illi audacter, ſe civitatem univerſam direpturos, daturos flammis, & defecturos ad Joannem Werthium, niſi ad horam decimam ante meridiem octimeſtre ſtipendium ſupra tympanum numeretur: ſe jam rerum potentes, etiam ſine clavibus portas aperturos. Ergo Erlachius, communicato cum Barone Oiſonvillæo conſilio, tandem exoravit, ut pactâ delicti veniâ quinque menſium ſtipendium in præſens admitterent, trium reliquorum intra dies quatuordecim certò accepturi. **XII.**
Conjurârunt nihilominus, ſe neutiquam paſſuros, ut ulli ex toto numero quicquam inferretur ſupplicij, damni, aut deſpicatûs. Addidêre minas, ſe modum reperturos, quo trimeſtre reſiduum extorquerent, niſi ſponte repræſentaretur. Non fuit priùs quies, donec Erlachius, Germanis in partem pellectis, adverſus Gallos cœpit ſeveras quæſtiones exercere: quibus demum in alia præſidia diſtractis, reſtituta fuit Briſaco tranquillitas.

Seriò

Seriò quidem à nonnullis cogitatum de alliciendis tumultuantium animis ad partes Cæſarianas: verùm ſeriùs reſcita ſeditio, & intercepti eam ad rem ſcripti libelli, occaſioni non omninò ineptæ, defuêre.

Lentiùs opinione procedebat interim Uberlingæ expugnatio, quòd vetuiſſet Maximilianus, militem, niſi rebus neceſſarijs, hoſtium telis exponi. Quintâ Maij Mercius, actis cuniculis, duo propugnacula invaſerat, poſtridie totidem invaſurus. Reſiſtebant acerrimè Galli adverſis ſuffoſſionibus, ductis in tranſverſum cuniculis, obſtructiſque intra pomœria muri ruinis, labore non militum tantùm, ſed etiam oppidanorum prorſus obſtinato. Eò tandem ventum, ut omnibus exterioribus munimentis in Mercij poteſtatem redactis, è geminâ libratarum machinarum ſede, murus ad juſtam impreſſionem patefactus incurſioni ad decimam Maij pateret. Mercius tamen memor ſervandi, ut Maximilianus juſſerat, militis; rurſus Vicecomitem Couruallium hortatus eſt ad deditionem. Hic periculi magnitudine demum inductus, iſtis legibus eſt pactus. Poſtridie undecimâ Maij videlicet, horâ nonâ ante meridiem, oppido omne præſidium exceſſurum, vexillis explicatis, tympanis ſonantibus, accenſis utrinque funalibus, cæteróque militari apparatu (relictis tamen ijs, qui aliquando Cæſari, Electori Bavariæ, eorúmve fœderatis militâſſent) captivisque ultro citróque reſtitutis: Courvallium verò die duodecimâ, horâ ſeptimâ ſecuturum. Ad eum modum magno quidem, ſed felici molimine, non tamen ſine ſanguine Uberlinga fuit recepta. Sæva in Ambergenſium vicinorúmque ſegetes tempeſtas hoc anno, ad ſextum Cal. Junias extitit, agris circùm magnâ calamitate vaſtatis: ſævior fuit in ipſam arcem Ambergenſem, quæ de cœlo tacta conflagrans, pontem ipſum corripuit, machinas æneas colliquefecit, adegítque cives, ut, quod nitrati pulveris in armamentario ſervabatur, igni ſubductum in Vilſam amnem effunderent.

Uberlingæ deditio.

XIII.

Sub id temporis Widerholdus Hohenwillæ Præfectus (ſuo, an alieno inſtinctu) cùm haud obſcurè notaret, novam ſibi imminere obſidionem, miſit ad Mercium, qui ſignificaret, Widerholdum ad paciſcendam Hohenwillæ deditionem eſſe propenſum, ſi modò, quas eſſet propoſiturus æquas ac tolerabiles conditiones, à Sac. Cæſ. Majeſtate probarentur. Mercius, neſcio quid artificij in homine alioqui vafro ſubodoratus, internuntium remiſit ad Ducem Wirtenbergiæ, attributis rei pleniùs audiendæ, &, ſi Maximiliano Electori videretur, tractandæ Commiſſarijs Rouyero Tribuno & Scheffero Generali caſtrenſis armaturæ curatore. Probavit Maximilianus id conſilium; ſed cùm parùm fidei haberet Widerholdo, juſſit nihilo ſeciùs, quæ ad obſidionem futura erant uſui, comparari, differri tamen, donec planiùs Widerholdij mens appareret. Propoſuit ille conditiones uſque eò graves, ut non eſſet ambiguum, ipſum temporis potiùs compendium, quàm ſeriam cum fide tractandi cogitationem habuiſſe propoſitam. Exigebat videlicet, ne domus Auſtriaca quicquam juris de cætero in iſtam munitionem ſibi ſumeret, ſed abſolutè Duci Wirtenbergiæ, ejúſque familiæ perpetuò mancipatam ſineret: ut Cæſareæ Amneſtiæ ſuſpenſione ſublatâ, Dux in bona omnia ſæcularia & eccleſiaſtica, in omnes item munitiones plenè reſtitueretur: ut Widerholdo ac præſidio Hohenwilano triginta quinque millia florenorum ære præſentario intra paucos dies penderentur: ut, donec Cæſaris confirmatio haberetur, bis mille ducenti nonaginta floreni, quos ſolebat ipſe à finitimis extorquere, quot menſibus repræſentarentur: ut omnis omnino culpæ, & delictorum bello admiſſorum venia, ſibi, arcis miniſtris, atque præſidio fieret: ſi ante meſſem proximam Cæſar iſtas leges non confirmaret, liceret Widerholdo fœnum, fruges, decimas colligere, & inferre in arcem: haberent item liberam, tam ipſe, quàm præſidiarij commeandi poteſtatem ad quæcunque negotia, commercia, animi relaxationes, interim, dum Cæſarea confirmatio expectaretur, ceſſante utrinque hoſtilitate: foret integrum Duci Wirtenbergico, pro arbitrio, quemcunque, etiam ipſum Widerholdum, Hohenwillæ præficere.

Hohenvillani Præfecti tractatio.

XIV.

Recidit in nihilum.

Facilè

Facilè ex his animadverſum, quid ageretur, ex quâ officinâ iſtæ leges prodijſſent; cujus utilitas potiſſimùm quæreretur, quàm parùm, aut nihil publico eſſet profutura iſtiuſmodi pactio, quæ tandem abijt in irritum. Cùm enim Maximiliani juſſu Widerholdus interrogatus, velletne Cæſari arcem ex integro tradere, negâſſet ſe id facturum; apparuit, nihil ab ipſo ſinceri poſſe expectari. Juſſus proinde à Maximiliano fuit Mercius confeſtim ſtructis circum Hohenvillam propugnaculis, præſidium omni commeandi facultate prohibitum tenere clauſum, quod ipſe confectum dedit octavo Junij. Inter hæc Blumberga arx nobilis fuit everſa funditus ab incendio pyrei pulveris exorto è nitrato funali, quo præſidiariorum quiſpiam ad hauriendum tabaci fumum utebatur. Arcis Præfectus penè fuit ad necem obtritus, manipulares haud pauci interfecti.

Quatriduo antè interceſſerat gravis conflictus velitaris inter duas legiones Bavaricas Wolfianam & Caſelskiam, & quaternas Gallicas, Mazarinicam, Petzianam, Wildenſteiniam, & Roſanam, haud procul ab Hiffinga. Jam fuerat auditũ, hoſtẽ ad Briſacum eſſe in procinctu, nihil tamen adhuc certi de ejus progreſſione referebatur ab exploratoribus, qui indies à Caſparo Mercio, ad Herciniæ ſylvæ exitus excubanti, quaquaverſum mittebantur. Non videbatur poſſe fieri, ut hoſtis inobſervatus per tot excubitores & excurſorum indaginem prodiret. Agebatur quarta Junij, cùm ſub horam ante meridiem octavam Caſpari Mercio ſignificatur, ducentos equites extra ſylvam apparere velut moturos in Boicos pabulatores; neſciri, quot præterea ſequantur. Caſpar, præmiſsâ Croatarum manu, quæ certiora exploraret, & hoſtem, ſi non foret majore numero, diſtineret, dum advolent turmæ aliæ, jubet utramque legionem in armis expectare imperium. Renunciatur interim, quadringentos ab hoſte videri ad ſylvæ extrema, deinde octo bene numeroſas catervas Danu-Eſchingæ imminere: mox ſupervenit explorator, qui ab uſque Briſaco cum hoſte venerat, ſignificans, totum hoſtilem equitatum, ter mille inſuper pedites, cum ſex campeſtribus machinis (quæ tamen à conflictu abfuerunt) proximè adeſſe. Quare Mercius, impedimentis Geiſingam verſus dimiſſis, Wolfium militarem tribunum jubet movere Hiffingam. Dum hæc fiunt, Gallo-Weinmarici mutato itinere, rectà Hiffingam progreſſi aſſequuntur primores Bavaricorum ordines. Cùm nullus, niſi ignominioſus atque inprimis exitiabilis pateret paucis adverſus tantam multitudinem receptus, conſeruntur manus, hoſtes invehuntur in Caſelskios, capiunt primo impetu legionis ſupremum excubiarum præfectum, tres centuriones: quartum interficiunt, reliquos fundunt. Succeſſit in pugnam Wolfius cum ſuis ferentarijs, & hoſtem turbatis ordinibus retrò agit in fugam. Eo animadverſo Caſelskij redeunt in prælium: certatur acerrimè, donec tandem multitudine obruti Bavarici loco ceſsêre, trecentis circiter, non multò paucioribus deſideratis ex hoſte, qui veritus cæterorum Boicorum adventum, per ſylvam Herciniam iter relegit trans Rhenum, ubi Turrenius in Valle Monaſterienſi à Duce Enguienno auxilia opperiebatur.

XV. Conflictus Velitaris.

XVI.

Quò faciliùs de cætero hoſtium motus non notaretur modò, ſed etiam ſiſteretur, Maximilianus Friburgum Briſgojæ cingi juſſit obſidionali coronâ. Eò duxit Mercius vigeſimâ ſeptimâ Junij demandatâ Carolo Marimontio Hohenvillæ obſidione. Ex itinere Weiſeneckiam arcem apprimè firmam ſubegit factâ ad ipſius nutum deditione. Friburgi curabat Canofskius cum ducentis circiter præſidiarijs. Multùm erat in celeritate & muniendis circùm caſtris poſitum, ne ante ductas in gyrum loricas, hoſtis paucarum horarum itinere ſuppetias accurreret. Ergo Mercius, acie Briſacum verſus ad dextram inſtructâ, caſtrorum munimenta cœpit feſtinare, ut hoſtem, qui in procinctu jam eſſe ſcribebatur, tantò minore diſcrimine poſſet excipere: ſimul à Schauenburgo Chiliarchâ petijt, ut Kenzingæ centum legionarios, unámque alariorum vexillationem imponeret, qui Liechtenbergæ, quod inſidebatur ab hoſte, oppoſiti; aditus Offenburgum & Philippoburgum verſus tuerentur.

Obsidio Friburgi.

XVII. Dum fervet opus in caſtrorum munitionibus, Turrenius cum ſedecim [quatuordecim ſcribunt alij] armatorum millibus, Rheno transmiſſo, nunciatur obſeſſis auxilia properare. Jam lævum Friburgi collem eminentiorem occupaturus credebatur, cùm Mercius relicto, quantum erat ſatis ad ſtationes obſidionales, milite, venienti obviam movens, deſtinatum hoſti collem præoccupat, tormentiſque hoſtem è regione ad Kirchovium ſtantem laceſſit. Intererat aditus anguſtior, qui non ſinebat plenis agminibus ſigna conferre. Quare intermiſsâ pugnâ, Mercius ſatis habuit, occupato, hoſtem inter & civitatem, ſpatio, obſeſſis prohibere ſuppetias. Hæſit ad Kirchovium, ubi caſtra ſubitarijs operibus firmabat, Turrenius, ſpectator Fribrugenſis obſidionis, ſæpe levioribus prælijs laceſſitus, dum Mercius ſenſim ad urbis mœnia vineas promoveret. Undecimâ Julij Mercius ſuburbia expugnavit, exercitu ſtante interim in acie, ad excipiendum hoſtem, ſi fortè is quicquam contrà moveret. Lentè procedebat oppugnatio, quòd ſimul vis eſſet admovenda obſeſſis, ſimul Turrenio obſiſtendum.

Kirmreitteri clades. Inter hæc Kirmreitterus, dum ducentos Gallos cogitat opprimere, à Roſâ longè majore, quàm ille ducebat, numero circumventus rejectúſque, nonnihil cladis decimâ tertiâ Julij accepit, haud procul à caſtris Turrenij.

Turrenius castra mutat. Hic cùm per crebras Bavarorum excurſiones fatigaretur, tandem vigeſimâ quintâ Julij, ex colle Kirchovienſi migrans, medio inter Briſacum & Neoburgum clivo, qui quatuor horarum itinere à Friburgo remotus eſt, conſedit. Augebatur indies novis auxilijs, atque in horas Enguienni Ducis adventum expectabat.

XVIII. Urgebat interea Mercius obſeſſos, jámque eò rem adduxerat, ut paratis ad expugnationem operibus, impreſſio proximè immineret. Canofskius, tametſi adhuc fortiter rem geſſerat, maluit deditionem paciſci, quàm ultimam experiri neceſſitatem. Hoc ipſum fuit Mercio gratius, tum ut ſuorum ſanguini parceret, tum ne, ut fit in expugnatâ civitate, cives, ne excepto quidem ſacro ordine, fortunis per direptionem everſi, minus haberent, quo victori militi opem poſſent adferre in poſterum. Pactâ ergo ad vigeſimum octavum Julij deditione, Canofskius poſtridie ſub horam decimam matutinam, cum univerſo præſidio ſarciníſque Briſacum diſceſſit.

Friburgi deditio.

Succeſſit hoſtis longè potentior, & conflictus in paucis pertinax ac truculentus. Dux Enguiennus, naſcente Auguſto, biduo poſt receptum Friburgum, feſtinatâ profectione, cum decem millium exercitu Briſacum advenerat. Iſthic de tardiore adventu & Friburgi jacturâ factus certior, fatigato exercitui unius diei quietem conceſſit: poſtridie ſuis copijs Turrenicas ſociavit cis Rhenum. Tertio Auguſti ante meridiem, movit in Kirchoviana caſtra à Turrenio nuper deſerta, è regione Bavaricorum. Sub hæc Turrenius cum Weinmaricis, flexis ad latus agminibus, ſecundum veteris caſtri parietinas, per ſylvæ montoſas & rarò uſurpatas vias, Uſhuſium verſus, ubi ſtativa Mercij prætoria, ſerò animadverſus promovit. Tot deciſarum arborum obicibus erat intra ſylvam iter intricatum, ut nemo crederet, poſſe tam brevi tempore expediri: expedijt tamen paucis horis ingens non agreſtium modò, ſed militarium etiam operarum multitudo, ut peditatus primùm, deinde equitatus productis in longum ordinibus, extra ſaltum penetraret. Id ubi Mercius comperit, quatuor legiones, & turmas aliquot miſit obviam. Ut venêre in mutuum conſpectum, hoſtis in Boicos furenter invectus, dum credit, ſe eorum aciem perrupturum, tantâ vi fuit exceptus, ut ab horâ quintâ veſpertinâ per totam omnino noctem, ultra horam diei poſteræ quartam matutinam, catapultarum procella continuis uſque & uſque jaculationibus continuaretur, hoſtili acie ſæpius fluctuante, & à tergo rejectâ. In eâ conflictatione captus unus Gallicus Tribunus, plures ſigniferi, vexilla duo, Hatſteinius Tribunus interfectus, duo præterea legionum legati, octingenti gregarij, Hatſteinia & Bernholdica legio fœdè lacerata.

Enguienni adventus.

Conflictus cum Turrenio. XIX.

Cùm

Cùm inter hæc Dux Enguiennus Rauſchenbergicam ſtationem vallo munitam, pari ferociâ oppugnaret, bis ab eâdem cum clade repulſus, tertio tandem impetu munitiunculam invaſit. Periculum erat, ne ex eo loco Boica caſtra à tergo invaderet: quamobrem Mercio viſum, avocato inde cum tormentis Rauſchenbergio, totis copijs migrare in collem Friburgo imminentem, ubi Rouyerus cum ſuâ legione curabat. Id fuit eò facilius, quòd nox receptum tegeret, neque ullus ex hoſte, inſidiarum metu, agmina ordinibus minimè turbatis progredientia carperet. Pòſt ubi diluxit, hoſtis compertâ migratione, in aperto campo inſtructâ acie, caſtra à Boicis deſerta inſidens, eo die, denſis imbribus an alijs cauſis prohibitus, nihil tentavit. Datum interim ſpatium Boicis, ſua caſtra foſſis & aggere muniendi. Videbatur hoſtis abiturus, cùm unicus è Sporckianâ legione transfuga diſſuaſit abitum, perſuaſo, Bavaricos, præmiſſis impedimentis, diſceſſum moliri. Ergo hoſtis, retractis in caſtra copijs, ſequenti manè ratus Bavaricos eſſe in procinctu, & facilè poſſe loco moveri, eos magnâ vi eſt aggreſſus. Tenuit totam propè diem conflictus hoſti valde cruentus, in quo è Francis Rouſſillonius caſtrorum Præfectus, Marchio Morbelerius, multi Tribuni, ductores alij, & gregarij grandi numero occubuerunt, dum ceritorum more in collem & valla Bavarica enituntur. Niſi altero tanto Bavaricos, equitum præſertim multitudine ſuperâſſent, poterant eâ die juſtâ pugnâ deleri. Ergo Enguiennus in caſtra reverſus, nocte intempeſtâ, rebus convaſatis, multorum millium occidione & vulneribus malè acceptus, relicto nonnullo pilarum & tormentarij pulveris apparatu, caſtra longiùs à Friburgo removit. Scripſère Briſaco & Neoburgo cives, explicari non poſſe, quanta utrobique eſſet ſauciorum Gallorum multitudo, quibus omnes propè ædes eſſent refertæ: addebant, è toto peditatu vix mille integros ſupereſſe: tandem inito occiſorum & vulneratorum Gallorum numero, conſtans fama fuit, utroſque ſex millium ſummam implêſſe. Aſſeruêre nihilo ſeciùs aliquot pòſt diebus capti à Mercianis, Enguienno adhuc poſt tot funera ad octodecim bellatorum millia ſuperfuiſſe.

Cruenta dimicatio

XX.

Verùm non fuit etiam Bavaricis conflictus iſte incruentus. Mercio certè fuit funeſtus morte Gaſparis ejus fratris, ſummi excubiarum Præfecti, qui hoſtili glande in acie confoſſus cecidit, vir egregiè fortis, & toti exercitui ob ſingularem humanitatem amabilis. Occubuit etiam Mirræus Chiliarcha: deſiderati tam è ductoribus, quàm gregarijs, ad mille ducenti: ſauciati permulti, quorum pars Friburgum recepta, parùm adjumenti accepit ab inopibus civibus. Hi enim tametſi Mercio ſtipulatâ manu addixerant, omnem opem ſe præſidio allaturos, ubi tamen credidère, ſe ab hoſte obſidendos, promiſſi immemores, negârunt Præfecto, ſe armis quicquam adverſus hoſtem præſtituros, detrectârunt præſidio præbere annonam, curam vulneratis. Non erat tamen conſultum, eam civitatem nudam à milite deſeri, eò quòd commoda præſtaret ſtativa adverſus hoſtium irruptiones è Briſaco, & per ſylvam Herciniam; quòd ægrorum & ſauciorum valetudo eos non ſineret aliò aſportari: quòd eâ occupatâ hoſtis minus habiturus fuiſſet remoræ, quò minùs Hohenvillam verſus ad ejus ſolvendam obſidionem, atque inde altiùs ad lacum Conſtantienſem, in Algoviam, Ravensburgum, Biberacum, ad ipſum uſque Ileram amnem penetraret: cavendum etiam erat, ne tali deſertione hoſti adderetur animus, minueretur non Bavarico ſolùm militi, ſed etiam toti circùm provinciæ, quaſi Mercius ſibi diffidens, non receptum, ſed fugæ ſpeciem fuiſſet meditatus.

Gaſparis Mercii mors.

XXI.

Litt. Friburg. data 14. Aug. à Carolo Nepote.

Eam opinionem ut adimeret, conſtituit, in caſtris Friburgenſibus pedem ad dies aliquot figere, miſſis duabus equitum catapultariorum vexillationibus, qui ad S. Petri Monaſterium ſtationem, & foſſam (ut vocant) depreſſam, vallo defenſoribúſque munirent. Juſſit quoque caſtrum Waltkirchenſe ad dextram occupari, quò ſecurior foret commeatus, & hoſtis, ſi quà illuc ſe inferret, poſſet aliquantiſper diſtineri.

Immotus in ſuis caſtris perſtitit Enguiennus ad uſque diem decimam Auguſti, cùm Mercius, cognito ex captivis & transfugis ipſum ſignis refixis eſſe in motu, & in Badenſem Marchionatum iturum videri; confeſtim dato profectionis ſigno, juſſit Bavaricum exercitum ad iter comparatum, diſcedendi imperium præſtolari. Inter hæc intellexit, hoſtem in montana deflexum, ad longam Denzlingam, qui pagus Friburgo à tergo eſt, ſubſtitiſſe. Hinc conjecit, quod res erat, Mercius, eum per Glattenſem vallem anguſtam admodum & impeditam, ad montis jugum iturum, ut viâ ex eâ parte interclusâ, non receptum modò, ſed etiam annonam ad pabulationem interciperet.

XXII.

Ergo Mercius nihil cunctatus, ſole jam ad veſperum inclinante digreſſus, nocturno itinere S. Petri ſtationem poſtridie attigit. Grandiores machinæ duplici licèt viâ nondum illuc, ob montis acclivia & anfractus, pervenerant. Vix ſe diei crepuſculum prodiderat, cùm referunt exploratores, hoſtem totis caſtris imminere. Quare Mercius, acie in eminenti tumulo inſtructâ, frontem Enguienno obvertit, tormentis & ſarcinis per foſſæ profundæ viam juſſis properare. Jumenta nocturno labore penè fracta moram fecêre longiorem, cùm interim aliquot hoſtium turmæ involant in ſarcinas, Mercius verò in hoſtes, quibus momento dejectis tria ſigna eripit, ſolo adjutus prioris agminis peditatu: equites enim ſeu jumentorum fatigatione, ſeu hoſtilis equitatûs longè majore numero territi, pugnam detrectârunt. Supervenit inter hæc Werthius cum poſteriore agmine. Sic tormentis via aperta, è quibus unicum majus jam fractũ & inutile, unum minoris modi, Falconetam nuncupant, unúmque mortarium, quæ non potuêre ab equis avehi, hoſti relicta: amiſſa item magna pars impedimentorum, dum ſe exercitus ad cavam viam recipit, hoſte eo uſque, non ultrà progreſſo. Quare Mercius integris ordinibus undecimâ Auguſti Villingam; duodecimâ Schönbergam, ſalvis copijs pervenit; moturus inde Rotenburgum.

Bavarici parte impedimentorum exuti.

Hohenvillæ obſidio ſoluta.

XXIII.

Subinde juſſus fuit Marimontius ab Hohenvillâ recedere, ne, ſi Enguiennus illo diverteret, exponerentur adſidentes copiæ diſcrimini, à quo citra ſupremam totius exercitûs aleam, eximi nequirent. Nihil aut parùm in hac obſidione perinde atque in alijs profectum. Credebatur arx ex ea parte, quâ Bavari hac vice conſtiterant, poſſe actis infrà cuniculis everberari; ſed rupes continua omnem foſſorum operam induſtriámque eluſit.

Philippoburgum obſeſſum.

Per idem temporis, caſtrum Wiſeneckenſe flagitioſâ præfecti deditione Duci Enguienno venit in manus. De invadendo Philippoburgo præcipuum erat hoſti conſilium, quod tamen ob munitionis firmitatem multis vix videbatur poſſe ab eo cogitari, cùm præſertim Tubadelius & Roſa equitatu valde debilitato, jumentiſque indies pereuntibus id ipſum diſſuaderent. Verùm compererat ille debile ejuſce loci præſidium, defectum pulveris pyrei & ferrearum pilarum, difficultatem ſuccurrendi, eò quòd Mercius longè viribus impar eſſet, & Enguiennus nova in horas ſubſidia expectaret. Ex itinere, quò foret à tergo tutior, Stolhovio expugnato, ſubegit Liechtenaviam, locáque finitima numeroſo milite complevit. Vigeſimâ Auguſti, Briſaco quingentorum peditum ſupplementa, duodecim æneas machinas, duo mortaria cum cætero inſtrumento, copioſâ annonâ, pontis nautici & obſidionali apparatu, viginti octo navibus, ſecundo Rheno curavit advehenda.

XXIV.

Jam ſuas copias admoverat Dux Enguiennus vigeſimâ tertiâ Auguſti, caſtris ad paludem, Knaudenheimium verſus è regione ſylvæ ad uſque Rheinbuſium poſitis, cùm per pontem nauticum Turrenium trans flumen locavit ad Oberhuſium. Triduo pòſt, cœpit ſepimento & aggere caſtra munire, ſtructíſque tormentorum ſuggeſtis, graviter arietare obſeſſos. Spira, quæ venienti manus quaſi tetenderat, vigeſimâ nonâ Auguſti, dimiſſis Lotharingis, hoſtile præſidium accepit. Ladenburgum, Wiſſelochum, Bruſſala, Bretta, Wormatia, Manheimium, pariter conceſſerant in Ducis Enguienni poteſtatem, cui ſub hæc advenêre quatuor millia peditum auxiliarium. Pergebat

interea operibus machiniſque Philippoburgi mœnibus propiùs admotis vallum lacerare, donec oppletâ jam ſarmentis foſsâ, paratâque impreſſione, Bambergerus ſuorum paucitati diffiſus, ac deſtitutus neceſſario munitionis propugnandæ inſtrumento, pactus eſt nono Septemb. honeſtam deditionem loci alioqui inexpugnabilis, niſi (quod ſæpe hoc bello & aliàs contigit) neglectus rerum neceſſariarum interceſſiſſet cum incredibili rei communis incommodo. Culpam rejecit Bambergerus in curatores, quos tempeſtivè de præſidij infrequentiâ rebúſque tæteris monuerat, nec proſpexerant tamen; tales querimoniæ audientur ſemper, nec vitabuntur unquam, dum ejuſmodi flagitiorum erit impunitas, apta nata quantamlibet potentiam evertere, & quidvis munitionum, regnorum ac præſidiorum enervare. Philippoburgum deditur.

Dum Philippoburgum premeretur, hærebat Mercius Ulmæ ad Nicrum Hatzfeldij ſuppetias dudum petitas & promiſſas opperiens: verùm Hatzfeldius advenit cunctantiùs, quàm ut conſultò in caſtra hoſtium quicquam poſſet tentari. Neckers-Ulm.

XXV. Philippoburgi caſum ſecuta eſt Moguntia. Credebatur Anſelmus Caſimirus Elector remoraturus hoſtem tantillo tempore, donec ab Hatzfeldio & Mercio, qui erant in procinctu, parata & oblata per litteras auxilia adducerentur: verùm contrà contigit, ut ille ſoluto ponte navali, cujus beneficio quantumlibet ſuppetiarum potuiſſet Moguntiam inferri, migraret Aſchaffenburgum, civitate Collegij Metropolitani curæ commendatâ. Jam ſcripſerat Mercio undecimâ Septembris, nihil eſſe, cur veniret ſuppetias; enimvero ſe Heppenheimio impoſuiſſe quindecim omnino ferentarios, Bensheimio quinquaginta, Gernsheimij quadraginta ſclopetarios, quindecim levis armaturæ equites. Moguntiam admiſerat aliquot ab Ubijs ſubmiſſas centurias, qui tamen numerus prorſus erat impar futurus hoſti numeroſo, & Philippoburgenſi fortunâ tumenti. Statuerant Cæſareo-Bavarici adeſſe Moguntiæ intra biduum, & poterant quantum libuiſſet militis, Rheno per pontem tranſmiſſo, immittere, tentare deinde ſupremâ cum Enguienno Duce aleam, copijs jam non imparibus: cùm conſtaret, ejus exercitum non modicâ parte eſſe imminutum, Bavaricum verò auctum bis mille ſeptingentorum Cæſarianorum acceſſione. Eam ad rem, præmiſſus erat Wolfius cum ſuâ legione: qui, ubi Guſtavoburgum, è regione Moguntiæ, attigit, à Moguntinenſi Capitulo decimâ quintâ Septembris litteras accepit in hæc verba: *Cùm Wolfius Colonellus cum aliquo equitatu & peditatu ſeſe obtulerit in conſpectum, nec tamen videatur admittendus, quandoquidem miſſis ultro citróque tubicinibus jam aliqua tractationis obligatio ſit contracta, & cives arma ad defenſionem ſumere detrectent, Colonellus monetur, ut iter relegendo, ſui militis ſaluti conſulat, & hujuſce quidem rei teſtis datus eſt iſte codicillus. Moguntiæ 15. Sept. 1644.* Sic agebatur, in re graviſſimâ, qualem deinde Moguntia ſuo malo eſt experta. *Litt. Anſelm. Caſim. 11. Sept. dat Mogunt.* *Litt. Merc. 19. Sept.* *Canc. bell. litt. capit.*

XXVI. Mercius ſubinde Neccaro ad Elzam tranſmiſſo, cum exercitu, quintâ Octob. caſtra habuit Wiſenlochij, eâ mente, ut hoſtilem pontem ad Philippoburgum vel invaderet, vel tormentis diſſolveret: ſed eius conſilio prævertit hoſtis, ponte ad Spiram tranſlato. Quare flexâ Heidelbergam verſus profectione, & comperto, Manheimium adhucdum præſidio hoſtium inſideri, Rauſchenbergium rei tormentariæ ſummum Præfectum eò cum mille alarijs, legionarijs totidem, ablegavit, fortunam ſaltem experturum. Favit illa. Nam eo ipſo die, quo Rauſchenbergius erat in itinere, Roſa Generalis in exercitu Gallo-Weinmarienſi vigiliarum magiſter Manheimium cum delectâ centum equitum manu advenerat: curabat in oppido ducentorum quinquaginta Weinmarienſium præſidium. Nondum diluxerat Octobris dies ſeptima, cùm Rauſchenbergius, muro ſuperato, præſidiarios improviſus pleroſque ferro delet, aut capit. In oppido ſimul erant terni Liningenſes Comites, ſenior unus, juniores duo. Roſæ ſaluti fuit, neſcitur cujus beneficio, pedibus ad naviculam elapſum, Rauſchenbergij manus evaſiſſe. Quia verò Manheimij munitiones eum in ſtatum erant redactæ, ut locus vix, aut ne vix quidem adverſus majorem vim propugnari poſſet, viſum Rauſchenbergius Roſam Manheimii opprimit.

eſt Mercio arcem operis vetuſti ſemirutam firmare vallo & propugnaculis, per ſexcentos homines, qui in ijs moliendis deſudabant, ut iſthic juſta aliqua ſtatio, Rheno & portorio defendendo locaretur.

Baccaracum expugnatur, Schnetteri cædes. XXVII.

Decimo pòſt die Gleenus Electoris Colonienſis ſtrategus, Schnettero ſupremo vigiliarum Magiſtro, & Tribuno Nieuenheimio dedit negotium, ut Baccaracum hoſti eriperent. Die Octobris decimâ ſeptimâ adfuêre non improviſi cum ducentis quinquaginta equitibus, & quinquaginta peditibus ſupra quadringentos. Dimicandum fuit adverſus præſidiarios per duas omnino horas, quâ in dimicatione Schnetterus lethale vulnus accepit, ex quo, die poſtero gloriosè occubuit. Nieuenheimius nihilo ſeciùs hoſtem civitate depulſum egit in arcem. In eo receptu Francicus annonæ militaris Præfectus confoſſus cecidit. Arcis occupandæ, tametſi eam Nieuenheimius injectis è mortario ſphæris puniceis inſigniter laceràſſet, ſpatium defuit, Francico auxilio propere advolante. Ergo direptâ civitate, eò quòd cives armati in expugnatione Gallis opem tulerant, Nieuenheimius ſe recepit in tutum.

Enguiennus ut Mercium Rheni trajectu prohiberet, caſtra munijt exadverſum. Inter ductores Bavaricos quæſtio fuerat agitata, expediréetne Friburgum Briſgojæ diutiùs retinere: ſuadebat commoditas ſtationis ad prohibendas hoſtium in Wirtenbergiam excurſiones; obſtabat civitatis exhauſtæ inopia, & difficultas commeatûs per medios hoſtes inferendi. Re ad Maximilianum delatâ, juſſit rem valido equitatu tentari. Cecidit ex voto, induſtriâ Nusbaumij Tribuni, cui fuerat demandata iſthæc inferendæ annonæ & bellici commeatûs expeditio.

Annona Friburgo illata.

Uſus eſt operâ unius è ſuis centurionibus, qui feliciter functus officio, aliquot Gallicorum equitum vexillationes, & quingentos legionarios in itinere obvios, fugavit in vicinos montes. Revocavit inter hæc Sac. Cæſ. Majeſtas Hatzfeldium ad caſtra Galaſſi, qui ex Holſatiâ à Danis disjunctus, Magdeburgum verſus ſe recipiebat.

XXIIX. Hœchstam occupat Mercius.

Jam bruma ingruens exercitus ad hiberna invitabat. Hæc Mercius ut laxiora & ab hoſte quietiora redderet, conſtituit in Ciſrhenanis finibus oppida ab hoſte inſeſſa ſibi vindicare. Quamobrem Haſſos deditionem pactos Hœchſtâ exuit octavo Novembris. Bensheimium, cùm obſeſſi omnem pactionis mentionem minacibus verbis exploderent, expugnavit ſecundâ Decembris: quâ in expugnatione Tribunus Wolfius, vir egregiâ fide & fortitudine, poſt multorum annorum ſtipendia gloriosè occubuit.

Wolfius occumbit.

Ejus caſu & præſidij obſtinatione victor miles exaſperatus, duas hoſtis legiones Germanicam unam, Gallicam alteram concidit. Quatriduo pòſt Weinheimium & caſtrum Lienfelſe coactum ad arbitrariam deditionem, Francis, qui illic agebant, relatis in captivorum numerum. Itum dehinc ad hiberna: ad Tuberum & ſylvam Ottonicam bona pars copiarum juſſa eſt à Maximiliano excubare, dum appareret, quis demum foret exitus Dorſtenſonianæ expeditionis adverſus Cæſarianos.

Enguiennus Crucinaco potitus.

Dux Enguiennus, receptis copijs, quas cis Rhenum menſe Novembri miſerat, antequam hibernacula peteret, Crucinacum oppidum antè obſeſſum, deinde obſidione ſolutum, tandem ſeptimâ Decembris, occupatis mœnibus, ruptâ tormento inſititio portâ, pulsíſque in arcem præſidiarijs, ſuæ deditionis fecit.

Hactenus de rebus Bavaricis: ſtylum verto ad bella ſocialia, ducto ab Haſſis exordio.

Haſſorum clades prima, XXIX.

Munierant Noveſium ſeptenis propugnaculis; eóque fidentiores, explorato, quatuor Lotharingicas legiones ad caſtrum Merodium conſediſſe, contractâ ex Noveſienſi, Kempenſi, & Calcarienſi præſidio mille ducentorum manu; Aprilis undecimo, ductore Ravenhauptio Lotharingos noctu invaſerunt. Signis collatis, San-Balmone Tribuno, multiſque alijs interfectis, duabus machinis caſtrenſibus, & opimâ prædâ potiti, capto Faugio Chiliarchâ, aliíſque bono numero, velut triumphantes in acie perſtiterunt, ſibi ipſis feſto occupatorum tormentorum fragore gratulantes. Recepêre ſe inter hæc Lotharingi ad ſtationem Girecourtij & Mondragonij in pago Merodienſi, redituri in hoſtem collectiore,

ctiore quàm antè animo. Commodum accidit, ut Chriſtianus Comes Naſſovius Sigenenſis, cognitâ Lotharingorum cladè, cum trecentis alarijs & Mondesloënſi legione auxilio accurreret. Sociatis ergo copijs, hoſtem ad Oberemenſem pagum haud procul ab Hœla ſylvâ aſſecuti, manus conſerunt, hinc pro delendâ ignominiâ, illinc pro aſſerendâ gloriâ. Haſſi tulêre aliquantiſper iratorũ impetum, verùm fracti tandem, multis amiſſis in loco, captis per Lotharingos Ravenhauptio & Brunchorſtio Tribunis, protribuno Eberſteiniæ legionis, multis præterea Lotharingorum captivorũ in libertatem aſſertis, exuti prædâ & machinis, quas paulò antè reportârant, in fugam ſunt acti. Deplorârunt Lotharingi necem Comitis Naſſovij, in acie dum generoſiſſimè confligit, interempti. Haſſis res denuo malè vertit adoleſcente Majo, cùm ad Lunam munitiones molirentur: iſthic enim à Flantzio Tribuno oppreſſi, centum captis, multis in veſtigio cæſis, malè fuêre accepti. Nõ multi dies interceſsêre, cùm quingenti, ductore Kotzio, Noveſio in Juliacenſem agrum, ad exprimendas collectas egreſſi, dum miſeros colonos & armenta domum reducunt, Gleeni juſſu oppreſſi, amiſſo duce, unà cum vigiliarum magiſtro, quinque centurionibus, duobus tubicinibus, trecentis gregarijs, qui omnes Brüelam abducti, quadraginta præterea cæſis, ſexaginta ſauciatis, bene multati fuerunt. Conati ſunt iſtas clades ulciſci nonâ Junij, prædio in Colonienſium oculis incenſo, Philippi Chiliarchæ ſarcinis & equis ſedecim abductis. Nihilo ſecundius fuit Haſſorum de occupando Amœneburgo conſilium. Dum enim ſub Octobrem exeuntem, horâ poſt noctis medium ſecundâ, effractis foribus, admotiſque muro ſcalis, ingreſſum in oppidum moliuntur, à præſidio atque unà à civibus, non paucis è ſuo numero necatis ac vulneratis, catapultarum, punicorum miſſilium & ſaxorum tempeſtate repreſſi fuêre, amiſſo pleroque invadendi oppidi inſtrumento. Iiſdem fortuna favit impenſiùs Fuldâ direptâ, Xanto & Riedâ occupatis.

Secunda,

XXX.

Venio nunc ad res Cæſarianas. Dorſtenſonio in Bellum Danicum magnâ vi incumbente, Cæſarianis nata eſt occaſio aliquam eorum partem, quæ Sueci anno ſuperiore invaſerant, recuperandi: quanquam nec ipſis à Ragozio Transſylvano quies fuit. De utroque hoc argumento, majoris lucis cauſâ dicendum ſeorſim. Et de priore quidem hæc pauca. Dorſtenſonius, abductâ in Holſatiam potiſſimâ copiarum parte, Kœnigsmarckium cum non contemnendo, quindecim ut minimùm legionum, exercitu, ad Albim reliquit, qui naſcente primùm anno non ab Hildeſienſibus modò, quibus impoſuit triginta millium Ferdinandicorum redemptionem, ſed etiam à Stadenſibus, omníque circum regione immenſam pecuniæ vim expreſſit. De poſteriore paulò plura. Cæſarianis adverſus Wohlaviam egregium in Sileſiâ præſidium res non ſucceſſit ex animi ſententiâ. Tametſi enim, muro tormentis perrupto, in apertum hiatum factâ impreſſione evaſerant, repreſſi tamen cum aliquot centuriarum jacturâ, & fruſtra per Gœtzium repetitâ arietatione, ſolvêre obſidionem.

Felicior fuit Schweidnizij recuperatio decimâ ſeptimâ Maij. Qui in præſidio erant Germani gregarij, redière ad Cæſaris obſequium, cæteri Gloggoviam abire permiſſi. Subinde Zeiza arx tormentis verberata, mœnibus jam à Galaſſo occupatis, ſeſe ejus arbitrio dedidit. XXXI.

Erant in Galaſſi exercitu decem armatorum millia, quæ ipſe ſub finem Junij Salam partim vado, partim per Galbenſem & Bernburgenſem pontem trajecit. Ad eum deinde ab Hatzfeldio aliiſque multa millia fuêre adducta.

Tandem Wohlavia, quæ adhuc fortiter reſtiterat, menſe Julio Cæſarianis manus dedit, Suecis ducentis cum tribus machinis æneis & impedimentis excedentibus. Chemnizium quoque à Saxoniæ Septemviro receptum eodem menſe, poſt menſtruam eámque cruentam oppugnationem. Chemnizij fortunam ſecuta eſt Grimma, in quam civium conſpiratione Saxones admiſſi, præſidiarios fecêre captivos, territúmque arcis præfectum adegerunt ad deditionem.

Wohlavia a Cæſarianis, Chemnitzium a Saxonibus recepta. Grimma dedita.

Roch-

Cæsariani et Saxones varia loca recuperant.

Rochlitzium ijdem expugnârunt. Præfectus natione Boruſſus, ob jactata in Electorem probra, cum tribus Saxonibus ſuo Principi perduellibus, actus fuit in furcam. Leiſnicum pariter menſe Auguſto ſubactum redijt ad Septemviri obſequium, dimiſſo præſidio, ſi illos excipias, qui aliquando Cæſari aut Electori militâſſent, aut è Septemviri ſubditis hoſtium ſigna fuiſſent ſecuti.

Succi cæduntur.

XXXII.

Inter hæc Bremenſis adminiſtrator Suecos non longè à Verdâ luculentâ clade affecit. Collegerat ex Bremenſi ditione & Holſatiâ quinque armatorum millia, cum quibus Rotenburgum uſque moverat. Verſo ad Verdam itinere, obvias habuit quinque Suecorum legiones, quæ in primum ipſius agmen, quod conſtabat ex alarijs, invectæ, Adminiſtratoris equitatum conjecêre in diſcrimen, victoriâ admodum ad Suecos inclinante. Oppidò laborantes diſcrimini eripuit peditatus, & turma equitum catapultariorum, qui firmatâ acie Suecos in fugam actos pepulêre in nuper excitatam munitionẽ. Adminiſtrator fugientibus inſtans, tranſvadato Allerâ, tantâ vi incurrit in Suecorum receptum, ut propugnaculo potitus, omnes ejus defenſores ferro juſſerit obtruncari, vel addici captivitati. Idem fortunam ſecutus, arcem Langweelam ſubegit, quam ſubinde receptam Kœnigsmarckius ſolo æquavit.

Sub adultum Julium, Galaſſus caſtra habuit Salzæ majoris, duabus à Magdeburgo leucis. Jam copiarum partem trans Albim Havelbergam verſus præmiſerat, Dœmitzij pontem nauticum poſiturus, quo in Holſatiam tranſportaret exercitum, laturum Regi Daniæ adverſus Dorſtenſonium ſuppetias. Caſtra ſubinde metatus fuit in agro Oldeslohenſi quotidianis propè excurſionibus Suecis infeſtus.

Causæ belli Danici.

Cauſas belli Danici vulgaverat Dorſtenſonius, quòd Daniæ Rex octo naves Suecicas in freto Oreſundico invaſiſſet: quòd fœdera cum Moſcorum Duce & Poloniæ Rege ſociâſſet, quorum uterque gereret inimicitias adverſus Coronam Suecicam: quòd numeratâ pecuniâ Cracovium Cæſarianum Chiliarcham, anno ſuperiore adjutum milite inſtruxiſſet ad invadendam Pomeraniam: quòd Suecorum ſtativa arctâſſet, attributo Megapolitanis Dœmitzio, aliiſque oppidis: addidit cauſas alias minutiores, quas brevitatis causâ non recenſeo.

XXXIII.

Belli initia.

Rege Daniæ ad bellum nondum comparato, non fuit Dorſtenſonio arduum, Kielam, ut jam dixi, maris Baltici oſtium, Flensburgum, Chriſtianopolim, Itzehoam, Bredenburgum, aliáſque iſtarum partium civitates occupare ſeminudas à præſidio, perculsáſque inopinato Suecorum adventu; cùm Dorſtenſonius nullâ priùs belli factâ denunciatione, ſubitò tantâ properatione, incogitantes oppreſſit, ut quindecim dierum feſtinatione exercitum è Marchiâ Brandeburgenſi per centum propè milliarium Germanicorum intervallum, citatis itineribus, in Holſatiam adduxerit. Penetravit in ipſam Jutlandiam, Danicis mille quingentis, qui imbelli colonorum turbâ ſtipati, ad Koldingam obſtiterant, profligatis. Quò Danicæ copiæ in diverſa diductæ minùs forent reſiſtendo, Guſtavus Hornius, cum validâ octonûm millium manu, è Sueciâ progreſſus univerſam ferè Scaniam expugnatis pleriſque oppidis Suecicæ ditionis fecit.

Hornius Scaniam invadit.

Danis mari perinde atque terrâ bellum erat adverſum. Sueci etenim ſecundiore fortunâ uſi, expugnârunt Bornholmiam Inſulam, ac demum claſſi Danicæ ad Femeram ingentem cladem intulêre. Rebus ergo Danicis ad eum modum laborantibus, Cæſar miſit per Galaſſum auxiliares copias, quòd expediret, hoſtem communem, retardato ſaltem impetu, bello externo diſtineri.

Fortuna Cæsarianis secunda.

Proſperè ſe dederunt initia. Nam ſub ineuntem Auguſtum Donepus Cæſarianus protribunus, Kielæ non paucis è Dorſtenſonianis oppreſſis, opimâ prædâ eſt potitus. Subegêre deinde Kielenſem arcem Cæſariani, à quâ duo Suecici Tribuni Witkopfius & Hackius cum aliquot præſidiariorum centurijs, ſe Galaſſi arbitrio dediderunt.

Sueci

Sueci interea caſtra habebant inter Rensburgum & Gottorfium, redacti in arctum tum à Cæſarianis & Danis, tum ab Adminiſtratore Bremenſi, qui eos ex Stapelhornenſi & Eiderſtadianâ regione ſubmoverat. Ad Kielenſem portum alea minùs feliciter cecidit, Danis è ſuâ munitione, cum trecentorum cæde, depulſis. XXXIV.

Adulto jam Auguſto, Daniæ Rex ad Kielam duodecim Suecorum naves devicit, duas depreſſit. Sueci viciſſim Danis infeſti, ſecundo Marte pugnârunt. Sic totus menſis Auguſtus pugnis velitaribus, vario Marte, fuit conſumptus. Tandem menſe Decembri, facto inter Galaſſum & Danos divortio, Cæſariani ex Holſatiæ finibus, ubi aliquantiſper tetenderunt, Dorſtenſonio premente, Magdeburgum rediêre, exercitu magnam partem imminuto. Galaſſus Magdeburgi aliquamdiu circumſeſſus, relicto illic valido præſidio, tormentiſque depoſitis, & quæ ſupererat ex varijs cladibus, impedimentorum parte, cum non numeroſo equitatu, paucíſque legionarijs, ægrè evaſit in Bohemiam, ejus veſtigia, premente Dorſtenſonio, qui deinde in Moraviâ, igne & direptionibus graviter fuit graſſatus. NAVALIS CONFLICTUS.

BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS III.
LIBER XXX.

An. M.DC. LV. Maximilianus paci operatur: ſuppetias mittit Cæſari: Gallos bis rejicit trans Rhenum: bis cædit, ſemel prælio Herbſthuſiano, in quo victus, fugatus Turrenius: iterum pugnâ Allerheimiâ, in quâ Dux Enguiennus magnam cladem accepit.

I. NOndum deſiit hoc anno bellorum Europæorum intemperies. Europæ etenim nulla propè pars immunis ab ingentibus calamitatibus, & ſævâ ſanguinis humani profuſione fuit. Tot gentium armis in mutuam perniciem fuit certatum, ut non de Europæ dominatu occupando, ſed de Europâ, ſi non evertendâ, dilacerandâ certè agi videretur. Terrâ excitatæ belli tempeſtates, in Germaniâ, Hiſpaniâ, Italiâ, Angliâ, Hungariâ: Mari; in Oceano Baltico, Mediterraneo, Jonio. Non fuit ſatis, Gallos Germanis & Hiſpanis: Suecos Danis: Tranſſylvanos Hungaris: Imperij partes civilibus odijs mutuò committi; niſi etiam Turca communis Chriſtiani nominis hoſtis contra Venetos armatus, veniret in partem exitialium procellarum. Nimirum, ut morbos curat medicus, miſſo è venis ſanguine, ſic divina manus hominum vitijs materiam ſubducebat ultrice ferro, ut, tametſi futuri ſemper eſſent, qui peccarent pauciores, tamen peccatores & tenuiora delictis alimenta ſupereſſent. Medicus, ut ægro bene conſulat, minuit morbi vires, auget ægrotantis robur; contrà, qui eſt genius mortalium, credunt ſe tum felicem manum curando bello, quod perniciosum eſt ſuprà quàm dici poſſit Reipub. malum, adferre, ſi belli vires augeant, & augendo ſibi quiſque pro ſe, pacem fortunatam nanciſcantur. Hinc tam longi bellorum proceſſus; quia nemo victus, libens pacem componit, utpote noxiam & indecorem, qualis ferè à victore ſolet indulgeri. Morbus nempe humani generis eſt, bona quemque ſibi quærere, ſúſque déque habere mala aliena, atque ex ijs velle creſcere.

Pacificatores ad ſuos Conventus paulatim venientes, ut velut ſapientes Medici Orbi Chriſtiano, grandi malorum æſtu laboranti facerent medicinam, propiùs paulò

paulò ad curationem acceſsêre, intenti quidem ſinguli in ſuas cauſas; hoc tamen opportuniores, quòd velut tentato venarum pulſu, ſenſim explorarent, quid cuique eſſet animi, & modos reſque ipſas curæ ſubjectas adferrent in medium.

Antequam eò veniretur, pacare oportuit Suecorum offenſionem natam ex intercepto legati Luſitanici funere, quod ipſis reſtitutum Bremam fuit avectum: ita mortui etiam ſuggerebant materiam diſcordijs. Bavarici legati ingreſſum ſuũ diſtulerunt aliquantum, donec controverſia de honoris prærogativâ cum Venetis componeretur. Advenêre inter hæc nova ex Hiſpaniâ mandata, ad eam normam, quam pacis Sequeſtres propoſuerant, cum approbatione eorum, quæ jam fuiſſent tractata. In iſtis mandatis cum plenâ agendi poteſtate nominabantur Dux de Medinâ Turrenſis, Comes Peneranda, Epiſcopus Buſcoducenſis deſignatus Cameracenſis Archiepiſcopus, &, quos antè nominavi, Didacus Saavedra & Comes Zapata. II. Pacis tractatio.

Menſe Februario, expectabantur legati Moguntini, qui menſe Aprili demum adfuerunt, quos ſecuti ſunt Brandeburgici.

A Francis & Suecis differebantur tractationes de ſummis pacis capitibus, donec Imperij Ordinum legati, quemadmodum initio poſtulaverant, Comitio intereſſent. Tum enim ſua lucra credebant fore certa, ſi omnium Imperij Procerum aſſenſu firmarentur. Iſtis paſſibus ibatur ad alienandas Germaniæ ditiones, quæ haud facilè in priſtinum ſtatum eſſent redituræ, ubi tam ſtabili nexu, coronis potentibus, quæ nihil ſibi detrahi patiuntur, forent affixæ. Tandem menſe Junio Franci capita duodecim, Sueci totidem exhibuêre. Ejuſdem menſis penultimò, Henricus Aurelianenſis Dux Longavillæus Gallicæ legationis Princeps, cum magnifico apparatu, Monaſterium fuit ingreſſus: jam antè appulerant Comes Meſmius Avallius, & Servientus, non nihil inter ſe diſcordes. Omitto lites de ordine ſeſſionum, deque titulis, qui aliquid abſumpſerunt temporis.

Comes Peneranda cum quinquaginta duntaxat virorum comitatu, citra omnem pompam, Monaſterium menſe Julio inijt. III.

Propoſuêre quidem conciliatores pactionem bellici juſtitij, eò quòd inter arma & fortunæ variantis mutationes, minùs quietè conſtantérque pacis negotia poſſent agitari; ſed legati eam rem ad ſuos Principes referendam eſſe cenſuerunt fruſtratione parùm utili.

Sub hæc Cæſariani & Hiſpanici reſponſa dedêre ad Francorum poſtulata. Veneti, quos arma Ottomannica premebant, modis omnibus urgebant pacem, ut Chriſtianorum Principum ope adjuti, ad tam periculoſum bellum eſſent fortiores: quam rem vehementer Pontifex Maximus optabat, & ſuadebat per nuntios ad orbis Chriſtiani Principes deſtinatos. Ad eam, quò magis afficerentur Principes, Cæſar generalis amneſtiæ Edictum vulgavit 6. Id. Octob. & Comitem Trautmanſtorffium, cum ampliſſimâ facultate tractandi, miſit ad pacis Conventum. Ingens ſpes erat, fore ut pro eâ, quam habebat, multa partibus concedendi libertate, facilem properúmque, ſi non proſperum exitum tractatio eſſet habitura. Verùm expertus eſt alia omnia, quando liberalitas irritavit potiùs, quàm explevit habendi cupiditatem, alia ſuper alia indies poſcentium: conſultum eſt quidem poſtulare iniqua, ut æquum accipias, nunquam tamen profuit poſtulaturis hoſtibus laxâſſe ſpatia poſtulandi; qui alioqui, perinde atque ignis, eò plura corripiunt, quò plura admoventur.

Eorum confidentiam auxêre improſperi rerum eventus. Receperat Galaſſus ſe in Bohemiam anno ſuperiore cum lacero exercitu, Cæſar in eo inſtaurando totis viribus laborabat: ſed nec agebant ferias Sueci, qui novorum indies ſupplementorum acceſſione firmabant legiones, rati, adverſariorum fortunam tunc impelli faciliùs, cùm videtur eſſe inclinata. Bavaricum exercitum continebant magni in vicino Francorum apparatus: & ea rerum erat facies, ut IV.

 fortu-

fortunam redderet ancipitem, certè Catholicis partibus periculoſam & creperam.

Cæſar, quò meliùs Bohemiæ viciníſque Provincijs proſpiceret; ſub Januarium exeuntem, Pragam contendit. Collegit iſthic exercitûs reliquias, junxítque miſſas à Maximiliano Electore ter mille & ſuprà armatorum tam alariorum, quàm legionariorum pari ferè numero ſuppetias. Non adnumero pauculos pedites ſupernumerarios. Equitibus imperabat Joannes Werthius, peditibus Rauſchenbergius. Cæſar, commiſſâ Leopoldo Archiduci in univerſum exercitum ſupremâ poteſtate, hujus legatum dixit Comitem Hatzfeldium.

CÆSAR PRAGÆ COLLIGIT EXERCITUM. BAVARICA AUXILIA.

Sueci è diverſo, duce Dorſtenſonio, ad Zeitzam luſtrati, ſedecim millia ſub ſignis habuerunt: ducti ſecundum Annæbergam Breſnitzium, inter Joachimi vallem & Neodeccam ſeſe infudêre in fines Bohemiæ. Traxêre ſecum octoginta æneарum machinarum inſtrumentum. Ad 11. Cal. Mart. Egrâ amne ad Cadenam transmiſſo, poſt quatriduum haud longè à Pilſnâ caſtra locavêre, Cæſarianis adeo vicini, ut citra prælium non viderentur abituri. Viſus tamen eſt Suecis Cæſarianorum ſitus munitior, quàm ut æquo Marte poſſent invadi. Quare flexâ ad Glattavium profectione, atque porrò Horaziowizum, habuêre continuò Hatzfeldium ad latus infeſtis ſignis moventem, tandémque feſtinato itinere prævertentem Ottowæ fluminis gemmarum piſcatione divitis trajectum, caſtris in eminente colle locatis. Hoſtis, qui non niſi ſeſquihorâ aberat, ratus, ſe in eo trajectu, Cæſarianorum poſtremos ſaltem aſſecuturum, citatis ordinibus eò profectus ſeriùs, non niſi velitaris prælij nactus fuit copiam. Die vigeſimâ ſextâ Februarij infra Cæſariana caſtra conatus Ottowam trajicere, machinis oppoſitis cum nonnullorum ſtrage rejectus, Straconizam duxit, Cæſarianis ejus agmina tormentorum fulminibus identidem carpentibus. Poſtridie Dedlizum movit, & explicatâ in campo acie, ſe dedit Cæſarianis viſendum. Prælium divertit Ottowa interlabens. Dehinc Dorſtenſonius noctis uſus beneficio, præmiſſis impedimentis, ſilentio progreſſus eſt ad Moldavum, facilè quovis propè loco, per congelatum flumen, trajectum, Cæſarianis à tergo relictis, reperturus. Ejus veſtigia premere viſum ideo importunum, quòd ille tot elabendi vias aſſecutus, ſimul optionem locorum, in quibus pedem figeret, eſſet habiturus, & nuſquam niſi iniquæ pugnæ facturus copiam. Ergo Cæſariani ſignis Straconizæ properè refixis, ad Piſecam cum bellico inſtrumento, exercitum tranſportant, ſarcinis die ſequenti juſſis Taborem verſus, ad dextram ſuccedere, cæteris copijs Mulauſium primo manè profectis.

SUECORUM IN BOHEMIAM ADVENTUS.

V. *Litt. Hatzfeld. ad Cæſarem.*

VI. In eo motu per exploratores cognitum, Suecos pridie ſub veſperum, ſeſqui à Tabore milliari, jam conſediſſe. Quapropter juſſum iter feſtinari, eo conſilio, ut manus cum hoſte confererentur, vel, ſi ejus non foret facultas, annona, cujus in caſtris jam erat inopia, è Tabore haberetur ad manum. Hìc Curatoris flagitio, cùm nihil ſatis eſſet tantæ multitudini comparatum, hærendum fuit in poſterum diem jam adultum, dum à piſtoribus panis malignè ac tenuiter properaretur. Horâ à meridie tertiâ itum Sterenbergam, Sporckio cum ducentis equitibus miſſo, ut quàm poſſet tectiſſimè hoſtis motum exploraret. Impedimentis, ut ne moram inijcerent, Tabore relictis, maturato itinere, ventum inter Janckaviam & Woritzium ad radices montis, ubi ex captivis cognitum, hoſtem ex altero collis latere, totis caſtris petere Janckaviam. Iſthic in eminenti tumulo caſtra habuit. Poſt noctis medium viſus eſt hoſtis, ſigno ad movendum dato, heſternum iter relecturus; verùm ubi dies inclaruit, apparuit, ipſum tendere in dextram Cæſarianorum alam, & pòſt paulò deflectere ad ſiniſtram. Gœtzius tumulum, in quem tendebat hoſtis, occupaturus, ſe induit in viarum anguſtias, è quibus difficile erat citra damnum eluctari: cùm à fronte haberet ſtagnum objectum, à lævâ & à tergo ſylvam apprimè denſam, loco cæterà tam arcto, ut frequenter non niſi una cohors poſſet explicari. Ultra ſtagnum ſtabat hoſtis in clivo, qui Gœtzio dexter erat, & tormentis verberabat

PRÆLIUM IANCKENSE CÆSARIANIS ADVERSUM.

ſtipa-

ſtipatum Gœtzij equitatum. Haud procul aperiebatur campus laxior quidem, ſed intererat rurſus inter duas ſylvas aditus incapax aciei; & jam hoſtis eam ſylvulam, quæ Gœtzio erat ad dextram, inſederat. Ergo non niſi properando poterat per iſtas fauces penetrari: periculum enim erat, ne, antequam emergeret, hoſtis præcluſo exitu, ipſum velut obſeptum hinc à peditatu, qui dextram tenebat, illinc à ſylvâ, & fronte validis agminibus clauderet. Dum Hatzfeldius ſic laboranti properat auxilia, hoſtis in arcto deprehenſum invadit. Conſeruntur manus; ſed cùm Gœtzius ordines nequiret explicare, mox fuſus ipſe, ac fortiter pugnans occiſus eſt. Recepêre ſe nihilo ſeciùs trepida ac turbata ſigna ad lævam Hatzfeldij, ubi legiones & aliqua tormenta conſtiterant, novem enim tormenta cum pleroque inſtrumento jam Gœtzius amiſerat. Hatzfeldius utroſque reduxit in locum editiorem, in quem protinus ſecutus hoſtis, cœpit legiones cum Cæſarianis committere. Tenuit velitatio non multum temporis, cùm Sueci, amiſſis vexillis ſedecim & aliquot ſignis equeſtribus, fuêre retruſi. VII.

Dum res in eo ſunt, hoſtis ex parte alterâ incumbit in Cæſarianos paulò antè unà cum Gœtzio profligatos (hos Hatzfeldius ad latus in edito colle locârat) itáque premit, ut inclinarent rurſus ad fugam. Nutantes erexêre aliquot Bavarorum catervæ ductæ ab Hatzfeldio, qui mox collem à tergo poſitum, à tormentis & legionibus juſſit inſideri. Hic primùm licuit copias tum ex Gœtzianâ clade, tum ipsâ properatione confuſas ſecernere ad aliquam ſaltem ſpeciem non omnino juſtæ aciei: eò quòd ab interjecto colle adverſus hoſtem tegerentur. Accuſat Hatzfeldius in ſuâ ad Cæſarem apologiâ, Gœtium, contrà ac juſſus erat, progreſſum fuiſſe in hoſtem per aditus inexploratos. Idem notat Joannem Werthium neglecti imperij, quando monitus ſtare cum Bavaricis ad lævam, poſt jam memoratum collem, transmiſsâ valle mediâ, duxit non legiones modò & alas, ſed tormenta quoque ipſa ad propinquum clivum: verbo, ſcopæ videntur fuiſſe neſcio quo fato diſſolutæ, cùm licèt ſat eſſet imperij, tamen non eſſet judicij ſatis, quod diſſipata conſilia ſtringeret. Retentus tamen fuit Werthius in pago intermedio, atque inde reductus ad lævam. Legiones interea venerant ad manus; initio nutârunt Cæſarianæ, ſed collectis rurſus animis, Suecicas pepulêre. Cæſarianorum cornu ſiniſtrum jam eò proceſſerat, ut hoſtium machinis propinquum ſubſiſteret; equitatus verò non modò machinis majoribus, ſed ſclopis etiam malè verberaretur. Hîc cœptum agi cominus, & primùm quidem Marte Cæſarianis non improſpero, cùm hoſtis à ſiniſtro cornu pelleretur, poſſetque prorſus disjici, ſi, qui erant poſt principia, pugnam non detrectâſſent. Ab his orta fuga. Rem fortiſſimè egêre è Bavaricis, Colbius & Petræus, quorum exemplo ſic ala Cæſarianorum ſiniſtra conflixit, ut acie flexâ in pagum, ubi antè fuerat ſtatio prætoria, hoſtis ex proximo monte, ſarcinis tormentiſque deſertis, pelleretur. Præcox prædæ aviditas, quæ equitatum in hoſtium impedimenta diſtraxit, ſpatium fecit hoſti ſeſe colligendi. Ergo inſtauratâ pugnâ, pulſus Cæſarianus equitatus. Supererant nudæ ab alis legiones, in quas demum hoſtis totâ vi cùm incumberet, ſtipatæ, confuſis ordinibus, in unum velut globum confluxêre. Elapſus eſt quidem per hoſtium cuneos Hatzfeldius, ſed non longè à duobus decurionibus in ſylvâ deprehenſus, captivas dare manus eſt coactus.

VIII.

Lapierre.

Relat. Suec.

Dextræ Cæſarianorum alæ non multò diſſimilis fuit fortuna. Hanc Don-Felicis caterva media firmabat, quoties ab hoſte premebatur, atque eam ob rem anceps ex eâ parte diu nutavit victoria. Denique cùm Duglaſſius cum valido alariorum globo Felicianam catervam disjeciſſet, totum Cæſarianorum cornu dextrum datum fuit in fugam. Reliquæ erant quinque equeſtres Cæſarianorum phalanges, ex ijs conflatæ, qui victoriam diripiendis hoſtium ſarcinis antè corruperant. Hæ cùm adhucdum Suecis à tergo imminerent, traxêre in ſua capita aliquot legiones è cornu hoſtium ſiniſtro, à quibus momento fuſæ, magnam partem in eorum manus venerunt. Pugnatum fuit prid. Non. Mart. per IX.

octo omnino horas. Occubuêre è Cæſarianis Comes Gœtzius, Comes à Waldeck Tribunus, Graffius legatus Piccolominiæ legionis, Mappius, Stimelius item legati, è gregarijs tria circiter quatuórve millia. Ex Suecis Reuſchius & Secſtettius Tribuni, & non pauci minoris dignitatis ductores, bis mille ſi non plures manipulares. In captivorum cenſum venêre Cæſariani, Comes Hatzfeldius, caſtrorum legati Baro Henricus Mercius, Comes Bruæus: terni generales ordinum ſtructores, Tribuni ſeptem, legati novem, ſummi excubiarum Præfecti ſex: Hipparchi, centuriones viginti tres: turmarum ac cohortium vicarij decem: minores præfectos non recenſeo. Reportata universè ſigna ſeptuaginta ſeptem, machinæ æneæ viginti ſex, impedimenta nulla, præter pauca ad rem tormentariam, & præcipuos exercitûs ductores ſpectantia. Cætera enim Tabore ſubſtiterant.

X. Incredibile, quos ea Suecorum victoria animorum motus excitârit, quos in Bohemiâ, Moraviâ, Auſtriâ, finitimíſque regionibus terrores; quas in hoſte ſpes, conſiliorum converſiones, confidentiam, & futurorum progreſſuum immenſa velut ſpatia. Animos faciebat præmatura ſortis arridentis facilitas, quæ in ver proximum, æſtatem, autumnúmque ingentem campum victricibus armis videbatur aperuiſſe. Et profectò aperuerat, niſi vis major, in cujus manu ſunt res mortalium, longè alia ſtatuiſſet, interpoſitis non uſque adeo gravibus obicibus, graſſanti ad ſumma fiduciæ. In ipsâ Regis Franciæ regiâ jam, longè quàm antè, alia erant futuri meditamenta; pacis mentio, ſi non deſpecta, at certè languidior, arctior cum Suecis conjunctio. Is videlicet eſt humanorum conſiliorum genius, ex præſentibus futura, ex certis dubia fortunæ eventa metientium, cùm tamen tam incertum ſit homini, quid craſtina pariat dies, quàm indubitatum numen eſſe, quod non tam ſupercilio, ut Poëta loquitur, quàm ſuavi & forti proviſione cuncta movet, ducítque ad ſuos quæque fines.

Varii ex Cæsarianorum clade motus.

Interim, ut concitatæ machinæ cujuſpiam vehementi agitationi non ilicò quies ſuccedit, niſi injectâ manu, ſic ex gravi iſta rerum concluſſione prolata fuit inquies, tum demum ſiſtenda, cùm Deo ſic volente, quo vix ſperari poſſet momento, ſufflaminaretur Suecicorum armorũ progreſſio: uti pòſt paulò videbitur.

Maximiliano Electori poſt eam cladem ſuæ legiones haud multum paſſæ cum ductoribus rediêre. Cæſariani, ut fit in profligato exercitu, ducibus amiſſis, hac illac palantes, multa pro arbitrio egêre. Hinc paſſim fuga incolarum ex locis indefenſis, Viennam ínque munitiones alias, res ſuas exiliíque ſolatia deportantium.

XI. Collegêre ſe tamen paulatim fragmenta quaſſati exercitûs. Quadringenti Cæſariani equites, Danubium ad Viennam trajecti, in viciniâ convenêre. Ad Pragam in Albano monte ſe recepêre aliquot turmæ, in Pilſnenſem circulum ducendæ. Bavarici remigravêre in Palatinatum ſuperiorem, quò propiores forent Mercio de Francorum irruptiòne laboranti. Saxonicis addictus erat receptus in Sileſiam.

Inter hæc non erat hoſti operoſum proferre ſuam victoriam. Venienti mox patuit Iglavia, Leterſca & Teutobroda. Iglavia excidium ſexaginta Talerorum millibus, magnâque panni copiâ redemit. Excurrebat hoſtis aduſque Viennenſem pontem, vocabulo Lupinum. Ejuſdem imminentis pavor Olomutzij obſidium ſolvit. Copiæ, quæ iſthic adſederant, partim receptæ Brunam à Comite Wallenſteinio, partim ab hoſte cæſæ, dum contendunt in Auſtriam, quarto à Viennâ milliari. Neohuſium citra vim manus dedit, accepítque trecentorum Suecorum ſub quopiam Haſſiæ Landgravio præſidium. Ejus dynaſtiæ, odio Slavatæ Comitis, in cujus erat ditione, centum millium Ferdinandicorum lytrum fuit impoſitum.

Znaima, obſidium experta, poſteaquam geminam hoſtis incurſionem repreſſerat, fecit deditionem. Motis inde caſtris ad Danubium, Steinium expugnatum, exciſúmque præſidium: Crembſium ſe permiſit hoſtis arbitrio: grandes hoc loci cepit ille manubias, & multos ex Auſtriæ Primoribus. Succeſsêre Duſte-

Duſtenium, Creutzenſteinium, Graffeneckum, ipſúmque Coro-Neoburgum, altero ſupra Viennam milliari. Hic ingens frumenti, vini, ſalis penus, haud contemnendum belli inſtrumentum. Lytrum duodecies mille nummûm Imperialium pependêre cives.

Sub iſta, Sueci, pontis Viennenſis, quem à Lupo nuncupant, propugnaculum, actis ſub humum cuniculis, & tormentorum ictibus laceratum, elapſo in adverſam ripam præſidio, invaſerunt, per idoneum frenum infeſtandæ regioni, quod nonniſi nobili labore & impendio ex eorum manibus potuit excuti. Ipſis etiam conceſsêre in manus Nicolao-Burgum, Falckenſteinium, Rabenſpurgum, loca alia non ignobilia. XII. Pons Lupinus ab iisdem invaditur.

In tantâ hoſtis propinquitate non lubuit Cæſari, Archiduces ſuos liberos Viennæ relinquere: eos proinde Græzium juſſit proficiſci: ipſe verò unà cum Auguſtâ, Viennæ perſeverans, conſtantem dabat operam exercitui inſtaurando, indictis per Auſtriam, Moraviam, Sileſiam delectibus. Iſtis rerum triſtium turbinibus Deus tam mirus, quàm benignus temperandi opifex, intermiſcuit pacis Tranſſylvanicæ, poſt bellũ ab anno ſuperiore geſtum, ſerenitatẽ, tempore Suecis eorúmque fœderatis haud quidem parùm importuno, Cæſari tamen peraccommodato. Tametſi enim menſe primùm Sextili fuit vulgata, tamen jam ſub veris naſcentis initia eò erat deventum concordiæ, ut ejuſce capita à Tractatoribus eſſent obſignata, miſſáque ad Cæſarem & Ragozium, qui ſuâ pactionem univerſam voluntate comprobarent, dum interea utrinque ceſſaretur ab hoſtilitate. Quanquam Ragozius, tempori ſerviens, ab armis, & Suecorum ſocietate non abſtinuit, donec tandem menſe Auguſto, cladem ſuæ ac Duglaſſianæ legionis, unáque trecentorum Hungarorum ad Gottingam paſſus, ſeriò pacem petijt, & à Cæſare impetratam fuit amplexus. Galaſſus gnaviter etiam incubuit in colligendas exercitûs Cæſariani reliquias circa Budiviſium: Comes item Suyſius Pilſnæ revocavit in ordinem ſparſum hinc inde equitatum. Viennæ armati cives, & flos juventutis ſua Cæſari obſequia lubentes volentes obtulêre ad ſex millia. In ſuperiore Auſtriâ ad Anaſſum fugitivi permulti, ad ſigna redivêre. Comes Bucheimius ex Hungariâ quatuor expeditorum virorum millia Viennam adduxit. His acceſſionibus, præter Bohemicum exercitum, quem Gallaſſus accelerabat, credebatur Imperator in Auſtriâ habiturus ſub ſignis triginta quinque armatorum millia. Cæsar reparat exercitum. Pax cum Ragozio. XIII. Novæ Cæsaris vires.

Brunam Deus viſus eſt non ſecus atque maris arenoſum littus, tempeſtatum fluctibus, ita Suecorum procellis poſuiſſe terminum, qui vincendi æſtum refringeret. Hîc Dorſtenſonij, in obſidionibus longè minùs, quàm in prælijs fortunati; creditum eſt fuiſſe fato aliquo corrupta conſilia. Bruna, quæ junctam habet arcem Spigelbergam, principem locum tenet inter Marchionatûs Moravici civitates, non tam firma, quin viſa ſit ad ictum aperta, eò quòd unica, in Moravis, Cæſareo præſidio teneretur. Illam Dorſtenſonius ante triennium æquè improſperè atque Freibergam irritus obſederat. Voluit rurſus eodem loci fortunæ & ſuarum virium facere experimentum. Addebat ſtimulos fama opum ingentium, quas Moravi in civitatem arcémque, velut ſpei ſuæ reliquias, comportârant. Ergo Aprili menſe, caſtris circumvallatis, arctè eam cœpit ſtringere operibus obſidionalibus. Primis ſtatim obſidionis initijs, non urbem modò, ſed arcem etiam inſtitit è diſpoſitis tormentorum ſedibus punicis ignibus fulminare, ſubterraneos furnos ducere, ire in crebras incurſiones, nihil prætermittere, quo faceret compendium temporis, lucrúmque pellacis opulentiæ ſimul nuper in eâ obſidendâ collectam ignominiam vindicaret. Verùm nactus eſt non ignavos propugnatores, ſed ſuâ virtute, & Gubernatoris hominis Galli defendendarum obſidionum inprimis ſcientiſſimi, ac fortiſſimi (cui Soucheo vel hinc immortale nomen) induſtriâ & hortamentis egregiè incitatos. Non vacat ſingula obſidentium tentamenta, obſeſſorúmve decora commemorare; ſatis erit commemoraſſe præcipua. Brunæ obsidio. XIV.

Obſi-

Obſidio menſes tenuit quatuor. Aprilis, magnam partem datus caſtris Suecorum muniendis, parandæ coronæ obſidionali, pyrobolis, impreſſionibus fruſtraneis, eruptionibus. Majo Sueci ternas tulêre repulſas, cum non mediocri ſuorum ſtrage. Junio ſub diem vigeſimum jam decem cuniculares furnuli eruperant, eóque producta erant Suecorum opera, ut machinis fulminatricibus ampliùs lædi cùm nequirent, ſolis punicis miſſilibus, & manualibus ſclopis peterentur ab obſeſſis. Eodem menſe, factâ eruptione, defenſores luculentam cladem Suecis intulerunt, ſimul patefecêre viam ſuppetijs, & nitrato pulveri per ſtratagema inſerendo. Juvat audire Dorſtenſonium ipſum, litteris, quas dedit è caſtris vigeſimo quinto Junij, magnos quidem, ſed inutiles conatus referentem.

Laboramus (inquit) *gnaviter ad hunc diem in Brunâ oppugnatâ, cum propugnatoribus: mei quot ferme diebus in foſſis ſubterraneis veniunt ad manus: tela ſunt ſclopi equeſtres, ſphæræ punicæ, & quicquid eſt ferri brevioris.*
XV. *Plerumque penes noſtros ſtat victoria, nonnullis è propugnatoribus in iſtis latebris cadentibus: credebatur urbi undique cincta vallis, nullâ poſſe induſtriâ opem adferri; nihil tamen ſeciùs, his diebus contigit ſexcentos ex hoſte equites Bardevvitzio, colonis & prædonibus, quorum magna eſt in montibus frequentia, opitulantibus, per montium ac ſylvarum avia, primis ſpeculatoribus inobſervatos, proximè ad arcem delatos, excubitores ſidentes; primos conclamatæ ſalutis vigiles, periculi ſecuros incogitantéſque oppreſſiſſe tam properè, ut ne arma quidem licuerit conclamare. Quod dolendum quàm maximè, eo caſu Tribunus Galbrechtus obtritus eſt, pauci præterea vulneribus affecti. Interea trecenti equites pulverem nitratum à tergo vehentes, penetrârunt in urbem, per viam monſtratam ab exploratoribus, quâ civitatis mœnia ab arce dirimuntur, quámque noſtri de induſtriâ reliquêre inducendo vallo id ſpatij apertum, ut ad reprimendas eruptiones noſtris foret uſui, hoc ſolo contenti, quòd per Friſios equites clauderetur. Ergo, quia hoc aditu patente, ob fruteta & anfractus arci admodum propinquos, ingreſſus prohiberi non potuit: majori vigilantiâ data eſt opera, ne regreſſus foret hoſtibus impunè: eorum enim pars potiſſima unicam iſthic noctem egerunt, & die poſtero ultra quandam paludem, ubi multi occubuerunt, ſeptuaginta vel octoginta elapſis, attentiùs fuit invigilatum.* Hactenus Dorſtenſonius. Quod reliquum ad exeuntem propè Sextilem fuit temporis, ductum inter iſtos oppugnationis æſtus.

BRUNÆ OBSIDIO SOLVITUR.

XVI. Tum Dorſtenſonius, cognito inter Cæſarem & Ragozium certò pacem conveniſſe, ſupremam vim in obſeſſos putavit eſſe adhibendam. Ergo totis caſtris, per quina omnino arcis urbiſque latera, generalem indicit impreſſionem: incurritur ſummâ vi, nec minore fortitudine ſubſiſtitur, victoriâ ſtante penes obſeſſos. Ad eum modum Dorſtenſonius, tempore, quod proferendæ victoriæ futurum fuiſſet, ut quàm maximè opportunum, nullo operæ pretio, conſumpto; non ſine mœrore, bene longam & multi feracem laboris, multipliciúmque funerum, ſolvit obſidionem, atque hîc poſuit rerum magnâ felicitate geſtarum metam, paulò pòſt, excuſatâ valetudine, faſces poſiturus.

Dum iſta gererentur, poſt brevem oppugnationem, Sueci Torgaviam ſuæ ditionis fecerunt. Cùm defenſores ſe permiſiſſent victorum arbitrio, captivi Lipſiam fuerunt amandati. Hoc loci, Sueci potiti ſunt non contemnendo bellici inſtrumenti apparatu.

Cæſariani, reparato, ut dixi, exercitu, ſuas vires cœperunt exerere. Fecêre initiũ ab ijs, quæ infeſtiora erant Auſtriæ; in quam, ſi ſe hoſtis tranſmiſſo Danubio, altiùs infudiſſet, non inanis erat metus, ne, quemadmodum in Moraviâ contigit, à ſectæ Acatholicæ reliquijs, obvijs ulnis acceptus, novis copijs augeretur. Quare menſe Junio Pompeius, caſtrorum Cæſareorum pro-Præfectus, Inſulam Crembſio adſitam, quæ à Suecis inſidebatur, in Cæſaris poteſtatem redegit; útque recuperandi Crembſij, ex quo Sueci ſe toti circùm regioni reddebant formidandos, fundamenta poneret, propugnaculum Steinæ ſecundo Marte invaſit, dilatâ in proximum annum Crembſij obſidione.

Leopol-

PONS LUPINUS RECUPERATUR. XVII.

Leopoldus Archidux glorioſam poſuit operam in recuperandâ munitione, quam ad pontem Danubianum deſertam à Cæſarianis, poſt Jankavienſe prælium, Sueci egregiè firmaverant. Res videbatur proceſſura lentiùs, ob loci firmitatem & defenſorum animos ad vim excipiendam rebus omnibus comparatos. Verùm brevi tempore hoſtium conatus pervicit Archiducis fortis & accelerata proviſio. Ad 6. Cal. Junias juſſit fulminales tubos ad munitiunculam, ultra pontem devehi: poſtridie ſub veſperum ipſe eſt ſecutus. Die inſequenti, hoſtes, qui ducenti propugnaculum tuebantur, continuâ tormentorum fulminatione verberavit. Diruptâ ad juſtam impreſſionem loricâ, cùm hoſtis deditionis mentionem fuiſſet averſatus, Archidux viros trecentos ſelectæ fortitudinis, trans flumen vectos, jubet ire in hoſtem. Is demum majori vi non expectatâ, vitæ duntaxat veniam precatus, captivas manus dedit, Viennam in vinculis abducendus. Tantum valuit generoſus tridui conatus animatus ductu magnanimi Principis & imperio. Is, ſub hæc, arma vertit in Bohemiam, ſociatiſque cum Saxoniæ Septemviro copijs, tantum effecit, ut Sueci è toto propè regno ſeſe in Sileſiam reciperent, dum inde, ſub annum exeuntem reduces Fridlandam & Litomaritzium deditione occupârunt.

KŒNIGSMARCKII RES GESTÆ.

De Kœnigsmarckij rebus in Bremenſibus, atque alibi, adverſus Daniæ Regem geſtis, hæc pauca. Is, acceptâ à Sueciæ Reginâ legati generalis in exercitum poteſtate, cum Wittenbergio vigilum ſupremo magiſtro, ante cætera totius Archiepiſcopatûs Ordines ſibi fecit tributarios: mox, cùm minùs prompta foret ſolutio, moræ impatiens, Stadæ, expugnato ſuburbio, faciendæ deditionis neceſſitatem impoſuit, menſe Februario: ſubegit deinde Buxtenhudam & Bremervordam Archiepiſcopi ſedem. Actum poſt hæc ſeriò de pace inter Daniæ Regem & Sueciæ Reginam componendâ, quæ tandem ob Hollandorum cum Suecis belli ſocietatem maturata, hoc anno, menſe Septembri, coaluit.

PAX DANICA.

XVIII. INDUCIÆ SAXONICÆ.

Cùm jam res eſſent cum Danis compoſitæ, movit Kœnigsmarckius in Miſniam, ubi Leſnicâ arce apprimè munitâ potitus, pactis cum Saxoniæ Septemviro ſemeſtribus inducijs, Albi trajecto, cùm Lipſiam ac Pleiſſenburgum præſidio Suecico munijſſet, movit in Bohemiam, Saxonicis copijs majorem partem à Cæſariano exercitu avocatis, ob initum cum Suecis armorum juſtitium, quod deinde in neutrarum partium mediam ſecuritatem evaſit. Atque iſta quidem de bello Suecico: venio ad res Bavaricas.

Lit. Maxim. ad Mercium 1. Ian. 1645.

IUSSÆ CÆSARI SUPPETIÆ.

Cùm Sueci, Duce Dorſtenſonio, uti jam recenſui, Bohemiæ, primo quoque tempore, non expectatâ vernâ caſtrorum tempeſtate, ſeſe infuſuri cum non contemnendo exercitu præviderentur, Cæſarianæ verò copiæ ex Holſatiâ reduces, magnam partem attritæ, impares tam periculoſo bello crederentur, Cæſar è Bavarico milite ſuppetias putavit accerſendas. Miſſo igitur ad Maximilianum Comite Montecuculio, oſtendit, poſſe non coërceri modò communem hoſtem, ſed debellari etiam, ſi ad Comitis Hatzfeldij, & relictas à Comite Gœtzio legiones aliquot è Bavaricis millia accederent. Lubens obſecundavit Maximilianus Cæſaris voluntati, juſſitque Mercium è Bavarico equitatu mille quingentos, ductore Joanne Werthio, è peditatu, ductu Rauſchenbergij paulò plures, ilico per ſuperiorem Palatinatum, in Bohemiæ fines mittere, cum Cæſarianis ſociandos. Nec mora, ſub octavum ineuntis anni, è Mercianâ legione, Rauſchenbergicâ, Goldiâ, Holzianâ, Winterſcheidiâ, Fuggerinâ, ſelecti pedites ſexaginta ſeptem ſupra mille quingentos: è turmis Geilingiâ, Kolbiâ, Petreâ, Caſelskiâ, Fleckenſteiniâ, equites omnino ſeſqui mille Ambergæ adfuêre, inde Egram verſus moturi ad Hatzfeldium. De hujus expeditionis exitu dictum ſatis paulò antè.

XIX.

Jam erat in eo, ut reliquus exercitus in hibernis quietis aliquid capeſſeret, cùm medio Januario nuntiatur, hoſtem Gallo-Weinmaricum Rhenum trajeciſſe ad Ruſſelsheimium. Quamobrem Mercius nihil cunctatus, miſsâ equitum manu, qui rem certiùs explorarent, mille alarios, totidémque legionarios Mergentheimij juſſit excubare, ipſéque è prætorijs ſtativis ex Halâ Suevicâ ſequutus,

quutus, accepto Molfingæ nuntio, hoſtem adhuc tum hærere ad Ruſſelsheimiũ Darmſtadiani imperij præſidium, & dubitari, num vi locum eſſet tentaturus, an accepturus à Landgravio oblatam quinquaginta florenorum millium vexationis redemptionem, confeſtim per litteras ſuaſit Landgravio, ut ne quicquam hoſti concederet, ſe enim jam eſſe in procinctu, & certò, ſi uſus ferat, laboranti adfuturum. Multùm etenim intererat prohibere, ne, Mœno in ijs partibus frenato, vicina regio intuta redderetur, occupatíſque hinc inde ſtativis, hoſtis non annonâ modò, quæ copioſa habebatur in oppidis, ſed etiam jumentis, ad inſtaurandum equitatum, ſeſe firmaret. Viſus eſt ſimul id temporis hoſtis Franckentalij obſidionem moliri, quando præſidio ex arce Crucinacenſi cum pyrei pulveris tredecim dolijs educto, & hoſtilis equitatûs parte in Nemetes & Vangiones confluente, Franckentalenſes cœpêre ejus motus tanquam in ſe deſtinatos ſuſpectare. Profuit Mercij maturata proviſio; Galli enim animadverſo, non defuturam aleæ periculoſæ materiam, relictâ duntaxat ſuorum cis Rhenum ſeſquicenturiâ, quæ hinc inde ſparſa, defenſorum aliquam ſpeciem exhiberet, in ad-
Litt. Epiſcop. Herbipol. verſum littus ſeſe, Mœno tranſmiſſo, Moguntiam verſus, tempeſtivè ſubduxerunt.

XX. Quare Mercius, cùm nihil ultrà, tam importunâ tempeſtate, videretur eſſe tentandum, movit Biſchoffsheimium, tantiſper fatigato militi daturus ſpatium quieſcendi, dum hibernorum diſtributio decerneretur. Nondum ab explorando rediverant Croatæ ductore hipparcho Guſcenizio è Caſelſcicâ legione. Is
Cancell. bellic. Dieburgum cum viginti duntaxat ferentarijs ubi pervenit, cognovit, hoſtem Mœno trajecto, à Ruſſelsheimio abijſſe re infectâ. Quare Hœchſtam profectus, reperit è Werthianis triginta quinque omnino equites, quos item Mercius exploratum miſerat. His ſociatus, ſeſe rurſus adjungit ſeptuaginta quinque Cæſarianis Ruſſelsheimij; fingítque ſe in mandatis habere, ut Geilingo cum tribus millibus venturo hoſpitia metaretur. Hac famâ paſſim diditâ, ut hoſti probaret magnam vim imminere, Hœchſtam regreſſus, haud longè ab oppido, locis conſpicuis, luculentos ignes per noctem excitat, velut ſigna pernoctantis in vicino exercitûs: Hœchſtæ triginta præterea præſidiarios à Mandesloo accepit, cum mandato, ut Cronebergæ quadraginta inſuper auxiliares jungerentur. Cum hac ducentorum manu Cronebergâ ſub noctis medium digreſſus, alterâ poſt horâ Urſellis ſubſtitit ſeſqui à Francofurto milliari. In propinquo erant Galli pedites ſexcenti, equites trecenti è Mazarinicâ, Neoroſwurmiâ, & Durlacenſi
Galli cladem accipiunt. legione. Viſum eſt in eos Martem experiri. Cùm Galli, die vix orto, moverent è nocturnâ ſtatione, præmiſſus cum decem tantùm equitum manipulo Cæſarianus centurio, ut hoſtem laceſſeret, momento repellitur: ſuccedit Werthianus ſignifer cum ſuis, ferítque hoſtium latera, cæteri mox in totum agmen quatripartitâ catervâ invecti, turbant attonitorum ordines, confuſóſque agunt in
XXI. fugam. Cecidêre in loco tres centuriones, duo vicarij, manipulares centũ viginti: capti duo hipparchi, totidem vicarij, ſigniferi quatuor, plures minorum gentium ductores, ducenti gregarij. Reportatæ duæ machinæ fulminatrices major una, minor modi campeſtris altera. Gallos ducebat Moguntinus Gubernator, Heilmannus Tribunus, ordinum ſupremus ſtructor è Marchionali legione, quos fuga victorum manibus eripuit.

Galli irrumpunt in Wirtenbergiam. Quod ſupererat hiemis, apprimè fuit inquietũ. Sub ineuntem Februariũm, Galli magno numero erupêre in Wirtenbergiam, id agentes potiſſimùm, ut equitatum magnam partem jumentis deſtitutum, equis inſtruerent. Quam ad rem exegêre à Duce Wirtenbergiæ mille octingentos; rapuêre ex Leonisbergâ centum viginti. Fama etiam vulgaverat, Erlachium ad Gallos cum mille ſexcentorum manu properare. Periculum erat, ne præſidio aliquo in Wirtenbergiâ occupato, Provinciam, cæteroqui non multùm ab ipſis alienam, ſibi redderent obnoxiam. Jam caſtrum Nagoltium invaſerant, videbantúrque Neobergam inſeſſuri, unde colonos redderent vectigales. Denuo igitur in campum fuêre à

Mercio

Mercio educendæ aliquæ copiæ, quæ iſtos hoſtis conatus interciperent. Deſiderabantur in equitatu aliquot equorum millia, quos Maximilianus maturè magno ære comparatos juſſit viritim diſpertiri per turmas: cúmque Galli ſuum exercitum novis indies ſubſidijs firmarent, firmavit etiam Bavaricum Maximilianus, non exiguâ delectuum acceſſione. Eslingam duxerat Mercius decimâ tertiâ Februarij, cùm, intellecto, hoſtem in Durlacenſi Marchionatu, Roſâ Ductore, conſediſſe, confeſtim ſigna ad Rhenum convertit, certus, interclusô Gallis Philippoburgi receptu, eos ad confligendum adigere, vel procul retundere. Dum eſt in motu, cognoſcit, illos deflexiſſe ad Pfortzheimium, quaſi vim loco illaturos; quos properè inſecutus, adventûs ſui famâ, quam agreſtes ilicò vulgaverant, Brettheimium uſque rejecit. Credebat, ſe illos iſthîc tandem aſſecuturum: ſed cùm à Brettheimio vix mediæ horæ itinere diſtaret, comperit illos nocte intempeſtâ ad Philippoburgi mœnia, quò forent ſub machinis muralibus tutiores, evaſiſſe. Miſſi à Mercio centum quinquaginta equites, qui eorum terga premerent. Hi poſtremum agmen ad Bruſſalam aggreſſi, continuis velitationibus carpsêre, abduxêre aliquem captivorum numerum: ex quibus reſcitum, hoſtem non numerare ultra bis mille in iſtâ expeditione; quam eâ causâ ſuſcepiſſet, ut expugnatis infirmioribus regionis oppidis direptiſque, ſi defendi nequirent, Philippoburgo de annonâ proſpiceret, & collectis hinc inde jumentis, ad inſtaurandum equitatum uteretur. Id, cùm ex voto non ſucceſſiſſet, Roſa, deſerto Crumbaco, Neobergâ, Durlachio aliiſque oppidis, excepto Nagolto, quod præſidio munitum retinuit, ſub Februarij vigeſimum, Rhenum denuo tranſmiſit. **Reiiciuntur a Mercio. XXII.**

Nagoltum, cujus arx egregiè munita, ne in hoſtium poteſtate remanens, Bavarica ſtativa infeſtaret, juſſum à Maximiliano obſideri. Demandata fuit obſidio Tribuno Nusbaumio, qui præmiſſis trecentis velitibus, nullo negotio potitus eſt oppido, Gallis in arcem receptis. Quibus primoris arcis areæ defenſio erat imperata, cùm aquæ & cibariorum inopiâ premerentur, tertio demum die, ſexaginta numero, impetratâ vitæ veniâ captivas manus dedêre. Exinde cœptum agi quàm acerrimè ſenis tormentis, & ignibus punicis, puteóque, ex quo obſeſſis erat aquationis facultas, dirupto, caſtrum urgeri. Verùm, cùm nihil eſſet in arce paleæ, aut cæteræ materiæ, quæ facilè ignem conciperet, nihil proficiebatur punicis miſſilibus: firma verò ex vivis ſaxis ſtructura, tormentorum ictibus illudebat. Perſeveravit nihilominus oppugnatio ad uſque exeuntem Martium, cùm, oppido ab hoſte inopinatâ irruptione oppreſſo, Nusbaumius excubitoribus immixtus, cum multis prætereâ occubuit, cæteris ab obſidione repulſis. **Obſidetur a Bavaris Nagoltum. XXIII. Solvitur cum eorundem clade obſidio.**

Inter hæc clades Janckavienſis, & magni Francorum in Germaniâ ad proxima caſtra apparatus, non inanes curas excitârunt, hoſte partâ victoriâ, ſuprà quàm mediocriter erecto, Haſſis in omnem occaſionem intentis, Kœnigsmarckio nihil feriante, Dorſtenſonio rerum in agro Bohemico, ad Danubium uſque potiente. Quapropter omni ſtudio enitendum erat, ne in Imperio ſimilis caſus obtingeret, eóque proſpiciendum accuratè, ut Bavaricus exercitus tali loco conſiſteret, unde contra tot hoſtes à fronte, Germaniæ, quaquaverſum Rheno, Mœno, Neccaro aliiſque fluminibus clauditur; à tergo verò Bavariæ, lociſque finitimis poſſet in tempore ſuccurrere. In eo enim tota ferè rei communis ſumma vertebatur, ut, dum ſe Cæſar, adverſus Suecos, in Bohemiâ, Moraviâ, alibi, de integro firmaret, Bavarus reliquos hoſtes coërceret. Non erant tam validæ adhuc Vice-Comitis Turrenij vires, ut impendio foret formidandus; ſed nuntiabantur propediem ipſi à Duce Enguienno adfutura auxilia, quibus auctus, non æquaret modò, ſed ſuperaret etiam Bavaricorum numerum. Metus erat etiam, ne Kœnigsmarckius invaderet Franconiam, Haſſi Weſtphaliam. Trans Rhenum Erlachius Briſaci Gubernator, & Moſerus Benfeldæ præfectus, bis mille armatorum manum è diverſis præſidijs conflaverant, cum quâ impunè graſſati, non multò pòſt Liechtenaviam, Kuppenheimium, ſubegêre: obſedêre deinde **XXIV.**

Offenburgum : Stolhovium Marchio Badenſis, re cum Gallis compoſitâ, Erlachio permiſit.

In præſens erat de Gallorum impreſſione ſolicitudo, quibus non expediebat, recedendo laxare graſſandi ſpatia, nec ſtando propiùs, rerum ſummam periculoſæ unius prælij aleæ objicere : quanquam, donec Turrenij exercitus novis ſuppetijs foret auctior, nihil eſſet, cur admodum timeretur. Hoc erat timendum, ne quocunque tandem modo, fracto qui ſupererat, exercitu, omnia paterent hoſti, aut, ſi quæpiam neceſſitas receptum aliquem deproperari juberet, is futurus eſſet non noxius modò, ſed etiam ignominioſus. Schorendorffij multum erat annonæ cæterique bellici commeatûs; quem locum ſeptuaginta duntaxat Cæſariànis defenſum, ſi hoſtis ſui juris faceret, futurum erat ipſi pronum, ut omnem circa regionem, Danuwerdam uſque, faceret ſibi tributariam. Offenburgo non erat ſatis proſpectum, Wiltzburgi etiam ipſa tecta ſic perſtillabant, ut nec annonæ, nec militi convenientem ſtationem præberent. Heidelbergæ, tametſi à cibarijs ad ſemeſtre proviſum foret, non erat tamen par validæ obſidioni præſidium. Manhemio pauca, Dilſpergæ, Lindenfelſæ aliqua deerant. Sintzheimij mœnia ad quinque ſariſſarum longitudinem erant collapſa: quamvis paſſim, Pfortzheimij præſertim frumenti grandis eſſet copia, deficebant vecturæ, quibus ad loca egentia deferretur.

XXV. Quingenti ferè equites è pugnâ Bohemicâ reduces, equos, arma alij non pauci amiſerant, quibus nondum erant inſtructi. Cùm verò Turrenius cum decem millibus jam eſſe in procinctu, & copiarum partem trans Rhenum Spiræ, per pontem nauticum miſiſſe ſcriberetur, nihil omnino videbatur eſſe cunctandum. His aliiſque tum Monachij, tum in caſtris, maturè expenſis, Maximilianus ſine morâ omnibus proſpexit, quantum licuit per temporis anguſtias. Juſſit porrò exercitum Weillerſtadij, vel Kirchenæ ad Teccam ſeſe firmare, atque ad omnem hoſtis motum eſſe attentum. *Litt. Maximil. 11. April.* Non fuit abs re iſta Maximiliani proviſio, nam, anteaquam Mercius Weillerſtadium attingeret, jam hoſtis, qui cum univerſis copijs illuc appulerat, flexo ad Væhingam itinere, prætermiſſo Canſtadio; Marabaci, Neccarum id temporis vadoſum, adulto Aprili trajecerat, & ad Murram amnem caſtra locaverat. Ergo Mercius, quantâ potuit feſtinatione Weiblingam, indéque Frickenhoffium, ut hoſtem præverteret, contendit: jam enim Turrenius Halam Sueviæ præoccupaverat à civibus ultrò deditam. Tandem Dinckeſpilam ſic promovit, ut hoſti à fronte poſſet occurrere. Rotenburgum nihilo ſeciùs (quod paſſim civitates Acatholicæ faciebant) Turrenio ſe volens permiſit, tametſi à Mercio juſſum erat certas ſuppetias expectare.

Demum cùm paulatim hoſtis ulteriùs irrumperet, Maximilianus Elector, exeunte Aprili, Mercio per Teiſingerum bellici Conſilij aulicum conſiliarium, mandata dedit, ut hoſtis progreſſum interciperet, nec pugnam, ſi ullo modo

XXVI. æqua belli ratio pateretur, detrectaret, antequam Turrenio, qui novis indies ſubſidijs firmabatur, & propediem majora opperiebatur, longè majori diſcrimine eſſet occurrendum. Et verò Maximilianus Pariſijs litteras acceperat, quibus monebatur, conſultum eſſe ſibi, ut armis proſpiceret, nihil enim id temporis Gallos pacatum de Bavariâ, cæteráve Germaniâ cogitare. Quamobrem Mercius è ſuperiore Palatinatu cæteriſque præſidijs, tum veteranos, tum lecta recens ſupplementa juſſit ad caſtra properare, ut, quando hoſtis ſuas legiones in diverſa ſtativa diſpalârat, ſi quà poſſet fieri, immiſſo in medium exercitu, eas ſeorſim invaderet. Data denique eſt confligendi copia ad quintam diem labentis Maij.

Prælio vincuntur Galli ad Herbsthusium. Invaſerunt paulò antè Roſani ferentarij haud longè à Dinckeſpilâ Bavaricum commeatum, eóque potiti, non contemnendum equorum numerum abduxerant; nihilo minùs quartâ Maij, Mercius ſub veſperum, motis Feichtwangâ caſtris, noctis ſilentio confertiſque ordinibus, ne hoſtis ejus motum exploraret, inter Feichtwangam & Mergentheimium (quo loco Turrenius caſtra habebat prætoria) ſubſtitit. Hinc quintâ Maij, primo diluculo movit Herbſthuſium: pagus

gus eſt à Mergentheimio diſſitus uno milliari. Iſthìc reperit aliquot hoſtium catervas jam ſtantes in acie loco edito, eóque ſatis iniquo. Ut ſe conſpexêre acies, Mercius pro teſſerâ Sanctæ Mariæ nomen eſſe voluit. Itum deinde magnis animis in hoſtem. Prima conflictio Bavaricis ſuſcepta adverſus Turrenij legiones, quæ partim ad ſylvæ marginem, partim in ipsâ ſylvâ confragoſæ viæ interjectu protegebantur. Legiones Bavaricas ducebat Baro Rauſchenbergius. Ubi ventum ad manus, momento Turrianæ legiones loco motæ, ſemel iterum in pago Herbſthuſio collectæ, tandem disjectæ fuerunt. Non æquè facilis fuit pugna cum alâ hoſtium ſiniſtrâ, quippe, in quâ præcipuum erat robur Turrenici equitatûs. Hîc dextrum Bavarorum cornu primo congreſſu repulſum. Et verò nutabat planè victoria. Inclinatam aciem erexit læva Bavarici equitatûs, ductore Joanne Jacobo Kolbio, ſimul aliquot alariorum catervæ, ſub Barone Joanne Werthio, & legiones victrices hoſtilis peditatûs. Tandem poſt acrem dimicationem Turrenici profligati, palmam Bavaricis conceſsêre, toto peditatu protrito, equitatu cum ingenti clade acto in fugam. Capti ex hoſte quatuor Generales, Smidtbergius caſtrorum Præfectus, Roſa, Vice-Comes Mettius, Paſſagius ſummi ordinum ſtructores, tres protribuni, ſex vigiliarum præfecti, triginta duo centuriones, triginta octo vicarij, quatuor ſupra centum minoris notæ ductores, bis mille quingenti gregarij, machinæ curules omnes ad unam, cum univerſo inſtrumento, ſigna equeſtria viginti octo, pedeſtria triginta duo, campus univerſus ſtratus cæſorum corporibus, quorum numerum haud difficile eſt colligere ex multitudine captivorum. Soli Mergentheimienſis Commendatoris ſubditi bis mille quingentos terræ mandârunt. XXVII.

Turrenius fugâ elapſus Mergentheimium ad duas equitum phalanges, ipſius videlicet prætoriam & Traſſianam, quæ prælio abſuerant, conatus eſt cladis ſuæ reliquijs receptum aliquem facere; verùm hæ quoque turmæ à Bavaricis cæſæ, maximámque partem profligatæ. Mercius bene uſus partâ victoriâ, confeſtim caſtra movit Mergentheimium, ubi ducentos ex hoſte arci impoſitos, coëgit ad deditionem. Miſit etiam, qui fugaces inſectarentur. Ex his multi in fugâ obtruncati, alij quacunque ſors tulit palantes, hac illac dilapſi, pars tranato Mœno, in quo non pauci hauſti gurgitibus, pars per ſylvam Ottonicam, in Comitatum Erbacenſem, pars per agrum Darmſtadianum, pars Gerensheimium ad Rhenum evaſêre. Ex ijs Piſſingerus protribunus, ad Eppingam, in inferiore Palatinatu centum profligavit, & ex Wittgenſteiniâ legione non paucos fecit captivos. Gabor ſupremus legionis Nusbaumicæ Vicarius, in Wirtenbergiâ, ducentos Gallos pedites, quadraginta equites concîdit, captivos fecit octo ſupra octoginta. VARIÆ GALLORUM CLADES. XXIIX.

Aliquot Cæſarianæ legiones miſſæ è Bohemiâ in Franconiam, multos ex ijs, qui tranſmiſſo Mœno profugerant, cum quinque mulis opimâ prædâ onuſtis, & ſex vexillis, interceperunt. Crucius è Bavaricis equitum catapultariorum tribunus, Gallos ducentos equites, totidem pedites, qui Halâ Suevorum, auditâ ſuorum fortunâ ſe proripuerant, haud procul Sindringâ propè omnes ferro vel captivitate delevit.

E Bavaricis non ultra trecentos fuêre deſiderati, in quibus Beauvauſius Tribunus, Argenteſius, Sacoius & Rupertus centuriones. Denique Turrenius in Haſſiâ equites mille quingentos circiter collegit ex fugâ. Diſceſsêre ſub hæc Erlachiani ab Offenburgi præſidio. *Argenteau.*

Mercius decimo octavo Maij, Gerensheimio exegit Gallicum præſidium, quod jam cœperat toti circà regioni tributum imponere: Francis ducentis quinquaginta, relicta facultas Moguntiam abeundi, Germani, qui aliàs Cæſaris aut Maximiliani ſigna fuerant ſecuti, retenti.

Kœnigsmarckius, ut Turrenij afflictas vires erigeret, ſuppetias venerat, nuntiabatúrque jam imminere Franconiæ; Haſſi quoque inferiores ſuas copias erant juncturi; quò magis Mercio fuit feſtinandum, ut ante iſtam conjunctionem, quoad liceret, partæ recens victoriæ fructum ultrà proferret. Quare movens Umbſta- KŒNIGSMARCKII ET HASSORUM CUM GALLIS SOCIATIO.

XXIX. Umbſtadio, Mœno ad Hœchſtam trajecto, Amœneburgum, quod oppidum Moguntinæ ditionis, Haſſi quintum jam menſem circumſederant, obſidione liberavit, Haſsóſque centum quinquaginta in ſuam poteſtatem redegit. Conſilium erat, Turrenij reliquias opprimere; verùm Franci, adventu Mercij explorato, primùm quidem Sigenheimium, deinde verò Fritzlariam ſe ſubduxêre, nongentis Haſſis ac Gallis ad Kirchhainæ defenſiónem relictis. Paſſibus mille quingentis circiter Kirchhaina diſtat ab Amœneburgo. Avidè quidem à Mercio per Legatos Darmſtadienſes petebatur, ut iſto loco expugnato, regionem moleſtis incubatoribus eriperet; quod factu non videretur arduum, ob munitionis imbecillitatem: verùm alia prorſus erat Mercij ſententia, quòd non crederet ſe facturum operæ pretium, ſi per iſtam oppugnationem hoſti concederet ſpatium ſeſe novis auxilijs firmandi, atque interea obſtinatis ad ſupremam aleam experiundam propugnatoribus, victoris militis exponeret ſanguinem, quo tantillum oppidum non benè emeretur. Ne tamen Principis Cæſari fidi & Maximiliani perquam ſtudioſi petitioni deeſſet, paſſus eſt ſibi perſuaderi, ut vim ſaltem hoſti oſtentaret. Oſtentavit Mercius, editâ etiam luculentâ ad juſtam irruptionem muri ruinâ; ſed cùm obſeſſi in ſententiâ loci retinendi perſiſterent, nec futura eſſet niſi cruenta admodum expugnatio, & forſan non ſine multiplici impreſſione & repulsâ, maluit parcere optimè merito militi, quàm tantilli oppidi occupatione facere fortium virorum jacturam. Quare omiſsâ obſidione, Maij vigeſima nonâ, ad Steinhemium, equitatum duxit trans Mœnum, peditatum verò per pontem Aſchaffenburgenſem juſſit transportari.

Amœneburgi obſidio ſolvitur.

XXX Ad Aſchaffenburgum caſtra metatus, voluit tantiſper explorare, quorſum tandem eſſent eruptura hoſtis conſilia, de quo veniebant frequentes nuntij, non modò Suecos ductore Kœnigsmarckio, unáque Haſſos auſpicijs ſtrategi Geiſij ſeſe Turrenio ſociâſſe, ſed etiam Marzini & novam Roſæ legionem cum auxiliaribus Alſaticis, & ſeptem curulibus machinis Bingam tendere, ut juncti omnes, quindecim, ut minimùm millium exercitum conflarent, quæ vis non contemnenda meritò videbatur. Quare Mercio curæ erat, majores ſibi vires adſciſcere, Gleeno ad belli ſocietatem invitato, contractiſque quotquot poſſet è vicinio ſubſidijs.

Junio ineunte, patuit, hoſtem conjunctis copijs rectâ movere in Bavaricos: Nam Geiſius poſtridie Cal. Jun. Gemindæ, altero à Kirchhanio milliari, caſtra habuit, die poſtero primum hoſtium agmen bis mille equitum fuit in agro Kirchhainenſi: ponè ſequebatur peditatus, agmen poſtremum ſe infuderat in Wetteraviam Homburgum verſus, Gallo-verò Weinmariani in agrum Marpurgenſem.

Weillerſtadii obſidio

Dum in eo forent; hoſtis Weillerſtadium coronâ cinxerat, eâ re diſtracturus Mercij copias. Opus erat celeritate, ne tum demum obſeſſis ferenda forent auxilia, cùm exercitus adverſus Turrenium ejúſque ſocios rebus neceſſarijs maximo futurus eſſet uſui. Quare Mercius Sperreuterum ſupremum excubiarum moderatorem, juſſit cum recens collectis delectibus, qui hærebant in agro Ulmenſi, cum Schockij ferentarijs, Piſſingeri, Kolbij & Gaboris equitatu auxilio advolare. Jam murus erat apertus, cùm hoſtis factus de eorum adventu certior, præmiſſis, noctis beneficio, tormentis, ſolutâ obſidione ſe Pforzheimium irritus recepit.

Solvitur.

XXXI. Ad medium Junium, tetendit circa Urſellas, intra montes & Niddam amnem, erátque dubium, velletne iſthic nova Francorum auxilia opperiri, an præſidium aliquod cis Mœnum obſidione tentare.

12. Junij.

Non deſinebat interim Mercius, ubi ſe dabat occaſio, carpere illius ſtationes. Sperreuterus depulſo Weillerſtadij periculo, in reditu Gallicorum equitum turmam, unáque bonum ſclopetariorum numerum Sintzheimij intercepit, dimiſſis duntaxat primæ notæ ductoribus, ſine ſarcinis aut bellico apparatu. Non multis pòſt diebus, rurſus excurſores quadraginta Gallorum concîdit, octo fecit captivos.

Move-

Moverat hoſtis Fridbergam, eámque cœperat tormentis verberare; verùm ſubitò, ſub vigeſimum Junij, converſo itinere, rediјt in priora caſtra, inter Hanoviam & Francofurtum, quò foret propior Duci Enguienno, qui cum validâ manu in Alſatiam venerat, propediem ſibi Turrenium & fœderatos ſociaturus. Galli, qui Moguntiâ cum Tubadelio venerant Turrenio jungendi, antequam Fridbergâ moverent, inhumanitatis ab ingenio Gallico alienæ monumentum conſignârunt cineribus Urſellarum vetuſti Moguntinenſis ditionis oppidi, cujus incendio, donec totum abiret in favillas, immites oculos oblectârunt. Cunctabatur interea Gleenus adducere, quas Elector Colonienſis addixerat, ſuppetias quo fiebat, ut occaſiones hoſtis invadendi Mercio elaberentur: facta tamen eſt conſociatio quartâ Julij.

Decem antè diebus Turrenius Darmſtadium verſus duxerat, Mercius verò Miltenburgum, ubi recèns delecta ſibi ſupplementa adjunxit. Paulatim propiùs imminebat Dux Enguiennus. Habebat ſub ſignis quinque millia, & circiter ſexcentos, partim ex novem Gallicis legionibus, partim ex nationibus exteris, & varijs Lotharingiæ ac Mediomatricum præſidijs. Secum vehebat non exiguum bellicæ rei inſtrumentum, & aliquid annonæ. Ubi Ladeburgum appulit, quartâ Julij Turrenius, Haſſi & Kœnigsmarckiani eum cum univerſis copijs convenêre. Adduxerat Gleenus ter mille pedites, equites bis mille ad Mercium Amerbaci præſtolantem, qui conjuncti, ſextâ Julij Wimpfenam moverunt, ut Neccaro ponte inſtrato, ad omnem hoſtis molitionem eſſent paratiores. XXXI.

Turrenius inter hæc Weinheimium ſuæ ditionis fecerat, præſidio ad defectionem coacto. In parem ſortem venit Heppenheimium, quibus ſucceſſit Wimpfena octavâ Julij dum Mercius Ulmæ-Neccari non longè ab Hailbrunâ caſtra poſuiſſet. Habuit in exercitu Enguiennus universè ſeptendecim peditum, ſexaginta duas equitum, Mercius contrà non niſi quatuordecim legionariorum, triginta ſex alariorum catervas. Enguiennus porrò Neccarum tranſgreſſus, Rotenburgum invaſit, flagitio civium. Tameſi enim præſidiarij egregiè locum propugnarent, cives tamen velut gratos accepturi è Galliâ hoſpites, curabant cuticulam, nihil præterea præſtantes ad arcendum hoſtem.

Weinheimium, Heppenheimiũ, Wimpfena ab hoste occupata. Rotenburgum eidem deditum.

Sub hæc Kœnigsmarckius à Duce Enguienno ſejunctus, Mœnum trajecit, iturus in Turingiam adverſus Saxones, qui, neſcio quid impreſſionis ijs locis moliri nuntiabantur. Ea res Mercio & Gleeno addidit animos, ne facilè prælij opportunitatem detrectarent.

Duci Enguienno pariter erat propoſitum, vel penetrare ad Danubium, ínque ipſam Bavariam, aut ſupremam pugnæ aleam experiri. Ergo penultimo Julij, ſignis refixis, Rotenburgo ad Tuberum rectâ contendit Dinckelſpilam. Sub horam quartam à meridie, Bavarici, qui ſeſqui duntaxat horâ à primo Gallorum agmine aberant, velitaribus prælijs illud cœperunt laceſſere, quæ in ſerum uſque veſperum continuata, eò quòd juſtæ pugnæ intercederet Werniza fluvius interlabens, & divortium viarum anguſtius, quàm ut acie explicatâ poſſet quicquam conſultò tentari. Hoſtis prætoriam ſtationem habuit Ampferici, copijs ad Wernizam amnem protenſis, ſecundum vallem Ampferienſem. XXXII.

Pugna velitaris.

Suſpicio erat, Ducem Enguiennum retro ad Neccarum abiturum, ut Hailbrunæ, vel Heidelbergæ vim faceret, vel quod erat credibilius, Dinckelſpilam moveret. Quamobrem viſum tum Mercio, tum Gleeno illuc præmittere ferentarios, quos reliquæ copiæ actutum ſequerentur, ſi quid ex eâ parte periculi immineret. Verùm nocte, quæ præceſſit calendas Auguſti, hoſtis Wernizâ tranſmiſſo, in Durwagenſi ſylva conſedit, ratus, ſe ex improviſo Mercium ac Gleenum invaſurum. Mercius, eâ re cognitâ, colle è regione occupato, tormentis cœpit hoſtem laceſſere. Vicem Enguiennus repoſuit; nihil tamen de ſummâ rei potuit decerni, eò quòd neutra caſtra ſtarent loco ad pugnam ſatis juſto, aut opportuno.

Ven-

Ventum tandem eſt tertio Auguſti ad Allerheimium pagum prælio cruento deſtinatum. Mercius, velut divinans, Enguiennum illuc motutum, præverterat, quò caſtris locum deligeret, quem credebat eſſe accommodatiorem. Ergo ante omnia pagum validâ ſclopetariorum manu communit, deinde aciem in aperto colle explicat. Primus hoſtis conatus in pagum fuit, tum crebrâ machinarum fulminatione, tum acerrimo conflictu, qui ad duas omnino horas pertinaci utrinque fortitudine fuit productus: Franci, ut Bavaricos eâ ſtatione exuerent, tectis injecêre flammam, quâ contemptâ, Bavarici nihilominus, tametſi à latere & à tergo incendio, à fronte verò ab hoſte graviter premerentur, ne latum quidem unguem ceſsêre, rejectis cum luculentâ clade Gallorum non modò legionibus, ſed etiam alarijs, qui magno numero in eo certamine occubuerunt. Habet pagus templum non ignobile, & geminas domos ex ſolido lapide, ex quibus continuâ ſcloporum procellâ hoſtes petebantur. In iſto dimicationis æſtu Marzinus, Caſtelavius, Monteloius & Bellavius è Gallicis primoribus, graviter fuêre ſauciati: ipſe verò Mercius infelici pilâ è turri (ut creditum) templi, ſecundum cervicem in imum pectus temerè excuſsâ, à ſuis interfectus, caſu nunquam ſatis deplorando. Certamen ſubinde incruduit inter alarios, in quo Gleenus venit in hoſtium poteſtatem. Franci, ſublato utroque ſtratego, jam erectiores, legiones ac turmas aliquot reducunt in Allerheimium, quaſi in eo occupando crederent verti momentum victoriæ. Rauſchenbergius, qui iſthîc curabat, tantâ eos conſtantiâ excepit, ut denuo rejecti, cum magnâ virorum fortium jacturâ, terga verterint.

XXXIII. Prælium Allerheimense.

Inter hæc ala Bavarorum ſiniſtra, in quâ curabat Werthius, Gallorum cornu dextrum fuſum, fugatum profligavit, ſimul cum ingenti ſtrage, quicquid hoſtilium legionum adhuc ſtabat in acie, confuſis ordinibus disjecit, egitque in effuſam fugam. Non pari Marte dextra Bavaricorum ala, quam Gleenus duxerat, conflixit cum ſiniſtro Gallorum cornu: nec mirum; erat enim amiſſo ſuo Duce conſternat a: & Turrenius, qui lævos ducebat ordines, acie perruptâ eam turbaverat, tandémque ſemel iterúmque reſtitutam everterat: hâc in dimicatione Dux Enguiennus fortiſſimè pugnans ſecundum brachium fuit ſauciatus. Memorant aliqui, fugatâ jam alterâ Gallorum alâ, & profligato omni peditatu, lævam Bavaricorum alam, ipſáque ſubſidia atque legiones incubuiſſe Turrenio, tandémque, cùm res rediſſet ad triarios, Haſſicos, qui erant in ſubſidijs, acie reſtitutâ laboranti ſubveniſſe, atque tum demum ſupremis utrinque conatibus prælium fuiſſe reſtitutum, tandémque Bavaricos datos in fugam. Longè alia referunt Bavarici commentarij. Ajunt enim, totum Bavarorum peditatum, alámque ſiniſtram immotam ſtetiſſe ad ſerum uſque veſperum: ne verò hoſtem potiſſimam partem fuſum perſequerentur, noctis incerta vetuiſſe. Habuiſſe interea Gallos ſpatium ſeſe colligendi. Certum eſt, Bavaricos totam propè noctem ad Allerheimium conſtitiſſe, ſuique dediſſe indicium non modò ſuarum, ſed etiam hoſtilium, quas ceperant, machinarum diſploſione: diſpoſuiſſe in Gallorum conſpectu vigilias, in commune deliberâſſe duces, videretúrne pugna in craſtinum repetenda; viciſſe verò ſententiam receptum ſuadentium, eò quòd plerique tormentorum vectores cum dextro cornu, vel abductis equis diffugerant, vel fuerant obtruncati, nec niſi quàm difficillimè poſſent machinæ loco ad certamen craſtinum opportuno ſtatui: cauſam verò fuiſſe ejuſce ſententiæ potiſſimam, quòd pugna diuturna, & creberrima omnis generis tuborum tempeſtas nitratum pulverem, piláſque penè omnes exhauſiſſet, eáque pars, quæ in cornu dextro fuerat, veniſſet in hoſtium manus: viſum itaque ſatius abire Do-
XXXV. nawerdam. Atque id quidem, citra omnem confuſionem ordinum, factum quartâ Auguſti, abductis magno molimine tormentis quatuordecim, in quibus tria de hoſte reportata: cæteris (nam pleraſque Gallorum machinas Bavarici ſui juris fecerant) jumentorum & aurigarum inopiâ in arenâ relictis.

XXXIV.

Francis

Francis ſaluti fuit habuiſſe à Nordlinganis receptum præſertim ad ſauciorum, quorum ingens multitudo, vulnera obliganda, ad capienda cibaria, tutámque ſub eorum mœnibus ſtationem; ad colligendas fugitivorum reliquias. Geſſerunt ſe nihilominus pro victoribus. Verùm Pariſijs, cæteráque Galliâ pullatum egêre triumphum, inter triſtiſſimos plauſus mœrentium multa cæſorum millia, in quibus viri præſtantiſſimi & præcipuæ nobilitatis, quorum morte ac ſanguine Gallia voluiſſet non fuiſſe emptam ejuſcemodi gloriam. Conſtitit certè multis, iiſque illuſtriſſimis funeribus, Marchionis videlicet Piſani, Marchionis Bourrij, Comitis Witgenſteinij, Vice-Comitis Aubeterrei, Luirij Mareſchalli, Morſei ſupremi vigilum magiſtri, Gremonvillæi, Chambræi, Montareti, Montauſerij, Trucſeſſi, Saurzapffij, Schwertij, Fabri, Hailmanni, & aliorum. Captivas dedêre manus Grammontius Franciæ Mareſchallus, Marchio Chaſtræus, Lamberti, Mionus, Bonſalmius, plurimi alij. *Theatr. Europ. part. 5. pag. 863.*

Vulneribus debilitati Dux Enguiennus, Islebonius Ducis Elbonij filius, Marſinus, Caſtelavius, Monteloius, Bellovius, Fleckenſteinius, Tourvillæus, Berchenus, Traſſius, Allegrius, Cheriſius, Villemontæus, Fombertus, Hauræus, permulti alij majorum minorúmque gentium, quos Nordlingani magnam partem referre potuerunt in indicem. Gallorum ſarcinæ pars occupatæ à Bavaricis, pars ab ipſis Gallis direptæ.

XXXVI. MERCII ELOGIA.

Totus propè eorum peditatus interijt, adeo ut cæſorum numerus ſex millibus fuerit æſtimatus. Amiſêre ſigna militaria ad ſeptuaginta. Bavarici verò duntaxat undecim. Horum maxima jactura fuit in funere Mercij, inter clariſſimos ævi ſui Heroes meritò numerandi, qui partis de hoſte palmis, ſuaque gloriæ immortuus, dubium reliquit, majoráne decora à Comitum Gebennenſium illuſtriſſimo ſanguine, ad quem Mercij referunt ſuam originem, atque è Majorum præſtantiſſimis factis ſit aſſecutus; an ſuos ipſe natales militari ſapientiâ, fortitudine, felicitate, rebus præclariſſimè geſtis, victorijs ad omnem poſteritatem memorabilibus, magis nobilitârit, miles terreri, dux vinci neſcius, cujus trophæa ſtabunt, donec erit Rheinfelda, Conſtantia, Burgundia, Friburgum, Tutlinga, Rotwila, Uberlinga, campi Herbſthuſienſes & Allerheimij, in quibus omnibus (omitto multa alia) poſuit perennia honorum immortalium monimenta. Faſſi ſuêre hoſtes ſe ſublato Mercio majores progreſſus feciſſe, quàm ſi devictâ aliquâ provinciâ, numeroſiſſimum quemvis exercitum deleviſſent. Præter eum è Gleenij ſuppetijs cecidêre non omnino mille, è Rouieri legione, quâ ipſe tumulum ſeorſim defendebat, pars potior; ex legione Ægid-Haſianâ trecenti, qui in Cœmiterio fortiſſimè rem geſſerunt, ferme omnes capti. Occubuêre præterea pauci centuriones, tribuni nulli. Inter captivos fuêre Rouierus, Kolbius, Stalius Chiliarchæ, unus legionis legatus, unus excubitorum magiſter, aliquot centuriones: vulneratorum numerus, utpote perexiguus, non venit in calculum.

XXXVII. *Ex publico bell. Cancell. tabulario. Monec. & præſidiariorum autographa teſtificatione.* NŒRDLINGANA DEDITIO.

Quando jam Nœrdlinganæ pactionis antè memini, juvat eam ex vero deſcribere. Nœrdlingenſes, Calendis Auguſti, admiſêre intra mœnia loco defenſorum trecentos, ductore Beltino legionis Ægid-Haſianæ legato. Quarto pòſt die cùm ſequior fama de Allerheimenſi prælio Nœrdlingæ increbuiſſet, contulêre Magiſtratus populúſque inter ſe capita, de paciſcendo cum Duce Enguienno. Die inſequenti, inſcio Beltino, mittunt ad hoſtem feciales, de neutrarum partium ſecuritate acturos: die ſextâ Magiſtratus Beltinum vocat in Curiam, & coràm (aderant ſimul ſecundarij ductores) ſignificat, Ducem Enguiennum offerre civitati, ut vocant, Neutralitatem, atque eam ob rem petere ad ſe mitti, quîcum de illâ ageretur, miſſurum ſe viciſſim in civitatem aliquem obſidem. Cupere itaque Senatum Beltini mentem eâ de re cognoſcere, citra cujus voluntatem ac notitiam nihil pacti, nedum induciarum, in fraudem præſertim præſidij, civitas ſit tractatura.

Beltinus, vir cæteroqui fortis & gnavus, gravibus verbis fidem Cæſari ante

annos undecim, deviċto ad Nœrdlingam Duce Weinmario, à Senatu populóque Nœrdlingenſi addiċtam, impetratámque imis precibus admiſſæ ſeceſſionis veniam conteſtatus, oſtendit, nihil eſſe, cur quicquam ſibi ab hoſte metuerent. Enimvero ſat ſupérque adeſſe virium, ſi ipſi manus adhibeant, ad propugnationem: hoſtem luculentâ clade affeċtum, amiſſo peditatu, & equitatu apprimè imminuto, obſidioni eſſe imparem. Quòd ſi fidei immemores quicquam admittant contra Cæſarem, videant, quo id animo Cæſar & Imperij Ordines ſint accepturi, quæque ſint inde ſecutura: legerent ipſas Joannis Werthij litteras, quibus jubeat præſidium bono eſſe animo, atque certum, copias Bavaricas non profligatas aut deviċtas, ſed viċtrices potiùs, de hoſte opimas manubias reportâſſe.

XXXVIII. Sed canebatur ſurdis: jam enim fixum erat cum hoſte convenire. Ergo Doċtor Sadlerus civitatis reique communis cognitor, quem Syndicum nuncupant, extemplo ad Ducem Enguiennum cum paciſcendi mandatis expeditur, recipitúrque Gallicus obſes in urbem; quorum neutrum Beltinus potuit prohibere, eò quòd portarum cuſtodia poteſtáſque eſſet penes Magiſtratum. Non multò pòſt Sadlerus adeſt cum ſcriptis Neutralitatis articulis, ad quos audiendos Beltinus cum ſuis, uti antè, fuit accerſitus.

Illorum hæc erat ſumma: *1. A Duce Enguienno civitati civibúſque univerſis Nœrdlinganis conceſſam, & ſervatum iri Neutralitatem, quæ ſit ejuſdem prorſus rationis cum Argentinenſium mediâ conditione, quæque cives à ſuſcipiendo omni præſidio præſtet immunes. 2. ut tamen cives, quotquot lubebit, ex Gallico milite in civitatem recipiant. 3. ut miles receptus ſuo omnia ære comparet, aliàs nihil accepturus. 4. ut omnes civitatis incolæ, pro libitu & ſecuritate ultro citróque commeandi habeant facultatem. 5. ut, qui adverſis partibus addiċti in civitate degebant, cujuſcunque eſſent ſtatûs vel ſexûs, vel gauderent beneficio Neutralitatis, ſi remanerent, vel tutò ac liberè, quocunque vellent, migrandi haberent poteſtatem. 6. Ad præſidium quod attinet, ut cum ſarcinis, accenſis funalibus, & annonâ, quam quiſque ferre poſſit, cum nullius prorſus hominis, aut rerum, quas penes ſe habuerint, detrimento, Donavverdam emigret, ac tutò deducatur.* Ad hæc Beltinus (cùm quævis conteſtationes ac preces fruſtra forent) poſcit, ut quando cives, contra datam fidem, operam nollent conferre ad defenſionem, ſaltem integrum ſit præſidio, muros, valla & ſtationes quaſvis obire, & ſclopis (neque enim civitas ullas præbere volebat machinas) tueri. Id verò negavit Magiſtratus. Ergo ad faciendum aliquod temporis compendium, petit impetrátque Beltinus ſpatium in craſtinum uſque, qui fuit oċtavus Auguſti, rem maturiùs expendendi. Vix id erat conceſſum, cùm adeſt tubicen poſcens extemporaneum, ultimúmque reſponſum, velítne Beltinus loco cedere. Hic verò addiċtam deliberandi moram poſtulare; & promittere, ſe demum eâ elapsâ reſponſurum: quòd ſi interea vis inferatur, ſe juſtæ defenſioni non defuturum.

XXXIX. (margin beside: "ſtra forent) poſcit")

Inter hæc hoſtem paulò propiùs ad mœnia accedentem præſidiarij ſclopis petiverunt: quod cives iniquè ferentes, armis per tympanotribas conclamatis, pars in militares ſtationes convolant, pars coëunt in forum, præſidio longè infrequentiori vim parantes. Beltino in eâ rerum turbatione denuo vocato ad curiam Senatus objicit, mirum enimvero videri, quòd præſidium à vi non abſtineat, quando conditiones civitati tam commodæ, Imperio Romano Cæſaríque certò probandæ, ipſis verò præſidiarijs non indecores, proponantur. Hoc ergo civitati eſſe reliquum, ut ſuis rebus ipſa conſulat. Caveat igitur Beltinus, ne quis præſidiariorum quicquam tentet adverſus hoſtem, tametſi paulatim opera mœnibus admolientem & tonantem machinis. Si ſecus faxit quiſpiam, fore ut telis obruatur. Ergo præſidio velut jam captivo omnis propugnatio fuit iſtâ noċte omittenda. Vix diluxerat, cùm cives omnes ſtationes invadunt, præſidio in commune ſtationarium rejeċto. Cùm nihil ultrà adverſus vim apertam oppreſſis foret remedij, Beltinus cum die naſcente unum è præfeċtis de præſidij ſalute

ſalute acturum, cogitaret ad hoſtem emittere, offendit portam, ſe inſcio, jam hoſti patentem, à centum Gallis occupatam, civibus armatis hinc & hinc longo ordine diſpoſitis. Porrò hoſtile agmen præ foribus jam tum excubabat. Petijt nihilominus Beltini internuntius, admitti ad colloquium: negavit Dux Enguiennus quicquam eſſe reliquum, quàm ut ſe ſuóſque Beltinus permittat victoris arbitrio. Educto itaque ſtatim præſidio, gregarijs ad hoſtis ſigna adactis, præfecti ademptis equis abire permiſſi: atque hæc quidem viſum ex vero tradere explicatiùs, ne, quæ aliqui partium ſtudio odioſè contrà vulgârunt, poſteritati aliquando faciant offucias. XL.

Poſt Allerheimenſe prælium, Maximiliano Electori curæ fuit deligere ſucceſſorem, qui Baronis Mercij loco exercitui, cum legati generalis poteſtate præeſſet. Eapropter, cùm de Grammontio Francicorum caſtrorum primariæ vicis Præfecto, qui Ingolſtadij captivus attinebatur, in libertatem vindicando, & faciendâ cum Comite Gleeno permutatione, ageretur, libens annuit Maximilianus, ut mutuâ lytri condonatione uterque captivitate ſolveretur: Gleenum deinde præfecit Bavaricis Imperij copijs.

Rebus Nœrdlingæ compoſitis, Dux Engujennus Dinckelſpilam obſedit, præſidio Bavarico inſeſſam. Erupêre ſæpius obſeſſi cum aliquâ hoſtis clade. Die undevigeſimâ Auguſti, cùm jam civitas coronâ undique cingeretur, è ſuggeſtis cœpêre ignes punici in tecta immitti. Poſtridie tanta fuit è machinis tempeſtas, ut mœnia, ipſáſque ædes hoſtis funditus evertere velle videretur, vix tamen quicquam punicæ pilæ quatuor ſupra quadraginta, aliáque fulmina, præter fragores ad uſque Norimbergam exauditos, effecêre. Die ejuſdem menſis primo viceſimo, continuatâ poſt meridiem jaculatione, cùm plerique globi pyroboli in eam partem civitatis, quæ quarta regio nuncupabatur, inciderent, deſertæ à civibus ædes paſſæ ſunt ingentem ſtragem. Promovit inter hæc Turrenius è ſuâ ſtatione flexus foſſilium vinearum, adverſum mœnia. Orta deinde civium, ſequioris præſertim ſexûs comploratio, rogantium præſidij Præfectum, ne rem ad extrema differret: ille contrà defenſionem urgere, animare cives, velle ultima quæque experiri. Movêre tamen ejus conſtantiam repetitæ preces, adhibitâ Decani Eccleſiæ Collegiatæ, Capucini unius, & Carmelitæ interceſſione, ut æneatorem fecialis vicem ad hoſtem mitteret. Is deductus ad Turrenium inclemens reſponſum tulit.

Dinckelspilæ obsidio.

XLI.

Exin integratæ arietationes, pilæ punicæ, opera ad uſque civitatis foſſam producta, obſeſſis contra ſclopórum procellas, picatorum circulorum ignes, lapidum grandinem ejaculantibus: unde multa Gallorum corpora fœdè lacerata, & ſauciorum ejulatus fuêre exauditi. Poſtridie, qui fuit vigeſimus ſecundus Auguſti, ad Segeringenſem portam è Gallis ſe ſtitit tympanotriba cum duobus inſignioris notæ præfectis deditionem poſtulantibus. Hæc cùm negaretur à præſidij Vicario, petivêre Galli ad colligenda interfectorum cadavera inducias; quibus finitis, cœptum de integro fulminari. Conati ſunt illi, admotis ſcalis, mœnium loricam ſuperare; ſed non paucorum cæde conatus illis ſtetit. Luce poſterâ, cùm in civitate lamentorum nullus eſſet finis, tandem Præfectus paſſus eſt duos religioſos, totidem ſenatores, atque è civibus binos, ire ad Ducem Enguiennum, cui tum aderat Turrenius, alijque primores. Illis auditis, reſponſum, præſidij ductorem ejúſque commilitones vitæ gratiam accepturos, cum captivis è pugnâ Herbſthuſianâ poſſe permutari: civitatem verò ac populum ad normam legum Rotenburgenſium eſſe habendos, id demum eſſe ultimum, quod poſsint impetrare: deprecati ſunt PP. Capucini ſui Cœnobioli interitum: repoſuit Dux, unam eandémque fore ſortem omnium. Cum hoc reſponſo triſtes ad Præfectum rediêre. Major hinc populi exorta conſternatio, quódque compertum eſſet, ſubterraneam fornaculam brevi in auras erupturam; erupit verò nocte intempeſtâ, ſed civitati innoxia. XLII.

Jam Franci ſarmentorum faſcibus foſſam implêrant: Contrà verò Præfectus

Ttt 2

ctus poſt loricam novum aggerem duxerat, ut aliquantum adverſus hoſtem protectus eſſe videretur. Ablegavit nihilominus vigeſimâ quartâ Auguſti centurionem, unáque æneatorem, qui colloquium poſtularet: admiſſus fuit à Turrenio, & viciſsim Generalis Adjutor intromiſſus in urbem. Conceſſum unius duntaxat horæ ſpatium obſeſsis, quo de civitate mox dedendâ ſtatuerent. Quare Præfectus, deſperatis ſuppetijs, has inijt leges deditionis, ut vitâ incolumi ſine morâ præſidium inerme ex urbe diſcederet, ductoribus tamen arma & equi unáque ſarcinæ manerent: gregario militi tum demum redderentur equi, ubi captivis Herbſthuſianis viciſſim forent redditi: Civitati profutura pacta Rotenburgi, & Regis Franciæ protectionem. Hæc verbis duntaxat promiſſa, obtineri non potuit, ut in tabulas referrentur. Præfectus unáque ductores abire permiſſi, gregarijs retentis. Civitati ingens panis, armenti, boum præſertim, & poculentorum collatio imperata.

Dinckelſpilæ deditio.

XLIII. Sub hæc Auguſti duodetrigeſimo Enguiennus Dux, motis caſtris, cùm octo Francorum centurias, permultóſque ſaucios ac debiles Dinckelſpilæ reliquiſſet, Craitsheimium verſus iter intendit, avocato Wallerſteinenſi & Horburgenſi præſidio.

Bavaricus Imperij exercitus interea rebus neceſſarijs ad Donawerdam inſtructus, quartâ Septembris Altenſtadij, haud longè à Geislingâ, caſtra habuit. Iſthîc à Joanne Werthio, qui cum valido equitatu paucis antè diebus ad cohibendas hoſtis excurſiones præiverat, Gleenus nuncium accepit, Lauffâ occupatâ, Gruppenbachiam arcem ab hoſte obſideri, & conſtantem eſſe famam, Ducem Enguiennum, afflictâ graviter valetudine, Philippoburgum eſſe delatum.

Ducis Enguienni ægritudo.

Dum hæc in eo ſunt, Widerholdus adjutus copijs Erlachij, qui ferebatur ex Helvetiâ & finitimis, aliquot armatorum millia legiſſe, Ravensburgum irrito conatu tentavit. Ex itinere, dum Hohenvillam repetit, Weingartenſis Dynaſtiæ Præfectum, unáque centum equos colonis ſublectos abduxit. Ad caſtra Werthius jam redierat, quando ductore Barone Miſlichio, mille ducentorum Cæſarianorum equitum auxilia Gleeno acceſsêre, quibus auctus, decrevit rectâ ire in hoſtem, qui Hailbrunnæ adſidebat. Illic curabat Franciſcus Comes Fuggerus Chiliarcha, qui poſtridie quàm cœperat obſideri, factâ eruptione, aliquot ex hoſte cecîdit, in quibus ſignifer unus è Roſæ junioris legione captivus in oppidum ductus. Tertiâ Septembris idem rurſus erupit cum triginta ut minimùm hoſtium clade. Quartâ inſequenti & ſextâ, eâdem felicitate multos ex hoſte dejevit, & ultimo quidem congreſſu, equites quinquaginta fecit captivos. Jam tum à caſtris aberat Dux Enguiennus, febri (ut ferebatur) quartanâ laborans, delatúſque tandem ejuſce curandæ causâ Pariſios. Hoſti annonam lubentes ſuppeditabant Wirtenbergici & Hohenlöenſes, & eum ferebantur ad Hailbrunnæ obſidionem, promiſſis adjumentis traxiſſe.

Hailbrunna fruſtra obſidetur a Gallis.

XLIV. Sed fruſtra hæc fuêre, tametſi enim duo auxiliariorum millia, cum duobus mortarijs in Gallica caſtra venerant, & civitas, quantâ licebat violentiâ, peteretur, cùm tamen continui propè imbres vinearum ductus ſic implerent, ut genuum tenus Franci in aquis vadarent, cibaria deficerent, & Bavarici in oculis Gallorum nequicquam frendentium penetrâſſent in urbem, tandem obſidione ſolutâ, adulto Septembri, caſtra verterunt ad Oeringam. Gleenus, quò foret ad omnem eorum motum promptior, duxit ad Sueviæ Gemindam. Comperto dehinc, hoſtem Halam Suevorum moviſſe, caſtra promovit, firmavítque in oppoſito colle, tam aptis operibus, ut nihil eſſet, cur crederet fore, ut ab hoſte inceſſeretur.

Caſtra caſtris oppoſita ad Halam Suevorum.

Utrobique hæſit uterque exercitus à vigeſimâ quartâ Septembris ad uſque quartam Octobris, cùm renuntiatum eſt Gleeno per exploratores, Turrenium ab Halâ receſſiſſe, & citatis noctes diéſque itineribus, non ſine copiarum turbatione Wimpfenam appulſum, cum impedimentorum & militum luculentâ jacturâ flumen trajeciſſe per pontem extemporaneum, & eo quidem rupto, demerſo-

Gallorum receptus.

merſorum impedimentorũ per flumen allapſu, multos undis fuiſſe abreptos: tormenta verò ingenti jumentorum molimine ſic traducta, ut aquis penitus immerſa viſum effugerent. Tanta erat ſive properandi, ſive evadendi neceſſitas; tum quòd ex Ducis Enguienni diſceſſu Gallica nobilitas, quæ in ejus gratiam caſtris ſe addixerat, ultroneam profeſſa militiam, cum ipſo ad Aulam abiens, haud exiguum voluntariorum numerum à ſignis abſtraxerat, tum quòd Galli inediam ac bellum iſtud pertæſi, ſat magno numero diffluxerant. Acceſſit pabuli inopia, quæ multa jumenta confecit. Atque eâ quidem causâ factum, ut octo majora tormenta, quæ ſubinde in Bavaricorum poteſtatem venerunt, Wimpfenæ Turrenius reliquerit, addito præſidio & aliquâ parte ſarcinarum. Nec verò priùs properandi finem fecit, quàm facto ad Rhenum divortio, undecimâ Octobris, copijs Haſſicis Philippoburgi in adverſum littus trajectis; Galli adverſo flumine profecti, ſeſe receperunt in inſulam, quæ Philippoburgo & telonio eſt intermedia, impedimentis trans Rhenum miſſis. Conati ſunt Haſſi, de viâ, Hanoviam & Fridbergam intercipere, ſed res ipſis non ceſſit ex animi ſententiâ. Nam Hanoviæ, ſub noctis medium, ab excubitoribus deprehenſi, dum pontem ad trajectum, eúmque juſto breviorem molirentur, voti irriti cecinêre receptui: Fridbergæ verò, poſtquam quadraginta circiter punicos orbes in tecta conjecerant, ſic fuêre à Præfecto excepti, ut, dum ſibi tempeſtivè abeundo conſulunt, legionis unius legatum, unáque viginti milites, cum non contemnendo captivorum numero, præſidiariorum erumpentium ferro necíque objecerint: quibus adnumerandi octoginta, qui acceptis vulneribus debiles, ægrè periculo fuerunt erepti. XLV.

Hanovia et Fridberga fruſtra tentantur ab Haſſis.

Gleenus igitur hoſtem è veſtigio inſecutus, Beſſigheimij & Eppingæ Gallos ducentos ad arbitrium deditos cepit: qui Bruxalæ hæſerant, vel fuêre obtruncati, vel diviſi in Cæſarianas ac Bavaricas cohortes. Brettenheimium, in quo ducenti ex hoſte curabant, Gleenij arbitrio receptum. Decimo ſeptimo Octobris, Pfortzheimium cum geminis curulibus machinis occupatum, præſidio ad modum Dinckelſpilenſis pactionis retento.

Beſſigheimium, Eppinga, Bruxala, alia loca recepta a Bavaris.

Wimpfenæ ſexcenti circiter Galli remanſerant, quos oportuit majore vi oppugnare. Editâ muri ruinâ, depulêre quidem impreſſionem; ſed impetratis honeſtæ deditionis legibus, ſe paſſi ſunt abduci Philippoburgum, ijs exceptis, qui aliàs Cæſari aut Bavaro meruerant. Ne verò cives tam facilè hoſtem cum finitimorum damno deinceps ſuſciperent, placuit Archiduci Leopoldo, qui tum aderat, civitatem exarmatam defenſionis ſubſidijs denudari. XLVI.

Wimpfena cogitur ad deditionem.

Demum menſe Novembri Turrenius, copijs Wormatiæ, Oppenheimij, Altzæ, Crucinaci, Bingæ, ubi ſtatio prætoria, perque agros finitimos diviſis, Caubam & Fanum ſancti Goaris ex improviſo ſcalis admotis, occupavit, geminam repulſam paſſus ab arce Gudenfelsâ. Haſſi interim circa Gieſam, direptione, flammis, cædibus agrum vaſtârunt.

Ne quicquam hujuſce anni caſtris à Francis occupatum cis Rhenum in eorum poteſtate ſupereſſet, Gleenus Dinckenſpilam, decimo nono Novembris, poſt ſex dierum obſidionem recepit; Gallico præſidio, Philippoburgum abire permiſſo. Idem Rotenburgum unis ad Præfectum litteris expugnavit, oblatâ diſcedendi facultate. Cætera jam ad Cæſaris obſequium rediverant. Nœrdlingæ ad ſtativa hiberna datæ fuerunt octo duntaxat cohortes: reliquus exercitus per Franconiam, ad Mœnum, ad Neccarum, ad Salam, pérque finitima latè ſparſus hibernare juſſus: copiæ Weſtphalicæ ab Electore Colonienſi adverſus Haſſorum molitiones & pericula alia fuerunt revocatæ.

Dinckelſpila, Rotenburgum Gleeno dedita.

Omitto, quæ ſub anni initium ab Haſſis geſta: tentatam videlicet Fridbergam & Hœchſtam, Amœneburgum igne deformatum, prolatata ſtativa per Wetteraviam: Calcariam Brandeburgicis tranſſcriptam, cladem ipſis haud longè à Weſtphalorum Monaſterio ab Hammenſi Gubernatore illatam, Rabenhauptium à Sonſâ virtute præſidij Cæſariani depulſum: Velenum viciſſim: haud pro- XLVII.

Haſſorum res geſtæ.

cul à Bergenhuſio, à Rabenhauptio, cum quadraginta circiter Cæſarianorum cæde, velitari prælio ab excutiendis Haſſorum prædis prohibitum; arcem Wachtendorfiam ex improviſo, ſcalis admotis, ſuperatam, unde magna propinquæ circùm regioni ad ipſa uſque Moſellæ confinia, illata damna. Ejuſdem generis ſunt, quæ geſsêre in Ubijs, poſtquam Gleenus, detracto è præſidijs ad Bavaricam expeditionem milite, pleraſque munitiones aliquantùm nudaverat: cùm enim, quod reliquum erat commilitij, par Haſſis non foret, mirum, quantâ ferociâ, in Ubijs Haſſi fuerint direptionibus, flammis, cæteriſque belli malis, pro arbitrio, nemine coërcente, graſſati. In Bonnæ conſpectu aliquot pagos ac villas concremârunt: Meckenheimium oppidum effractâ portâ expugnatum, capto præſidio, diripuerunt, magnâ annonâ ex recenti præſertim meſſe potiti fuerunt menſe Quinctili. Ad firmanda & propaganda in finitimos tributa, caſtrum Wachtendorfenſe & Meckenheimium novis operibus munierunt. Irrupêre præterea in ſuperiorem Haſſiam, ubi Marpurgo occupato, arcem, in quam Landgravij liberi erant recepti, coronâ cinctam, ſub anni ſequentis initia ſubegerunt, dedente Willichio, cui, licèt ſeptuagenario, capite ſtetit iſta deditio.

Iidem menſe Novembri nuntiabantur navare auxiliarem operam Turrenio Vice Comiti ad ſubigendos Treviros. Ne vim adhiberent, interceſſit Elector Philippus Chriſtophorus, à Cæſare, ex ſummi Pontificis ſententiâ, poſt longum exilium reſtitutus hoc anno in integrum. Viennâ diſceſſerat Maij undecimâ,
XLIIX. ex itinere Monachij honorificè fuit exceptus à Maximiliano. Cùm igitur calendis Septembribus redux Confluentiæ ſubſtitiſſet ad medium uſq; Novembrem, Gallis jam urbi Trevirenſi imminentibus, inde movens ſtipatus modico milite, quem in ſua verba jurejurando obligârat, contractóque aliquo clientum numero, Treviros profectus, medias velut partes agens, à Gallis obtinuit, ut ab oppugnatione abſtinerent: à civibus verò, ut bis mille, tum recèns lectos tirones, tum Trevirenſis agri colonos intra mœnia reciperent, excluſis Gallis, quibus tamen tranſitus per civitatem, pontémque in adverſam Luxenburgici Ducatûs oram fuit permiſſus. Atque hæc quidem præcipua, quæ de rebus Bavaricis, & bellis ſocialibus in hunc annum viſum eſt referre.

BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS III.
LIBER XXXI.

Varia pacis conſilia : Loca à Cæſarianis recuperata : Succo- An. M.DC.
rum ac Gallorum in Weſtphaliâ, ad Mœnum, in Fran- XLVI.
coniâ, Vindeliciâ, Bavariâ, progreſſus retuſi ad Auguſtam:
prolati ad Lacum Brigantinum.

RES in Germaniâ anno ſuperiore geſtæ fortunâ variâ, conſilia ſic temperârant, ut pacis rationes ad æquitatis modum aliquem, ex belli viciſſitudine periculorúmque momento, nihil aut parùm in lancem alteram inclinantes, velut ad æquipondium vergere crederentur.

Jam Sueci Cæſareæ propoſitioni reſponderant Oſnabrugi, eò collimantes, I.
ut Comes Trautmansdorfius Cæſarianæ Legationis Princeps referret Cæſari,
poſſe tranquillitatem rebus reſtitui, ſi publicatâ generali Amneſtiâ, quæ ſacros Suecorum
homines juxtáque Laicos ſecuros faceret, omnia reſtituerentur in eum ſtatum, postulata,
quem anno milleſimo ſexcenteſimo decimooctavo habuiſſent: ſi Palatinis Comitibus Septemviratus & poſſeſſiones priſtinæ, Duci Wirtenbergiæ, Marchioni Durlacenſi, Naſſavio Saræpontano Comiti, res ſuæ pariter redderentur: ſi Auguſtana Civitas, Danuwerda, Egra, Regnũ Bohemiæ, Provinciæ Auſtriacæ velut Imperij membra, ſuo corpori redderentur; ſi abducto militari præſidio, ſua ſingulis privilegia confirmarentur: commercia reponerentur in antiquâ libertate: Coronæ Suecicæ belli ſumptus, militi Suecico ſtipendia repræſentarentur: ſi ultro citróque captivi dimitterentur; reciperentur in has conditiones ij Principes, dynaſtæ, ac Potentatus, qui ſuo tempore ac loco forent nominandi.

Gallicorum poſtulatorum coràm explicata pacis ſequeſtribus hæc ferè ſum- Gallorum
ma: ſe utique non eſſe in morâ, nedum cauſam dediſſe comperendinationi: item.
jam enim ſe Cæſareis Legatis dudum duo capita propoſuiſſe, ad quæ conſideranda ſpatium temporis idoneum ijdem legati ſumpſerint: neceſſarium quoque fuiſſe, ut tractationum præludia deciderentur, litteræ ſecuritatis publicæ omnibus, ne excluſis quidem ullis Imperij Ordinibus, darentur: omnia debuiſſe communicari cum legatis Ordinum Imperij, quemadmodum ipſi Cæſaris legati cenſuiſſent.

1. Et primùm quidem poſcebant Francici legati ſecuritatis teſſeram concedi Luſitanæ legationi ob fœderis cum Coronâ utrâque, Francicâ videlicet & Suecicâ, ſocietatem.

II. 2. Deinde, Regis Chriſtianiſſimi & Fœderatorum nomine declarârunt, nullam ſibi cum Sac. Rom. Imperio hoſtilitatem intercedere, nec dubitare, quin Imperij Ordines viciſſim eodem ſint animo: gratum eſſe nihilominus, quòd in hac pacis tractatione, Imperij Status comprehendantur: &, quandoquidem Cæſariani inter cæteros, cum quibus paciſcenda pax, nominarent Hiſpanos, cupere legatos Franciæ cognoſcere, utrùm id ſic debeat accipi, ut nulla pax in Imperio poſſit componi, niſi bello & controverſijs inter Gallos & Hiſpanos compoſitis: declarare inſuper, ſe ad arma ponenda ante pacem initam non poſſe induci, cùm hoc ipſum non ſit promoturum, ſed dilaturum potiùs negotium: Ducem verò Lotharingiæ ab hac tractatione debere excludi.

3. Et cum hac quidem exceptione placere, ut inter partes, & partium Fœderatos firma pax, & ſtabilis ſinceráque amicitia contrahatur.

4. Ad pacis firmandam ſecuritatem cupere Francos, ut Cæſarea Majeſtas ſe obliget, fore ut non ferat auxilia Coronæ Hiſpanicæ adverſus Francicam: nolle tamen Francos pariter obligari ad negandas Suecis ſuppetias, eò quòd Francis jus ſit utendi Franciæ, utpote hæreditariæ ditionis, viribus pro ſuo arbitrio; Imperatori contrà par non ſit poteſtas in vires Imperij: & hinc quidem natum eſſe bellum, quòd arma Imperij modò in Boruſsiâ, pôſt in Italiâ, adverſus finitimos Reges Imperij amicos verterentur, ídque ſolâ Cæſaris authoritate.

5. Coronas non poſſe Amneſtiæ Ratiſbonenſi acquieſcere, eò quòd ad pacandum Imperium oporteat eſſe generalem, & nullis exceptionibus adſtrictam factorum præteritorum oblitterationem.

III. 6. Placere iſtiuſmodi Amneſtiam extendi ad Duces, præfectos, milites, omnéſque alios, qui in bello, aut alio quovis modo alterutri partium navâſſent operam.

7. Res debere reſtitui non in eum ſtatum, quem ante exortum inter Cæſarem & Regem Franciæ bellum habuiſſent, ſed eum, qui fuiſſet Anno M. DC XVIII. Quamquam in hac tractatione aliqua poſſint immutari.

8. Placere, omnes Imperij Principes & Ordines reſtitui in priſtinas dignitates, prærogativas, jura, ſeſsiones, vota in conſeſsibus & deliberationibus rerum ad Imperium ſpectantium: cupere tamen ſibi explicari binas clauſulas, quibus Cæſariani ſignificaverant, id debere fieri citra præjudicium eorum, quæ Romanum Imperatorem & Septemvirûm Collegium univerſum ſpectarent, & ſalvo eorum jure & celſitate, priſcóque more & uſu Romani Imperij.

9. Gratum eſſe, ut integra ſit Principibus ac Ordinibus Imperij debita regendi poteſtas, júſque pangendorum fœderum inter ſe, cúmque vicinis Principibus, ad ſui defenſionem & ſecuritatem, modò nihil contineant adverſus Cæſarem aut Rom. Imperium, vel contra pacem publicam & fidem debitam Rom. Imperatori; cum hoc tamen addito, ut nihil fiat repugnans Capitulationibus & legibus. Se præterea petere, ut ad pacem ſtabiliendam cogitetur de rationibus tollendi è medio ſimultates, quæ Catholicis cum Proteſtantibus intercedunt.

10. Nunquam ſibi fuiſſe propoſitum, attingere Electorum, aut Principum libertatem, ſed reſpexiſſe duntaxat Conſtitutiones Imperij, ne Romanum Imperium fiat hæreditarium, & ad hoc incommodum evitandum, & extendenda Septemvirûm & Principum privilegia, deſiderâſſe, ne quis ex hodiernâ Cæſaris familiâ, in proximâ Romani Regis electione, ad Imperium evehatur.

11. Placere, captivos utrinque dimitti, ne excepto quidem Eduardo Brigantino, quippe qui captivus ſit Cæſaris, in cujus fuerit captus obſequio, & à quo miſſus ſit ad Hiſpanos.

12. Gra-

12. Gratam eſſe commerciorum in Imperio & cum Franciæ Coronâ inſtaurationem, atque ea quidem libera apertáque ſervari, auditâ tamen priùs Ordinum Imperij & Emporiorum ſententiâ.

13. Placere, ut non modò proſpiciatur ſecuritati eorum, quæ in hac pacis conciliatione decernentur, ſed etiam, ut ſanciatur fœdus generale inter partes, & omnes ac ſingulos Imperij Principes & Ordines, quo obligentur ad arma capienda adverſus quoſvis, hujuſce pacis decretis adverſantes, tentatâ tamen priùs amicâ ejuſmodi turbarum compoſitione. IV.

14. Ad majorem Coronarum & fœderatorum Imperij Principum ſecuritatem, & juſtam Coronæ Francicæ ſatisfactionem, æquum eſſe, ut præter jam oblata (quæ ad Coronam antiquo jure pertineant) ſuperior & inferior Alſatia, Coronæ Franciæ, unà cum Briſaco, Briſgoiâ, Sundgoiâ, civitatibus Sylvaticis, ipsíſque privilegijs & juribus, quibus ante hoc bellum ſub Domo Auſtriacâ fruebantur: Philippoburgi item, ejúſque dominij & annexorum, aliorúmque locorum, quæ ad ſecuram cum Franciâ communicationem ſint neceſſaria, poſſeſſio remaneat, etiam eâ lege, ſi ita Cæſari videbitur, ut iſthæc omnia à Romano Imperio recognoſcantur, ſic tamen, ut ad modum aliorum Principum & Statuum Imperij ſeſſionem ac ſuffragium obtineant: vice versâ in gratiam pacis, Franciam reſtituturam Spiram, Wormatiam, aliáque in Moguntino & Trevirenſi Electoratu, ínque Palatinatu inferiore loca occupata; eâ tamen conditione, ut pars altera ad diem dictum reſtituat illa loca, quæ in tribus iſtis Electoratibus obtinet.

15. Omnino præſtandam eſſe Landgraviæ Haſſiæ poſtulatam ſatisfactionem, nullâ habitâ ratione initæ compoſitionis, quippe quæ nuda duntaxat fuerit futuri deſignatio, quæ neque fuerit mandata aut probata, nedum juſſa dari executioni: de cætero debere eam ad ſuæ Celſitudinis Miniſtros referri.

16. Placere exercitus à ſignis dimitti, nihílque ultrà retineri, quàm quod quivis in ſuis ditionibus retineat ad ſui ſecuritatem & defenſionem: ſed præſtandam eſſe militi ſatisfactionem, de quâ in ſuo ſcripto Cæſariani ſileant. Hac poſitâ ſatisfactione, Haſſiæ Landgraviam deceſſuram omnibus locis aliàs nominatis.

17. Cùm Dux Lotharingiæ non ſit in conſortio hujus tractationis, ipsíque ſit negata commeandi ſecuritas, Francos à Cæſare petere, ut promittat in hac compoſitione, ſe non turbaturum Francicam Coronam in quietâ poſſeſſione Lotharingici Principatûs, qui alioqui diverſis nominibus ad Regem Chriſtianiſſimum pertineat: eò præſertim, quòd Dux ipſe in tractatu cum Rege Franciæ, omnibus Domûs Auſtriacæ fœderibus nuntium remiſerit. V.

18. Placere in hac tractatione comprehendi ex parte Coronæ Suecicæ & Franciæ, eos Reges, Principes & Status, qui ante concluſionem nominabuntur: quemadmodum vice versâ Sac. Cæſ. Majeſtas nominatura eſt, quos ex ſuâ parte volet comprehendere.

19. Gratum eſſe, ut hæc pacis compoſitio, ubi primùm deducta ad exitum fuerit, ab utrâque parte ſubſcripta & obſignata, ſimul eodémque tempore tam Oſnabrugi, quàm Monaſterij ultro citróque tradatur, atque ex eo momento firma ſit & conſtans in poſterum, ejúſque capita omnia quamprimum mandentur executioni. Nihilo tamen minùs ejuſdem confirmationem tam à Romano Imperatore & Imperij Ordinibus, quàm à Regibus aut Regnis, ipſorúmq; capitibus & ſtatibus, tempore & loco adhucdum deſignando eſſe exhibendam, & quidem ante ipſius executionem. His addidêre Sueciæ legati, pro exſolutione ſumptuum ſe poſcere Pomeraniam, ſuperiorem & inferiorem Sileſiam, Caminenſem Epiſcopatum: Viſmariam, ejúſque Dynaſtiam in Megapolenſibus, Balenam & Warnemundam, Archiepiſcopatum Bremenſem, & Epiſcopatus Werdenſem, Halberſtattenſem, Oſnabrugenſem, & Mindenſem: quorum duos poſtremos vellent Holſatiæ Duci transſcribere, cum annexâ libertate exercitij Religionis. Ad compenſationem Landgraviæ Haſſiæ petebant Paderbornam & Fuldam, cum deciſione gravaminum Acatholicorum. Sub hæc Catholici Status exhibuêre ſua gravamina, quæ & numero & pondere Acatholica VI.

longè ſuperabant, poſitâ ad libellam occupatarum Eccleſiarum reſtitutione, violatione Pacificationis Auguſtanæ, aliiſque, quæ tum privatim, tum publicè petebantur. Sed hæc parùm proderant, & quicquid denique Comes Trautmanſtorfius adhiberet conatûs & diligentiæ, negotia lentè admodum progrediebantur; tametſi ad colloquia Haſſici Caſſellenſes jam eſſent admiſſi. Sua etiam exigebant conſilia ac tempora Hiſpanicæ cum Gallis privatæ tractationes, tam circa res Italicas, quàm Rhæticas, Alſaticas, aliáſque materias diſſenſionum: & verò menſe Martio ferebantur ſe mutuò nondum viſitâſſe. Veneti, ipſéque Cæſar, ob imminentia à Turcis pericula, pacem vehementer urgebant, ſed neſcio quæ alia rerum privatarum ſtudia, communi Orbis Chriſtiani ſaluti præferebantur. Aprili ineunte, Cæſar rem paſſus erat uſque eò deduci, ut, quando de ſatisfactione præſtandâ Gallis ac Suecis præcipua erat difficultas, Franciæ cederet, eo nomine, inferior Alſatia, Suecis verò media Pomerania, unàque Archiepiſcopatus Bremenſis & Verdenſis Epiſcopatus: ſed hæc longè plura poſcentibus non erant ſatis. Non deerant ex Imperij Ordinibus, qui ſuaderent Ducatum Mediolanenſem, utpote feudum Imperij, ab Hiſpanis ad Gallos loco Alſatiæ transferri. Urgebant etiam Galli Navarræ reſtitutionem, antequam de alijs reddendis tractarent cum Hiſpanis.

Mentio induciarum.

VII. Actum quoque id temporis de ſanciendis inducijs; ſed cùm non eſſent eadem omnium ſtudia, itum fuit in contrarias ſententias. Jam tum magna ſpes erat futuræ pacis inter Hiſpanos & Batavicos Ordines, eóque fiebat, ut, cùm Hiſpanis ex eâ parte minor eſſet belli cura, tantò majores facerent adverſus Gallos ad proxima caſtra apparatus. Hinc quoque naſcebatur ſpes pacis generalis, quòd crederentur Franci ad eam fore proniores, ſi à Batavis deſerti, totam belli molem adverſus Hiſpanos ſoli deberent ſuſtinere. Ferebatur etiam Comes Trautmanſtorfius paulatim inclinare ad cedendam Francis totius Alſatiæ, Suecis verò totius Pomeraniæ centum annorum poſſeſſionem, tametſi Elector Brandeburgicus de Pomeraniâ aliud ſentiret, quaſi hac in re paſſurus eſſet aliquid detrimenti.

Erat quoque ſpes fore, ut paucis pòſt hebdomadis Eccleſiaſtica diſſidia tollerentur, Comite Trautmanſtorfio eâ de causâ Oſnabrugum ad Proteſtantes profecto, & Ordinum Catholicorum juxtà & Acatholicorum legatis eodem ſubſecutis: credebatur etiam, nihil deinceps fore admodum, quod paci Germaniæ intercederet, ſi Cæſar, intermiſsâ Gallorum cum Hiſpanis conciliatione, de ſolâ Germaniæ quiete tractaret. Jam Catholici Ordines oſtendebant, ſe non fore difficiles in permittendâ Acatholicis occupatarum Eccleſiarum temporaneâ etiam centum annorum poſſeſſione; ſed poſcebant Acatholici perpetuam.

In causâ ſatisfactionis, offerebatur Francis, in clientelam Imperij, ſub titulo Landgraviatûs utraque Alſatia unà cum Sundgoiâ, dempto tamen Briſaco & Briſgoia, eâ lege, ut Franci in earum vicem quinquageſies centena talerorum millia numerarent cedentibus, ídque intra biennium. Repoſcebatur verò Philippoburgum, Benfelda, & Taberna Alſatica, eò quòd illud ad Spirenſem Eccleſiam, hæc ad Argentoratenſem pertinerent.

VIII. De Palatinatu Cæſari certum erat, inferiorem duntaxat reſtituere Comitibus Palatinis. Loco Pomeraniæ agebatur de Croſſenſi & Jagerndorfenſi Principatu tradendo Electori Brandeburgico. Et hæc quidem ad uſque menſem Majum acta, tum Monaſterij, tum Oſnabrugi, ac deinde relata in tabulas cum partis utriuſque reſponſis, & poſtulatorum aliquâ moderatione, quæ nonnihil propiùs ad exoptatum pacis ſcopum collimabat.

Tradiderunt etiam Cæſariani pacis futuræ prima quaſi lineamenta in Inſtrumento, quod anno ſequenti limatiùs editum, Projectum Inſtrumenti pacis nuncupârunt. Res non videbatur procul abeſſe à compoſitione cum Franciâ & Suecicâ Coronâ; ſed cùm Sueci negarent, ſe paci aſſenſuros, niſi rebus cum Proteſtantibus compoſitis, (eò quòd Suecica ſatisfactio magnam haberet cum Proteſtan-

teſtantium poſtulatis connexionem) tractatio trahenda adhuc in longum putabatur. Supererat etiam cauſa Hiſpanica, quam legati Cæſarei profitebantur ſe non deſerturos, ſed, ſi ea ab adverſarijs excluderetur, nihil porrò tractaturos. Menſe demum Septembri, conventum cum Francis de ſatisfactione: unde ſpes erat, fore, ut horum exemplo Sueci & Germaniæ Proteſtantes faciliùs ad concordiam flecterentur, cùm præſertim Franci oſtenderent, ſe ad eam rem ſuam operam & hortamenta collaturos.

Octobri menſe, agi rurſus cœptum eſt de inducijs, Maximiliani Electoris legato gnaviter ex Principis ſui mandato in eam rem incumbente: & jam erat propoſita ſtativorum partitio, quibus miles, dum ceſſaretur ab hoſtilitate, ſeſe contineret, miſsíque ad exercituum ſtrategos legati, qui eos ad iſtud armorum juſtitium diſponerent. Reliquus annus datus fuit conſultationibus & colloquijs, quibus ad mediam aliquam rationem pacta revocarentur. NOVA DELIBERATIO DE INDUCIIS.

IX.

Cæterùm inter iſta pacis meditamenta nihil remittebant belli cogitationes. Quinque Cæſarianæ legiones, ex Hungariâ, duce Buchemio Comite reduces, ſociatæ ſex alijs legionibus, ſub anni initium juſſæ fuerunt à Cæſare proficiſci in Bohemiam, quò ſe jungerent Leopoldo Archiduci, qui in Glattovij confinio habebat hiberna. Præter eas, octo millium auxiliares copias Cæſar à Maximiliano Bavaro expectabat.

Sueci, occupatâ arce Brixenſi, per regionem confinem hibernabant. Egram fluvium ponti bus geminis ſtraverant, quò faciliùs ultro citróque commearent. Præerat Suecico exercitui, loco Dorſtenſonij, Guſtavus Vrangelius: Kœnigsmarckius legatus copiarum generalis moverat ad Viſurgim. Alexius Lilius degebat in Sileſiâ, ad Kœnigsmarckium vere primo acceſſurus.

Cæſariani hoc anno loca aliquot à Suecis inſeſſa recuperârunt. Inter hæc caſtrum Feurſtenium in Sileſiâ, deditione receptum præfecti adversâ ſorte, veriùs vecordiâ. Arce etenim egreſſus cum potiore præſidiariorum manu, à Cæſarianis, quos ſe oppreſſurum crediderat, circumventus, pleriſque commilitonum ferro vel captivitate deletis, ad dedendum caſtrum fuit adactus. FEURSTENIŨ CÆSARI DEDITUM.

Sub exeuntem Februarium, Cæſariani juncti Bavaricis, in finibus Palatinatûs ſuperioris, tempeſtate ad caſtra nondum idoneâ, morabantur: ne tamen omnino feriarentur, Stalam arcem coronâ cinctam verberabant: Brixam verò recèns à Suecis occupatam tenebant in arcto, ademptâ excurrendi libertate. Miſſæ etiam fuêre in Moraviam aliquot legiones, quæ Suecica præſidia cohiberent. Stalam coëgere ad deditionem, adulto jam Martio, obſeſſis ſeſe victorum arbitrio permittentibus. Ad octoginta millia nummûm Imperialium ex collatitijs miſerorum tributis in iſtâ arce reperêre, atque unà veſtes quingentas, tegendis militibus, cum grandi omnis generis commeatu. Brixenſem obſidionem ſolverunt Paſſueno Chiliarchâ ictu tormenti majoris, dum munimenta luſtrat, interempto, admiſsíſque in arcem Suecorum ſubſidijs. Non multò pòſt Nicolaoburgenſem, exciſo Suecorum præſidio, Brunenſis gubernator expugnavit. STALA CÆSARIANIS DEDITA. X. IIDEM NICOLAOBURGUM EXPUGNANT.

Eodem menſe, Cæſaris juſſu Comes Buchemius, caſtris Stockerauſæ poſitis, Crembſij obſidioni ſe cœpit accingere, accitis ad eam expeditionem quatuor prætere legionibus, quæ per Viennenſem pontem tranſmiſſæ venêre in caſtra. Lintzio pons nauticus adverſo Danubio fuit advectus, magno futurus uſui. Paratis jam operibus obſidionalibus, machinis muralibus Crembſij mœnia cœpta concuti ex tribus ſuggeſtis, Suecis magnâ vi obſiſtentibus, fiduciâ promiſſi auxilij, quod Reichwaldus dicebatur in tempore adducturus. CREMBSIUM OBSIDENT.

Jam occupârat Buchemius Steinenſe caſtrum atque unà propugnaculum, unde Danubij navigationem Sueci maximè reddebant infeſtam. Jam Cæſariani vineas duxerant ad uſque marginem foſſæ urbicæ. Gnaviter etiam inſudabatur ſubterraneis foſſionibus. Obſeſſi contrà, ab agreſtibus, qui in civitatem confugerant, cogente Suecorum Præfecto, adjuti, ſe operibus adverſis, ad vim

 excipi-

excipiendam acriter muniebant. Petiverunt à Suecis Corneuburgenſibus ſuppetias, miſſis ad eos per tabellarium litteris pane incruſtatis: dum refert tabellarius reſponſum, incidit in manipulum Cæſarianorum, qui deprehenſis in excavato fuſte Corneuburgenſium litteris, intellexêre, id duntaxat poſſe à Corneuburgenſibus fieri, ut ex Inſulâ in Danubij alveo ſitâ, frenarent fluvium, & Cæſarianorum vires ad eam oppugnandam diverterent. Iiſdem litteris fatebantur, ſe nuper intempeſtæ noctis ſilentio conatos Viennenſis pontis propugnaculum per ducentos equites, & quinquaginta ferentarios invadere, ſed cum nonnullâ ſuorum clade fuiſſe repulſos à Cæſariano præſidio. Protracta eſt ad menſem Majum magnis utrinque conatibus Crembſij obſidio, donec Suecorum Præfectus deſperans, ſe cum quadringentis, qui adhuc ſupererant, parem fore Cæſarianorum jam paratæ impreſſioni, dirutâ præſertim validâ turri, in quâ alioqui vim ultimam experiri ſtatuerat, colloquium de faciendâ deditione popoſcit, convenítque in eas leges, ut pridie Non. Maij, ſignis explicatis, cum ſarcinis & armato præſidio Gloggoviam ſecuro abire liceret, ſic tamen, ut qui è milite feciſſent aliquando Cæſari ſtipendia, ſub ejuſdem ſignis deinceps mererent, cujuſmodi fuêre ducenti quinquaginta.

XI. — **Deditione accipiunt.**

Corneuburgum obſidetur.

Corneuburgum ob vicinitatem Suecorum, qui illud anno ſuperiore ſine ſanguine invaſerant, Viennæ infeſtum, juſſum fuit à Cæſare oppugnari. Illuc Majo nondum vertente, Comes Buchemius caſtra convertit, fecitque oppugnationis initium à propugnaculo, quod Sueci ad Danubium excitârant, quo expugnato, conciſiſque defenſoribus, ductis circùm aggeribus, civitatem cinctu anguſto cœpit arctare. Expugnationem reddebat arduam loci ſitus, ad cuniculos ſub humum ducendos, propter perennes aquæ ſcaturigines inhabilis, accedebat numeroſum ſeptingentorum Suecorum præſidium, & loci munitio non contemnenda.

XII. Fiebant ab obſeſſis crebræ eruptiones, Marte Cæſarianis non ſemper ſecundo. In his occubuit legionis Honolſteinianæ legatus, & non pauci alij, quos nonnunquam inobſervatæ vigiliæ, vel incogitatus hoſtis incurſus opprimebant. Juvat audire Copium Suecorum ductorem quâdam Epiſtolâ, quæ venit in Cæſarianorum manus, magnam hujuſce obſidionis partem referentem, dum memorat Cæſarianos, productis ad mœnia foſſionibus, quaternis ex ſuggeſtis extimam ad foſſæ labrum loricam acriter verberâſſe, actis etiam ſub humum cuniculis, non eò tamen adhuc tum promoviſſe, ut ſphæris punicis à propugnatoribus non poſſent arceri. Laceratam jam eſſe turrim à Viennâ dictam, jacere Laberanam, & ipſum templi campanile. Semirutam eſſe nauticam; Stoqueranam portam nutare ad ruinam. Cæterùm intra mœnia, muri labes tot obductas eſſe aggeribus, ut niſi cum certo vitæ diſcrimine in civitatem nequeat penetrari. Se verò non multis antè diebus in Colloredi & Trauditij ſtationibus, eruptione factâ, editâ cæde centurionis unius, unius item vicarij & aliorum, quadraginta captivos traxiſſe in urbem; Ranftiano excubitorum præfecto lethali vulnere ſauciato. Mœnia interea & tecta civitatis in alteram jam hebdomadem continuò fulminari ex decē machinis majoribus, jactare ignes punicos, ſaxa magno pondere & numero, innoxiâ tamen ferè deſtinatione: unicum duntaxat ruſticanum hominem eſſe ſublatum.

Tentavit ante exeuntem Julium Gortzius Tribunus immittere Suecica ſubſidia, jámque haud procul aberat: verùm cognito, caſtrorum frontem obvallatam, ipſóſque munimentorum angulos ad mutuam defenſionem ſic eſſe directos, ut nullâ prorſus parte fideret ſe poſſe in civitatem perrumpere, irritus pedem retulit.

XIII. Quare, tametſi Copius magnificentiùs, quàm veriùs longæ adhuc propugnationis ſpem fecerat, denique tamen pridie Non. Auguſti, eo ipſo tempore, cùm Ferdinandus Franciſcus, Ferdinandi III. Imperatoris filius, regia Bohemiæ inſignia auſpicatò ſuſciperet, honeſtam fecit deditionem, educto ducentorum quinquaginta cum ſarcinis, complicatis tamen ſignis, extinctiſque funalibus,

Deditur Cæſarianis.

bus, præſidio, in quo non pauci vulneribus debiles: qui ex eo numero comperti aliquando militâſſe Cæſari, juſſi in caſtris remanere, vix quadraginta Copium comitantibus.

Hæc dum gererentur, Cæſariani arcem Leibnizenſem in Moraviâ receperunt: Comes Montecuculius in Sileſiâ ſubegit Franckenſteinium, cùm Wittenbergius Suecus in caſtris ad majorem Gloggoviam ſederet. Recuperatum item Rabenſpurgum admotis tormentis: Statzium à Suecis fugâ dilapſis deſertum. Inter hæc Bruna nuper invicta, propè abfuit à ſupremo diſcrimine, cùm mille Sueci, ſe Cæſarianos mentiti, ſeptendecim jam intra munitionem admiſſis, proximè imminerent, haud dubiè loco potituri, niſi deprehenſo dolo, Brunenſes armis conclamatis tempeſtivè hoſtem ſubmoviſſent.

Qui alia loca recuperant. Bruna periclitatur.

XIV.

Recepto Corneuburgo, Cæſar Viennam reverſus. Perſolutis Mariæ Imperatrici Hiſpaniarum Infanti 3. Id. Maij Lintzij defunctæ, juſtis funebribus, ſe ad celebranda Hungariæ Comitia comparavit, ad quæ menſe Septembri eſt profectus, filium Bohemiæ Regem ad Hungariæ Coronam provecturus.

Wittenbergius movetin Cæsarianos.

Res, id temporis, in Sileſiâ à Suecis nonnihil quietis erant nactæ, Wittenbergio, ob nondum ſatis firmum exercitum, non auſo hactenus in apertum ducere. Verùm auctus menſe Septembri novi militis acceſſione, cùm octo expeditorum virorum millia, & viginti duas curules machinas numeraret, Viadro ad Gloggoviam trajecto, in littus Polonicum, rectà movit adverſus Montecuculium recèns Lehenhuſij victorem, ſui copiam pro re natâ Cæſarianis facturus.

Id temporis Fridbergam, Greffenſteinium & Fridlandam arces acriter oppugnabat Montecuculius, qui, hoſtis adventu comperto, omiſsâ obſidione, ducentis amiſſis, per Tirnaviam ſeſe in Bohemiam recepit, cum Comite Buchemio & Pompejo juſtum exercitum conflaturus. Simul trecenti Suecici equites Brixenſe caſtrum obſidione liberatum, Cæſarianis, qui adſidebant, partim captis, partim interfectis, importato commeatu, firmârunt.

Invadit Bockelhainiũ.

Succeſſit in adverſam ſortem Bockelhainium, quod Wittenbergius unius horæ obſidio in ſuam poteſtatem redegit, Cæſarianis poſt incenſum oppidum in arcem paulò pòſt ad hoſtis arbitrium dedendam fugâ dilapſis. Æquè fuit Cæſarianis fortuna improſpera, ineunte Octobri, ad Horſchutzium, in Bohemiâ. Iſthic ſeptem Cæſarianæ legiones, ductore Hanovio, unà cum Polonis hæſerant, cæteris cum Montecuculio ad Archiducis caſtra profectis. Illuc Wittenbergius celeriter profectus, primo diluculo per excubias penetrans, vix ab ullo obſervatus, Hanoviam & Schleiniziam legiones impedimentis exutas, captis centum quinquaginta alarijs, egit in fugam. Idem menſe Octobri per Bohemiam impune vagatus, Nuttenbergæ, & Glatzenſi Comitatui latè terrorem intulit, imperato ingenti ære ad incendiorum & cæteræ vaſtitatis redemptionem. In Moraviâ, flammis in pagos, villas atque indefenſa oppida dirè graſſatus, à Troppaviæ, quam tormentis cœperat inceſſere, obſidione Warloſkij tribuni Cæſariani virtute, & Montecuculij advenientis famâ, fuit rejectus. Sub hæc Ottomachaviam diripuit. Arce & aulâ Niſſenſis Epiſcopi dehinc potitus magnam annonam Leobſchuzio intulit.

Fugat duas legiones.

XV.

Ex Olomutienſi præſidio interea temporis, ſeptuaginta quinque Sueci equites, inito cum centum ſeptuaginta quinque, quà Croatis, quà centuriatis provincialibus certamine, quinquaginta novem è Cæſarianis fecère captivos: cæteri Leipnicum evaſère.

Res in Weſtphaliâ, Haſſiâ atque Ubijs hoc anno fuère inquietæ, & geſtæ Marte vario. Anno ſuperiore Melander, poſtea dictus Holtzapfelius, poſtquam Haſſicæ militiæ cum magnâ nominis ſui exiſtimatione, partiſque pluribus de hoſte trophæis, præfuerat, ſacramento ſolutus, factâque ad Cæſarian Electoris tranſitione, à Cæſare generalis orbis Weſtphalici factus Strategus, in Electoris Colonienſis, menſe Novembri, verba juravit, in Gleeni locum ſuffectus.

Is, compertâ Succorum in Weſtphalos expeditione, movit in Bergenſem

Ducatum, Hamio relicto. Ea res Haſſis, qui degebant Noveſij, latum excurrendi & prædandi campum in Ubijs aperuit. Hinc Weſelinga, Bonnam inter & Coloniam, direpta: ager Antonacenſis vaſtatus: inita inter Agrippinenſes & Haſſos mediarum partium ſecuritas, cùm illi vix aliter poſſent tutò vacare commercijs, réſve ſartas tectas habere.

Varii motus in Ubiis

In horum motuum partem venêre primo vere Sueci, ductore Vrangelio: nam prorogatis cum Saxoniæ Septemviro inducijs ad uſque Monaſterienſis & Oſnabrugenſis Conventûs exitum, per Turingiam, ubi prope Ilmeſtadium tetenderant, luſtrátis ad Gotham copijs, iter ad Viſurgim per Eichfeldenſium fines intenderunt.

Hœxaria Suecis dedita solo æquata.

XVI.

Admovêre deinde Hœxariæ obſidium, menſe Aprili, quod ad paucos dies productum, mœnibus ad impreſſionem juſtâ labe apertis, à Forgello protribuno Bunaviæ legionis, qui cum ſexcentis locum ſuſceperat propugnandum, ne pactâ quidem vitæ & fortunarum incolumitate, arbitrariam deditionem extorſêre. Quamobrem omnes, Forgello excepto, juſſi Suecis merere. In eâ civitate magnam frumenti vim, machinas æneas duodeviginti cum cætero inſtrumento, paratam ad pontem nauticum materiam, omnem Wolfenbutâ iſthuc delatum commeatum, fuêre conſecuti, nec priùs diſceſsêre, quàm mœnia, omnéque circa munimentum ſolo æquâſſent.

Neohusium Lipsbringa Braccela ab iisdem occupata.

Inter hæc Neohuſium, Lipſbringa & Braccela in eorundem poteſtatem conceſsêre; centum triginta præſidiarij, qui Braccelæ curabant, unà cum Præfecto Melandri legato, ad Suecica caſtra traducti fuêrunt.

Butzbacum receptum a Darmstadiano.

Bellum id temporis ardebat inter Darmſtadianos & Caſſellenſes Haſſos. Quamobrem Georgius Darmſtadianus Landgravius à Cæſare, ductore Erneſto Alberto Eberſteinio, auxiliares copias accepit, quæ cum Darmſtadianis ſociatæ haud procul Stadâ in Wetteraviâ, mox Buzbacum nuper occupatum, Caſſellanis ſexaginta defenſoribus cum armis ſarciníſque abire permiſſis, recuperârunt.

Padeborna Vrangelio deditur.

Vrangelius Hœxariâ domitâ, Padebornam 5. Id. Majas coronâ cinxit. Ipſis Idibus, cùm præſidium juxtà ac cives negâſſent, ſe citra vim ultimam manus daturos, ex ternis tormentorum ſedibus, mœnia tantâ vi cœpêre concuti, ut paucarum horarum ſpatio turribus aliquot portíſque proſtratis, cùm murus jam ad incurſionem pateret, imminentis periculi metu, ſeſe Vrangelij arbitrio dediderint. Præſidiarij quadringenti ad Suecica ſigna, unà cum ternis equitum turmis coacti tranſiêre. Civitas ſexcentis Haſſis, præfecto Bentone, fuit demandata. Sueci præter bis mille trecentos equos, ingentem Zythi, telæ ſubtilis, qualis illic eſt magnum commercium, & farinæ nacti copiam, magnum præterea lytrum tum civibus, tum Cathedrali Canonicorum Collegio feruntur imperâſſe.

Lemgovia expugnata a Suecis.

XVII.

Lemgovia eandem fortunam ſortita, à Kœnigſmarckio, Majo jam ad exitum inclinante, fuit expugnata: defenſores ad unum omnes vel obtruncati, vel capti Caſtro Pirmontio deditione accepto, Kœnigſmarckius exeunte Majo, ad Warburgum exercitum recenſuit, acceptáque Caſſellis annonâ per Corbacum conceſſit in Wetteraviam, Vrangelio juncturus ſuas copias, ad quem pariter Turrenius Vice-Comes nunciabatur propediem acceſſurus. Dum hæc in eo eſſent,

Berga iisdem dedita, direpta.

Berga oppidum alioqui firmum & longæ par obſidioni, à Vrangelio tridui oppugnatione domitum: ductores duntaxat abire permiſſi, cæterum trecentorum peditum, & turmæ unius præſidium caſtris Suecicis mancipatum: Oppidum ob civium in detrectandâ deditione cônſtantiam, datum militari direptioni. Atque iſta quidem de rebus ſeorſim geſtis per Cæſarianos.

Cæsareo-Bavarica.

Supereſt expeditio Cæſareo-Bavarica. Cùm Cæſar ſapienter proſpiceret, fore ut Sueci, junctis cum Turrenio viribus, in Bohemiam, & tandem in Imperij fines ſeſe infunderent, eóque par eſſet ad amolienda, quæ ex eâ conjunctione oriri poterant incommoda, Cæſariano exercitui, Imperij Bavaricas copias ſociari, Decembri anni ſuperioris vertente, primùm ipſe per litteras, deinde Archidux Leopoldus miſſo ad eam rem Marchione Savonenſi de Caretto, egêre cum

Maximi-

Maximiliano Electore, ut in omnem eventum tempeſtivè quantæ poſſent vires ad hoſtium arcendas molitiones forent in promptu. Majus erat à Suecis, hieme adhuc rigente, quàm à Gallis adhucdum imparatis periculum; cùm illi per intempeſtas expeditiones tantundem ferè negotij, algente brumâ, atque æſtivis caſtris, aurâ mitiore, faceſſerent. Ergo viſum Vrangelij Suecorum Archiſtrategi conſilijs motibúſque intentè advigilare. Aſſenſit Maximilianus, ut ex Imperij milite octo armatorum millia in Bohemiâ Cæſarianis jungerentur. Utriſque præfuturus erat Leopoldus Archidux. Evocandæ erant ab imâ uſque Weſtphaliâ aliquæ legiones, quæ altis nivibus impeditæ, paulò lentiùs ad condictum receptum venêre. In ijs inprimis Lippica recèns lecta, cui per Saurlandiæ aſperrimæ in Weſtphalis regionis nivoſa & confragoſa iter fuit capiendum. XVIII.

Jam illuxerat decimaquarta Januarij, cùm Archiduci nuntiatum, hoſtem, Albi trajecto, in Bohemiam properare ad intercipiendam Bavarici auxilij conſociationem. Quapropter movens Budiviſio, Budianum contendit, dedítque Gleeno in mandatis, ut feſtinato itinere Neoforum, vel Bohemo-Weidelam contenderet, anteaquam hoſtis, qui citatâ profectione adventabat, medius utroſque dirimeret, diremptóſque per vices adoriretur. Ergo Gleenus Tauſium decimo octavo Januarij attigit, diſtributóque in vicina exercitu, militi fatigato nonnihil conceſſit reſpirationis.

Bavaricorum cum Cæſarianis conjunctio.

Archidux habebat ſub ſignis decem equitum, peditum omnino ſex millia, unáque ſex ſupra quadraginta curules machinas; quibus ad Stabam junctæ Bavaricæ ſuppetiæ efficiebant viginti quatuor armatorum millia, quæ hoſti poſſent opponi. Inter hæc Vrangelius trans montes ad Preſnizam progreſſus, Cadenæ caſtra habuit cum novendecim circiter armatorum millibus, cùm Kœnigsmarckius nondum in ejus caſtra veniſſet. Dum hæc in eo ſunt, Mortaignius rei tormentariæ apud Suecos præfectus, à Vrangelio miſſus ad Dorſtenſonium, cum magni momenti litteris, & rerum agendarum mandatis, quæ è Sueciâ venerant, haud longè à Bornâ oppido, venit in manus Egrenſium equitum. Ejus captivitas movit Vrangelium, ut diſceſſu maturato, Bohemiâ decederet, quòd crederet, ex interceptis litteris ſua conſilia Archiduci innotuiſſe. XIX.

Pugnam, ſi per Suecos licuiſſet, Cæſareo-Bavaricis ſuadebat militis adhuc recentis alacritas, quæ paulatim credebatur eſſe remiſſura, ſi, ut fit, longis itinerum incommodis & morbis, qui ferè ſunt intempeſtivorum caſtrorum comites, ejus numerus minueretur. Accedebat ad eam rationem, quòd ſi Kœnigsmarckij adventus expectaretur, hoſtis ex ejus copijs, quæ ſex erant millium, evaſurus erat firmior, tandémque numero ſuperaturus Archiducem, ſi præterea auxilio Gallorum, qui ferebantur habere magnos delectus, augeretur. Verùm his obſtabat, quòd Vrangelius non videretur facturus ſui copiam. Tum enim increſcebat fama, ipſum de jungendo ſibi priùs Kœnigsmarckio, qui in Franconiâ tendere nuntiabatur, cogitare, ubi primùm ſolutis nivibus, quæ paſſim præaltæ, præſertim verò in monte (cui à Judæis nomen) Franconiæ interjecto, mitior tempeſtas obſitas adhucdum vias detegeret.

Litt. Gleen. 13. Ianu.

Habebat interim ſtativa in Voitlandiâ, copijs per Zeitſenſem & Altenburgenſem agrum, locáque Salæ vicina agentibus. Archidux verò promoverat exercitum in ſuperiorem Palatinatum, in quem credebatur hoſtis alioqui fuiſſe irrupturus: Tirſchenreidæ primùm, pòſt Staffelſteinij, locavit prætoriâ ſtationem; Gleenus verò Geisfeldæ, indéque Hasfurti. Iſthic nullâ re memorabili hæſerunt ad ineuntem uſque Junium, cùm Archidux Rotenbacum, uno ab Hanovia milliari; Gleenus verò Gemindam ad Mœnum, qui Bavaricis conveniendi locus erat, ſuas copias duxêre, in una caſtra prope Hanoviam ad Cæſarianos venturis.

Succi contrà caſtra promoverant Wetzlariam, atque Gieſam, Hœxariâ & Padebornâ domitis: exinde ſibi Kœnigsmarckium, Turrenium & Haſſos ſociârunt. XX.

Sub

Sub exeuntem Iunium ſemel iterum captivi aliquo numero reducti in caſtra Archiducis, cæſis primùm ad Geilhuſium centum quinquaginta tum Suecis, tum Haſſis, pòſt profligatis centum equitibus, è quibus Biſenskius tribunus, Anianus item Gallicus caſtrorum curator, & Groſſius Generalis adjutor, in Cæſareo-Bavaricorum poteſtatem venerunt.

Tandem, cùm hoſtis longiùs indies è Weſtphaliâ in ſuperiores Germaniæ partes promoveret, Archidux Homburgum ad Ohmam diſcedens, caſtra haud procul ab hoſte poſuit. Iſthinc viſum eſt Vrangelij, qui ſeſquihoræ itinere duntaxat aberat, ſitum explorare. Eò conceſſit ipſe Archidux, Hatzfeldius, Gleenus, aliíque ex primarijs ductoribus, cum aliquâ parte equitatûs: eo cognito, hoſtis cũ univerſis propè turmis, & aliquot cohortibus ad Ohmam accurrit. Orta eſt illic brevis quidem, ſed atrox velitatio, Succis fluvij trajectum molientibus, Cæſarianis contrà longè minore numero prohibentibus. Ceſſêre primùm è Crucianâ legione Bavarici ferentarij, erátque periculum, ne, ſi hoſtis in citeriorem ripam irrumperet, caſtra Archiducis non procul inde diſſita, non ſine aliquâ turbatione aggrederetur. Igitur Hatzfeldius atque unà Gleenus, trium ſolummodo catervarum ope, ſe hoſti ad pontem, quo Ohma ſternebatur, objiciunt. In iſto conflictu, Hatzfeldio equus glande ſuffoſſus, Gleeno brachium latúſq; ſiniſtrum, illetali tamen vulnere, ſauciatum. Haud pauci utrinque cæſi & capti.

CONFLICTUS VELITARIS.

XXI. Firmabatur interea indies novorum auxiliorum acceſſione Vrangelius. Ad ejus caſtra adduxerant Traſſius & Bœninghuſius quatuor circiter armatorum millia: expectabat præter hos totidem, ut minimum, à Vice-Comite Turrenio, qui ad inferiorem Veſaliam Rhenum trajecerat. Subinde bidui obſidione Horneburgum quadraginta circiter defenſoribus inſeſſum occupavit. Quamobrem nihil erat propius, quàm ut Vrangelius his auctus viribus tandem ad Danubium, quod ipſi erat in primis propoſitum, iter intenderet.

E diverſo Archiducis exercitus (quod per longas caſtrorum ambages amat fieri) nonnihil erat imminutus, ut jam hoſti impar eſſe crederetur. Ergo Maximilianus bis mille tum alarios, tum velites, miſſis è Bavariâ jumentis recentibus, inſtruxit, juſſos quamprimum ad caſtra proficiſci. Juſſit inſuper legiones per præſidia paſſim varijs locis ſparſas, quotquot rerum bellíque conditio pateretur, cæteris adjunctas ad arcendum hoſtem actutum feſtinare.

Tandem poſteaquam Auguſti decimo Turrenius ad hoſtium caſtra haud longè à Gieſâ acceſſerat, Vrangelius tertio pòſt die, inter Fridbergam & Nidam, montibus à tergo tectus conſtitit, inſpectíſque caſtris Cæſareo-Bavaricis, velitari prælio exceptus, cùm Fridbergam crederetur aggreſſurus, decimâ quartâ ejuſdem menſis, Nidâ amne transmiſſo, medio inter Archiducis caſtra & Francofurtum vado, Windecam contendit, ubi rejectis, qui obſtiterant, Cæſarianis, poſt ſat diuturnam velitationem, ſibi liberum tranſitum patefecit ad Mœnum, pòſt ad Neccarum, tandémque ad Danubium. Eam rem, quia varios dedit non ſermones modò, ſed animorum etiam motus, & malorum in Bavariâ, & finitimis ſegetem, non oberit ex Gleeni ad Maximilianum litteris recenſêre.

VRANGELIUS PRÆVENIT ARCHIDUCEM. *17. Auguſt. Burggravenrody.*

XXII. *Decimâ quartâ Auguſti, caſtra* (inquit) *movimus, eo conſilio, ut ſecundum Windecam & Hanoviam duceremus Aſchaffenburgum, hoſtem præventuri, ne ipſe nobis ad Mœnum vel Neccarum præverteret. Iam nos cum priori agmine haud longè aberamus à Windecâ, præmiſſis impedimentis, credentes, Cæſarianos cum agmine ſecundo ponè ſequuturos; cùm figere pedem nos oportuit mediâ horâ itinere à Windecâ, per ſatis longum tempus eorum adventum opperientes. Iſthic quia mihi renuntiatum à Plettingero Schockicæ legionis excubiarum Magiſtro, hoſtem Bomeſenſi trajectu ante ſolis ortum fuiſſe potitum, hoc ipſum Sereniſſimo Archiduci Leopoldo, & Comiti Hatzfeldio Generali caſtrorum præfecto, per Rouyerum Tribunum confeſtim ſignificavi, hoſtem videlicet jam transmiſiſſe ad Bomeſam triginta catervas, & videri Hanoviam prægreſſurum ad intercipiendum nobis aditum, atque eam ob rem quàm maximè eſſe neceſſarium, ut ocyſſimè Cæſariani ad nos convolent, neque enim me ſolum, citra notam temeritatis, illuc poſſe*

poſſe accurrere. Eo cognito, poſt aliquantam moram advenit ante cæteros Sereniſſimus Archidux, unâque pòſt horâ circiter ſecutus eſt Cæſarianus exercitus, cùm jam eſſet meridies: primâque ſubinde horâ demum advenit Comes Hatzfeldius. Tum conſilio habito, itum à pluribus in eam ſententiam, (longè illa futura fuiſſet alia, ſi uterque exercitus maturiùs adfuiſſet) quandoquidem jam tum ſua Serenitas juſſerat impedimenta, quæ ad Windecam trajecerant, iter retro legere, nocte proximâ adhuc iſto loco figenda caſtra cis Windecam, & videndum, quorſum hoſtes eſſent moturi. Eum enim forſitan non Hanoviam, ſed Hœchſtam trans Mœnum iturum: quòd ſi tenderet Hanoviam, futurum, ut tametſi viribus eſſet ſuperior, rebus neceſſarijs in aperto campo nobis iniquo Marte, & non ſine magno periculo foret cum ipſo confligendum. Quamobrem iſthic eodem illo veſpere & ſequutâ nocte ſtetimus, & hoſtem velitari conflictu ad duos trajectus excepimus. Hoc ipſo quoque die, hoſtis trans Nidam acie in edito colle explicatâ, è regione noſtri ſe viſendum præbuit, ſimul aliquot equitum peditúmque catervas demiſit in trajectum quendam à noſtris adhuc inſeſſum, ubi per horas aliquot non cominus tantùm, ſed eminus etiam majoribus tormentis certatum, Werthio & Sporckio, qui in adverſam ripam evaſerant, in citeriorem ab hoſte rejectis. Quâ in dimicatione Petreæ legionis legatus captus, Gutſchenizius Croatarum item legatus pilâ transfoſſus: ex alariis & catapultarijs equitibus ferè centum tum cæſi, tum capti & vulnerati, quanquam eorum numerus in hac continua conflictatione certò iniri non potuit. Nocte ejuſdem diei Martis propinquante, hoſtis in collem receptus, ſe continuit in eâdem, quâ antè caſtrorum ſtatione. Velitatio ad Windecam.

Die hujuſce menſis quintâ decimâ, circa meridiem, cùm ipſe Windecam graviter premeret tormentis & ſuorum inſultibus, utrique exercitui fuit illuc properandum, capiendáque ſtatio cis oppidum, ut ſuccurreretur Lippicæ & Lulſtorfficæ legioni, quæ iſthic loci curabat cum ferentarijs nondum ad equitandum, ob jumentorum inopiam, comparatis, útque varia vada inferiùs diſpoſitis præſidijs tueremur. Tenuit iſthac Windecæ furioſa & irrita oppugnatio ad uſque horam poſt meridiem ſeptimam, non ſine multorum utrinque ſanguine. In eâ Lippius Chiliarcha, & Lulſtorfficæ legionis excubitorum præfectus gravibus affecti vulneribus. Inſequentem noctem nos, ipſéque hoſtis in acie egimus. Dum in eo ſumus, Ductores Generales inceſſit ſollicitudo, ne luce poſterâ hoſtis (quod ipſi non erat futurum difficile) tormentis graviter noſtris caſtris incommodaret, atque eapropter conſenſu communi viſum, impedimentis præmiſſis, mediæ noctis ſilentio, à Windecâ diſcedere, & Nidâ è regione Montisaviani trajecto, Fuldam verſus, indéque tendere in Franconiam, ut hoſti præverteremus. Ergo profectione ad eum modum ſuſceptâ, die decimâ ſextâ menſis in hæc caſtra cum copijs devenimus. Hoſtis, cognito noſtro diſceſſu, opinatus, nos fugam capere, cum quadraginta catervis preſſit noſtra veſtigia: ubi tamen advertit, noſtros altero tanto numeroſiores frontē obvertiſſe, Windecam reverſus caſtra è regione, loco eminente locavit. Et quantumvis nobis erat conſtitutum, die heſternâ propoſitum iter proſequi, tamen cùm hoſtis videretur è ſuâ ſtatione viam in Franconiam poſſe intercipere, immo pugnæ nobis imponere neceſſitatem, decretum fuit, in his caſtris manere: hodie verò (quando citra ſupremam unius prælij aleam, neque in Franconiam, neque ad Danubium poſſumus penetrare) viſum eſt fore conſultum exercitûs incolumitati, ſub ineuntem noctem, Lohnam verſus, Limburgum citatâ profectione petere, ut extra hoſtis conſpectum poſiti, ad pugnam adigi nequeamus. Ita ſperamus futurum, ut hoſtis pugnandi avidus, nos inſectans, in Weſtphaliam, intermiſſis ſuperioris Germaniæ regionibus, trahatur. Quod ſi ipſe nos omittens inſectari, arma ad Neccarum, vel in Franconiam verterit, nobis erit integrum, flexo ad dextram vel ſiniſtram itinere, ſi minùs licuerit prævenire, ſaltem ſubſequi praeuntem, ejúſque mala conſilia aliquâ ex parte ſufflaminare. Cæſareo-Bavarici retrocedunt. *Vogelsberg.*

Quamobrem Maximilianus per citatos curſores Gleeno dedit in mandatis, perſuaderet Archiduci, ut mutato conſilio, cum univerſis copijs in hoſtem moveret: ſi verò id nequiret impetrare, ipſe Gleenus cum Bavaricis, quàm poſſet celerrimè ſuperioribus partibus auxilio advolaret. Eadem juſſa repetijt per tripli- *Litt. 27. Aug.*

triplices litteras penultimâ Auguſti, atque effecit, ut Archidux, mutatâ ſententiâ, polliceretur, ſe feſtinaturum ad Danubium.

Haſſi interea comperto, Cæſareo-Bavaricos iter cepiſſe in Melibocos, à Suecis digreſſi ſunt ad domeſtica pericula. Quâ de re Leopoldus Archidux per Georgium Darmſtadium Haſſiæ Landgraviū factus certior, ilicò è Cæſarianis obviam miſit ſexcentos equites, è Bavaricis verò octingentos, ductoribus Caſelskio & Fleckenſteinio. Addidit aliquam ſuorum manum Landgravius. Hoſtem aſſecuti haud longè à Sigenheimio, manu conſertâ, dedêre in fugam bis mille, cæſis captíſque non paucis. Simul potiti ſunt aliquot ſignis equeſtribus, omnibúſque impedimentis.

28. Auguſti.

Haſſi cæsi ad Sigenheimium.

XXIV.

6. Septemb.

Sueci item cæsi,

Vrangelius quingentos alarios miſerat exploratum Archiducis profectionem. Illi, abacto colonorum armento, conſederant ad Crailsheimium. Sporckius ſupremus ordinum Bavaricorum ſtructor, per exploratores admonitus, eò proficiſcens, primo diluculo aggreſſus eſt ſtantes in acie, eóſque poſt acre certamen conjecit in fugam: cepit legionis protribunum, alióſque ductores, cum inſigni manipularium & equorum numero, trucidatis etiam permultis, in quibus legionis ſupremus ſtructor, aliíque præfecti. Sueci inter hæc è Windecenſibus caſtris digreſſi, Aſchaffenburgum citra vim omnem, Turrenius verò Seligenſtadium & Steinheimium redegêre in ſuam poteſtatem. Seligenſtadium Galli flammis datum fœdum in modum deformârunt, hoc obtentu, quòd crederent, ſe à civibus iniquiùs fuiſſe habitos.

Varia loca occupant.

Sueci igitur Mœnum per Aſchaffenburgenſem pontem transgreſſi, relicto Steinheimij præſidio, direptâ deinde Freudenbergâ, dato Wertheimienſibus defenſore, collectâque ex locis vicinis grandi annonâ, Caroloſtadium ad Mœnum deditione occupârunt. Habuêre poſthæc ad Herbipolim unius duntaxat horæ ſtationem prætoriam, Principe ad certam præſentaneæ redemptionis præſtationẽ coacto. Qui ex Bavaricis legionibus Winsheimio, Rotenburgo, & Dinckelſpilæ erant impoſiti, refugêre Hailbrunnam. Cùm inter hæc latè hoſtis prædas agens ad ipſam uſque Norimbergam excurreret, terrorem in Vindelicos, ipſámque Bavariam propagavit, colonis res ſuas in loca tutiora comportantibus, pontibúſque Danubij, quà hoſtis credebatur tranſiturus, Lavingam uſque ſolutis.

Hailbrunnam fruſtra obſident.

XXV.

Duglaſius cum ſex armatorum millibus Hailbrunnæ deditionem poſtulans, repulſam eſt paſſus. Ipſi ſucceſſit univerſus Suecorum exercitus, quaſi loco confeſtim potiturus. Verùm cùm aliquot dies mœnia, tectáque obſidionalibus tormentis verberâſſet in caſſum, deſperatâ expugnatione, Neerſio, Rouyero, & Caſpare Tribunis locum propugnantibus, ne majus faceret temporis & militis diſpendium, irritus, intermiſsâ obſidione, diſceſſit.

Subinde Turrenius per Hohenlöenſem agrum Vrangelium ad Halam convenit: Kœnigsmarckius verò ad lævam, Crailsheimium, Feuchtwangam & Dinckelſpilam deflexit, quaſi eſſet rectà Nœrdlingam iturus. Gintzburgum ſubinde ex improviſo ante ſolis ortum effractâ portâ occupatum & direptum: in arce captus Burgoviæ præſes, & nonnulli è Senatoribus in vinculis abducti. Turrenius in Wirtenbergiâ Schorendorfium quatridui oppugnatione ſubegit. Nordlingenſes hoſtem admiſêre, excluſo Truemillero Bavarico, qui proinde cum aliquot equitum peditúmque centurijs ſeſe Donawerdam recepit, ubi non licuit ipſi diu eſſe quieto. Nam Kœnigsmarckius pòſt paulò ſecutus, Donawerdâ ipsóque ponte, Bavaricis nequicquam obſiſtentibus, tandémque Rhainam rejectis, potitus, Rhainam ipſam vigeſimâ quartâ Septembris cum inſigni ſuorum jacturâ oppugnatam, ad deditionem coëgit, præſidio, quod ferè conſtabat ex venatoribus, honeſtis legibus Ingolſtadium abire permiſſo. Friſinga ſubinde data fuit direptioni, nullo rerum locorúmve ſive ſacrorum ſive profanorum diſcrimine, ut ne in templo quidem principe humanæ cædi parceretur. Verbo, ut in regione non ſatis adhuc defensâ, triſtis erat rerum facies, præſertim cis Iſaram, ubi paſſim, deſertis ſedibus, agreſtes cæterique ruris & indefenſorum oppidorum omnis gene-

Ginsburgum diripiunt.

Donawerdam, Rainam occupant.

Diripiunt Friſingam.

generis incolæ, toti propè erant in fugâ, rebúſque ſuis ad Alpium vicina, vel ultra Oenum, quacunque trajectus erat, unà cum armentorum gregibus traducendis. Per dies aliquot viſebantur longi per vias ordines fugientium, tam ſtipati tantâque frequentiâ, ut pons Waſſerburgenſis totos dies continuò curribus, ſarcinis, familijs exulantium tegeretur. Erant quidem ad manum è Bavarico milite paucæ aliquæ legiones, ſed defenſioni adverſus tot hoſtes prorſus impares; Nec multum in popularium delectibus poſitum erat præſidij. Per id temporis Colbius Bavaricus Chiliarcha in hoſtem delatus numero longè ſuperiorem, cum aliquâ ſuorum jacturâ fuit repulſus. XXVI.

In iſtâ defenſorum infrequentiâ, conſulendum tamen fuit locis munitioribus, quibus retentis, cætera poterant recuperari. Quapropter Maximilianus Ingolſtadio, aliiſque munitionibus, quibus ex hoſtis propinquitate vicinius erat periculum, pro rerum temporiſque ratione, præſidio inſtructis, Monachio, jam tum novis aggeribus, egregiâque circùm loricâ protecto, impoſuit Puecherum Tribunum cum ſexcentis. Cæterum præſidium aliorum pòſt acceſſione ſic augendum erat, ut crederetur, ad famam ſaltem, & ſuſtinendum aliquanti temporis impetum, quoad auxilia venirent, apud hoſtes valiturum. Certè vis aliqua humanâ longè major Monachium videtur protexiſſe. Neque enim dubium erat cuiquam, quin, ſi hoſtis tantum animi, quantum virium & opportunitatis habuiſſet, in eâ defenſorum paucitate, civitas ſupremum diſcrimen adiiſſet. Reſpexit videlicet Deus populi pietatem, & miram in adfuturâ de cœlo ope fiduciam, quam continuatis ad quadrimeſtre publicis per ſacras ædes comprecationibus inſigniter exercuit. Reſpexit eadem divini Numinis benignitas profuſam civium, aliorúmque in egentes charitatem, quæ de ſuâ etiam tenuitate miſeros ſublevabat, præſertim ruſticanos, qui ſine numero in urbem ſalutis causâ confugerant. Eorum aliquot millia certis diebus ad ſtipem capitatim accipiendam confluebant ad deſignatum locum, unde nemo abibat indonatus: nec ideo tamen oſtiatim invocata beneficentia ſe iſtis limitibus continebat, quin pro ſuo quiſque modulo paupertinæ multitudini ſubveniret. Addebat, tametſi tum abſens Maximilianus, ad conſuetam liberalitatem, inſignem largitionum cumulum, tum ut Deum ſibi populóque ſubjecto demereretur, tum ut miſeros in meliora tempora reſervaret.

Monacenſium ſtatus.

XXVII.

Atque hæc quidem largitio complectebatur non ſubjectos modò, ſed ipſos quoque ex hoſte captivos, qui ab excurſoribus intercepti, magno quotidie ferè numero adducebantur. His ſubveniebatur amanter: corpora, tametſi more militiæ cuſtodita, benignè nihilominus habebantur: animis etiam adhibebatur cura, quâ non pauci ad ſalutem bene uſi, aliqui libertatem ab erroribus heterodoxis, alij deponendis longæ licentiæ noxis, conſcientiæ quietem fuère adepti, illuſtri divinæ providentiæ argumento. Atque hæc quidem etiam ſe viſendam præbuit in alijs paſſim civitatibus Catholicis, quas non in Bavariâ modò, ſed etiam Vindeliciâ, alibi, hoſtis occupârat: utebatur videlicet illâ ad deliniendas Acatholici militis & Ductorum animos, ope quorundam Catholicorũ præſertim ex Gallico exercitu, in quibus eminuêre Commiſſarius Generalis Traſſius, vir apprimè juvandorum Catholicorum ſtudioſus, & Avancourtius Regis Chriſtianiſſimi legatus, qui multis paſſim, tum regiâ protectione, tum ſuâ authoritate, apud ſupremos fœderatorum Duces, ſaluti ſolatióque fuerunt.

Ut perſequamur bellica, regredimur ad Cæſareo-Bavaricum exercitum, qui, cùm jubente Cæſare, tum urgente modis omnibus Maximiliano, per Franconiam venit in Bavariam. Quintâ Septembris circa Arnſteinium, ínque agro vicino, tribus ab Herpiboli milliaribus, caſtra habuit. Inde progreſſus Schweinfurtum verſus, ejuſdem menſis duodecimo, inter Bambergam & Norimbergam, noctem egit. Pòſt illi iter fuit per ſuperiorem Palatinatum uſque Ratisbonam, ubi miſſa à Cæſare auxilia erat accepturus. XXIIX.

Ab Auguſtâ Vindelicorum tantum Bavariæ accedebat præſidij, ſi in Cæſaris

 poteſta-

poteſtate atque obſequio retineretur, quantum periculi & incommodorum, ſi veniret in hoſtium manus. Ad eam inſidiosè deliniendam, à Vrangelio Alexander Eskenius Suecici conſilij aſſeſſor miſſus ad Magiſtratum, qui urbis hoſti dedendæ conditiones proponeret, & ſi qua daretur, cum totâ civitate paciſceretur.

SUECI FRUSTRA TENTANT AUGUSTANI MAGISTRATUS FIDEM.

Non erant Acatholici ab admittendo alieni; immo ferebantur ultro per clancularios interpretes invitâſſe hoſtem, ac ſuggeſſiſſe modos in ſpeciem faciles expugnandæ civitatis, ſi denique res ad vim deveniret. Horum votis intercellit fides Catholici Magiſtratûs, & populi item Catholici, quibus authoribus ac poſcentibus, ad cæterum præſidium Bavarici equites intra muros admiſſi. Salutare fuit civitati iſtud conſilium, non modò ad faciendas in hoſtem crebras excurſiones, ejúſq; coërcendam licentiam, ſed étiam ad ſuſtinendam acrem illam quidem, & ſat diuturnam obſidionem, quâ non modò fœderatorum exercituum progreſſus fuêre intercepti, ſed etiam vires animíque haud leviter imminuti.

XXIX. AUGUSTAM OBSIDENT.

Ergo Eskenio repulſam paſſo, Gallo-Sueci 8. Cal. Octob. deſignatâ ad obſidionem Auguſtâ, rati, neque diuturnam, neque arduam fore expugnationem, cis & trans Lycum movêre copias. Die poſtero, caſtris ad Lechuſium (pagus amplus eſt è regione Auguſtæ verſus Orientem) locatis, equitatu Lyci citeriora occupante, omnem ultro citróque commeandi facultatem intercluſêre. Erant ante hoſtis adventum, in urbis ordinario præſidio milites omnino ſexcenti. Acceſſit rebus jam turbatis, decimo tertio Septembris, cum centum quinquaginta alarijs Gerardus Etelmannus vigilijs Sporckianæ legionis præfectus, quem decimo ſeptimo (uti jam memoravi) ſecutus eſt cum trecentis plus minus equitibus Joannes Fridericus Biſſingerus legionis Wirtenbergicæ legatus. Succeſſerunt decimo octavo Kolbius junior Cataphractariorum, & Crucius levioris armaturæ equitibus Præfecti, cum trecentis circiter quinquaginta. Ad has copias adjunctæ aliquot Catholicorum civium centuriæ, Acatholicis ad ſpectandam tragœdiam, complicatis brachijs, otiantibus. Additi etiam non magno numero venatores, & è litteratâ juventute circiter quinquaginta, qui cum civibus numerum ſexcentorum ferè capitum faciebant. His urbs munita præſidijs, diſpoſitíſque per munimenta tormentis, hoſti extrema comminanti ſe objecit. Habebat Bavaricus miles à Maximiliano Electore in mandatis, ut eam ad ultima uſque fortitudinis exempla tueretur. Non carebat nihilominus res magno diſcrimine, in tantâ oppugnatorum multitudine, & propugnatorum, ſi amplitudinem urbis ſpectes, paucitate. Sed neque hîc defuit ſingularis divini Numinis benignitas.

Creutz.

XXX. Quippe Franciſcus Rouyerus, partium Boicarum Tribunus, propugnandarum munitionum in paucis peritus, miro modo per nocturnas tenebras trecentorum quinquaginta circiter ferentariorum ſubſidium invexit vigeſimâ ſextâ Septembris, urbe copijs hoſtilibus jam quaquaverſum cinctâ. Sibi fecit aditum per media ſtativa, per excubias & tela provectus incolumis ad portam, ſub horam ante ſolis ortum tertiam, amiſſo duntaxat curru caſtrenſis ſupellectilis, quem hoſtes interceperunt. Huic à Maximiliano demandata erat cura, poteſtáſque ſuprema defendendæ civitatis. Primus ejus labor fuit, ortâ cum primùm luce, luſtrare munimenta, caſtrorum ſitum, ordinē: inſpicere civitatis aggeres, mœnia, machinarum ſuggeſta: ad firmandos muros præſcribere interiora opera, quâ parte videbantur infirmiores, aut hoſtium incurſionibus fore obnoxij. Eodem iſto die hoſtis, deſperatâ deditione voluntariâ, ſub ſolis ortum, propugnaculum Rubræ turri ſubjectum cœpit arietare. Poſtero, motis primo manè caſtris, quæ trans Lycum amnem tetenderant, ex adverſo littore progreſſus, cùm Lycum ponte ſtraviſſet, tranſijt in oram Suevicam: ſimul abſtulit urbi, deſtructis aquæductuum alveis, moletrinarum uſum.

Prætoriana ſtativa in pago vicino locata: peditatus in caſtris habitus extra tormentorum jactum: Lyci Werthæque fluminis ripæ diverſo munimentorum objectu, crebriſque cuſtodibus ita clauſæ, ut, quoad obſidio tenuit, omne propè litterarum, nedum auxiliorum commercium eſſet interceptum.

Rebus

Rebus ad eum modum diſpoſitis, occœpit hoſtis per ſinuoſos foſſionum mæandros acceſſum moliri ad urbem, & nunquam intermiſſo diebus noctibúſque labore, vallum ducere, ſedes locandis machinis conſtruere, ad uſque urbis foſſas munire aditus, adverſus Judæorum propugnaculum. XXXI. Inde modò viginti, modò paucioribus tormentis, mœnia, turres, ſuggeſta, quà urbs Wertham reſpicit, diverſis ex aggeribus quatere, munimenta cum ædibus adjacentibus fœdum in modum lacerare, terrorem imbelli multitudini inijcere, multas jactuum centurias unius diei ſpatio effundere. Singulos dies brevitas recenſere non ſinit: ſufficit dixiſſe, vix uſpiam à lapidibus injectis fuiſſe tutum: tecta paſſim diffracta, perruptos parietes, labefacta ædificia, igniferas ſphæras multarum librarum immiſſas, ædificiorum potiùs, quàm hominum ſtragem edidiſſe, vix tamen quicquam præter ædiculam unicam incendiſſe. Globi iſtiuſmodi recenſiti fuerunt quamplurimi, & in his quidam pondere centenarum ac ſeſquicentenarum librarum.

Mirum, quanta ducum ac militum virtus enituerit in urbe tutandâ. Magiſtratus verò ac cives Catholici omnia curabant impigrè, quæ in præſenti patriæ ſalus & incolumitas exigebat; Acatholicis contrà, dira omnia, ſi res malè cederet, clàm minitantibus. Et Rouyerus quidem agreſtium operâ, urbem novis operibus, quà maximè premebatur, ita confirmavit, ut novam velut faciem induiſſe videretur. Hoſtis, ut obfirmatos ad defenſionem animos animadvertit, vehemens, frequénſque fuit in impreſſionibus, ex quibus nihil præter ſuorum mortes & creberrima funera reportavit. Adhæc Lutheranarum matronarum, virginum ac puerorum deditionem poſcentium, ſponte, an maritorum, parentúmque inſtinctu, de genu factæ preces ac lamentationes neglectæ, cùm apud XXXII. Duumviros, tum apud Præfectos rei militaris. Summum ac potiſſimum fuit in cuniculis periculum, quos hoſtis ad decem ut minimum pedes, ſub ipſum murum ac propugnaculorum fundamenta perduxit. Sed neſcio quo fato nihil erat Rouyeri pervigili curæ, cæterorúmque ductorum labori inexploratum aut impervium; quippe, qui intra & extra mœnia cuncta impenſis vigilijs & attentione perviderent. Eorum ductu proinde, quæ hoſtis ultima paraverat, eluſa ſolerter ſunt & fortiſſimè diſſipata. Ad Clenckeram portam fornaculam ſubruerunt obſeſſi: hoſtem dein ſub teſtudine ad pertundenda mœnia acriter laborantem, igne, fumo, ſphæris punicis, ferro, ſclopis manualibus, aperto è regione hiatu, paleáque ac ſarmentis accenſis, repreſſerunt. Ad portam pontis Werthani cuniculus prorupit, hoſti potiùs, quàm obſeſſis noxius, impetu extra muros averſo. Poſtulatâ per tympanotribam urbis deditione, additíſque minis, fore alioqui, ut ignibus miſſilibus, machinarum fulmine, civitatem lacerarent, reſpondit Rouyerus, tentarent pro arbitrio, quod ſuaderet animus: ſe non ceſſurum loco, niſi cum vitâ.

Toto undeviginti dierum tempore, quod tenuit obſidio, hoſtis nullam omnino partem eorum munimentorum, quæ obſeſſi tutanda ſuſceperant, occupavit. Deſideravit interim minimùm mille ſupra quingentos: de Bavaricis non plus vicenis interfecti, totidem ſauciati. Sic omnis hoſtium conatus abijt in ventos. Iram tamen hoſtis pavit, Fridbergæ Bavarici oppidi, quod eſt ultra Lycum in Auguſtæ oculis, Kiſſingæ, aliorúmque circà pagorum, incendium.

Dum res ad Auguſtam iſto armorum æſtu gererentur, Archidux Leopol- XXX
dus Danubio ad Straubingam transmiſſo, firmatus novo Cæſarianorum auxilio, III.
Landishutam primùm, deinde Moſburgum & Friſingam, demum die Octobris duodecimo veniens in Auguſtæ conſpectum, infra Fridbergam adhuc ex incendio fumantem, aciem explicuit. Eo ipſo die hoſtem ex munimentis Lyco impoſitis, centum obtruncatis, captíſque duabus machinis, depulit. Ergo poſtridie, (qui dies D. Simperto Epiſcopo Auguſtæ Patrono ſacer erat) hoſtis, caſtris ab urbe motis, trepidum agmen, ad arenarium montem agens, pagos, quos antè inſe-

derat, fruſtraneæ obſidionis futuros teſtes, incendit. Atque in hunc quidem modum ſoluta Auguſtæ operoſa valdè obſidio.

Hoſtis ſubinde incendijs graſſatus per Sueviam, caſtra movit ad Lavingam, fatigato militi aliquid daturus quietis, dum Cæſareo-Bavarici Teiſingæ conſtitêre. Mutatis inde caſtris, hi conceſſêre Meringam, illi Ginsburgum, ad decimum nonum Octobris. Utrinque fuit aliqua ceſſatio, donec Archidux, cognito Vrangelium, atque fœderatos Brumbaci & Thanhuſij habere ſtativa, per Mindelheimium ad Riedam, ſeſquihoræ à Memmingâ itinere, conceſſit, ratus, ſe hoſtem ſic prohibiturum annonâ & pabulatione, ut ultra Danubium rebus neceſſarijs reijceretur. Verùm ille nactus ſpatium prævertendi, feſtinato ad Lycum itinere, Landſpergam tertio Novembris obſeſſam, ac deinde expugnatam, miſerandum in modum diripuit.

Lansperga. Weilheimium diripiuntur. XXXIV. Magna iſthic annonæ copia reperta. Sub hæc petitâ à Weilheimenſibus deditione, cùm oppidani defenſionem pararent, freti adjumento quantumvis infrequentis præſidij, hoſtis poſt unius horæ ſpatium, ſuperatis mœnibus irrumpens, non modò in præſidiarios, ſed in cives etiam cædibus atrociter ſævijt. Mox ad prædam verſus, civitatem omnem diripuit, minatus incendium, ni cives jam exhauſti rebus omnibus, ter mille numûm Imperialium lytro hanc à ſe cladem averterent: cepêre ad eam rem tres obſides, Archigrammateum videlicet & duos cives, qui proximæ redemptionis ſecuritatem præſtarent.

Exinde hoſtis, cognitâ Archiducis profectione, cis Lycum, Auguſtam verſus contendit, auditóque, Archiducem ad Thirhauptenſe Cœnobium ſuperâſſe Lycum, ipſe in Sueviæ confinia copias reduxit, interjectu fluminis tutus expeditúſque ad agendas prædas, & oppida trans Lycum invadenda. Invaſit reipsâ Schongaviam, quam non multo pòſt unà cũ Landſpergâ deſeruit. Movit inde Mindelheimium, cujus arcem exiguo opere ac præſidio defenſam, bene tamen fartam annonâ, deditione accepit. Paulò ante obſidionem, præſidiarij oppido impoſiti, hoſtis impetum aliquantiſper remorantes, iratum ſic concitaverant, ut ultima quæque in devictos ſpiraret; nec iræ defuiſſet, niſi teſſera à Turrenio ad ſecuritatem conceſſa, & Traſſij litteræ furentem nonnihil compeſcuiſſent. Quare temperatum à cæde quidem, ſed permiſsâ per aliquot horas direptione, cives bonis propè omnibus everſi. Suburbium totum, (exceptâ unicâ domo, quam civis haud copioſus cùm precibus & labore, tum auro redemit) incendio deletum. Motum hinc Ginsburgum, atque è caſtris miſſi, qui vim Memmingæ oſtentarent. Sed cùm ſexcenti præſidiarij ſeſe acriter tormentorum objectu tuerentur, re infectâ Sueci ſe recepêre Babenhuſium, Franci verò Weiſſenhornium, legionibus per agrum finitimum diſtributis.

XXXV. Cæſariani fugantur. Donawerdam ab hoſte deſertam ſexaginta circiter ex Sporckianis equitibus inſederant. Ejus recuperandæ nata hinc occaſio. Vrangelius atque unà Turrenius ſecundo Danubio Donawerdam profecti, à Steineckero Rainæ præfecto certiores fiunt, Archiducem motis caſtris ad Danubium tendere, & ex ipſius copijs aliquas, quæ ad poſtremum agmen pertinerent, aliquantum ad lævam deflexiſſe. Eo comperto, Vrangelius citato itinere Rainam contendit. Tranſmiſſis per Lycianum pontem ad Oberndorffium aliquot legionibus, occurrerunt bis mille equites Cæſariani haud longè à Rainâ, ad cæterum Archiducis exercitum Neoburgum tendentes. In hos invectus Vrangelius ad Pagum Staudenſem, mox omnes egit in fugam. Fugientium terga ceciderunt Sueci ad uſque Neoburgi ferè conſpectum. Multi interfecti, capti non pauci, in quibus præter vigiliarum præfectum, centuriones aliquot. Eo lætus Vrangelius, reflexo ad Rainam itinere, trajectóque in adverſam ripam prope Oberndorffium exercitu, conſilium cepit de recipiendâ Donawerdâ. Quam ad rem cum validâ ſuorum manu, quos tribus navibus Lavingâ adductis impoſuerat; jubet Roſam ſecundo Danubio Donawerdam navigare. Cùm propè appuliſſent, intellecto, ſexaginta admodum Bavaricos in civitate curare, Roſa ſuos in terram expoſitos ducit in propugnaculum

lum ponti Donawerdano adſitum. Juſtâ impreſſione defenſores in oppidum rejecti, portâ ad Danubium oppeſſulatâ, per averſam effugêre. Qui in fugâ tardiores, ab hoſte inſectante retracti: geſtum id ſub Decembris diem decimum ſextum. DONAWERDA à SUECIS DENUO OCCUPATA.

Non multò antè Caſpar Schockius Bavaricus Tribunus aliquot agreſtium auxilio, octo Kœnigsmarckianorum hippotoxotarum centurias oppreſſit. Degebant illi Campiduni ſine metu, eóque languidioribus vigilijs. Caſpar non ignarus ejuſce ſecuritatis, ſuperatis ex improviſo mœnibus, oppidum invadit: concurrunt Sueci ad arma: conſeruntur manus ad quatuor ipſas horas, non ſine cæde mutuâ. Stetit tandem penes Bavaricos victoria. Adempta hoſti octo vexilla, magnus inſignium equorum numerus, & manubiæ non contemnendæ. Locum retinere inconſultum, eò quòd Kœnigsmarckius, intellectâ ſuorum clade, proximè imminebat. Is pecuniæ pro more faciendæ occaſionem nactus, Campidunenſibus viginti quatuor millium Ferdinandicorum multam indixit, quam niſi præſtarent, daturi eſſent pœnas famæ commentitiæ, quâ per impoſtores accuſabantur cum Caſpare conſpirâſſe. XXXVI. *Kempten.* SUECI OPPRIMUNTUR CAMPIDUNI.

Afferebantur interea frequentes nuntij, Fœderatos Bibracum tendere cum machinis aliquot, novi aliquid ad lacum Brigantinum tentaturos. Occupavêre primùm Leykirchium, Wangenam, Iſnam, Ravenſburgum, alia loca indefenſa. Sub hæc miſerè vexârunt omnem circà regionem expilatione, incendijs: Tandem etiam Wolfeggam Lindavienſis Gubernatoris arcem nobiliſſimam cum ſubjecto pago redegêre in cineres. Vrangelius, comperto Brigantini tractus colonos in propugnaculo, quod in vicinâ ſylvâ ad Iſnam condiderant, magno numero conglobatos, frequentibus damnis Suecorum ſtativa afficere, vixque fore ab ijs quietem, quamdiu iſto munimento potirentur, adulto jam Decembri, Leykirchio cum bis mille legionarijs, & mille alarijs profectus, Iſnæ cognovit, agreſtes etiamnum eſſe in ſuâ ſtatione. Statuerat poſtero manè eos aggredi, jámque erat in procinctu, cùm per exploratores fit certior, illos nocte intempeſtâ partim in propinqua montium, partim in Brigantinum clauſtrum eſſe dilapſos. Adjacet capiti Lacus Podamici ſive Conſtantienſis Brigantium, ad orientem tectum arce editâ, & arduis montibus: Ab Auſtro munitur amne Briganto in lacum confluente: Ab eâ parte, quâ Lindavium ſpectat, anguſtus eſt ad lacum aditus, qui obſtruitur aliquot per intervalla propugnaculis, & loricâ oppido propinquâ: ab occaſu lacum habet lateri objectum. Habitum fuerat toto hoc bello inſuperabile, & ſanè erat, ſi tam fuiſſet rebus hominibúſque ad defenſionem neceſſarijs, quàm ſitu ac propugnaculorum firmitate communitum. Plurimùm intererat probè ſervari iſtud præſidium, è quo patet aditus in Italiam, Rhætiam, Engaddinos, Tirolim, Helvetiam, potéſtque ex eo totus latè lacus cum lacui proximis civitatibus reddi infeſtus. In eum locum vim ingentem auri, argenti, rerum pretioſarum, vini, frumentíque, velut in tutiſſimum aſylum finitimi contulerant: erant naves in anchoris, quibus excurreretur in lacum, & frenarentur adſita præſidia, verbo, cauſæ magni ponderis, cur ipſi ex omni parte foret abunde proſpectum. Aſcherus Chiliarcha cum infrequente præſidio ab aliquot retro annis loco erat impoſitus: magna erat ex agreſtibus, ſed inconſulta inaníſque (ut plerumque) fiducia. Non deerant bellicæ machinæ, neque neceſſarium inſtrumentum; deerant pectora à quibus regerentur. Fugitivos igitur è ſylveſtri receptu agreſtes Vrangelius è veſtigio ſecutus, appulit ad clauſtrum Brigantij. Sunt ad clauſtri ſiniſtram prærupta alpes, in quibus agreſtes conſtiterant bono numero. In has jubet Vrangelius eniti aliquot ſelectorum virorum centurias, qui nihil morati ruſticanæ turbæ adverſos conatus, per acclivia evadentes in jugi ſuprema, momento in ſubjectum pagum agreſtes depellunt. Sed neque hîc, tametſi locus aggere protectus defendi poterat, fugaces homines diu ſuſtinuêre vim militarem. Fit ergo rurſus fuga in aliam municiunculam prominentem è grandis ſcopuli ſupercilio, in quam erat aditus per pontem ſubductarium, profundæ XXXVII. SUECI BRIGANTIUM EXPUGNANT XXXIIX.

fundæ voragini impoſitum. Dum illuc ſe ruſtici confertim inferunt, Sueci eorum hærentes veſtigijs, pontem ipsámque munitionem occupant. Supererat miſeris receptus in ipſum Brigantium. Sed Vrangelius tormentis, ſclopetariiſque ad lævam, quà deſcenſus erat, inque ipſum propugnaculum diſpoſitis, infeſtus fugientium latera verberabat. Quare coloni, quibus favit fortuna, pars in averſum collem campóſque, pars in naves, quæ ad Brigantium ſtabant in anchoris, evasêre, cæteri vel cæſi, vel lacu hauſti, vel lapſi in Suecorum manus. Non fuit exinde arduum, ipſum Brigantium, poſt ſuperata ipſius munimenta occupare. Qui enim Brigantini ad objectam loricam adhuc reſtiterant, à fronte, & à tergo acriter laceſſiti, poſt duarum horarum certamen, dedêre & ipſi manus. Captus fuit interea in oppido Aſcherus Præfectus, qui à Vrangelio ſibi paſſus eſt perſuaderi, ut mitteret ad arcem, quam Pfannenbergam dicunt, quæque Brigantio ex præaltâ rupe imminet, mandata, quibus jubebat, eum quoque locum hoſti permitti. Paruit extemplo albæ mentis præfectus. Crediti ſunt ſexies mille propè agreſtes ſuam operam, eo die, unà cum Brigantio miſerè perdidiſſe. Ex ijs permulti vitam amiſêre. Quid inde ſecutum ſit malorum, videbimus anno ſequenti.

XXXIX. Cùm res in eo eſſent, jámque hoſtis aliquantum à Bavariæ finibus abeſſet, Cæſarianæ copiæ trajecêre Danubium ituræ in hiberna, Bavaricis cis Danubium in Bavariâ relictis. Archidux Leopoldus, cùm exercitûs curam principi Locowitzio demandâſſet uſque in Galaſſi adventum, præmiſſis in Bohemiam impedimentis, ipſe ſecutus eſt: Hatzfeldius verò belli pertæſus, miſſionem à militia impetravit.

BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS III.
LIBER XXXII.

Maximilianus cum fœderato hoſte pactus privatas inducias, poſt ſemeſtre arma rurſus jungit Cæſari: Res paſsim geſtæ per Germaniam. An. M.DC. XLVII.

ANnus hujus ſæculi quadrageſimus ſeptimus, magnâ rerum varietate fuit exactus, de quibus ordine dicendum eſt. Menſe Januario Grotius Schorendorfij pro hoſte Præfectus, à Bavaricis captus, Aſpergam fuit abductus. Patuit tum ex interceptis litteris, quàm pronis ſtudijs Wirtenbergici ferrentur in partes Fœderatorum, quippe quos annonâ mille farinæ metimnorum adjutos litteræ Francici Curatoris teſtabantur. Grotius captus. *Cancell. Bell. ex litt. 4. Ianuar. 1647.*

Ejuſdem menſis die undevigeſimo, Cæſariani unàque Bavarici Weiſſenburgo obſidionem admoverunt. Iſthic ſexcenti circiter hoſtes curabant. Cùm octiduo pòſt murus ad juſtam incurſionem apertus videretur, magnâ pertinaciâ civitas cœpta oppugnari. Cecidêre ex invaſoribus duo ſupra quadraginta: ducenti viginti ſeptem fuêre ſauciati: tandémque, cùm propugnatorum virtus nihil remitteret, irrito conatu ab oppugnatione fuit abſtinendum. Depulſi ſubinde è ſtatione, quam in foſſâ occupârant Cæſareo-Boici, accenſo ſtramine, ſarmentíſque è muro dejectis. Ad extremum fractus hoſtis poſtridie Cal. Febru. manus dedit, exceſsitque ex urbe honeſtis legibus pactæ deditionis. Qui aliàs Cæſari vel Maximiliano meruerant, fuerunt retenti, cæteris facta facultas cum ſarcinis abeundi. Civibus addicta vitæ fortunarúmque incolumitas. Inter hæc Sultzberga, injectis bombis pyrobolis domita, venit in noſtrorum manus. Atq; hæc quidem ferè ſunt, quæ ſub annum ineuntem, armis geſta ſunt à noſtris. Weissenburgum et Sultzberga recepta.

De armorum juſtitio, quod vulgus Armiſtitium nuncupat, ineundo, quò quietiùs, conſtantiúſque de pace extra belli tempeſtatem, & incertos rerum eventus ageretur, jam ſæpius in pacifico conventu deliberatum fuiſſe, cúmque belli ducibus ejuſce ineundi communicata fuiſſe conſilia, ſuperiùs memoravimus. Vulgò credebatur, eos, quos publicæ tranquillitatis cura afficiebat, de generalibus inducijs ſuſcepiſſe ſerias cogitationes. Hoc ipſum Sac. Cæſ. Ma- I. Armistitiũ Ulmense.

jeſtas non obſcurè oſtenderat: eò videbantur Monaſterienſia & Oſnabrugenſia conſilia collimare: id vel maximè erat Maximiliano Electori propoſitum, quippe qui votis omnibus ad pacem demum ex iſtâ armorum ceſſatione ſperatám adſpirabat, non, ut ſibi rebúſque ſuis duntaxat, ſed etiam totius orbis Chriſtiani, vel ſi id non daretur, ſaltem Romani Imperij ſaluti proſpectum tandem aliquando videret.

Litt. Max. ad Cæſarem. Eam ob rem ijs, quos iſtarum induciarum tractatores dederat, diſertè imperârat initio, ut de generalibus tantùm cum Fœderatis agerent, & ante omnem tractationem candidè ac fidenter cum Cæſareis tractatoribus ſua conſilia, curáſque conferrent, viciſsímque ab ipſis obtinerent, ut communi deliberatione & auxilio ad Generalis Armiſtitij pactionem conſpirarent. Ad rem ubi propiùs ventum fuit, ſtatim intercelſerunt cauſæ variæ comperendinationum, obtentu titulorum, litterarum publicæ ſecuritatis, & ſimilium, quæ prodebant longiùs protractum iri negotium, quàm ut rei communi foret conſultum, tali præſertim rerum conditione, quæ neutiquam cenſebantur languidis remedijs indigere.

EIUS REMORÆ. II. Leopoldus Archidux mandata Cæſarea communicavit cum Maximiliano, cui illa viſa ejuſmodi, ut crederet, in ipſo ſtatim limine omnem diſceptationem, propoſitis à Cæſare conditionibus, abrumpendam. Hanc curam Maximilianus Archiduci confeſtim aperuit, ſuaſitque, ut moderationem aliquam mandatis adhiberet. Reſpondit Archidux, ſibi à Cæſ. Majeſtate manus ſic eſſe ligatas, ut nihil liceret immutare. Eâdem de re Maximilianus ſuas cogitationes Comiti Galaſſo, Cæſariani exercitûs rurſus Stratego, Waſſerburgi per ſuos conſiliarios fideliter juſſit coràm aperiri: verùm hic pariter excuſavit ſe quicquam eâ de re à Cæſare aut Archiduce habere in mandatis, & verò etiam vereri, fore, ut, niſi aliquod temperamentum & mutatio adferretur, negotiatio minimè ex voto ſuccederet, ſed à Francis & Suecis quamprimùm reijceretur: ſimul pollicitus eſt, ſe eâ de re Cæſarem facturum certiorem, expectaturúmq; ab eo imperia. Hæc ipſa Sac. Cæſ. Majeſtati ſignificavit Maximilianus per litteras vigeſimo quinto Januarij, & quarto Februarij, hoc duntaxat operæ pretio, ut, tametſi Cæſar nihil in ſuorum Deputatorum inſtructione mutatum vellet, tamen admitteret intermediam aliquam ceſſationem ab armis, quam Fœderati deinde reſpuerunt, certi, abs ſolâ induciarum tractatione, non aliunde facere initium.

Ergo Cæſarei Tractatores mandatis Cæſareis adhætere, nihil per ſe velle proponere, obſtare quò minùs Bavarici, Cæſaris & Maximiliani nomine, quicquam agerent de generalibus inducijs, quibus tum Regnis & ditionibus Cæſareis, tum Imperio Romano & Bavariæ ſimul conſuleretur. Fecerant nihilo ſeciùs Bavarici aliquod tractandi initium, ſub conditione impetrandæ à Cæſare approbationis. Id ubi reſcivêre Cæſariani, mox graviter intercedere, apud confœderatos reclamare, conteſtari, Bavariæ Septemvirum non habere pro Cæſare tractandi poteſtatem: affirmare, quicquid ſuper Bavaricis poſtulatis nomine Cæſaris decerneretur, citra Cæſaris mandata idonea; id ſuam Sac. Majeſtatem ratum non habituram. Tandem à Bavaricis apertum fecêre divortium.

III. Jam igitur in eo erat, ut Fœderatorum legati, re infectâ, Ulmâ, ubi hæc gerebantur, diſcederent irâ incenſi ac minitantes, ſe ilicò, junctis viribus (quas eo conſilio in agro Ulmenſi habebant in promptu) ultima quæque, & præteritis longè atrociora Bavariæ illaturos. Jam tum Galaſſus, recepto Weiſſenburgo, cum Cæſarianis copijs ad hiberna conceſſerat, & habitâ cum Generalibus ductoribus conſultatione, per litteras erat Maximiliano profeſſus, ſe, quantumlibet Cæſarianus exercitus Bavarico jungeretur, tamen parem hoſti non fore, ut vel ejus progreſſus ſiſteret: proinde nihil erat, cur Maximilianus in iſto diſcriminis ac temporis periculo, quo vel maximè res præſentem opem poſtulabant, à Cæſare auxilia expectaret. Et proclive eſt credere, Principi minimè oblivioſo altè inſediſſe nuperorum caſtrorum eventus ferè triſtes, & Cæſarei militis licentiam. Par erat etiam, feſſam ac fatiſcentem duodetriginta annorum bello ætatem, ex-

hauſto

hauſto ærario, provincijs per immenſos ſumptus apprimè afflictis, adſpirare tandem ad quietem aliquam & ſecuritatem.

Dulce quidem fuiſſet, quicquid rerum & ſpiritûs ſupererat, Religioni, Cæſari, Imperio, Principum ac Ordinum incolumitati impendere, ſi vel ultimo commodi privati impendio ſperâſſet, ſe eam poſſe aſſequi, ſed neque id ſperabat, rebus eò uſque attritis, poſſe bello obtineri, nec judicabat convenire, ut tanto periculo tam incertam ſpem, & velut certam perniciem nundinaretur. Non cenſebat Princeps ſapiens, tot ſua & aliorum damna debere litari non Deo, non religioni, non Cæſari ac patriæ, ſed alienis affectibus, nullo fructu publico, cum diſcrimine evidenti adeundi mala incredibilia, quæ ventura ætas ſerò vel nunquam eſſet depulſura. Igitur, tametſi Princeps mirè perſpicax, animo jam longè incommoda ex particularibus inducijs oritura proſpexerat, & eâ de causâ, quantâ potuerat contentione, Cæſari author fuerat, ſuos ut Commiſſarios ijs mandatis inſtrueret, quæ Fœderatos à generalis Armiſtitij pactione non averterent; curârat inſuper agi per ſuos, Cæſarei miniſtri id ſaltem paterentur, ut generale Armiſtitium tractaretur, à Cæſare, ſi quidem placeret, comprobandum: verùm, cùm nec Cæſar alia daret mandata, nec admitterent Commiſſarij vicariam tractationem, tandem, cùm ſe à Cæſariano exercitu deſertum, & hoſti velut jam objectum videret, perinvitus juſſit Bavaricos agere de privatis inducijs, eò quòd nulla tum expediendæ ſuæ & ſubditorum ſalutis alia ratio occurreret, ratus, communi etiam rei fore longè utilius, ſi eo modo ſe, ſuáſque ditiones ſervaret, Imperio & Cæſari aliquando profuturas, quàm ſi omnia ſúſque déque verti ſineret, & in hoſtium manus venire. TRACTANTUR PRIVATÆ INDUCIÆ.

V. Ubi tandem animadvertêre Cæſarei, jam agi ſeriò à Bavaricis, atque in eo eſſe, ut ipſis omnino præteritis, armorum juſtitium ſanciretur; tum demum monuêre Cæſarẽ, alterius, quàm habuerant, formæ mandata flagitantes. Cæſar ipſe Gebhardum Aulicum conſiliarium miſit ad Maximilianum, cum novis (ut ajebat) mandatis, ad quorum normam generales induciæ componerentur: culpam ille quidem in tractatores Ulmenſes reijciebat; verùm is venit poſt rem, cùm Fœderati atque unà Bavarici de privatis inducijs jam conveniſſent, eáſque Maximilianus ſic approbâſſet, ut non eſſet ampliùs integrum à pactis ſine causâ diſcedere. Satiùs haud dubiè fuiſſet commune Armiſtitium iniri, ſed cùm refragantibus Cæſaris Deputatis id nequiret obtineri, peculiare aliquod fuit ineundum: quod ſi minùs fortè fuit in commune commodum, non fuit tribuendum Maximiliano, ſed ijs, per quos ſtetit, ne commune omnibúſque commodum iniretur, quod qui inire noluerunt, cùm poſſent, non potuerunt, cùm vellent.

Qui hac de re nullo affectu ſequiore, ſed remoto omni partium ſtudio ratiocinati ſunt; exiſtimaverunt, Maximilianum boni Principis functum eſſe officio, nec vertendum ipſi fuiſſe vitio, quòd cùm Cæſarei Miniſtri ſibi atque Imperio per generales inducias proſpectum nollent, ipſe ſibi & ſuis ſubjectis in tanto periculo, poſteaquam ſe deſertum ſentiebat, peculiariter proſpexiſſet. Non poterat accuſari, quaſi Cæſari atque Imperio unquam defuiſſet, aut pepercíſſet ſibi, rebúsve ſuis: quippe qui ſi quis unquam alius Electorum aut Principum Imperij, impensè Cæſari atque rei communi, ſe totum, per annos omnino viginti octo, cum immenſis ſumptibus, curis inexplicabilibus, labore incredibili addixiſſet: VI. qui in ſe ſuáſque ditiones hoſtium arma, iráſque toties provocâſſet, qui ſe pro Religione, pro Cæſare & Imperio, quoad per vires licuerat, velut murum adverſariorum conatibus oppoſuiſſet. Et certè non abs re per litteras Cæſari oſtenderat, quantum in periculum ſe, rem communem, utramque Auſtriam eſſet conjecturus, ſi, ut ſuperioribus caſtris contigerat, hoſtis ſeſe in Bavariam rurſus infunderet. Tametſi enim venturæ fortaſſe eſſent à Cæſare ſuppetiæ, id tamen non poterat vitari incommodi, quin ſede belli in Bavariâ conſtitutâ, non ab hoſte modò, ſed etiam ab amicis, jam alioqui exhauſta Provincia obrueretur. Terrebant anni præteriti recentia exempla, quibus erat expertus, ſe non minora à Cæſarianis, quàm à Fœderatis hoſtibus, damna accepiſſe, nec potuiſſe impetra-

re, tametſi queſtus graviter apud Cæſarem & Archiducem, ut modus aliquis iſtiuſmodi malis ſtatueretur. Nec verò latebat, Bavariam ſuperioris anni bello eò uſque eſſe attritam, ut tot exercitibus alendis planè foret impar; ita jam annona, pabulum, aliáque defecerant: cùm interea futurum hoſti eſſet facile, ex Sueviâ, locíſque finitimis, rebus neceſſarijs affluere, adeóque non Bavaricos modò, ſed etiam Cæſarianos vel ſolâ inediâ, ſi cætera deeſſent, debellare.

Hoc viſum nonnullis difficile, quòd Fœderati nullas prorſus vellent inducias, niſi Maximilianus tres civitates, Memmingam videlicet, Hailbrunnam, & Vberlingam, cum Rhainâ, Donawerdâ, Mindelheimio, Wiſenſtaichio, Wembdingâ, & Haidenheimio commutaret, atque tres illas in harum vicem Francis ac Suecis permitteret. Verùm extorſit invito neceſſitas, quod aliàs fuiſſet nunquam conceſſurus. Vt enim tres iſtæ civitates ad Imperium pertinerent, eſséntque Maximiliani curæ commiſſæ: meminerat tamen ſibi Imperij defendendi negotium incumbere, quod negotiū gereret utiliter, ſi trium civitatum non jacturâ, ſed temporaneâ brevíque conceſſione, longè majora mala averteret. Credidit enim tanquam geſtor publici negotij, plus emolumenti accedere Imperio, ſi non Bavaricæ modò, ſed etiam Colonienſes ditiones (Electore Colonienſi in Armiſtitij conſortium concedente) ſervarentur, quàm ſi retinerentur tres iſtæ civitates, quæ vix ullo negotio, id temporis ab hoſte poterant occupari, támque parùm eripi periculo, quàm nuper Brigantium, locáque alia ab hoſte occupata. Sed & hoc veniebat in calculum, quòd cùm præſidia Bavarica undique ab hoſte circumſeſſa, in iſtis civitatibus annonæ rerúmque neceſſariarum inopiâ laborarent, non niſi exiguo admodum temporis ſpatio eas civitates poterant tueri. Quare Maximilianus Fœderatis eas transſcripſit, eò quòd retinere non poſſet. Id quoque acceſſit ex eâ permutatione commodi, quòd Auguſtæ Vindelicorum liceret tantiſper, dum pax iniretur, mediarum partium ſecuritate frui, & vacare tam Bavarico, quàm Fœderato præſidio: quòd Friburgi & Rotwilæ maneret Bavaricum præſidium, & binæ iſtæ civitates extra periculum ponerentur. Demum quod maximè ſpectabat Maximilianus, amor pacis orbi Chriſtiano reddendæ, ſpéſque eam maturandi, excuſabat iſtiuſmodi pactiones, cùm crederet, vel eos, quos nondum potuerant longi tractatus componere, faciliùs in propoſitas conditiones conceſſuros, ſi viderent à ſuis partibus diſceſſiſſe copias Bavaricas: vel ſi id obtineri non poſſet, Cæſarem tamen, qui hactenus magnâ curâ ad pacis generalis conciliationem incubuerat, eâ non impetratâ, Germaniæ atque Imperio ſaltem tranquillitatem, ſepoſitâ tantiſper externorum cauſâ, redditurum.

VII.

VIII. Igitur cùm ab hujus anni principio de generalibus inducijs agi cœpiſſet, nec eæ poſſent ob eas, quas dixi, cauſas, obtineri, menſe demum Martio jam adulto, Maximilianus privatas admittere fuit coactus, adſcito in earundem conſortium Electore Colonienſi. Res confecta eſt Vlmæ, decimâ quartâ menſis jam dicti, his legibus:

Induciarum leges.

I. A die jam nominatâ ceſſato omnis hoſtilitas inter Franciæ & Sueciæ coronas, & Electores Bavariæ atq; Coloniæ, & hujus Coadjutorem, uſque ad futuram pacis compoſitionem: Elector Bavariæ Imperij exercitum à Sac. Cæſ. Majeſtate reipsâ ſeparato, neq; eo utatur uſquam ad Cæſaris auxilium, ſalvo tamen Electoris juramento & obligatione in Imperium, ejúſque ſupremum caput, citra hujus pactionis & induciarum præjudicium.

II. Ad ſuſtentandum Imperij-Bavaricum exercitum, totus Circulus Bavaricus, Palatinatus ſuperior, & inferior cis Rhenum, quoad loca ab Electore inſeſſa, toto tempore induciarum; Epiſcopatus verò Eiſtattenſis uſque dum regiæ approbationes tradantur, attribuuntor; ſervato tamen jure, ut Suecis ſit poteſtas, celeriter & abſque non neceſſariâ morâ per ea loca transmittendi copias, ſi quando id inevitabilis neceſſitas exigeret. Quod quidem ſi aliquando contingat, Elector priùs per litteras de tranſitu futuro admonetor: nullæ fiant à ſubditis exactiones, nullæ ſtativa capiuntor, nullæ civitates aut loca clauſa injuſſu Electoris ineuntor: tranſeuntibus de cibarijs proſpicitor: ab omni vi, & dan-

& dandis damnis abſtinetor. Cæſarianis eodem jure tranſitus utendi fas eſto, modò ne per totam Bavariam tranſeant.

III. Memminga & Vberlinga Suecicæ Coronæ, Electori Bavariæ viciſſim Rhaina, Donavverda, Wembdinga, & Mindelheimium citra civium damnum traduntor, datis utrinque ad futuræ traditionis ſecuritatem obſidibus.

IV. Poſt traditam Suecicæ Coronæ induciarum approbationem, Elector Duci Wirtenbergiæ Aſpergam, Auracum, Schiltacum, aliáſq; Wirtenbergiæ munitiones reſtituito.

V. Poſt eandem approbationem, Auguſta ab externo præſidio eſto libera, & in IX.
mediarum partium conditione.

VI. Si quas copias Elector exauctoraverit, id ita faxit, ut ſit integrum utrique parti bellantium, ex ijs delectus habere: poſſit tamen Elector, quantum ex eo milite videbitur, Venetis adverſus Turcas transſcribere.

VII. Tam Ductoribus, quàm militibus, abſque ſuorum ſuperiorum ſyngrapho viatorio per aliena ſtativa commeare nefas eſto. Si qui comperiantur apud ſuos deliquiſſe; ab alteris, ubi id petitum fuerit, ad eos remittuntor, nec ullo modo ab alterâ partium foventor, aut retinentor. Prædones, graſſatores in alienis ſtativis & delicto flagranti capti, remittuntor ad ſuos Iudices: alij per ſuos ductores plectuntor, ſalvis integríſque inducijs.

VIII. Eſto liberum ac tutum rerum omnium, maximè verò ſalis utrinque commercium, citra omnem prorſus novorum vectigalium exactionem: ſecurus quoque atq; innoxius eſto veredarijs & ordinarijs curſoribus tranſitus.

IX. Vtrinque captivi omnes citra lytrum, niſi de quo jam convenerit, dimittuntor, ubi primùm fuerint decretæ induciæ.

X. Colonienſis Elector, ejúſque Coadjutor, intra octo abhinc ſeptimanas, pactio- X.
nem ratam habento; hoſtilem militem pro viribus à ſuis ditionibus amovento: Cæſarianarum copiarum in illis degentium indiculum Fœderatis exhibento: ac per eos loca à Cæſarianis detenta occupari patiuntor, juribus ac proventibus penes Electorem remanentibus. Locis occupatis Fœderati nullum præſidium, niſi id ratio belli poſtulaverit, imponunto. Contributionum moderatio, & quæ Haſſiæ Landgraviæ interſunt, eum modum ſequuntor, de quo inter partium Commiſſarios convenerit.

XI. Quòd ſi ante prædictam approbationem, Monaſterij & Oſnabrugi generales induciæ, lege; Vti poſſidetis, vel pax ipſa componeretur, nihil obſtante hoc particulari Armiſtitio; paci aut generalibus inducijs locus eſto & auctoritas. Si pacis compoſitio differretur in longum, aut omnino intercideret; ſervantor nihilominus hæ induciæ: utraque pars tractantium & modò bellantium, nihilominus cum omni Zelo Chriſtiano, in id incumbito, ut pacis generalis concluſio ſupremo conatu maturetur.

XII. Hæc omnia & ſequentia capita ex parte Regiæ Majeſtatis & Suecicæ Coronæ vim antè non habeant, donec etiam Regis Chriſtianiſſimi Majeſtati in hoc negotio per ſcriptam tractationem à Sereniſſimo Electore tam pro ſe, quàm pro Colonienſi Electore, & ejus Coadjutore fuerit ſatisfactum.

XIII. Civitati Vberlingæ Religio Catholica, ejúſque exercitium, templa, ſcholæ, in eo, quo modò ſunt, ſtatu, libera remanento.

XIV. Offenburgum pro hoſte à Fœderatis habetor, niſi agente Bavariæ Electore,
admittendo præſidium Bavaricum, ad medias partes, & poſt harum induciarum appro- XI.
bationem, in manus Benfeldenſis Gubernatoris concedat.

XV. Si Coronæ has inducias non probarent, Memminga & Vberlinga Bavariæ Electori, Rhaina, Donavverda, Wembdinga, & Mindelheimium Coronæ Suecicæ reſtituuntor cum eo, quem decedentes reliquerint, rerum apparatu.

XVI. Si Colonienſis Elector, ejúſque Coadjutor intra præfixum octo hebdomadum tempus, mutatâ voluntate, hoc pactum non approbent, ejus beneficio non fruuntor, nihil tamen inde ſit obſtaculi, quò minùs Bavariæ Elector, ejúſque Sereniſſima Domus cum prædictis Coronis, earúmque fœderatis, in hiſce pactis conventis plenè perſiſtat.

XVII. Fas eſto præſidio Bavarico, quando Suecicum inducetur Memmingã, aut Vberlingam, ſecum educere quaſcunque perſonas ſeu Eccleſiaſticas, ſive ſæculares, quæ iſt-

huc ſecuritatis causâ confugerint, cum omnibus earum bonis mobilibus, armento, equis, & famulitio. Qui Eccleſiaſtici & ſeculares in ijs locis perſtabunt, ſunto liberi ab expilatione, eodémque, quo cives numero, paríque conditione habentor, cum libertate citra omne impedimentum, cùm libuerit, emigrandi ſecurè cum adjunctis defenſoribus.

XVIII. Hæc omnia ſervantor integrè & cum fide, & ubi fuerint à jam dictis Coronis & Sereniſſimis Principibus comprobata, traditis approbationibus ultro citróque confirmantor, à Coronâ quidem Suecicâ intra quinquemeſtre, à Landgraviâ verò Haſſiæ intra bimeſtre tempus. Similis formæ tabulæ pro ijſdẽ inducijs obſignatæ fuerunt à Regis Franciæ delegatis, hoc addito, ut Regi Chriſtianiſſimo in Circulo Bavarico

XII. remanerent Lavinga, Gundelfinga, Hœchſtadium, loca inter Ulmam & Donawerdam, quæ ſunt Ducatûs Neoburgici, & Hailbrunnæ Gallicũ præſidium imponeretur. Credebatur diuturna quies ex iſtis inducijs non Bavariæ modò, ſed etiam Colonienſibus ditionibus oritura: verùm ea fuit paucorum menſium. Factâ ultro citróque locorum permutatione, abductíſque copijs, Maximilianus ſuas potiorem partem in Bavariâ cis Danubium habuit, alias inter Mindelam atque Lycum, & in Palatinatu ſuperiore.

Cæſar ægre fert privatas inducias.

Cæſar iſtis offenſus inducijs, non obſcurè oſtendebat conceptam indignationem, tum quòd ægrè ferret, ſe deſertum à Maximiliano, tum quòd non abs re prævideret, pleramque belli molem hæreditarijs ſuis regnis ac ditionibus propediem incubituram. Quamobrem ad augendum exercitum curas intendit eo ſucceſſu, ut præter quinque millia armatorum, quæ in Stiriâ ductu Pompeij caſtorum præfecti agebant, viginti ut minimùm millia ſub ſignis haberet in Bohemiâ. Cùm verò nôſſet, in ſervandis induciarum pactis fore Maximiliani immotam fidem, niſi cauſa ijs diſſolvendis à fœderatis daretur, putavit tentandos eſſe animos ductorum Bavarici exercitûs, ut per eos ſibi Boicas legiones conciliaret. Jam tum Gleenus, acceptâ miſſione, ab exercitu diſceſſerat. Scriptis ergo ad Werthium, qui equitatui cæteríſque copijs præerat, & ad Tribunos mandatis, quibus ad Cæſarea obſequia vocabantur, perculit aliquorum mentes, ut de Maximiliano deſerendo ſeria conſilia ſuſciperent. In his familiam duxit Joannes Werthius, vir alioqui manu promptus, cætera prorſus illitteratus, & vel primorum elementorum ignârus, ejúſque prudentiæ, quâ major non poterat ab homine per omnes Bavaricæ militiæ gradus ad celſum faſtigium, per fortia facta potiùs, quàm generis aut militaris ſapientiæ merita educto, expectari. Conſtans fama fuit, ipſi à quibuſdam ſciolis religionem fuiſſe injectam, quaſi contra præſtitæ fidei & jurisjurandi vincula eſſet acturus, niſi factâ à Maximiliano ſeceſſione, cum exercitu ad Cæſarem concederet. Quisquis tandem homini eam mentem dederit, alto preſſam ſilentio ſtatuit tandem exequi. Quò id faceret expeditiùs, Salmenſem Comitem Werthianæ legionis excubiarum magiſtrum, Poiſſonium mittit ad Cæſarem, ſuſcepti conſilij interpretem. Accepit viciſſim Hiſpanum aliquem, qui ſpecie famuli in ejus familiam cooptatus, ſtimulos addebat properanti ad defectionem.

Litteræ Cæſaris avocatoriæ.

XIII. Werthii defectio.

Ipſe nihilominus & alij, qui à Cæſare litteras acceperant, eas remiſere ad Maximilianum, qui nihil tali re ac tempore negligendum ratus, ſic conatus eſt confirmare ſingulorum animos, ut crederet, ſuo injuſſu nihil tentaturos. Quia tamen, ut in re non omnino ſatis perſpectâ, quæque ſpecioſas haberet dubitandi rationes, videbat non abeſſe omne periculum, Werthium accerſivit Monachium, ut curaret hominis animum penitiùs explorandum, eique de exercitu mandata impertiret. Non deerant è Conſiliarijs, qui neſcio quid ſiniſtri ſuſpicabantur ſubeſſe hominis ingenio: ne quid tamen temere ſtatuerent, eum verſârunt in omnem partem varijs ſermonibus ac quæſtionibus, quas tam dextrè jam antè comparatis reſponſis eluſit, ut nihil probabile admodum ſupereſſet, cur crederetur, de ipſius aut aliorum ductorum fide eſſe magnopere dubitandum. Tandem conſtituta fuit ipſi certa dies, ad quam præcipuos exercitûs duces ad ſe Landishutum vocaret, audituros per Maximiliani conſiliarios, certas rationes,

Werthius Monachii propoſitum diſſimulat.

qui-

quibus illis, ſi quis ſcrupulus ex Cæſareis litteris adhucdum ſupereſſet, eximeretur. Menſis Junius jam tendebat ad exitum, cùm Cæſaris exercitus eſſet in motu, & Suecicus contrà haud procul abeſſet à ſuperiore Palatinatu. Viſum ergo Maximiliano, ad tutandos fines aliquid ſelecti militis illò mittere. Eam rem arripuit Werthius velut apprimè idoneam exercitui in partes Cæſaris ſeducendo. Ergo à Maximiliano dimiſſus, juſſúſque Landishuti unà cum reliquis ductoribus expectare mandata ad dictum diem, ſpecioſo uſus obtentu transmittendi in Palatinatum delectos ex varijs legionibus defenſores, injuſſu Maximiliani equitatui indicit feſtinatam profectionem, juſſo properè convenire Vilshovium ad Danubium, quarto ſupra Paſſavium milliari: ſimul Schockio equitum catapultariorum Tribuno, qui erat inter conjuratos, dat in mandatis, ut ex ſtativis non longè diſſitis Memmingam, ejecto præſidio, invadat. Caſelskio Weidam, Duci Ulrico Wirtenbergico Donaſtauffium, Guſſenizio Croatarum Tribuno Deckendorfium, cum univerſo ſuo milite conveniendi loca præſcripſit. XIV. **Exercitum cogit Vilshovium.**

Supererat, ut legiones quoque in partes traheret. Illis imperabat Holtzius ſupremus excubiarum magiſter. Hunc Werthius ad ſe vocatum coràm monet, ut peditatui profectionem denuntiet. Negat ille ſibi id eſſe integrum injuſſu Maximiliani: Werthius contrà, præſentem cædem furioſè minari, nî jam ſcriptum ad legiones conveniendi mandatum mox ſuâ manu conſignet: expreſſit terror, quod non expreſſerat ſuaſio: ſic quidem Holtzius factum fuit interpretatus, ſed creditus tamen fuit à naſutioribus, ſequiora facilè arripientibus, fuiſſe afflatus contagio defectionis. **Holtzium trahit in partes.** XV.

Gerebantur hæc inſcio Maximiliano, & ne à duobus Commiſſarijs, qui Landishutum erant ituri, ut (quemadmodum fuerat decretum) ductores de ſuâ in Cæſarem juxtà ac Maximilianum fide ex vero edoctos componerent, iſta conſpiratio detegeretur, Werthius Fabrium hipparchũ juſſerat, locatis periter inſidijs, utrumque intercipere. Eos ſervavit navigandi conſilium. Terreſtri itinere proficiſci malebat Bartholomæus Schefferus Generalis Bavarici exercitûs curator; cõceſſit tamen in Joannis Deiſingeri ſententiam, quòd ſecundo Iſarâ mollior & compendioſior foret navigatio. Sic prætèrlapſi inſidias, poſtrid. cal. Jul. appulſi Landishutum, comperiunt Werthium 28. Junij ſub veſperum profectũ Geiſenhuſium, ſeceſſionẽ à Maximiliano moliri. Quare nihil cunctati, per citatos curſores Maximilianum eâ de re faciunt certiorem, deinde per tabellarios, alióſque fidos homines litteras quaquaverſum mittunt ad exercitum, quibus explicant non Tribunis modò, ſed etiam minorum gentium præfectis atque manipularibus Werthij conſilium, hortantúrque, ut in fide perſtent immoti, nihílque agant, niſi Maximiliano volente; caveant verò à Werthij conſpiratione. Ut litteræ, quas multiplices ſcripſêre, venirent in multorum manus, atque eò faciliùs vulgaretur Werthij meditatus abitus, juſsêre tabellarios non modò ſe inſinuare in medias legiones & Tribunorum conſpectum, ſed etiam eas ſectari vias, in quibus cognoſcerent, ſe venturos in manus excurſorum aut turmarum, cohortiúmve ad Werthium proficiſcentium, ſimul præ ſe ferre, ſe magni momenti deferre litteras, quæ ſpectarent ad ſalutem totius exercitûs. Plurimùm valuit iſthæc Commiſſariorum fida ac diligens induſtria: ut enim quiſque tabellariorum in milites inciderat, ſive in caſtris, ſive in itinere, mox propinabat litteras, quæ lectæ ab avidis, mirè capiebant legentium, præſertim veteranorum animos, ut fraude ſenſim deprehensâ Werthij molitionem averſarentur. Enimvero ſe tot jam annorum militiâ, ſtipendiiſque Maximiliano obſtrictos, facturos improbè, ſi patiantur eo invito ſe abduci: neminem, cui vel mica ſit boni animi curáve decori, id conſilij probaturum, damnaturos omnes, cui tantillum notus ſit ordo uſúſque militaris: vana eſſe ductorum inferiorum imperia, quibus Principis voluntas obſiſtit, ſe nunquam ad Cæſaris caſtra, niſi Maximiliano jubente eſſe profectos. Ergo primùm eâ de re per manipulos & contubernia capita inter ſe conferre, ſe mutuò explorare, mox conſilia miſcere, & expectare locum, authorem, & occaſionem

Bavarici Commiſſarii Werthii conſilia diſſipant.

Maximiliani litteræ ad exercitum. XVI.

Miles Werthii conſilium deteſtatur.

ſionem, citra diſcrimen Werthij imperia detrectandi. Planè miro modo factum, ut in opportunum tempus ſuæ in Maximilianum fidei exemplum differrent. Pronum enim fuiſſet, carptim ſingulas turmas ac cohortes à Werthio ad cæterorum terrorem obrui, id demum non auſuro, ubi ad imperatum locum omnes conveniſſent. Kolbius junior Tribunus, acceptis de viâ Commiſſariorum litteris, Werthij factum deteſtatus, cum quinque, quas ducebat, cohortibus Landishutum fuit reverſus, & ſuæ legionis vigiliarum magiſtrum, cùm duabus

XVII. cohortibus ad Werthium proficiſcentem, miſſo confeſtim redeundi mandato, ab eâ profectione retraxit. Rauſchenbergicæ & Mercianæ legionis legati pariter, neglecto Werthij mandato, cognitâ ejus defectione, pedem retulère. Briſigellus Ratisbonæ pro Cæſare præfectus, legionis ſuæ adjutorem ad Werthium miſerat, qui pontem Ratisbonenſem ad trajectum offerret: verùm is Landishutæ à Commiſſarijs deprehenſus, conjectúſque in cuſtodiam, demandato ſibi munere non fuit perfunctus. Crucius unus è conjuratis, monitus à Lichtenavio legionis vicario de Werthij facinore, finxit quidem initio, ſe in ejuſce defectionis partem non venturum; verùm, ubi ſe jam ſecurum credidit, Lichtenavium, inflicto vulnere debilitatum, equóque dejectum, Ratisbonam, quà Danubium, volente Gubernatore, erat transmiſſurus, pedibus euntem, crudelem in modum raptatum, vinculis per Briſigellum gubernatorem curavit mancipandum. Donaſtauffij juſſerat Maximilianus Danubium ſterni ponte nautico, ad partem exercitûs in Palatinatum tranſportandum: ne iſte trajectus Werthio foret uſui, Commiſſarij ſolutum pontem Straubingam curârunt devehendum.

Quicquid adhiberetur diligentiæ, non potuit tamen effici, quò minùs Werthius aliquot Tribunos & inferioris notæ præfectos, cum pluſculis legionibus ad ſe traheret, vel conjurationis conſcios, vel inductos in fraudem. Comes Spaurius Holtzianæ legionis protribunus Landavio Werthium fuit ſecutus, Colbius ſenior ſe quidem cum ſua legione ad Werthium contulit monitus de ejus defectione, ſed ubi ventum ad rem, deficientem non fuit ſecutus. Matimontius, neſcius quid ageretur, Rauſchenbergij legatus de proditione præmonitus, Werthij mandato, ad locum conventui deſtinatum ſe contulerunt quidem, perſtitère tamen in officio.

XVIII. Apertè cum Werthio conſpirabant ex primarijs ductoribus Sporckius in

NOMINA CONIURATORUM.

equitatu ſupremus ſtructor, Crucius Hippotoxotarum tribunus, Guſchenitzius Liburnicorum præfectus, & Schockius. Crediti fuerunt cæteri integræ fuiſſe fidei, tametſi ſuſpicio fuerit, aliquos, ut in re ambiguâ, nonnihil titubâſſe. Maximilianus, comperto Werthij facinore, ad omnes ſingulóſque Tribunos dedit ilicò litteras, cum ſerijs mandatis, ne ſe induerent in tumultuoſæ deſertionis conſortium; ſimul Werthium cujuſvis iræ ac offenſioni addixit, promiſſo decem millium Ferdinandicorum nummûm præmio illi, qui vivum mortuúmve ſiſteret. In ſingula cæterorum conjuratorum potiora capita decrevit mille taleros Imperiales. Vulgatâ paucos intra dies non per Bavariam modò, ſed etiam per Palatinatum iſtâ proſcriptione, Werthius furere, factúſque è deſertore hoſtis, Maximiliano captivitatem, præcipuis ejuſdem Miniſtris ultima quæque minitari, & quo ſibi milites arctiùs devinciret, ſceleribúſque & veniæ deſperatione auctoraret, imperare Bavariæ direptionem, permittere in miſeros alia immanitatis exempla. Hinc rapta jumenta, abacti greges, oppida expilata, pagi, villæ paſſim ſpoliatæ, Bavaricarum rerum curatores lytro addicti, captíque, donec ſeſe redimerent. Demum, Danubio Vilshovij transmiſſo, ventum Perlaſritum, locum copiarum conventui deſtinatum, die octavâ Julij, quarto à Vilshovio milliari, in ditione Paſſavienſi, Bohemiæ confini. Jam convenerant novem legiones, cùm pars Sporckianorum equitum Werthij factum execrati, Vilshovium regreſſi à cæteris diſcedunt, cis Danubium per pontem remeaturi. Werthius tuendo ponti & oppido Rentzium Sporckij legatum, utpote conjurationis ſocium reliquerat, cum mandatis, ne cui militem trajectum in Bavariam permitteret.

WERTHIUS A MAXIMILIANO PROSCRIBITUR.

DESERTUS A LEGIONIBUS PROFUGIT.

teret. Ut venêre ad pontem Sporckiani, Rentzius eos tranſitu velle prohibere, contrà commilitones, qui erant in excubijs, admittere, & Rentzium dare in vincula, velut militiæ deſertorem. Id ubi Sporckius, è nocturno contubernio ad Werthium veniens, reſcivit; properè advolavit renuncians ſuorum defectionem. Conſuluêre in medium, quid conſilij tandem tali re eſſet capiendum: cognôrant enim alias legiones pari ratione ſeditionem moliri: & verò ſeriò moliebantur. Ortus primùm erat à gregarijs fremitus, mox auditum, ut fit in tumultu, murmur: tandem clamores propagari per legiones, & quo quiſque animoſior, apertè repugnare, deteſtari Werthium ejúſque imperia. Ergóne iſtius diei facinus oblitteraturum ſit omnem præteritorum meritorum gloriam? quantæ futurum ſit infamiæ, ſpreto Electore, cui ſacramento dixerint, cujus nutum ac imperia adhuc ſint reveriti, ſe ſtolidi hominis ſceleri per ſummum nefas commodare? ſi ad Cæſaris caſtra eundum ſit, imperet Maximilianus, ſe confeſtim ituros; niſi imperet, ne moturos quidem pedem. Eundum potiùs protinus in damnata proditorum capita, atque eorum ſanguine tam enorme facinus eſſe expiandum. Jam aliqui ad vindictam erant accincti, cùm è Tribunis aliquis Werthio renunciat tempus eſſe fugiendi: credidêre etenim iſtius denunciationis authores, ſi vivum in exercitûs conſpectum Werthium adducerent, fore ut ejus præſentia ſi non omnium, at ſaltem aliquarum legionum animos, ad ſequiora conſilia flecteret, & partes diviſas inter ſe committeret, non ſine cruento certamine.

Werthius igitur ac Sporckius de periculo admoniti, non auſi prodire ante irati militis oculos, confeſtim (impedimentis & Sporckij uxore relictis) conſcenſis equis ſeſe proripuêre ad caſtra Cæſaris propè incomitati, cùm utriuſque legio conſtans in Maximiliani fide perſiſteret. Non eſt credibile, eos feſtâ gratulatione fuiſſe exceptos à Cæſare; quippe qui non imprudenter minùs quàm noxiè rem tanti momenti, conatu inutili, fuiſſent auſi. Vehlingus è Sporckianâ legione equeſtris turmæ magiſter conjurationis ſocius, de ſe ipſe ſupplicium ſumpſit, ſéque ſclopo confodit. Crucius à ſuis deſertus, & exutus ſarcinis refugit Ratisbonam: Schöckius abijt in Tirolim: Comes Salmenſis cuſtodiæ fuit mancipatus: Comes Starenbergius, qui amplis promiſſis onuſtus ad accipiendum exercitûs ſacramentum venerat, tantiſper retentus, donec eum Maximilianus juſſit dimitti. Fatendum eſt, Maximilianum eo die, omnium maximo quod unquam adivit periculo, ſingulari Dei beneficio, & inveteratâ militum in ſe fide, fuiſſe perfunctum. Si enim res ex Werthij voto ſucceſſiſſet, non fuiſſet Maximilianus, cæterà ferme inermis, omnéſque ejus ditiones tutæ à Cæſare tum offenſo; nec immunes à Suecorum armis, qui cùm ſibi haberent perſuaſum, Maximilianum ex conſpirato ſua arma commodaſſe Cæſari, eíque colludere, jam de invadendâ Bavariâ cogitabant, quantumlibet Maximilianus Vrangelium de re totâ edocuiſſet per Joannem Kütnerum Conſiliarium bellicum, properè miſſum ad explicandam ſeriem Werthianæ defectionis. XX.

Werthio igitur & Sporckio fugâ dilapſis, Tribuni cis Danubium reduxêre fidas legiones, quibus ilicò Maximilianus juſſit numerari, pro re bene geſtâ, menſtruum ſtipendium, ac viciſſim accepit à volentibus nunquam interituræ fidei ſacramentum. XXI.

Causæ quo minus legiones ad Cæsarem transierint.

Tametſi enim exercitus nomen priſtinum obſequiíque rationem retineret in Cæſarem & Imperium, quippe quæ Cæſaris auctoritate, bono Imperij publico, niteretur, nihilominus exiſtimavit Maximilianus copias ſic pendere à ſuis imperijs, ut ſuo injuſſu, nedum diſſenſu, non poſſet, aut deberet ad res gerendas adhiberi. Acceperat quidem ex Cæſaris voluntate per deſignatos Imperij circulos hiberna, collectitia ſubſidia, legendis, transvehendis & luſtrandis copijs certas regiones; ſed non credebatur eam ob rem Cæſar contra initas pactiones, & continuum uſum, qui erat ejuſmodi rerum bonus interpres, velle exuere Maximilianum firmatâ per tranſactiones, & tot retro annorum inveteratum morem, regendi

Diploma Ferdinandi II. datum Eberſtorffij anno 1635. 9. Oct.

gendi poteſtate. Declaraverat Ferdinandus II. Imperator parem fore Maximiliani conditionem cum eâ, quæ Saxoniæ Septemviro in Pragenſi pace fuit conceſſa circa peculiarem exercitum, ejúſque directionem cum ſupremâ poteſtate Generalis. Ferdinandus III. nunquam uſus fuerat exercitu Bavarico, niſi compellato priùs & annuente Maximiliano, qui ſingulis vicibus ſibi reſervaverat poteſtatem revocandi pro ſuo arbitrio Boicas copias, ſi quando ſeu ad propriam,

XXII. ſeu aliorum in Imperio defenſionem earum operam vellet adhibere. Plurima haud dubiè Imperij Ordines, volente Cæſare, in Boicum exercitum contulerant, ſed viciſſim exercitus expoſuerat Ordinibus permulta obſequia: Ordines non declaraverant, ſe pactis per Maximilianum inducijs, aut exercitûs ſeparatione offendi. Cæſar juſſerat conferri, & exercitui de ſuo contulerat, haud contemnenda ſubſidia, ſed ſæpe ſæpius non modò ad Imperij defenſionem, ſed etiam ad Regnorum & Provinciarum hæreditariarum ſalutem fuerat expertus utile exercitûs iſtius adjumentum, neque credebatur Cæſar omnem militis uſum & regimen ſibi uni vendicâſſe. Nec verò id credebatur immeritò. Enimvero nimis grave fuiſſet Maximiliano, poſt ſumptus, quos immenſos propè fecerat in

XXIII. legendis, ſupplendis, inſtaurandiſque legionibus, nihil præter ſimplicis alicujus legati nomen aut poteſtatem acquiſiviſſe. Id enim eſt ratione receptum, ut ſumptum omnem faciat in exercitum, ipſiúſque adeò Generalis ſtipendia, qui ſolus vult exercitum habere ad nutum. Quare, ſi ea mens fuiſſet Cæſaris, potuiſſet Maximilianus à tantis impendijs abſtinere. Atqui conſtat ex indubitatis bellici tabularij indiculis & rationibus, Maximilianum ab anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo octavo ſupra undecim armatorum millia, potiorem partem ſuo ære legiſſe, quibus ſi addas eos, quos adjecit ab anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſecundo, reperies ſummam longè maximam: ut taceam equos bellicos, & jugarios armamentariæ functionis, quos Maximilianus triginta quatuor circiter millia exercitui ſuppeditavit ab uſque pace Pragenſi. De armis omnis generis, de commeatu, de tormentis, in quæ fecit maxima impendia, déque cætero inſtrumento, nimis longum foret dicere; ſatis ſit dixiſſe, quemadmodum fluvius, qui uſque & uſque labitur, non idem eſt, niſi continente novarum undarum acceſſione, ſic Maximiliani exercitum, ex ipſius potiſſimùm ære novum indies factum, Maximiliani exercitum haud iniquè dici potuiſſe. Id tam non ignorare poterant ductores exercitûs, ut fuerint conſueti ſic jurare in verba Maximiliani, ut promitterent firmaréntque ſacramento, ſe eidem fidos & obſequentes fore in ijs, quæ ſpectarent ad Sac. Cæſ. Majeſtatis, Sac. Rom. Imperij, ſuæ Electoralis Serenitatis, & boni communis obſequium, ad exercitûs proſperitatem & hoſtium damna. Quâ juramenti formâ cenſebantur ſuam fidem Maximiliano nullius interpoſitu præſtandam obligâſſe. Ex quibus luce palàm eſſe credebant, ſe non aliter, quàm ad imperia, nutúmque Maximiliani, cui ſe morem geſturos jurârant, debere Cæſaris, Imperij, reíque communis utilitatem armis promovere. Erant præter hæc, alia pacta de manubiarum aliarúmque rerum partitione inter Cæſarem & Maximilianum, quæ ſatis oſtendebant, penes Maximilianum longè plus eſſe poteſtatis in exercitum, quàm quæ legato cuipiam conveniret: quâ poteſtate & jure, ſemper conſcio, neque unquam repugnante Cæſare, fuerat uſus ante & poſt Pragenſis pacis editam & receptam ſanctionem. Atque hæc quidem de inducijs brevi finem habituris. Venio nunc ad arma Cæſarea.

Formula iuramenti ex Cancellaria bellica.

In locum Galaſſi Comitis nuper Viennæ vitâ functi, ſucceſſerat Melander Comes Holtzapfelius Cæſareis copijs cum Strategi Generalis poteſtate præfectus. Haud dubium erat, quin Sueci, duce Vrangelio, totâ vi adverſus Cæſarem eſſent moturi, jámque in eo erant, ut propediem è Franconiâ in Bohemiam arma verterent. Quamobrem Cæſar redux ab Hungariâ, præmiſſo ad exercitum Comite Schlickio, Budiviſium, ſeneſcente jam Junio, profectus, recenſito exercitui bimeſtre ſtipendium juſſit repræſentari. Magnos jam antè curârat fie-

Cæsar venit ad exercitum.

rat fieri annonæ, rerúmque bellicarum in Bohemiâ apparatus: juſſerat urbium munimenta paſſim inſtaurari, & ex agris inferri, quicquid coloni vellent eſſe in tuto. Budiviſio caſtra movit Pilſnam, inde ad ſolvendam Egræ à Suecis jam tum cinctæ obſidionem moturus. Verùm obſeſſi prӕmaturâ deditione ſeſe hoſti permiſerant, cùm medio inter Pilſnam & Schlackenwaldam itinere Cæſar de eorum intempeſtivâ facilitate nuntium accepit. XXIV. Quare verſus in arcem Falckenaviam, eam poſt brevem oppugnationem recepit. Subinde traducto per ſylvas exercitu, hoſte nequicquam obſiſtente, Egrâ amne ſuperato, caſtra à Vrangelio relicta, loco peropportuno in Egræ civitatis conſpectu, occupavit. In his non leve periculum adijt vigeſimâ Julij, cùm Suecorum aliquot turmæ, primo diluculo, disjectis excubijs, irrumpentes ad uſque Sac. ſuæ Majeſtatis tentorium, non priùs exceſſêre caſtris, quàm Cæſarianis ad arma undique concurrentibus, cum luculentâ clade pellerentur. Inde, ſignis refixis, octavâ Auguſti Cæſar caſtra Pilſnam verſus promovit, ac decimo pòſt die Tribelam arcem expugnavit. Dum eo loco caſtra in edito colle muniret, Suecis duas machinas, quibus operas in ducendo vallo occupatas verberabant, eripuit.

Magni belli apparatus.

Cæsar Falckenaviam recipit.

Castra locat ad Egram.

Gravi periculo perfungitur.

E regione Cæſarianorum, valle interpoſitâ, tetendêre Sueci: unde, vigeſimâ ſecundâ Auguſti, exorta acris admodum duarum horarum dimicatio, in quâ Cæſariani tulerunt palmam, ſignis equeſtribus ſupra viginti de hoſte reportatis. Permulti in loco quà confecti, quà ſauciati & capti. Non multò pòſt, ad quadringentos equos eripuêre Suecicis pabulatoribus.

Clades Suecorum.

Jam laborabant Sueci annonæ & pabulationis inopiâ, cùm quintâ Septembris Cæſar, ut eos haberet arctiùs, movit Tachavium, caſtriſque inter urbem ac Suecos locatis, civitatem arcémque, præſidio Suecico tempeſtivè dilapſo, invaſit. XXV. Exinde uterque exercitus ad Toppelam caſtra habuit, ubi interceſsêre aliquot conflictus velitares Cæſarianis improſperi, in quorum uno, pulſis catapultariorum equitum tribus legionibus, Sueci ſex ſigna reportârunt, in duobus alijs ab oppugnatione Suecicorum caſtrorum, cum aliquâ ſuorum jacturâ Cæſariani fuêre depulſi. Atque hæc quidem geſta ad uſque medium Septembrem, cùm miſſis à Kœnigsmarckio è Weſtphaliâ, duce Hammerſteinio, ſuppetijs, Sueci prope Cadenam firmati, in Miſniam receſſerunt. Cæſar è diverſo, motis retro caſtris ad Pragam receſſit, quò foret major exercitui rerum neceſſariarum facultas. Dum iſthæc in Bohemiâ gererentur, Kœnigsmarckius exagitabat Weſtphaliam, atque indies ſerpebat longiùs in ditiones non finitimorum modò, ſed etiam Colonienſis Electoris: quibus rebus viſus fuit induciarum pacta violare. Tametſi enim Suecis relicta fuiſſet poteſtas Cæſarianos ex Colonienſis imperij munitionibus exigendi, negabat tamen Elector, id licuiſſe ante decimam quartam Maij, quæ ipſi ad comprobanda Armiſtitij capita fuerat conceſſa. Nihilo tamen ſeciùs Kœnigsmarckius Wiltzhuſium, oppidum ditionis Colonienſis, novis operibus ſic communiit, ut de eo reſtituendo non videretur cogitare. Nonâ Maij Vechtam, caſtrum naturâ & arte inſigne, coronâ cinctum, acriter oppugnatum deditúmque, ſub ejuſdem menſis exitum, invaſit, non expectato Cæſaris reſponſo, vellétne ſua præſidia ex locis ad Coloniæ Septemvirum pertinentibus ſponte educere; quod tamen Elector cauſabatur debuiſſe expectari, eò quòd per Armiſtitij pacta, id per evidentem conſequentiam decretum fuiſſe autumabat: quæ una ex cauſis fuit, cur Elector inducijs nuncium putaverit eſſe remittendum.

Cæsar occupato Tachavio,

Ad Toppelam castra figit.

Conflictus velitares Cæsarianis adversi.

Kœnigsmarckius infestus Colonienſi Septemviro.

Wiltzhusium, Vechtam, Furstenaviam invadit.

Vechtâ ſubactâ, Kœnigsmarckius Furſtenaviam Maij vigeſimo octavo obſeſſam, tertio pòſt die expugnavit. XXV. Sub hæc, adulto Majo, Widenbrugum inſigne ditionis Oſnabrugenſis præſidium coronâ cinxit, cinctúmque quatuor circiter hebdomadum oppugnatione coëgit ad deditionem, multavítque cives quatuordecim millium Imperialium redemptione. Admòvit deinde Warendorpio obſidium, quòd ſolvit Auguſto menſe jam ſeneſcente. Sub hæc aggreſſus Padebornam, expertúſque egregiam tum militum, tum civium in eâ propugnandâ

conſtan-

Movet in Lamboium.

Witenbrugum incendit.

Lamboius varia loca occupat.

conſtantiam, Lamboij proſperis in Friſiâ Orientali progreſſibus ab obſidione avocatus, arma in Lamboium convertit, Haſſis ductore Rabenhauptio in ejuſce expeditionis partem adſcitis. Horum enim multùm intererat eam Provinciam Cæſarianis eripi, ne ſubducerentur collectitia vectigalia, quæ ſolebant Haſſi in ſingulos menſes ex Friſiâ colligere. Ergo omiſsâ Padebornâ, Widenbrugo concremato, eversíſque ejus munimentis, in Friſiam profectus, Lamboiũ tum aquarum ex ruptis per Haſſos aggeribus inundatione, tum copiarum multitudine rejecit in Weſtphalos inter Meppenam & Rhenam; quas civitates cùm expugnare nequiret, unà cum Haſſelunâ, ignibus miſſilibus incenſas, fœdum in modum deformavit. Poſt hæc rebus neceſſarijs ad Vrangelij caſtra profectus, Lamboio ſpatia laxavit ad Vindecam, Nidecam, Marcodurum, & arcem Caſtoream deditione capienda.

XXVII. Maximilianus inducias Suecis renunciat.

XXVII. Quieſcebat interea Maximilianus Elector, tutus (ut arbitrabatur) induciarum legibus, & fretus ſpe non dubiâ, fore ut, quemadmodum per pacta convenerat, Franci juxtà ac Sueci cùm cætera Armiſtitij capita, tum illud religioſè obſervarent, quo ſe obſtrinxerant ad pacẽ in Monaſterienſi & Oſnabrugenſi Conventu ſeriò ſedulóque promovendam. Verùm cùm nihil minùs præſtarent, Sueci præſertim, ſed indies ſpe obruendi Cæſarem, magis magíſque bellum urgerent; tametſi Cæſaris legati componendæ paci omni, quâ poterant ope ac facultate, toti incumberent; Maximilianus, ab Imperij Ordinibus ſemel iterum rogatus per litteras, ſæpius à ſuis legatis, qui Conventui intererant, de pacis tractatione rebúſque alijs factus certior, cùm neque Imperio quietem, neque Bavariæ ſalutem ſibi poſſet ex eâ polliceri, menſe Septembri, Armiſtitium obnuntiavit Coronæ Suecicæ, utpote à cujus miniſtris obnuntiandi cauſæ provenirent. Et hæ quidem fuêre potiſſimæ, quòd Sueci contrà ac erat conventum, non modò pacẽ non maturarent, ſed etiam pro viribus remorarentur novis poſtulatis, quæ non modò religionis, ſed etiam rei politicæ iugulum peterent: quòd antè conceſſa vel revocarent, vel exquiſitis interpretationibus verterent in alienam formam: averſarentur Catholicorum juſtas rationes: ſuas ipſi immodicè exaggerarent & exaſperarent longorum bellorum denunciatione, ſúſque déque habentes æquiſſimas pacis ſanciendæ rationes, quaſi nullâ re eorum vota poſſent impleri; ſed bellum uſque & uſque meditarentur, donec Ordines Catholicos Cæſari addictos continenti ordine, prout ſors & belli ratio eſſet datura, atque demum ipſum Maximilianum oppreſſiſſent.

Causæ renunciandi.

XXIIX. Et jam non obſcurè id præ ſe ferebant: cùm enim verſaretur in Conventu quæſtio de jure primi inter Principes voti & ſubſellij in publicis Imperij Conventibus, quod Domus Bavarica ab ultimâ rerum ac temporum retro memoriâ ſemper obtinuit; Suecorum legati Maximilianum, ejúſque poſteros eâ dignitate privatos, & ex Imperij Principum cœtu excluſos, ſolâ ſuffragij Electoralis libertate gaudere deinceps debere, contendebant, ita ut Domus Bavarica in Imperij conſilijs in poſterum, nomine Principatûs, nihil haberet auctoritatis.

Cùm Maximilianus eâ de re apud Septemvirûm & Imperij Principum legatos queſtus eſſet, Suecici (ut vocant) Plenipotentiarij id velut ſuam injuriam interpretati, jactatis hinc inde minis, denuntiârunt, ſe non voce aut calamo, ſed flammis, ferróque eam querendi licentiam ulturos. Tandem etiam eò uſque ſunt progreſſi, ut Cæſari inducias offerrent, quò foret expeditior ad Bavarici Armiſtitij ultionem.

Ad hæc non parùm addebat ponderis, quòd Colonienſem Electorem Maximiliani fratrem Kœnigsmarckius (uti jam memini) contra diſertam Ulmenſium pactorum fidem, læſerat, invaſerátque hoſtilem in modum, Suecicis Plenipotentiarijs, ipſóque Vrangelio, tametſi de re totâ per legatos admonitis, ſuo ſilentio & diſſimulatione conniventibus.

Conventum erat per Ulmenſis pactionis leges, ut Haſſiæ Landgravia intra bimeſtre, ut ſummum, induciarum placita rite recepta ſcripto pro more firmaret;

ret: verùm ea comprobatio adhuc menſe Septembri deſiderabatur, jactabántque Caſſellenſes in Monaſterienſi & Oſnabrugenſi Comitio, nec ſua, nec Fœderatorum arma poſſe feriari: omnes Imperij Ordines, aut ſuarum partium amicos, aut hoſtes eſſe oportere: nec multò diſſimiles auditæ erant ab Ochſenſternio interminationes, nimirum fore tandem aliquando, ut quiſquis ſua conſilia, armáque cum Suecis non jungeret, velut hoſtis haberetur.

Colonienſis Septemvir ad cæteras rupti per Suecos induciarum pacti cauſas addebat: quòd Rhenæ Gubernatori collectitia ſubſidia ex Vechtenſi, Wildeshuſiana, & Coppenburgenſi Dynaſtiâ, contrà ac conventum erat, ſupremus Suecicorum caſtrorum curator intercipere: quòd ex Pirmontenſi ditione, Padebornenſi præſidio conſuetum tributum averteret: quòd Haſſiæ Landgravia, tempori inſidians, promiſſam de moderandis exactionibus tractationem, ipſámque Armiſtitij approbationem longè ultra decretum tempus comperendinando fruſtraretur. XXIX.

Ergo Maximilianus, rebus cum Cæſare compoſitis, decimâ quartâ Septembris, Reginæ Sueciæ & Vrangelio per litteras renuntiavit Ulmenſes inducias, eaſdem cum Francis ſervare paratus, quòd ipſi in ijs obſervandis multò quàm Sueci adhuc fuiſſent æquiores, & ad pacem proniores, cum Romano Imperio ſanciendam: quamquam & hi Suecicum fœdus cauſati, junctis cum Vrangelio viribus, arma adverſus Maximilianum reſumpsêre.

PACTA DE ARMIS RURSUS CUM CÆSARE SOCIANDIS.

Antequam verò Maximilianus ſuas copias cum Cæſare jungeret, Cæſar, mandatis, quæ ad Boicum exercitum dederat avocatoria, antiquatis, omnes priſtinas de Bavarico exercitu conventiones & pacta, revocavit in priorem uſum, ut videlicet Bavaricæ copiæ ab Electore per ejus Strategos, alióſque Præfectos nullius alterius interpoſitu regerentur. Foret proinde Electori integrum, nihil obſtantibus Sac. Cæſ. Majeſtatis, vel Ductorum Generalium mandatis, quoties uſus foret, ſuis copijs, ad ſuarum Provinciarum defenſionem uti, quo caſu ſuis ſumptibus Cæſar Maximiliano jungeret auxiliares copias, & quoad ejus fieri poſſet, cohiberet militarem earum licentiam, ne, quo pacto populatione, prædis agendis, concuſſionibus, vaſtandíſve regionibus forent moleſtæ. Eæ verò, quamdiu in expeditione auxiliantes verſarentur, parerent Maximiliani imperijs. Si quid pacis, induciarum, ſuſpenſionis armorum, vel ſimilium pactionum, Cæſar cum hoſte eſſet initurus, id faceret conſcio & aſſentiente Maximiliano, ſervatâ integrè belli pacisque ſocietate. XXX.

Addixit præterea Sac. Cæſ. Majeſtas, ſe Maximiliano ejúſq; hæredibus poſſeſſionem Palatinatûs ex normâ promiſsæ à Ferdinando II. Cæſare gl. mem. evictionis, aſſerturam, juxtáque pacificatoria Conventûs Monaſterienſis & Oſnabrugenſis cum Coronis Franciæ & Sueciæ placita, in eo ſe futuram, ut Ordines Imperij in eandem ſententiam conſpirarent, neque pacem aliter inirent. In primis verò Sac. Cæſ. Majeſt. hâc armorum conſociatione ad pacem duntaxat, quàm fieri poſſet celerrimè maturandam, uſuram, quando Maximilianus bellum protrahere diu nec vellet, nec poſſet. Recepit in ſe præterea Imperator curam auxiliarium Bavariæ copiarum, circa omnis generis commeatum, ſtativa hiberna, in Franconiâ & Sueviâ, aut alibi præſtanda extra Bavariæ ditiones. Adjecta ſuper hæc nonnulla de quibuſdam à Saliſburgenſi Archiepiſcopo collatitiarũ ad bellum contributionum nondũ repræſentatis debitis: de compenſatione ſumptuum, quos in milite alendo, per aliquot menſes, Maximilianus fecerat: de reſtituendo ſuburbio ad pontem Ratiſbonenſem cum omnibus ejus munimentis, déque abducendo exinde Cæſareo præſidio: de Bavarico equitatu, attributis jumentis, inſtaurando Cæſaris ſumptibus: de repræſentando toti exercitui ſtipendio, ubi foret à ſignis bello finito dimittendus: de ſervandis cum Rege Franciæ inducijs, quamdiu ipſe eas ſervaret: de mutuâ auxiliorum & benevolentiæ conjunctione.

XXXI. MAXIMILIANUS XEERCITUM MITTIT AD CÆSAREM. *Lapiere.*

Tandem hiſce pactis, menſe Septembri, Cæſareo diplomate & Maximiliani conſenſu & ſyngrapho confirmatis, exercitum ſuum Maximilianus diviſit in duas partes, quarum alteram, quæ erat potiſſima, ilicò miſit ad Cæſarem in Bohemiam, alterâ, quæ ex paucioribus legionibus conſtabat, ipſe uſus eſt ad hoſtem è Sueviæ finibus amoliendum.

MEMMINGA SUBIGITUR.

A recuperandâ Memingâ factum eſt initium. Ejus claudendæ provinciam demandavit Maximilianus Joanni Henrico Petræo, generali Vigilum Magiſtro, Joanni Winterſcheidio, & Franciſco Rouyero Tribunis. Itaque juſſus fuit Petræus cum ſuâ legione, ad decimum octavum Septembris, manè Monachium, atque hinc Brugum propè Fürſtenfeldam movere, iſthic pernoctare; in primis verò id totâ profectione curare omni ſtudio, ut milites ac ductores ſuo dimenſo, quod Electoris ære præberetur, contenti, ab omni ſubjectorum vexatione, inferendiſve damnis aut moleſtijs prorſus abſtinerent. Itineris modus talis præſcriptus, ut impedimentis & peditibus per Landſpergam ſubſequentibus, equitatus, Lyco eodem loci transmiſſo, vigeſimâ Septembris, Memmingæ, aditu intercluſo, maturaret obſidionem, omnéſque ſuppetias ingreſſu prohiberet. Caverent verò omnes, ne quid hoſtile adverſus Francos eorúmve ſtativa molirentur, niſi priores illi vim inferrent. Curabant Memmingæ Suecici equites centum, pedites trecenti quinquaginta. His cives jurati ſuam opem operámque addixêre. Ipſo ſtatim obſidionis primordio adfuit Adrianus Baro Enckevortius

XXXII. Generalis in exercitu Cæſareo rei tormentariæ Magiſter, qui permittente Cæſare, Maximiliani juſſu præeſſet. Habebat is in mandatis, ut pro re natâ ex confinibus Cæſarianorum præſidijs ſibi adjungeret, quotquot maturandæ expeditioni neceſſarij utiléſve viderentur.

Vigeſimo octavo Septembris, adfuêre Bavaricæ legiones, quibus deinde acceſſit è Cæſarianis Rueblandica. Fuêre in ea obſidione non omnino quater mille, quo factum, ut in iſtâ obſidentium paucitate res lentiùs gereretur. Erupêre ſæpius obſeſſi, nullo propè operæ pretio: diſtulêre nihilominus deditionem ad uſque vigeſimam quartam Novembris, quâ factâ, honeſtis legibus Memmingenſes Bavaricum præſidium admiſêre.

NŒRDLINGA FRUSTA VEXATUR.

Subinde Petræus, menſe Decembri jam adulto, cum paucis Nœrdlingam, injectis in tecta punicis ignibus, tentavit, ratus, civium animos incendijs territos, à Suecico præſidio, factâ ſeceſſione, deditionem expreſſuros. Verùm tametſi vigeſimâ primâ menſis jam dicti, tecta igne concepto per horas ferè viginti arſiſſent, miſſus ad Magiſtratum & præſidij Præfectum æneator, id reſponſi retulit, ne univerſæ quidem civitatis deflagratione poſſe civium animos ultimæ defenſioni conjuratos, ad eam dedendam induci. Quamobrem Petræus, obſidione omiſsâ, irritus diſceſſit.

Dum Meminga obſideretur, Caſpar Schockius arcem Wellerſteiniam recuperavit. Atque hæc quidem de rebus geſtis ab eâ parte exercitûs, quâ Maximilianus in Vindelicis ad annum uſque exeuntem uſus fuit. Supereſt recenſere, quæ unà cum Cæſarianis geſſerit pars copiarum altera, poſt integratam armorum conſociationem. In hac erant pleræque legiones, quæ Straubingâ trans

XXXIII. Danubium, ductore Juſto Maximiliano Comite Gronsfeldio, nuper ex Pariſienſi negociatione Maximiliani juſſu reduce, in Bohemiam profectæ, vigeſimâ primâ Octobris, haud longè à Zwickaviâ acceſſêre ad Cæſarianos, quibus imperabat Melander Comes Holtzapfelius. In his erant novem equitum, ſex peditum millia, quibus ſi Bavaricos adnumeres, totus exercitus viginti quatuor millium numerum ſuperabat. E Bohemiâ per Boiohemam ſylvam ſecundum Preſnicum & Schneebergam delati, inter Altenburgum & Zeitzam conſedêre. Petivit inter hæc Traunius Generalis rerum caſtrenſium pro Cæſare curator, datis medio Octobri ad circuli Franconici primores Principes litteris, ut, ſi diſciplinam militarem ſervatam vellent, annonam tempeſtivè compararent propediem venturo exercitui. Motis ſubinde caſtris, reparato ad Jenam ponte, Salam transmiſêre.

Litt. Gronfeld, 22, Oct.

Vran-

Vrangelius pugnæ aleam refugiens, ſuos retraxit ad Viſurgim. Dum Merſeburgi Salæ trajectum molitur, cùm magna pars legionum jam ſuperâſſet amnem, una ex machinis majoribus ſuo pondere pontem depreſſit, atque exercitum interlabente flumine in duas partes diremit. Quare flexo ad Naumburgum itinere, Keſenij pontis beneficio, quæ cis Salam copiæ ſupererant, traductæ, ad cæteras rediverunt inter Budſtadium & Eckardsbergam. Ductæ porrò per Eisfeldiam, Gœttingam verſus; tandem ad Hœxariam Viſurgim ſuperârunt. VRANGELII PROFECTIO.

Cæſar interim propugnaculum Regio-Werthianum, miſſis ad eam expeditionem duabus duntaxat legionibus, & trecentis alarijs, in quibus ducenti Bavarici, bidui obſidione ſubegit. Plerique è præſidio relati in numerum captivorum. Habuit exinde caſtra, vertente Octobri, Iſſerſtadij, pòſt Uſſelſtadij; tandémque medio ab Erfurto milliari tetendit. Sexto Novembris, prætergreſſus Iſenacum, movens trans Werram amnem, tantum regioni terrorem attulit, ut paſſim non coloni modò, ſed etiam cives ex locis minùs defenſis ad munitiora, Caſſellas præſertim diffugerent. CÆSAR KOENIGSWERTIANŨ PROPUGNACULUM OCCUPAT.

XXXIII.

Cladem aliquam, octavo Novembris, accepit Witzenhuſij ſeptingentorum Cæſarianorum caterva, à totidem Caſſellenſibus; amiſit denas equorum centurias, & captivos non paucos. Quater mille circiter tum Cæſariani ductu Comitis Montecuculi, tum Bavarici ſub Truckmillero & Colbio, latè prædas egerunt, ad ipſas uſque Caſſellenſes portas. Ex ijs bis mille pagum Bettenhuſium Caſſellis proximum, accenſis aliquot domibus, diripuêre. Subinde in Haſſiâ inferiore Cæſareo-Bavaricus exercitus, caſtris inter Werram, Fuldam, & Ederam amnes locatis, quarto circiter à Caſſellis milliari; à Fritzlarienſibus annonam, ab Haſſiæ inferioris Ordinibus centum florenorum millia nomine redimendorum incendiorum flagitavit, Landgraviâ Viduâ ad eam petitionem viciſſim cædes, flammas & excidia finitimis Epiſcopatibus & Cœnobijs minitante. Abſtinuêre idcirco Cæſariani ab incendijs, vaſtato nihilominus circùm agro, & expilato oppido Spangenbergâ. Comes Holtzapfelius, quò locum aliquem firmum haberet in Haſſiâ, Hombergam arcem anno abhinc ſeptimo dirutam, reſtitutis munimentis, præſidio & idoneo ad defenſionem commeatu inſtruxit. Denique regione, circum caſtra, cibarijs & pabulandi facultate exhauſtâ, uterque exercitus, Ederâ ad Fritzlariam transmiſſo, è caſtris prætorijs Gudenſpergenſibus, bis mille equites ad circumſidendas Caſſellas, per confines pagos fuêre diſtributi. Paucis pòſt diebus, iiſdem ad caſtra revocatis, flexo ad Dimmelam itinere, ad vigeſimam ſecundam Novembris, exercitus nocturna ſtativa habuit Zierenbergæ altero à Caſſellis milliari. Octavo pòſt die, relecto retro itinere, motis cáſtris, per Kirchbergam itum Fritzlariam, ubi Ederâ trajecto, facta eſt hibernorum partitio. Tredecim Cæſarianis legionibus Haſſia ſuperior fuit attributa: Ala ſiniſtra Franckenbergam abducta. Quinque præterea legiones in agrum Coburgicum, & Altenburgicum, totidem in Eiſenacenſem, Gothenſem, & Weinmarienſem, tres in Culmbacenſem, ſex partim in Hennebergenſem, & Reuſſenſem, partim in Schwartzenburgenſem, & Eisfeldenſem miſſæ fuêre. Quod ſuperfuit Cæſarei militis, Fernamontio rei tormentariæ Præfecto, ad Marpurgum obſidendum additæ, quibus civitatem quidem recepit, ſed arce fruſtra oppugnatâ, in Meiningica & Fuldenſis ditionis hiberna conceſſit. In arcis obſidione Holtzapfelius præſentiſſimum vitæ diſcrimen adijt. Cùm enim arcis Præfectus certi hominis indicio Holtzapfelium haud longè ab arce comperiſſet divertiſſe, obſervatâ ex multiplici ſplendore nocturnorum luminum cœnatione; in eam aliquot majoris modi machinas ſimul diſploſit, quibus rupta lacunaris fragmenta Holtzapfelium ſic contudêre, ut parùm admodum abfuerit ab ultimâ vitæ lineâ. Edidiſſet ea fulminatio ſi non numeroſam, at illuſtrem ſaltem ſtragem, ſi paulùm dilata, donec convivæ accumberent, in eos incurriſſet. Pars Bavaricorum in Franconiâ hibernavit, quæ Fridewaldam, & Wolckers-

HASSIÆ INFERIORIS DEPOPULATIO.

HOMBERGA REPARATUR.

XXXIV.

HIBERNA CÆSARIANORUM.

HIBERNA BAVARICA.

FRIDENWALDA A GRONSFELDIO OCCUPATA.

ckersdorfenſem arcem, in Fuldenſibus, ex itinere, brevi obſidione ſubegit. Schweinfurtum ijdem tenuêre clauſum, Mainburgum & Zabelſteinium occupârunt. Alij petiêre Norimbergenſium confinia, alij, prætorijs ſtativis Kintzingæ locatis, finitimum agrum inſêdere.

XXXV. IGLAVIA RECIPITUR.

Succorum exercitu à Bohemiâ & Moraviâ procul remoto, Cæſar menſe Octobri Comitem Buchemium rei armamentariæ Generalem magiſtrum juſſit Iglaviam inſignem Moraviæ civitatem, adhucdum à Suecis inſeſſam obſidere. Obſidionali coronâ ad finem ductâ, quarto Calendas Octobris, cœpta urbs tormentis majoribus arietari. Tenuit obſidio ad octavam uſque Decembris, quâ Sueci vitam, libertatem, & ſarcinas pacti, incolumes exceſſère Gloggoviam. Fuit iſthæc oppugnatio varijs illuſtrium virorum caſibus memorabilis. E Cæſarianis permulti, è Suecis non pauci, cecidêre. Primi nominis inter Cæſarianos gloriosè occubuerunt Comes Straſoldus, Knoringius Chiliarcha ejúſque legatus, Excubiarum magiſter legionis Merchiſiæ. Comes Contius ſecundum axillam graviter ſaucius, honeſto vulneri ſupervixit. E Suecis, Oſterlingus præſidij Præfectus in propugnatione vitam poſuit. Turteltaubius magiſter equitum, qui à ſignis Cæſareis defecerat, comminuto cerebro interijt. Quàm fuêre obſidentes gnavi in ducendis cuniculis, tam fuêre obſeſſi ijs adverſâ foſſione excipiendis difflandíſque diligentes: non evitavêre tamen, quin una fornacula, igne concepto, murum ad aliquot orgyjas disjectum, ad inſultum poſtridie Cal. Decembris aperiret. Denique fracta defenſorum conſtantia manus dedit Cæſari.

STATUS RERUM IN SILESIA.

In Sileſiâ res Cæſarianis non fuêre proſperæ. Perſtabant Preslavienſes immoti in obſequio ac fide Cæſaris: cætera Sileſia magnam partem à Suecis tenebatur.

XXXVI.

Ijdem Preslaviæ omnem propè commerciorum, & ultro citróque commeandi libertatem, diſpoſitis circùm præſidijs, ſic ademerant, ut Comiti Buchemio, poſt receptam Iglaviam, cum ſuis copijs, quarum numerus erat quatuor millium, fuerit properandum, ut conatus Wittenbergij, qui ab Vrangelio ſejunctus in Sileſiam redierat, ſi non frangeret, at reprimeret ſaltem, ne Preslavia tandem diuturnis damnis feſſa, oblatam à Suecis mediarum partium libertatem acciperet. Annus jam expirans aſperâ hieme horridus, magnam partem intercepit ejúſce expeditionis; quæ tamen id fructûs tulit, ut Sueci deſperatâ Preſlavienſium defectione, commerciorum ſecuritatem cum urbe paciſcerentur. Cæterùm Buchemius Olaviam oppidum & arcem Ieltſchiam, ex quâ Sueci Preſlavienſibus erant infeſti, irritus obſedit, dum Sueci Jaromiram & Gitſchinum, ſub inſequentis anni primordia, diripuêre. Cæteroqui Cæſariani æſtatem in iſtâ Provinciâ habuerant minùs faventem. Nam Quaſtius Suecarum partium protribunus, è præſidio Gloggovienſi, vigeſimâ quartâ Junij, ad Schlavam, Comitem Wurbium cum aliquot Cæſarianorum centurijs, quà cæſis captíſque, quà fugatis, profligaverat. Idem, corruptâ Lignizenſium meſſe, Valentinum equeſtris turmæ ductorem graviter ſauciatum, cùm multos ex eâ turmâ cepiſſet, egerat in fugam decimâ octavâ Julij. Sub hæc menſe Septembri, Trattenaviâ expugnatâ, ipſam arcem cum ducentis Cæſarianis victoris arbitrio deditis ſubegit. Gloggovienſes bis mille circiter Devagium, qui Bernſtadium novis operibus munire cœperat, poſt paucorum dierum obſidionem, loco ſubmoverunt, ſimúlque oppidi munimenta ſolo æquârunt. Strelam deinde muris, turribus & portis nudârunt. Qui Brixæ curabant Sueci præſidiarij, actis latè prædis, Schebracam oppidum & Rockezanæ ſuburbia expilârunt. Olomucenſes ad uſque Viennæ confinia fuêre graſſati.

XXXVII. LINDAVII OBSIDIO.

Ad lacum Acronium res fuerunt inquietæ. Vrangelius quarto Januarij, Lindavium, locatis ad PP. Capucinorum cœnobium, ante pontem, muralibus machinis civitatis tecta juſſit acriter verberari. Naves nuper tum Brigantij, tum alibi ad lacum captas, aliáque, quæ ſpectabant ad obſidionem, propè juſſit eſſe in promptu. Comes Galaſſus contrà obſeſſis Baronem Crivellium ſubſidio miſit, quo feliciter oppidum ingreſſo, terrâ lacúque cœpta fuit obſidio à Suecis undique

que circumduci. Oppido præerat Maximilianus Wilibaldus Truckſeſſius Comes Wolfeggius, qui, ne quid intermitteret operæ ad propugnationem idoneæ, ſub hoſtis adventum, exterius non amplum admodum, neque antehac habitum in pretio propugnaculum ponti objectum, reparatis aggeribus, ductiſque in civitatem vijs opertis, munijt, ratus, illud magno futurum uſui, eò præſertim, quòd aquâ circum mœnia brevi præter ſolitum hoſti pateret facilior aditus ad oppidi munimenta. Die Januarij vigeſimâ quartâ & quintâ, Sueci tum è continente, tum è lacu acriter tonuêre excuſſis in urbem ſphæris incendiarijs & punicis ignibus, quorum noxam eluſit civium diligentia. Biduo pòſt, Sueci vineas produxêre ad uſque labrum extimi, de quo jam dixi, propugnaculi, quod continuâ jaculatione injectis lapidibus & globis igniferis infeſtârunt, citra tamen valli labem, quòd ictus recenti operum munitione eliderentur. Tanti fuit deſpicabili aliàs munitiunculæ tempeſtivè proſpexiſſe. Duravit iſta procella biduum: cùm inter hæc Sueci ad tiliam, quæ eſt ante pontem Lindavij, ſuggeſtum ſex machinis locandis conſtruxerunt, ex quibus tum munitiunculam, tum civitatem cœperunt acerrimè concutere: verùm eâ tormentorum ſede, ab obſeſſis poſtridie tormentorum ictibus convulsâ, Sueci è regione munitiunculæ editam molem ex humo congeſtâ, & faſcibus ſarmentitijs exſtruxere eo duntaxat conſilio, ut fornaculâ infernè accensâ, eam materiam in altum ejectam, in foſſam agerent, muniréntque ſibi viam ad incurſum. Verùm obſeſſi, factâ noctu eruptione, multis Succorum obtruncatis, iſtam molem diſſipârunt. Quintâ Februarij, cùm Sueci iſtius propugnaculi expugnationem omnino obſtinâſſent, per Xyſtum (ut vocant) marginatum, ad ipſius radicem progreſſi ſuffodêre cuniculum, quem obſeſſi adversâ foſſione apertum, difflatúmque reddidêre brutum atque inutilem. Poſtridie hoſtis, ſcalis admotis, vallum conatus ſuperare, & cum clade rejectus, denuo ſubterraneam fornaculam inſtruxit, quæ dextram partem propugnaculi disjecit. Labem non exiguam, periculúmque feciſſet ea vis, niſi jam antè Cæſariani, ductâ ex eo latere foſsâ, fixóque palorum munimento, incurſioni prævertiſſent, fruſtrati omnem Succorum operam, ne munitiunculâ potirentur. Decimâ tertiâ & quartâ Febru. rurſus excitavêre ſuggeſtum ad tiliam, adductiſque tormentis cœpêre obſeſſos fulminare: ſed eâdem, quâ antè, operâ, Cæſariani eam molem deturbârunt, occiſis machinarum libratoribus, & machinis aliquot ſuo armamento exutis. Ex eo die ad uſque decimum nonum, Sueci toti fuerunt in agendis vineis, quibus tecti ad foſſas ſuccederent, non intermiſsâ tamen ſphærarum pyrobolarum & punicarum jaculatione: quo tempore obſeſſi deſudârunt in operibus tam intra mœnia, quàm extra moliendis. Decimâ nonâ, Sueci tecta porticu ad lævam munitiunculæ toties oppugnatæ paratâ, cuniculos infrà cœperunt ducere; cùm Cæſariani quinquaginta candidis tecti ſubuculis, quò Suecicorum oculos nivis, quæ tum alta jacebat, ſimulacro fallerent, erumpentes, multos in loco mactârunt, alios ſubmoverunt ab operibus, alios traxêre captivos in civitatem, cannáſque murales obſtructis oſcillis occœcârunt, complanatis jam dictæ porticûs aggeribus. Vigeſimâ quartâ ijdem erupêre in lacum, & captivum traxêre vicarium legionis Witenbergicæ. Vigeſimâ quintâ Vrangelius, inſpectâ munitiunculâ, ſubjectam fornaculam juſſit incendi ad lævam, quæ quidem vallum diſcerpſit, ſed citra defenſorum noxam, qui fuerant juſſi tempeſtivè in pteroma à tergo munitiunculæ ſub extimam foſſæ loricam ſeſe recipere. Eodem ipſo die, hoſtis naves longâ ſerie duxit in oppidi conſpectum: diſploſit exinde multo fragore tormenta, quibus viciſſim obſeſſi reciprocos bombos repoſuerunt. Tandem Vrangelius deſperatâ expugnatione, ad ſextam Martij, machinas curavit abducendas, ac biduo pòſt caſtra movit Ravenſpurgum.

XXXVIII. XXXIX.

Lindavii soluta obsidio.

Anteaquam ab obſidione diſcederet, juſſit Brigantium, omniáque ejus munimenta ſolo æquari, arcem Pfannenbergam ſubſtratam nitrato pulvere à fundamentis erui, Alhuſienſe Cœnobium exuri.

Brigantium solo æquatum.

Varia loca ad Lacum occupata a Suecis.

Dum in Lindavij obſidione hæreret, Langenargam arcem ad lacum, Comitis Wolfeggij ſedem apprimè nobilem deditione accepit: ſubinde Menaviam equitum Melitenſium malè defenſam munitionem, demum divitem Augiam poſtremam lacûs Acroniani Inſulam in ſuam poteſtatem redegit, unde loca finitima multis affecit incommodis.

Turrenius Hœchstam ad Mœnum occupat,

XL. Hæc de rebus Suecorum ad Lacum Acronium: ſequitur, ut de Gallo-Weinmarianis aliqua ſubijciamus. Vice-Comes Turrenius, qui iſtis copijs pro Rege Franciæ imperabat, non difficili negotio, ſuperiore Moguntinenſis imperij regione in ſuam poteſtatem redactâ, Hœchſtæ, quæ Cæſareo præſidio tenebatur, Calendis Maij caſtra admovit. Locum tutabatur Baro Weveltius ſupremus excubiarum Præfectus, cum modico centum quiquaginta circiter armatorum præſidio. Is diei unius vim tormentorúmque aſſiduam diſploſionem ubi ſuſtinuerat, cùm honeſtioris deditionis leges impetrare non poſſet, ſe ſuóſque unà cum oppido Turrenij arbitrio dedidit, grandi lytro libertatem redempturus. Turrenius inde caſtra vertit in Gernsheimium, ubi Mandeslous legionis legatus curabat. Et hic quidem præ ſe tulerat aliquantò diuturniorem defenſionem, ſed ubi curules machinas ad vim comparatas conſpexit, ſub medium Majum, deditionem pactus, locum pauló pôſt munimentis nudandum hoſti permiſit, præſidio Erenbretſteinium abducto. Hæſit nonnihil Turrenius in Geraviâ, copijs in ſtativa partitis; cùm interim duæ legiones Darmſtadio per vim ab hoſte fuerunt impoſitæ. Dedit Georgius Landgravius Eberſteinio Generali ſuo legato negotium, de juſto lytro pro agri incolumitate paciſcendi. Conventum de ſummâ nonaginta millium florenorum, quæ cùm ab exhauſtâ Provinciâ ære preſentaneo præſtari non poſſet, non modò vinum réſque aliæ venêre in partem ſolutionis, ſed etiam pecunia ex omnibus propè Darmſtattenſis regionis campanis Francofurti divenditis, fuit conficienda, quâ lytrum malè ſonorum avido militi repræſentaretur. Nec eo tamen modo fuit factum ſatis: nam binæ iſtæ, quæ Darmſtadij erant, Gallicæ legiones arcem Darmſtattenſem ſuo ſubdidêre arbitrio, dimiſſis quidem Ruſſelsheimium Landgravij liberis, ſed præſidiarijs ad Gallica ſigna coactis.

Gerensheimium munimentis exuit, Darmstadio præsidium imponit, Arcem invadit.

XLI. Subinde Turrenius à Rege Chriſtianiſſimo juſſus in Flandriam cum univerſis copijs proficiſci, ſub ineuntem Junium, trajecto ad Philippoburgum Rheno, legiones duxit ad uſque Tabernas Alſatiæ, inde per Auſtraſiam moturus in Belgium. Vix eò venerat, cùm ecce tibi undecim Weinmarienſium equitum quà alariorum, quà catapultariorum legiones Germanicæ, Gallicum Turrenij imperium pertæſæ, profectionem obſtinatè detrectant, omnémque averſatæ pactionem, ſeceſſionem à Gallicis copijs moliuntur. Cùm nulla foret ratio reliqua ad priſtina illos munia revocandi, niſi Gallico ſoluti imperio, à Germano quopiã ductore, cum vicariâ poteſtate regerentur, id tamen ab ijs impetrârunt Roſa legatus Generalis & Fleckenſteinius ſummus Ordinum ſtructor, ne hac illac ſparſi à ſignis dilaberentur. Sub hæc per certos homines apud Regem Chriſtianiſſimum, & Cardinalem Mazarinum explicuêre cauſas ſeceſſionis, additis poſtulatis, quibus ſi Rex aſſentiretur, in officio poſſent retineri. Jam in Badenſem Marchionatum evaſerant, cùm ex Aulâ venêre ad Turrenium & Roſam mandata, quibus jubebantur, ſi quà fieri poſſet, iſtas turbas componere. Ergo Turrenius trans Rhenum profectus, Roſâ accito, ad legiones ire conſtituit. Verùm ubi tumultuoſus miles ejus adventum comperit, ilico ſex legiones à reliquis ſejunctæ, ipſum Turrenij conſpectum averſatæ ſe ſubduxerunt. Acta nihilominus una omnino hebdomas in ijs conciliandis; ſed fruſtra, cùm pecuniâ aut promiſſis à ſuâ conſpiratione ſe negarent poſſe abduci, aut quicquam reſponſi, quod ad rem eſſet, daturas, donec ij præfecti, quos Pariſios ablegârant, incolumes eſſent reverſi. Diripuêre interea Pfortzheimium, Durlachium, Ottlingam, Liechtenaviam, Conſtadium, aliáque oppida; tandémque ſubitò, cùm id minimè futurum crederetur, ductoribus à ſe dimiſſis unum è gregarijs, penes

Defectio Weinmariensium legionum.

XLII.

quem

quem ſummum eſſet imperium, binóſque per ſingulas turmas, qui hipparchi & vicarij munia obirent, ſibi præfecerunt, & Neccaro ad Ulmam Neccaricam, Mœno autem haud procul ab Herbipoli trajecto, ter mille numero Schweinfurtum verſus contendentes, ſeptimâ Auguſti Fladingæ & Waſingæ ſubſtitêre. Inde per ſelectos è ſuo numero internuntios ab Erfurtenſi Gubernatore petiêre, ut author foret Kœnigsmarckio, utpote homini natione Germano, ipſos ad Suecicæ Coronæ, cujus auſpicijs olim arma induiſſent, obſequia ſuſcipiendi. Demum poſt diuturnam profectionem appulſi in fines Hildeſij, ſuam operam obtulêre Kœnigsmarckio, à quo fuêre admiſſi eâ lege, ut trans Viſurgim ad capeſſendam quietem bimeſtria ſtativa, menſtruum item ſtipendium acciperent, nunquam de cætero cogendi redire ad Gallica obſequia, aut pace compoſitâ militare extra Germaniam; reducti fuêre tamen ad quatuor duntaxat legiones, ad quas fas eſſet accedere commilitonibus, qui per Haſſica præſidia atque alibi ſparſi, ad ſigna aliquando eſſent redituri. Sic ad Alefeldam, accepto, quod promiſſum fuerat, ſtipendio, Suecicæ Coronæ ſacramento dixerunt.

Ob iſtum tumultum Roſa, Schmidbergius, & Fleckenſteinius à Turrenio Etlingæ, quaſi ſeditionis fuiſſent conſcij, dati fuêre cuſtodiæ: quo ex loco Roſa per ſuum fratrem Pariſijs obtinuit, ut ſibi liceret ad cauſam dicendam in Franciam proficiſci, ubi in Vincennenſis ſaltûs arce detentus prolixè fuit auditus. Sub hæc Turrenius, Rheno tranſmiſſo, contendit in Romanduos, unde, nullâ re geſtâ memorabili, Regis mandato remiſſus in Germaniam, Maximiliano Bavariæ Electori Ulmenſes inducias renuntiavit ex fœdere Francico, & belli cum Suecis jam olim pactâ ſocietate. LUXENBURGENSEM DUCATUM.

Inferioris Haſſiæ exercitum duxit cum legati Generalis auctoritate (Geiſio in ordinem redacto) Mortaignius. Hic, Majo jam adulto, ducens in Wetteraviam, de viâ Merlam caſtrum, & Grimbergam oppidum deditione accepit. Ad vigeſimum eiuſdem menſis, auctus tribus Gallorum legionibus, cùm quinque omnino millia haberet ſub ſignis, Fridbergam ſex dierum obſidione ſubegit, ducentos præſidiarios ad Haſſicas legiones transſcripſit. Baro Reiffenbergicus, qui ipſis imperitaverat, tum demum dimiſſus, cùm arcem Reiffenbergam, ejus ſuaſu deditam, triginta defenſores Mortaignio illubentes permiſiſſent. Cepit idem Kœnigsbergam & Blanckenſteiniam arces, quarum propugnatores Caſſellenſibus legionibus auctoravit. Eandem fortunam ſecuta eſt Stauffenberga (præſidio fugâ dilapſo) Hohenſteinium item, Caubium unà cum turri, & Cattorum caſtrum, injectis ignibus fuêre domita. Arx, cui à Palatio nomen in Rheni alveo, ſe quoque permiſit Mortaignio, qui dum Rheinfelſam obſidet, exeunte Junio, pede ſiniſtro, ipſóque genu à cætero corpore ictu globi majoris revulſo, ſacro pòſt igne correptus, decimo octavo poſt acceptam plagam die, fato functus eſt inter acerbos dolores. Exinde pactæ inter Caſſellanos & Darmſtattenſes menſis unius induciæ, Rheinfelsâ Caſſellanis, à Georgio Landgravio permiſſâ. Acceſsêre demum ad Kœnigsmarckium Haſſicæ copiæ, ductore Rabenhauptio. RES HASSICÆ. XLIV.

Minùs ſecundæ res fuêre Cæſarianis ad Rhenum. Bœninghuſius cum exiguâ manu, quam tum Moguntini Electoris, tum Francotalenſibus & Erenbretſteinianis ſubſidiarijs auctam ad nongentorum circiter pugnatorum numerum eduxerat, Wormatiam menſtruâ propè obſidione fruſtra tentavit. RES A CÆSARIANIS GESTÆ AD RHENUM. XLV.

Non ſucceſſit item ex voto Garnerio, Moguntinarum copiarum legato, meditata in Moguntiam impreſſio. Creditus fuit habuiſſe aliquos ſummæ ædis Canonicos, aliósque civitatis inquilinos conſilij participes, in quos Courvallius Gubernator Francus animadvertit gravi mulctâ, & peramœnæ Furſtenbergicæ domûs direptione atque excidio.

Turrenius interim arcem Falckenſteiniam & Durſteiniam, præſidio ad deditionem arbitrariam utrobique adacto, ſuæ poteſtatis fecit.

Pacis tractatio Monaſteri & Oſnabrugi, hoc anno varias facies induit, pro vario Martis ſeu ſecundi, ſive adverſantis aſpectu. Ineunte Januario, cùm Ele- TRACTATIO PACIS.

ctor Brandeburgicus pergeret obſtare, quò minùs tota Pomerania Suecis in vicem ſatisfactionis concederetur, niſi viciſſim Magdeburgenſis, Halberſtattenſis, Hildeſienſis, Oſnabrugenſis, & Mindenſis Epiſcopatus cum Schaumburgenſi Comitatu jure hæreditario Domui Brandeburgicæ transſcriberentur, non levis orta eſt in re tanti momenti, & Eccleſiarum nundinatione, difficultas, ad quam moderatâ æquitate expediendam, Franci & Batavi ſuam operam addixêre. Effectum tandem, ut iſta controverſia ſopiretur, dilatâ tamen per Suecos tabularum conſignatione, niſi ipſis de ducentorum millium Imperialium ſummâ, in locum ſecundæ Pomeraniæ, à Cæſarianis idoneè caveretur.

XLVI. Supererant inter cæteras, potiores cauſæ gravaminum, militaris ſatisfactio, res Palatina & Haſſica, quæ tamen haud procul à compoſitione abeſſe nunciabantur. Quò minùs Pomeraniæ negotium duceretur ad exitum, intercedebant Ducum Brunſvicenſium poſtulata. Diſceptata quoque fuit quæſtio de octavo Electoratu in Palatinam Domum inducendo. Domui Bavaricæ Franci patrocinabantur, ut eidem non Palatinatum modò, ſed etiam Archidapiferatum, primúmque inter ſeculares Septemviros locum aſſererent; proximè ad ipſos accedebat Elector Saxoniæ, modò Maximilianus Elector Palatinis redderet, quæ in inferiore Palatinatu obtinebat. Brandeburgicus nitebatur pro reſtitutione Comitum Palatinorum abſolutâ. Cùm menſe Junio Comes Trautmanſtorſius, præmiſſis ſarcinis, reditum ad Aulam Cæſaream adornaret, Suecicæ Coronæ, aliique Acatholicorum Principum Ordinúmque legati ſe Monaſterium contulêre, quaſi pacis negotio ſupremam manum impoſituri. Interceſſit Pacificationi pro rerum ſuarum defenſione Capitulũ Argentinenſe, prolixo libello. Sueci pro militiæ ſuæ ſatisfactione, vicies centena dena millia exegerunt: tot intervenêre dein hinc inde ab Acatholicis remoræ & contentiones, ut pacis ſpes labaſcere videretur. Oſtendêre nihilominus Cæſaris legati, nihil in ſe quidem moræ futurum, quin omnia ad æquitatem poſſent revocari. Sub hæc Francica ſatisfactio redacta fuit ad eam normam, quæ in Gallico Pacis Inſtrumento eſt viſenda. Decimâ ſeptimâ Decembris Cæſarei legati, Catholicorum Principum ac Ordinum ſententiam de Amneſtiâ & Gravaminibus tradiderunt Proteſtantibus, ægrè accipientibus,

XLVII. quòd neque de omnibus capitibus, neque ex ipſorum voto reſponderetur. Iidem in ſequiorem partem fuêre interpretati, quòd ſibi Catholicorum gravamina, ad dictam diem relata in ordinem, non eſſent adhuc exhibita. Demum Cæſariani Catholicorum declarationem circa pacificatoriorum pactorum ſecuritatem & executionem, vigeſimâ ſextâ Decembris Acatholicis tradiderunt. Et hæc de pace Germaniæ.

Hic annus, veriùs cœlum, Moguntino Archiepiſcopatui Sac. Rom. Imp. Septemvirum unanimi Canonicorum conſenſione, undeviceſimâ Novembris, dedit Joannem Philippum Epiſcopum Herpibolenſem & Ducem Franconiæ, è nobiliſſimâ Schœnborniorum gente, poſteaquam Anſelmus Caſimirus è vivis exceſſerat.

BOICÆ

BOICÆ GENTIS

ANNALIUM PARTIS III.

LIBER XXXIII.

Bavaria à Fœderatis vaſtata : Praga minor capta à Suecis: Pax Monaſterienſis.

A. M. DC. XLIIX.

PRÆMATURA SUECORUM EXPEDITIO.

I.

ANnum Boicæ apprimè funeſtum, & longi belli ultimum aggredimur. Vixdum prima ejuſdem naſcentis hebdomas effluxerat, cùm præmatura Succorum caſtra Cæſareo-Bavaricos, ex laborioſâ ſuperiorum menſium expeditione vix reſpirantes hibernis exciverunt. Id verò fuit perincommodum, quòd non modò defuiſſet quieſcendi ſpatium, ſed etiam non licuiſſet per temporis anguſtias, legiones inſigniter imminutas inſtaurare neceſſarijs ſupplementis. Comes Holtzapfelius Cæſarianas, vexandâ Haſſiâ ſic attriverat, ut vix ſupereſſent novem millia, perinde armis atque animis, ob toleratas nullo propè fructu moleſtias, malè inſtructa, quibus adverſus imminentem hoſtem uteretur. Tanti erat, iræ privatæ ad vindicandas neſcio quas Haſſorum injurias voluiſſe indulgere, nullo præterea operæ pretio, quàm quòd Caſſellenſibus ægrè, Cæſaris verò exercitui & ſibi ob nuperam contuſionem admodum malè feciſſet.

BAVARICI CÆSARIANIS IUNGUNTUR.

Ergo comperto, Vrangelium coactis ad Oldendorfium copijs, jam cœpiſſe traijcere Viſurgim, Holtzapfelio ex Haſſiâ, ex Comitatu Waldecenſi, & agro Corbacenſi, in Fuldenſem fuit migrandum. Eò juſſæ erant Cæſarianæ legiones convenire. Exinde caſtra habuêre Hammelburgi, pòſt Arnſteinij, tandem duodecimo Februarij Retzbaci, inter Herbipolim & Caroloſtadium: tum Mœno transmiſſo, movère Bambergam.

Bavaricus exercitus, poſt nonnullam quietem, anteaquam Cæſariano jungeretur, Biſchofsheimium ad Tuberum amnem, portis tormentorum vi effractis, duo præterea caſtella non longè à Schweinfurto, Wertheimium oppidum, arce intactâ, invaſit: demum adulto Februario, in agro Ochſenfurtenſi ſe ſociavit Cæſarianis.

Habuit ſubinde uterque exercitus caſtra in Schwabacenſi & Norimbergenſi confinio. Sextâ Martij, ſtativa prætoria fuêre ad Berchingam, Berngrieſſam,

& Dietfurtum; unde facilè, pro re natâ, in una caſtra poterant commeare. Sub hæc Cæſariani ad Nabim & Vilſum amnes tetenderunt, propè Berezhuſium, Calmunziam, Laberiam & Hohburgum; Bavarici verò ad Almonem fluvium in finibus Eiſtadij. Denique vigeſimâ quartâ Martij Ingolſtadij, & prope Neoburgum trajecêre Danubium, prohibituri hoſtem, ne ſuperatis fluviorum obicibus, penetraret ad interiora Bavariæ.

II. *Waſſertruding.* PROGRESSUS GALLO-SUECORUM.

Jam tum enim Vice-Comes Turrenius cum octo, ut minimùm armatorum millibus, & Vrangelius cum ſedecim millibus nunciabantur caſtris Aquatrudingæ ſociatis rectà movere in Boicam. Fuerat Vrangelius Herbipoli ab Electore Moguntino, qui in medias partes conceſſerat, honorificè exceptus: Winsheimium duodecimo Martij, poſt bidui obſidionem, ducentis ſexaginta Bavaricis, ſe ejus arbitrio dedentibus, extorſerat, præmiſsóque Kœnigsmarckio, credebatur propediem uterque Fœderatorum exercitus adfuturus. Sponte interea Bavarici exceſsêre Donawerdâ, ponte magnam partem exuſto, quòd crederent, locum adverſus tantam hoſtium molem à paucis prudenter defendi non poſſe: quamobrem Magiſtratus, ut hoſtem haberet clementiorem, civitatis clavibus Wemdingam miſſis, ſe pronum ad accipiendum hoſtile præſidium oſtendit. Patuit Fœderatis pari ratione Dilinga, Hœchſtadium, Gundelfinga; & quicquid erat locorum, quibus Lavinga & Nortlinga arctabantur. Maximilianus juſſit imponi Landſpergæ præſidium, quod à Lyci trajectu hoſtem arceret. Friſingam miſſi fuêre à Gronsfeldio (qui tum Bavaricis copijs imperabat) ex Auguſtano præſidio, qui pariter Iſaram flumen, pontémque iſthic impoſitum, ex eâ parte tuerentur.

DONAWERDA, DILINGA, &C. IN EORUM MANUS CONCEDUNT.

LANDSPERGÆ IMPONITUR A MAXILILIANO PRÆSIDIUM.

III. Interea Cæſareo-Bavaricæ copiæ ſecundis à Donawerdâ caſtris appulêre Thirhauptum, conſtructóque ſuper Lycum & mediam arenariam ponte, reflexo ad Ingolſtadium itinere, in ſuperiorem Palatinatum contenderunt, acceptis à Cæſare per Comitem Bucheimium, mille quingentis circiter ſubſidiarijs. Dici vix poteſt, quanta id temporis fuerit in Sueviâ & Bavariâ colonorum fuga & conſternatio, tum maximè, cùm mille quingenti alarij ſe trans Danubium, velut hoſtem devitantes infudiſſent; quos Maximilianus confeſtim redire juſſit ad exercitum. Movêre dehinc exercitus per Burglenfeldam & Schwandorfium, & nocturnis caſtris vigeſimo quinto Aprilis Sultzbaci habitis, Hœchburgum egreſſi, quinque circiter equitum millia præmiſerunt, qui ad Lycum excubarent. Cæteræ copiæ, mediâ inter Almonem & Danubium regione, relegentes iter, Horburgum Suecis eripuerunt calendis Maij. Trajecêrunt rurſus ad Neoburgum, id agentes, ut Gallo-Suecis, qui jam in Wirtenbergiam infuſi, ad Danubium properare credebantur, ad Illaram amnem occurrerent. Ergo caſtris ad Ginsburgum poſitis, interceſsêre vario Marte aliquot conflictus velitares, nullâ re admodum inſigni. Ante hæc, Sueci arce Wallerſteiniâ ſphæris incendiarijs expugnatâ, Bavaricum Præfectum, cæteróſque ductores Nœrdlingam captivos, cæterum præſidium ad Suecica ſigna abduxerant: Harburgum receptum expilârant, Pappenheimium coëgerant ad deditionem. Catzenſteinium caſtrum exuſſerant. Turrenius verò occupatâ Boxbergâ, Mosbacum oppidum ſubegerat. Exinde Neomarco occupato, noviſque communito operibus, Fœderati Sultzburgum caſtrum præſidio firmaverunt, Hainburgum ſubjecto igniario pulvere everterunt, multos circùm pagos redegêre in cineres. Concremârunt Franci Cresbergam, atque unà homines, qui eò confugerant. Flochberga haud procul à Nœrdlingâ, actis ſub humum cuniculis, nitrato incendio diruta. Dinckelſpilâ ſex dierum obſidione domitâ, defenſores quingenti hoſtilibus legionibus accenſi.

FŒDERATI VARIIS LOCIS POTIUNTUR.

Sumpsêre ſibi poſt hæc Fœderati nonnihil quietis, donec aura mitior ſeſe pabulationi aperiret. Turrenius id temporis Reitlingæ, Vrangelius Gœppingæ ſtativa habuêre. Exercitum hoſtilem annonâ adjuverunt Ulmenſes & Nœrdlingani. Heidenheimium ceſſit Gallorum direptioni: Succi Gemundam Sue-

vicam,

vitam, Munderkingam, & Ehingam expilârunt: Wiſenſteigam incinerârunt. E noſtris aliqui, Lyco transmiſſo, Steingadenſe Monaſterium diripuerunt, alij Stoffelsbergam, aliáque paſſim loca; tam nihil erat ſanctum ſecurúmve à rapinâ militari.

Hærebant interea Cæſareo-Bavarici circum Gintzburgum & Burgovium, cùm Fœderati, junctis inter Jungingam & Dornſtadium copijs, caſtris Langenavij, uno à Gintzburgo milliari, ad duodecimum Maij poſitis, poſtridie Lavingam verſus duxerunt, Cæſareo-Bavaricis ex adverſum ad prohibendam Danubij transmiſſionem tendentibus. Horum conatus eluſerunt Fœderati Danubio tum Lavingæ, tum Elchingæ & Leipheimij, per pontes ſubitarios ſuperato. VI.

Quâ re compoſitâ, Cæſareo-Bavarici decimâ ſeptimâ Maij, caſtra Auguſtam verſus reduxêre. Hos Kœnigsmarckius & Fridericus Landgravius manè cum novem equitum millibus, & mille legionarijs ad Suſmershuſium ſeſqui ab Auguſtâ milliari aſſecuti; loco ad explicandam aciem nimis anguſto, in agmen poſtremum, in quo Comes Holtzapfelius cum Cæſarianis curabat, diſpoſitis à recedentium tergo machinis, incurrerunt. Frontem obvertit cum paucis pro loci opportunitate Holtzapfelius, & fortiter pugnans inter primos, dextrum humerum pectúſque trajectus fuit gemino vulnere, ex quo ſub noctem fuit extinctus. In eâ dimicatione ex Cæſarianis cecidêre multi tum ductores, tum gregarij. In illis duo Tribuni, Bocca Major & Henlerus: totidem occubuêre legati legionum: unus vigilum ſupremus magiſter, Ilarchus unus, quinque centuriones, alij minoris notæ præfecti. Venerunt non pauci in Suecorum manus cum quinque vexillis, ſex campeſtribus minoris modi bombardis, Holtzapfelij tabulario & impedimentis. Fugam Cæſarianorum cohibuerunt viarum & ſylvæ, quæ eos utrinque protegebat, anguſtiæ: ſubinde prout ſe dabat opportunitas fortitudinis exercendæ, ne impunè ſua terga cæderentur, Suecis incumbentibus obſiſtebant acriter, dum cæteri ordines atque inprimis primum Bavaricorum agmen, ſuperatis viarum anfractibus, trans Schmutterum fluviolum ad moletrinam medio ab Auguſtâ milliari fixêre pedem, unâ horâ ante meridiem. Hic demum æquo Marte poſitis utrinque machinis & legionibus, cœpit certari, Suecis amnis trajectum molientibus, Cæſarianis, qui ſe collegerant, unà cum Bavaricis, fortiſſimè reſiſtentibus. Tenuit iſte conflictus diei reliquum ad ſeram uſque noctem, dum imperturbatis ordinibus, Cæſareo-Bavarici ſub Auguſtæ mœnia ſeſe receperunt. Toto iſto die, è Bavaricis deſiderati fuêre circiter quadringenti. E Cæſarianis plerique, qui credebantur eſſe captivi, elapſi per ſylvas, ad ſigna redivêre. Succis iſtud certamen non fuit incruentum, haud paucis tum præfectis, tum viris ſingularis functionis occiſis. Vigeſimâ primâ Maij, noſtri trans Lycum progreſſi, ad Fridbergam caſtra ſunt metati. Fœderati ex Hainhofio, ubi per quatriduum conſtiterant, adverſo Lyco progreſſi Bobingam, cùm ex adversâ ripâ Cæſarianos, ac Bavaros à fronte haberent obſtantes ad Liechtenbergam, cúmque Truckmillerus cum aliquot turmis Landſpergæ ijsdem eſſet oppoſitus, mutatâ itineris ratione, vigeſimâ quartâ Maij, noctis ſilentio, præmiſſis impedimentis, ſecundum Auguſtam delati, vigeſimâ quintâ appulerunt Oberndorfium, quo mox fuêre potiti, octodecim duntaxat præſidiariorum manipulo deditionem faciente.

Conflictus ad Suſmerhuſiũ.

V.

Crediderant Gallo-Sueci, ſe Lyci trajectũ per pontẽ, qui erat è regione Rainæ, facili negotio invaſuros: verùm ubi ventũ ad rem, reperêre pontem parmâ, ductâq; à fronte loricâ protectum, inſideri à numeroſo milite, qui citra periculoſam aleam nequiret tantâ celeritate ſuperari, quin tempori eſſent adfutura auxilia, quæ nullo negotio transmiſſionẽ interciperent. Rainæ præfectus Ferdinandus Baro Buechius vir egregiè fortis, ingenióque militari, ex prænobili Buechiorum ſtirpe, cum locũ tuendum ſuſceperat, nihil territus periculi denuntiatione, quod paucos ante dies Comes Gronsfeldius in trajectûs iſtius defenſione futurũ eſſe, erat ominatus. Non erant id temporis multa vada, quibus flumen aliquot dierum imbribus tumidum,

poſſet

VI. poſſet tranſmitti, & ſicubi aqua ſolebat eſſe brevior, diſpoſitis è regione aggeribus, & idoneo defenſorum numero, ſic ripa muniebatur, ut deſperaret hoſtis, ſe iſthac in Bavaricam ripam, ſine grandi diſcrimine, evaſurum. Reliquus erat locus, quà Sueci meminerant Guſtavum Regem trajeciſſe ante annos ſedecim. Hunc placuit rurſus tentare. Maximilianus, quem magna cura inceſſerat, ne hoſtis in Bavariæ citima penetraret, Gronsfeldio aliiſque Generalibus ductoribus per Williſonium dederat in mandatis, ut, ſi quo modo citra manifeſtum utriuſque exercitûs diſcrimen fieri poſſet, totis viribus in id incumberent, ne Lyco ſuperato, belli ſedes in Boicâ figeretur, ſed omni, quâ poſſent induſtriâ, & copiarum objectu, Fœderatos arcerent à trajectu; jámque in commune Generalibus (excepto Wachenheimio & Fernamontio) aſſentientibus, erat conſtitutum, vi ſupremâ hoſti ad Thirhauptum ſtanti obſiſtere, nec erat dubium, quin veniretur ad executionem tam ſeriò mandatæ defenſionis. Verùm cùm magna pars copiarum, præſertim Cæſarianarum, ad prædas & pabulationem effuſa, aliqua etiam pars ad tuenda Lyci vada per ſex ſtationes excubans, à caſtris abeſſet, Comes Gronsfeldius rurſus exquirit ducum ſententias, propoſitâ periculi & rei, quâ de agebatur, magnitudine, ſi in arcendo hoſte perſtarent. Effecit iſta diſceptatio, ut mutatâ ſententiâ plerique cenſuerint, omiſsâ Lyci defenſione, ad Boicæ interiora eſſe abeundum. Sic ſtatione deſertâ, exercitus tantâ properatione fuit abductus, ut relictâ aliquâ militaris inſtrumenti parte, non receptus, ſed fugæ quædam ſpecies eſſe videretur, permultis hac illac palantibus, prout quemque agebat animus & prædæ cupido, ita ut per multos dies ægrè potuerint ad ſigna revocari. Datum id culpæ Comiti Gronsfeldio ab æmulis, quaſi intempeſtivum terrorem, ſepoſitâ Electoris voluntate, propagâſſet in cæteros, qui ex illius curis atque hæſitatione ſiniſtri eventûs omen accepiſſent, memores, vix unquam Marte proſpero, Gronsfeldio duce, fuiſſe pugnatum.

Fœderati Lycum superant.

VII. Faſſi fuêre pòſt hoſtes (qui demum triduo poſt noſtrorum abitum, operibus ad tranſitum abſolutis, trajecêre in oram Bavaricam) jam tum decretum ſibi fuiſſe, nihil ultrà in eo trajectu experiri, ſi animum obſiſtendi, nedum explicatam aciem ex adverſo Gronsfeldius oſtentâſſet. Quicquid tandem in re fuerit (de quo facilè non pronunciem) ſecuta pòſt Gronsfeldij eam ob rem longiuſcula captivitas, Maximiliani de ipſo judicium, & Gronsfeldij non omnino (contrà ac interpretabatur iratum vulgus) excuſationis expertem, aut capitalem culpam fuiſſe, oſtendit.

Luit nihilominus graviſſimè iſtum receptum tota Cis-Oenana Bavaria, quando non ab hoſte modò poſt ſuperatum Lycum irrumpente, ſed etiam ab amicis exercitibus ſic fuit vaſtata, ut non niſi ſerò admodum ad frugem reditura eſſe videretur. Maximilianus ne tot malorum ſpectator eſſe cogeretur, demandatâ Rouyero vigiliarum Generali Magiſtro Monachij defenſione, Waſſerburgum, inde Brunovium, tandémque Saliſburgum cum Aulâ diſceſſit. Dum navigaret Brunovium, unum ex navigijs, nautarum minùs ſobriorum inertiâ, ad pontis Müldorfienſis ſublicas alliſum, unà cum octo vectoribus & aliquâ ſupellectili argenteâ, gurgitibus hauſtum ſubſedit.

Fœderati Frisingam invadunt.

Cæterùm Gallo-Sueci ex noſtrorum receptu apertum in Bavariæ viſceribus campum nacti, cùm ad uſque fluvium Iſaram, agro impune nullóque metu potirentur, ad Oenum facturi gradum, Friſingæ, quæ civitas eſt malè munita, habétque arcem amœniorem quàm firmiorem, Epiſcopi ſedem, Iſaræ trajectum occupârunt. Curabant in arce & ad pontem flumini impoſitum, quos antè
VIII. memoravi, præſidiarij, habebántque in mandatis à Gronsfeldio, ut locum ad ſupremum uſque diſcrimen tuerentur. Pro invadendâ civitate non fuit hoſti magnopere laborandum, quippe quæ nequiret defendi: in arcis oppugnatione, quam defenſores acriter tuebantur, paulò plus fuit ponendum operæ: ſed cùm pauci fruſtra adverſus torrentem niterentur, ſub ineuntem Junium, dedêre manus victorum arbitrio. Qui ad pontem in adversâ ripâ curabant, eo ſoluto, profugêre. Moſburgum, quíque iſthic eſt Iſaræ trajectus, pariter hoſti ceſſit, nullo obſiſtente.

Inter

Inter hæc Comes Gronſfeldius, Maximiliani Electoris juſſu comprehenſus, Monachij habitus fuit in cuſtodia, atq; inde translatus Ingolſtadium, donec cauſâ dictâ redderetur libertati. Præfuit exinde copijs Hunolſteinius rei tormentariæ ſupremus Magiſter. Landishuta jam bis antehac ab hoſte capta, ſemel à Duce Bernardo Weinmario expugnata, accenſa & propè exciſa, cùm eſſet nuda ab omni præſidio, profugiſsétq; inde civilis ac ſacer Magiſtratus, veterum malorum nondum oblita, ne ſe temere imminenti exitio committeret, ſi vim hoſtilem operiretur, communi conſilio litteras dedit ad utrumque Gallicarum & Suecicarum copiarum Ducem, quibus ſe eorum clementiæ permittebat. Duces iſtâ facilitate molliti, redditis viciſſim litteris, civitatem in ſuam fidem receperunt. Antequam eæ litteræ perferrentur, legio Suecica prædæ avida portas propè indefenſas vi effregit, atque momento per vicos effuſa, à cæde manus abſtinuit quidem, non ab excutiendis domorum penetralibus; in ſolam tamen annonam & horrea, quibus levaret cibariorum & pabuli inopiam, fuit graſſata. Allatæ ſunt interea litteræ è caſtris, velut teſſera ſecuritatis, quibus & urbi, & ſacris præſertim hominibus Vrangelius immunitatem à militari violentiâ addicebat. Verùm ubi intra mœnia miles fuit receptus, lytrum deditiтijs imperavit. Id cùm Vrangelij exactori ob civium egeſtatem ſat promptè non repræſentaretur, ſuburbij partem juſſit incendi, quæ mox conceptâ flammâ, cives omnes proximè imminentis mali ſpecie vehementer exterruit. Debuit ergo durus quæſtor promiſſâ lytri maturatione placari, ut ab ulteriore pernicie abſtineret. Ejus maturandi auctores fuêre è Dominicanâ & Societatis Jeſu familijs religioſi, qui ad abſentem Magiſtratū profecti, id obtinuêre, ut ille Maximiliani imperio negotium ſtatim confecerit, urbe vicies mille florenis ab incendio redemptâ. Credebant Jeſuitæ, ſe iſtius redemptionis beneficio fruituros: verùm exactor, Vrangelij nomine, ſeorſim mille trecentos Philippæos extorſit, religionis odio. Triſte illud fuit, quòd in SS. Martini & Jodoci templis concionales Lutheri & Calvini præcones publicè verba facerent ad milites, atque illorum unus, in S. Martini, Lutheranam ſynaxim ageret. Promeritus eſt ſingularem laudem protectæ Catholicorum innocentiæ & religioſorum Ordinum Avancourius Regis Chriſtianiſſimi Legatus, qui pro eorum defenſione non ſemel apud Suecos interceſſit. Mitiùs res Deo dicatas tractavêre Sueci, quàm olim Weinmariani. Faſſi ſunt, apud ſe, ſi non dignum piaculo, at certè infauſtum haberi, hujuſmodi vel impiè attrectando vel ſublegendo violare. Eam religionem confirmabant recenti exemplo: Equitem enim, qui pridie ſublatam à PP. Dominicanis veſtem ſacrificio utibilem ephippio poſt tergum aptâſſet, mox temeritatem luiſſe, ferali glande trajectum. Alius quidem duos calices argenteos reſtituit; veritus eos, ut rem divino cultui deſtinatam, penes ſe retinere, juſsítque referri ad templa, ad quæ crederentur ſpectare, nec quicquam ultro etiā oblatæ redemptionis admiſit. Eam religionem injecêre triſtia exempla hoc ipſo bello edita. Dingelfingæ Suecicus miles Deiparæ minutam ſtatuam, ut iners ſimulacrum ludibrio habitum, per contemptum in conclavis angulum abjecit: ut primùm Imago terram attigit, ſimul irriſor eodem momento in pavimentum exanimis concidit. Majore famâ celebratur aliud prodigium. Tres equites virginum Deo ſacrarum templum ingreſſi, ſtatuam D. Mariæ Magdalenæ Chriſti è cruce pendentis pedes amplexantis conſpexêre, atque in ejus indice annulum aureum, voti cauſâ more Catholico olim inſertum. Hunc eorum unus digito detraxit. Templo egreſſus vix equum conſcenderat, cùm obtorto collo, vultúque ad tergum obverſo ex equo præceps fuit effuſus. Alter ignarus, tam ſubitum funus pœnam eſſe ſacrilegij, inter demortui ſpolia annulum legit: ut paſſus aliquot proceſſerat, pari etiam pœnâ plectitur. Tum tertius veram cauſam ſubitæ vindictæ ſubodoratus, annulum templo & D. Mariæ Magdalenæ iconi reſtituit. In eâdem viciniâ ædes eſt D. Leonardo ſacra, cujus janua ferreis equorum ſoleis erat præmunita. Illas agreſtium pietas anathematum loco ſolet affigere, quòd equorum tutelam

Gronsfeldii captivitas.

Landishutæ hostis recipitur.

IX.

Sacrilegiorum divina ultio.

X.

non vanis argumentis credant eſſe potiſſimùm penes hunc cœlitem. Cùm igitur in Suecico equitatu magna eſſet ferri inopia, ut equi nudis nixi ungulis paſſim claudicarent, equitum magiſter eam januam intuitus, ſoleas omnes inde ſolvi, & his muniri equorum, quos quadraginta alebat, pedes juſſit: verùm infelix rei familiaris curator ſuo damno fecit hoc compendium: ecce enim equi ferri furtivi contactu arcano morbo correpti, paulatim deficere, & ſuo quilibet ordine emori, donec herus doctus ſapere, ultimo, quem habebat adhuc vivum, ſoleâ detractâ, vires reddidit, vitam ſervavit. Hæc ex indubitatâ proborum virorum teſtificatione referre viſum eſt, ne nos minus operæ in aſſerendâ rerum ſacrarum reverentiâ, quàm hoſtes in ijs dehoneſtandis, credamur poſuiſſe. Redeo ad communes Boicæ miſerias. Agri paſſim, colonis in Transœnanam cum armento, vel loca munita dilapſis, erant ſolitarij, meſſes vel corruptæ ab hoſte, vel neglectæ ab agricolis. Quæ in tutum non fuêre recepta, ceſsêre omnia militum arbitrio. Supererant tecta, quæ plurima, inter quæ non ignobilia, data incendijs. Dederunt tamen Turrenius & Vrangelius Sereniſſimæ Mariæ Annæ Electricis interceſſioni, ut Schleisheimium, Electoris amœnus per æſtivos calores, ſeſqui horæ à Monachio diſtans itinere, ſeceſſus, intactum ſervaretur. Dachavium arcem nobilem perſolutum lytrum exemit incendio: Iſareccum ſplendidum caſtrum, moræ impatiens Gallici hominis avaritia, cùm extemplò pecunia petita non præberetur, igne ſubjecto redegit in cineres & parietinas. Leoniſperga pariter flammis fuit conſumpta, Hochburgum Friſingenſis Epiſcopi arcem hoſtilis ira, ob acceptam ad Waſſerburgum repulſam, de quâ mox acturi ſumus, accenſum prorſus deformavit. Neomarcum elegans oppidum, cùm ab Oeno rejectus, pedem ad Iſaram referret, magnam partem hoſtis exuſsit. In ſimilem vaſtationem redegit Pfarkirchium haud procul à Brunovio. Erdingam amœnam, quarto à Monachio milliari, civitatulam, quam cives ex hoſtili item incendio nuper reparârant, Gallorum ſævitia per incredibilem improbitatem, excepto templo, paucisſimíſque ædibus, exuſsit. Ea fuit incendiariorum crudelitas, ut, cùm cives, qui pauci in oppido remanſerant, ad reſtinguendas flammas concurrerent, eos ab ultimo iſto in patriam deflagrantem officio, armis, vulneribúſque arcerent, miſerando prorſus & immani ſpectaculo.

XI. — *Boica vaſtatur.* — *Varia incendia.*

XII. Petiêre hoſtilium copiarum Strategi à Maximiliano decies centena Ferdinandicorum nummûm millia, quibus Boicæ incendia redimeret. Partem ille patriæ charitati libenter, hoſtibus autem gravatè præſtitiſſet, ſi ſe fuiſſent paſſi ad tolerabilem mediocritatem adduci. Monachium, ne obſideretur, ſervavit tum divina manus, eximiâ populi pietate, aſſiduíſque precibus, & repetitâ anni ſuperioris in miſeros charitate exorata; tum loci idoneo præſidio muniti firmitas, & Rouyeri Præfecti fama, & in novis circùm adjiciendis operibus, cæteríſque gnavi defenſoris officijs egregia induſtria, teſtatáque nuper Auguſtæ fortitudo.

Sub ſextam Junij receperat ſe in inferiorem Boicam ad Schardingæ & Brunovij confinia Cæſareo-Bavaricus equitatus & peditatus, parte Bavaricarum copiarum trans Oenum ductâ, ad tutandum littus, ne quà pateret hoſti trajectus. Quod ſupererat militis, vel contractum curabat in munitionibus, vel (quæ fuit aliquot dierum calamitas) per agrum prædas agebat.

Fœderati movent ad Oenum. Waſſerburgum obſident.

Iſta utriuſque amici exercitûs ſeceſſio hoſtem invitavit, ut Iſaræ finibus tantiſper omiſſis, ſigna ad Oenum proferret, quem ſi ſuperaret, nihil habiturus erat obicis, quò minùs totam Boicam devaſtaret, & gradu in ſuperiorem Auſtriam facto, agrorum calamitatem propagaret. Viſum fuit peritioribus temeritati proximum, quòd, nullo adhuc firmo receptu in Boicâ occupato, inter tot fluminum divortia, hoſtis tam longè effuſus ſeſe ſupremo exitio, ſi quâ clade afficeretur, exponeret. Verùm animos faciebat exercitûs copioſi fiducia, quódque videret nihil eſſe ſibi metuendum à paucioribus, iiſque perculſis nuperæ ad Suſmerhuſium cladis, & fœdi à Lyco receſſûs memoriâ.

Ergo

Ergo motis ab Iſarâ caſtris, decimâ quartâ Junij noctem egit ad Hagam arcem principẽ Hagenſis Comitatûs, in quâ occupandâ nullâ vi opus fuit, eò quòd prorſus indefenſa à nullo milite teneretur. Poſtridie duxit Waſſerburgum. Eſt Waſſerburgum civitas mediæ amplitudinis, ſitu tamen, ædium nobilitate, vini frumentíq; commercio ſatis inſignis. Habet arcem ad ſolis occaſum antiqui operis intra mœnium ambitũ, nullo præterea munimento ſpectabilem. Alluitur civitas propè tota Oeno, qui quidem pleno alveo ſe in orbem circumfundit, & trecentorum circiter paſſuum Iſthmo dirimitur, quâ parte occaſum ſpectat. Ex eâdem parte habet collem iminentem arenoſo jugo præruptum, ad cujus radicem unica via eſt, eáque anguſta, quâ datur acceſſus ad portam, idoneis propugnaculis firmiter munitam. Oenum ſternit pons ad meridiem: eundem præaltæ ripæ verſus Orientem & Occaſum coronant. Collem portæ oppoſitum ductis in hemicyclum per ipſius crepidinem ad duos angulos Oeno obverſos, aggeribus, protensiſque à fronte ſubitarijs munitiunculis, quas ducta infernè foſſa, & palorum lorica firmabant, circumſepſerat Joannes Wilhelmus Culerus Protribunus Elterinæ legionis, vir gnavus & magnanimus, qui ante hoſtis adventum civitati præerat, ut arx, mœnia, & portarum parmæ exinde protectæ forent ab hoſtilium tormentorum impetu. Hunolſteinius poſteaquam Brunovij munimentis, & defendendo propinquiori ponti (remotiorem enim, quo ſiniſtrum Oeni brachium ſternitur, Maximilianus ſolvi juſſerat) operam dederat, luſtratis Oeni ſtationibus, datiſque ad eas tuendas muniendáſque mandatis, Waſſerburgum, ubi primum hoſtis tentamen fore proſpexerat, ſubſtitit, ut præſidium ac cives ſuâ præſentiâ animaret. Eodem advenit Truckmillerus cum turmâ ducentorum equitum, quos Memmingâ eduxerat. Addixerant cives omnem opem ad mœnium defenſionem; juſſerat verò Maximilianus, eos præcipuam operam extinguendis, ſi quæ ab hoſte excitarentur, incendijs collocare: colonorum verò centuriatos delectus trans Oenum adeſſe militi, qui vada objectóſque vadis aggeres tuebatur. Cætera agreſtium turba in excitandis ad flumen vallis loricíſque occupabatur, non admodum lubens, ſed, ut fit in ſubitâ conſternatione, timidus & obſtrepens, idque eò liberiùs, quòd ne ipſi quidem Septemviralium rerum præfecti & curatores ſatis forent prompti, vel ad publica defenſionis munia obſequentes; donec Maximilianus, conſtitutâ in oſcitantes vel immorigeros pœnâ capitali, voluit omnes Hunolſteinij imperijs ad nutum obtemperare, quoties ipſis pro communi patriæ ſalute & defenſione mandata impertiret.

XIII.

XIV.

Rebus ad eum modum diſpoſitis, decimâ quintâ Junij aliquot hoſtium turmæ venerunt in conſpectum Waſſerburgi, ſub veſperum ex eâ parte collis, quem diximus civitati imminere. Eo luſtrato, inſpectíſque munimentis, vix quicquam, ne moliendo quidem humum nocte totâ moverunt; quòd nondum ſatis inter eos conveniſſet, eſſetne obſidio admovenda. Locatis nihilominus in vicino caſtris, ad uſque Junij decimum octavum, nullâ tentatâ impreſſione, hæſerunt. Cœperant infeſtis tormentorum ictibus arcis & civitatis tecta verberare, ſed ubi Hunolſteinius illos æneis machinis ex adverſo trans Oenum colle cœpit fulminare, reductis in caſtra tormentis, deſperatâ expugnatione, cepêre de abeundo conſilia. In abitu invaſerunt Hohburgum à viginti duntaxat militibus, & aliquâ agreſtium manu inſeſſum. Milites juſſi tranſire ad hoſtium ſigna: ruſticis impoſita centum Philippæûm multa, duobus pro ſponſione retentis, dimiſſis cæteris ad corradendam pecuniolam: arx nihilo ſeciùs fuit exuſta.

XV.

Dum ſtaret hoſtis ad Waſſerburgum, quadringenti equites Roſenheimium amœnum ac dives, ante hoc bellum, ſed nudum muris oppidum, ex improviſo oppreſſum diripuêre. Statuerant Oeni, qui iſthic eſt, trajectum, occupato ponte invadere: ſed prævenerat Maximilianus, jubens pontem, detractis trabibus & ſublicarum parte diſſolvi.

Roſenheimium diripiunt.

Hoſtis igitur voti irritus, cùm fruſtra Waſſerburgum tentâſſet, caſtra vertit ad Müldorfium. Spectat Müldorfium ad Salisburgenſem Archiepiſcopum, in

citeriore Oeni ripâ. Commodus iſthic eſt per pontē in Boicam ultra Oenanam tranſitus, qui tempeſtivè fuerat ante hoſtis adventum ſolutus. Curârat etiam valida munimenta è regione oppidi conſtrui Maximilianus, qui maturè præſagierat non leve fore ulteriori Boicæ ex eo loco diſcrimen. Habet quidem ea civitas ducta in gyrum, ſed nullo extimo opere protecta mœnia, cæteroqui ab adlabente flumine ad Auſtrum ſatis firma. In ea curabat Salisburgenſe debile, & tanto hoſti ſuſtinendo prorſus impar præſidium. Jam geminus Fœderatorum exercitus erat in propinquo, cùm Strategus uterque binos tubicines miſit ad Magiſtratum, ſciſcitatum, hoſtésne an amicos mallet experiri. Tubicines hoc reſponſi tulêre, Magiſtratum nihil hac de re poſſe ſtatuere, ſed ab Archiepiſcopo habere in mandatis, ut ſi quis ejuſmodi caſus occurreret, reſponſum Salisburgo acciperet, id verò ſe facturum protinus, & ſui Principis mentem die craſtino renunciaturum. Ut tamen hoſtem pacatum ſervaret, per cives curavit vinum, aliáque delinimenta ad caſtra perferri, quæ tum Haslachij habebantur.

MULDORFIŪ OCCUPANT.

XVI. Hunolſteinius, compertâ hoſtis profectione, relictis duabus Cæſarianis legionibus ad tuendum Waſſerburgum, Holtzium & Truckmüllerum caſtrorum Generales propræfectos, hunc cum mille equitibus, illum cum parte peditatûs, in adverſam Oeni ripam juſſit proficiſci, ipſéque eodem ſecutus, ſic partitus eſt ſingularum ſtationum excubias, ut equitatus continuâ ripæ obequitatione, turmis identidem in ſe mutuò adverſo itinere recurrentibus advigilaret, ne quà in obſervatus hoſtis Oenum transmitteret; peditatus verò ex objectis aggeribus & propugnaculis transmiſſionem arceret. Atque hæc quidem agebantur accuratè, dum promiſſis à Cæſare ſuppetijs per Piccolominium Ducem Amalfitanum, qui erat in procinctu, auctus exercitus, plenis caſtris moveret in Fœderaros. Cum humanâ induſtriâ viſum eſt cœlum ad prohibendum Oeni trajectum conſpirare, effuſis per dies viginti, eóque ampliùs, continuis imbribus, ut Oenus alioqui rapidus & profundo alveo præter ſolitum intumeſcens, nec vada præberet ulla, nec pateretur regi rates, quibus hoſtis (ſubductis vel corruptis Maximiliani juſſu cis Oenum navigijs) transmiſſionem moliebatur.

Ille permiſſu Salisburgenſis Archiepiſcopi Müldorfium admiſſus decimo nono Junij, poſtridie cœpit arte novâ pontem moliri. Supererant ex dejecto ponte, in medio amne adhuedum aliquot ſublicæ: credebant artifices, arbores ſecundo alveo delabentes, truncis extantibus adhæſuras, ut exinde fieret reparandi pontis initium. Ergo ſupra Müldorfium, in profluentem inijciunt magnam vim arborum exciſarum, ſed labore irrito: abreptæ enim undarum impetu, fruſtratæ ſunt omnem artificum operam. Hi quidem reficiendi pontis conſilia ſuggerebant; ſed cùm ex oppoſito propugnaculo, Bavarici continuâ bombardarum procellâ in operas fulminarent, & trabes à flumine deorſum raperentur, omnis eorum labor abibat in irritum. Inſigni prorſus animi fortitudine dies noctéſque Franciſcus Comes Fuggerus commiſſas ſibi in ripâ trans Oenum ſtationes tutatus eſt, adeóque Maximiliano Electori ſuam fidem induſtriámque probavit, ut ob generoſā tum hac expeditione, tum alijs per annos aliquot navatam operam, eum ad Ingolſtadiani Gubernatoris dignitatem evexerit. Erat interim diſpoſitus exercitus per adverſæ ripæ crepidinem, vicinóſque pagos longâ ſerie, quæ integrum milliare capiebat ſupra atque infra Müldorfium: habebat etiam, Müldorfij præſertim machinas ex ordine libratas, quibus in adverſum littus fulminabat, ſed innoxio ferè fragore, quòd pilæ vel in munimentorum loricas inciderent, vel caſſis deſtinationibus in altum evolarent.

Litt. Hunolſt. 20. Iun.

TRAIECTUM MOLIUNTUR.

XVII.

E diverſo, ſi quando improtecti hoſtes ad catapultarum jactum comparebant, plerumque ſic grandinabantur, ut bene multati faterentur, ſibi rem eſſe cum peritis jaculatoribus. Cùm ad ipſum oppidum pontis ſtructura non procederet, die vigeſimâ Junij, hoſtes ſub horam ſecundam pomeridianam, ſupra Müldorfium, prope quandam arenariam trabibus infixis ſubitarium opus cœperunt moliri, tormentis juxtà libratis, quæ artifices tuerentur: verùm ubi ſen-

ſere

ſere vim è regione oppoſitam, ſuóſque crebris jaculationibus proſterni, manus ab infauſtâ molitione abſtinuerunt.

Poſtridie Wachenheimius, ſupremus in exercitu Cæſareo vigiliarum præfectus, ſuppetias adduxit Hunolſteinio, & Petræus in horas cum mille alarijs expectabatur. Quamobrem totum Oeni littus ad uſque Salzæ oſtium ſic erat munitum, poſitis ad marginem ſtationibus, & continuis procurrentium equitum vigilijs, ut hoſti foret perdifficile, citra certamen evadere in adverſam regionem. Vigeſimo tertio ejuſdem menſis, Dux Amalfitanus Piccolominius adfuit cum novis auxiliarijs; quo die hoſtis ſic quievit, ut crederetur vel caſtra movere, vel ad aliquam impreſſionem omne ſuarum copiarum robur advocâſſe. Verùm nondum ſpem traijciendi poſuerat, agente præſertim Turrenio, quem urebat vehementer, quòd ipſo authore tum Waſſerburgenſis, tum Müldorfienſis expeditio, tempore tam iniquo, fuiſſet ſuſcepta. Eapropter urgebat acriter tignariæ ſtructuræ artifices in parandis trabibus, quibus triginta rates flumini imponendas conficerent; quem laborem Sueci non immeritò fore inutilem ominabantur: nam & fluminis rapiditas & robur objecti militis, omnem traijciendi ſpem eludebat. Tandem utrique inutilem laborem pertæſi, cùm in horas nimbi magis magíſque Oeni alveum implerent, ſextâ Julij, horâ nonâ ante meridiem Müldorfio relicto, Neomarcum & Eggenfeldam abierunt accenſis ratibus, quas tanto molimine ad trajectum compoſuerant. Neomarci reliquerunt fœda ſævitiæ veſtigia in concrematarum ædium cineribus. XVIII.

Dum hærent in caſtris Eggenfeldenſibus, Marchio Durlacenſis quater mille quingentorum auxilium cum varij generis, tormentario præſertim, commeatu, ipſis adduxit.

E diverſo, vigeſimâ primâ Julij, miſſæ à Cæſare ex Auſtriâ & Bohemiâ ſuppetiæ, transmiſſo ad Vilshovium Danubio, ſeſe cætero exercitui ſociârunt ad Schardingam. Numerabantur viginti duo armatorum millia: è Cæſarianis quidem duodecim, è Bavaricis decem. Vigeſimâ quartâ Julij habuerunt caſtra Fœderatis tā propinqua, ut ab ijs vix unius horæ itinere non longè à Brunovio diſtarent.

Motis inde caſtris, Gallo-Sueci præceſſere Dingelfingam ad Iſaram. Illos noſtri ſecuti divertêre Landavium. Caſtris utrobique poſitis, pontes impoſuerunt Iſaræ. Id temporis Baro Enckevortius in locum Gronsfeldij ſucceſſit.

Poſtridie cal. Auguſti, res malè vertit Truckmillero Generali, & Ulrico Duci Wirtenbergico ſupremo excubiarum Præfecto. E caſtris cum mille circiter quingentis equitibus exceſſerant, fortunam adverſus hoſtem tentaturi. Quâ re cognitâ, Vrangelius cum octo alariorum (ut vocant) legionibus, eos aſſecutus, conjecit in fugam. Dux Ulricus venit in hoſtium manus: Truckmillerus fugâ evaſit. Conſtitit ea velitatio centum quinquaginta Bavaricis capitibus, quæ partim occubuerunt, partim ab hoſte fuerunt in captivitatem abducta. Septimâ Auguſti, Cæſareo-Bavarici caſtra propius hoſtem movêrunt Mammingam, vix unius horæ itinere à Dingelfingâ. Is locus tametſi priore videretur eſſe opportunior, tamen collium ac ſylvarum interjecta ſpatia inſidijs peropportuna, parùm boni ſucceſsûs pollicebantur. Id ſaltem ſperabatur inde commodi, quòd hoſtis, quem jam pabulum & annona deficiebat, arctiùs habitus (rupto præſertim ad Dingelfingam ponte, nec facilè ob profluentis Iſaræ impetum reparabili) tandem foret ad migrandum vel confligendum adigendus. Juſtâ quidem acie decernere detrectavit hoſtis, ſed tamen duodecimâ Auguſti, à meridie, tres Cæſarianas legiones, quæ ad ſylvam è regione caſtrorum Gallo-Suecicorum excubabant, eſt aggreſſus. Eas cùm loco movere nequiret, immiſſis alijs ſuper alias catervis, adductóque tandem univerſo propè equitatu, & magnâ parte legionum, nonnullíſque tormentis; conflictum produxit ad ipſam uſque noctem, quando voti irritus pedem retro ferre eſt coactus, non ſine ſuâ & noſtrorum clade, utrinque ferè pari. Verneriu vigiliarum Magiſter Generalis Cæſarianus vulnus ſecundum tibiam accepit: Legatus

Clades Bavaricorum.

XIX.

Cæſariani caſtra mutant.

Acer conflictus.

gatus Gonzagicæ legionis, & unus præterea excubiarum præfectus, fuêre ſauciati. E Suecis multi ductores, in quibus unus legionis Legatus, duo ordinum ſtructores, octo turmarum Magiſtri, plures turmarum vicarij & ſigniferi, cum non exiguo gregariorum numero occubuêre. Vrangelio Tribuno brachium pilâ diffractum.

XX. Nunciatum eſt inter hæc, ducentos pedites ex Lavingæ & Nordlingæ præſidijs Neoburgum veniſſe, junctóſque ijs, qui agebant in Rhainæ confinio, pontem moliri ſupra Danubium, quaſi Wittenbergica auxilia, quæ in procinctu erant, vel ipſi Fœderati, Iſarâ deſerto, iſthac eſſent trajecturi. Eapropter Dux Amalfitanus, & Baro Enckevortius in id potiſſimùm erant intenti, ut hoſtem, antequam Wittenbergij auxilijs firmior evaderet, ad juſtum certamen prolicerent. Quare decimâ ſeptimâ Auguſti viſum eſt periclitari, poſsétne adduci, ut de rei ſumma decerneret. Habebant Fœderati haud procul à ſylvâ, quæ utriſque caſtris intererat, propugnaculum à centum catapultarijs Mazarinicæ legionis inſeſſum. Credebatur futurum, ut hoſtis exinde ad ferendum auxilium provocatus ſui copiam faceret. Ergo anteaquam diluceſceret, omiſſo ſigno profectionis, ne tubarum tympanorúmve ſtrepitus indicium adventantium agminum faceret, ventum eſt ad Gallicum propugnaculum. Dato ad invadendum claſſico, fit in vallum impreſſio: Franci contrà ingentibus animis obnituntur, donec multitudine obruti omnes, præter ductorem, qui ſauciatus captivas dedit manus, ferro fuerunt deleti. Spes quidem erat, fore ut hoſtis, ſuorum commiſeratione, prodiret extra valla; verùm pereuntium & acceptæ ignominiæ nullâ habitâ ratione, pedem caſtris non extulit, tametſi extimæ ejus vigiliæ, ad ipſam uſque caſtrorum loricam, à Doneppo & Juniore Kolbio Chiliarchis pellerentur.

Centum Galli cæduntur.

XXI. Cognitum fuit id temporis ex Vrangelij litteris ad Sueciæ Reginam, & Carolum Guſtavum Palatinum Comitem, hoſtem ad intercipiendum Vilshofium & Danubij trajectum animum adjeciſſe: quamobrem Maximilianus juſſit locum majore præſidio & adjectitijs vallis muniri, quo factum, ut cùm de eo occupando Fœderati mentem mutâſſent, Donawerdanum pontem inſtaurarent, & duos præterea ſtruerent ad Neoburgum, alterum ferendis tormentis inhabilem, alterum dubiæ firmitatis. Cùm inter hæc Cæſareo-Bavarici in caſtris Mammingenſibus pabulationis difficultate, ob hoſtis propinquitatem, laborarent, nec affulgeret ſpes hoſtem nolentem à Dingelfingâ removendi, rediêre ad Landavium, adulto jam Auguſto.

Cæsareo-Bavarici redeunt ad castra Landaviensia.

Quod effectum dare non potuit armata vis, dedit rerum penuria: cùm enim Fœderati cibariorum inopiâ laborarent, nec frugibus molendis molettrinæ paſſim everſæ, tantæ multitudini pares eſſent; pabulum verò procul conquirendum, & crebro quidem pabulatorum exitio, vel captivitate, jam non modò in hominibus graſſabantur morbi, quos augebat mira pluviarum & cœnoſi ſoli intemperies; ſed etiam jumenta peſtilitate contractâ magno numero interibant.

Fœderati movent Landishutum.

Ergo vigeſimâ ſeptimâ Auguſti fœderati, refixis ſignis, movêre Landishutam, indéque Mosburgum. Abeuntes ſecutæ ſunt quidem aliquot Cæſarianorum equitum catervæ; ſed cùm reliquus exercitus in caſtris Landavienſibus hæreret, nihil fuit actum memorabile. Gravatè tulit Maximilianus eam Cæſarianarum juxtà ac Bavaricarum copiarum cunctationem, quæ ad decimum diem fuit protracta. Etenim ſpatium dabat hoſti, pro arbitrio graſſandi, & quò lubcret, caſtra promovendi. Juſsit igitur quamprimum in eum duci. Id factum quidem, ſed lentè, quòd vererentur Cæſareo Bavarici, ne, ſi Iſarâ tranſmiſſo hoſtis veſtigia premerent, ille per pontem Landishutanum rurſus traijciens, ad Oenum, indéque Paſſavium, inque ipſam ſuperiorem Auſtriam (ubi agreſtes tumultum meditantes haberet ad nutum) ſeſe referret. Cunctationi acceſſit recuperatio arcis Ahemiæ, quæ tamen non credebatur eſſe tanti momenti, ut utrumque exercitum diſtineret. Evenit interea, quod Maximilianus præſagierat:

Variæ cunctationes.

XXII.

rat : Hoſtis enim ad Mosburgum inter Ambronis & Iſaræ confluentes caſtra ſic firmavit, ut, tametſi quàm maximè voluiſſent noſtri, eum citra certum diſcrimen aggredi nequirent. Ille interea dirè graſſatus eſt rapinis, incendijs : Erdingam, quod jam dixi, contra pacta conventa, addictámq; immunitatem, flammis exuſſit.

Eam rem Maximilianus, datis vigeſimâ ſecundâ Septembris ad Enkevoertium litteris, graviter fuit inſectatus, eò maximè, quòd hoſtis ſineretur belli ſedem in Bavariâ figere, vaſtare omnem regionem, Cæſariano juxtà ac Bavarico exercitui annonam intervertere, habere liberum regreſſum ad Oenum, dum noſtri Vilsbiburgi tempus ſedendo conſumerent. Atqui Duci Amalfitano non videbatur conſultum, ulteriùs Cæſarianas copias movere, ne à Bohemiâ & hæreditarijs Provincijs longiùs abductæ, Auſtriacas ditiones hoſti apertas relinquere viderentur: & verò Dux aſſerebat, priùs oportere decernere, an hoſte è Bavariâ ſubmoto, Bavaricæ copiæ Cæſarianas in Bohemiam, vel quò belli ratio & Cæſaris voluntas vocarent, eſſent ſecuturæ: arguebat etiam nonnullas annonæ anguſtias, tametſi tantæ adhucdum in agris ſtarent ſegetes, ut nullo propè negotio exercitui proſpici poſſe videretur; dum adverſo Oeno atque Danubio ex Auſtriâ (prout antè convenerat) cibaria adveherentur. Hæc tametſi remoram Cæſarianis injicerent, evicêre tamen Maximiliani litteræ, ut demum vigeſimo octavo Septembris uterque exercitus Vilsbiburgo diſcedens, primis caſtris Dorfium attigerit, uſque eò incommodâ viâ atque nimboſâ tempeſtate, ut impedimenta & curules machinæ non niſi poſtridie ad caſtra convenerint: itum hinc in buſta Erdingæ concrematæ. CAUSÆ CUNCTANDI.

Hoſtis, compertâ Cæſareo-Bavaricorum profectione, veritus, ne intercepus Iſaram inter & Lycum, in devaſtatâ regione clauderetur, mox exeunte Septembri, Landishuto unà cum arce relictis, & tribus pontis ſublicij jugis incenſis, ſe recepit Friſingam, unde patentem ad Lycum campum haberet. HOSTIS SE RECIPIT FRISINGAM. XXIII.

Poſteaquam ad uſque Calendas Octobris noſtri Erdingæ ſubſtiterant, indicta erat in ſequentem diem profectio; cùm rurſus à Duce Amalfitano mora injicitur. Enimvero Wittenbergium, Crumlovio in Bohemiâ direpto, Comitem Buchemium Generalem caſtrorum præfectum, Pragam cum ſexcentis alarijs contendentem, ex itinere profligatum, unà cum Meutero ſupremo vigiliarum magiſtro, & Tribunis Rentio & Naſſo captivos feciſſe; Colonos ſuperioris Auſtriæ rurſum novas res moliri fiduciâ promiſſi à Vrangelio auxilij: id ſi à Wittenbergio acciperent, totam Auſtriam, omnem tractum Danubij, ipſámque Bavariam trans Oenum venturam in ſupremum diſcrimen: quas ob res videretur adhuc differenda profectio. Et dilata quidem fuit, donec venêre rurſus à Maximiliano mandata, nihil ultrà cunctandi. Videri enim hoſtem id agere potiſſimùm, ut præſidio aliquo occupato, in Bavariâ figat pedem, bellúmque ultrà propaget. Ad eam rem ſoluto Neoburgenſi ponte, ipſum ad Botmeſſam evocâſſe, quæ Neoburgi adhuc hæſerant, copias, earum operâ haud dubiè in aliquâ non contemnendâ molitione uſurum. Quòd ſi Monachio, Landſpergæ, vel alteri cuipiam præſidio admoveat obſidionem, debere utique in propinquo eſſe auxilium, anteaquam caſtra poſſit communire. Cætera pendere ex ipſius motu.

Valuit iſta Maximiliani proviſio, ut quarto Octobris Erdingâ Monachium verſus caſtra moverentur. Tempeſtivum prorſus fuiſſe id conſilium, docuit fortunatus eventus. Friſingâ Vrangelius Dachavium ſeſquitertio à Monachio milliari diſceſſerat. Iſthic animi causâ hærentem inceſſit deſiderium venandi cervos, qui magno numero in propinquo ſolent ſtabulari. Dedit iſta res occaſionem bellicæ venationi. Eſt inter Monachium & Dachavium, haud procul à Feldmachingâ pago, nemus, in quod, more gentis, feræ gregatim à venatoribus, & auxiliari militum operâ intra plagas è longinquo per longam indaginem & ambages coactæ, Vrangelij adventum præſtolabantur. Solent enim, ubi extra ſylvam Principes, aliíve viri primariæ dignitatis, ad quos peculiari jure ſpectat CÆSAREO-BAVARICI MONACHIŪ VENIUNT. XXIV. VRANGELIUS IN VENATIONE CLADEM ACCIPIT.

venandi

venandi poteſtas, conſtitêre, cervi à canibus exigi intra teli jactum, quibus nulla patet via extra plagas evadendi, niſi per anticam, quæ Principibus eſt à tergo, quæque contractis poſt ramalia ſiparijs, ſolet aperiri, cùm feræ prodeunt, vel claudi pro arbitrio, cùm prætergreſſæ jaculatores, ictus evitârunt, & jam propè in eo ſunt, ut elabantur. Tenet complures aliquando horas iſte ferarum procurſus & recurſus, donec ad unum omnes (niſi ſi fortè quam agilitas ſalientem ultra plagas extulerit) conficiantur. Non latuit iſta Vrangelij oblectatio noſtros duces, quippe quæ debuerat pridie magnâ hominum frequentiâ comparari. Ergo ſtatuunt, tam expeditam hoſtis invadendi occaſionem negligi nullo pacto oportere. Agebatur dies ſextus Octobris, cùm equitatum per Monacenſem pontem ducunt trans Iſaram in ſubjectam planiciem, quæ ad occidentem ſolem eſt è regione Monachij, tali ſitu, ut interpoſitâ ſylva, & ſparſi per

XXV. campum dumi omnem exercitûs conſpectum hoſti adimerent. Pòſt ubi per exploratores conſtitit, Vrangelium cum Duglaſſio caſtrorum Generali legato, cum Hornio ſupremo ordinum magiſtro, aliiſque primæ dignationis ductoribus, venationi totum incumbere, diſpoſitis ad ſui cuſtodiam quater mille alarijs, noſter equitatus in duas alas partitus, quarum dextram è Bavaricis compoſitam ducebat Enkevoertius, ſiniſtram è Cæſarianis, Joannes Werthius ſupremus equitum magiſter, cœpit ita inobſervatus movere, ut priùs opprimeret, locóque pelleret Suecos excubantes, quàm de ejus adventu Vrangelius quicquam vel ſuſpicando cogitaret. Fit igitur effuſa fuga, cæduntur ab inſtantibus terga fugientium, ſternuntur & capiuntur magno numero. Vrangelius amiſſo gladio, pedeſtri fugâ per vicinam paludem ægrè admodum evaſit. In captivorum numerum venêre quatuor legionum legati, duo Vrangelij, quorum unus frater Archiſtrategi: Hornius unus junior. Retulêre victores tria ſigna equeſtria, & equos quàm multos. Clades univerſa credita eſt non omnino ad mille capita pertinuiſſe: certè non fuêre inter occiſos ultrà ducenti; captivi haud paulò plures. Fuit in poteſtate alæ ſiniſtræ fugam ſic intercipere, ut vix ullus evaderet, ſic erant inter paludem & equitatum noſtrum, viarúmque anguſtias deprehenſi: ſed nondum reſederat Werthij iracundia, memoris adhuc nuperæ à Maximiliano defectionis, & acceptæ ignominiæ. Nunquam tutò ſalus cuiquam committitur, qui vel ſemel in eam conſpirârit: nec ſanè ejus operam admiſiſſet Maximilianus, niſi fuiſſet tempori & neceſſitati parendum. Didicit nihilo ſeciùs hoſtis, ſuas excurſiones, quibus Weilheimium uſque ad Alpium Bavaricarum promontoria graſſabatur, continere, tum maximè, cùm advertit, ſuos pabulatores in diſcrimen

Hostis Bavaria excedit. ex eâ parte ob diſpoſitos circùm defenſores venire. Tandem etiam poſt conſumptam graſſationibus & irritâ expeditione æſtatem, de omittendâ Bavariâ ſeriò cogitavit. Ut tamen ſui ad poſteros luculenta monumenta transmitteret,

XXVI. Grassatur incendiis. antequam diſcederet, perrexit colonos vexare incendijs, quæ in Dachavienſi præfecturâ fuêre frequentia, tametſi ejus immunitatem, accepto grandi redemptionis ære, addixiſſet. Ad Scheiringam iſta quoque calamitas pertinuit, quippe quam hoſtis, paucis domibus exceptis, flammis exuſſit. Merces ea fuit hoſpitij, poſtquam iſthic diverterat, dum ſe ad Lyci trajectum pararet. Illac duodecimâ Octobris in adverſum littus copias cùm traduxiſſet, Sueviæ Munchingam, nondum ſatur incendiorum, unà cum Mittelſtadio & cæterâ paſſim regione, miſerè vaſtavit. Inde ſecundum Auguſtam profectus, ſigna vertit ad Donawerdam, Danubium transmiſſurus per geminos pontes, quos recèns acceptis ab Ulmâ navigijs curaverat inſtruendos. Potuiſſet vi majore ad diſceſſum urgeri, poſtquam Lycum trajecerat, niſi obſtitiſſent res Bohemicæ, quæ Cæſaris copias ad ſe revocabant. Quare non eſt viſum è re communi, ſi miles Cæſareus, Lyco trajecto, ſic diſcederet à Danubio, ut hoſti nequiret prævertere, ſi is fortè caſtra moveret in Bohemiam ad arma Kœnigsmarckio & Wittenbergio ſocianda. Atque hæc quidem non immeritò: neque enim adhuc conſtabat, quorſum tandem hoſtis eſſet erupturus.

Id

Id primùm cœpit patere, quando ſub medium Octobrem Vrangelius Donawerdam, Turrenius verò Lavingam diverſis caſtris abiere, copijs hinc inde ad quietem capeſſendam ad Danubium diviſis. Poſteaquam Vrangelius duas hebdomades Donawerdæ prætoria ſtativa habuerat, Nœrdlingam diſceſſit. Calendis Novembris, uterque Fœderatorum exercitus motis caſtris abijt ad hiberna, Sueci in Franconiani, in Epiſcopatum Eiſtattenſem, in agrum Norimbergenſem, Culmbacenſem, Saxo-Altenburgicum, Hennebergicum, Anſpacenſem: aliò Galli in Tubingenſem tractum, aliáque loca Wirtenbergiæ, ínque regiones Neccaro & Mœno confines. Sic Deo viſum, ſævam iſtius anni tempeſtatem à Boica removere. CONCEDIT IN HIBERNA.

XXVII. Cùm nondum hoſtium conſilia ſatis eſſent perſpecta, Cæſariani ponte nautico, Bavarici verò urbico, Ingolſtadij Danubium transmiſère vigeſimâ quartâ & vigeſimâ quintâ Octobris. Vix quicquam inter hæc memoratu dignum interceſſit, niſi quòd Lanavicæ legionis vigiliarum Magiſter, factâ in hoſtem excurſione cum delectâ equitum manu ex Weiſſenburgenſi & Wiltzburgenſi præſidio, haud procul ab Oettingâ nongentos Suecos fudit, centum quinquaginta cepit, occidit in loco ferè quinquaginta, reportavit duo ſigna equeſtria. Occubuit tamen ipſe fortiter pugnans, victoriæ immortuus, plurimúmque à ſuis deſideratus. Pari propè felicitate legatus Doneppicæ legionis cum centum duntaxat alarijs, haud longè à Feuchtwangâ quadringentos ex hoſte devicit, captivóſque ſeptuaginta quinque Weiſſenburgum abduxit. In eo conflictu idem ille grave vulnus accepit, quod letale eſſe credebatur. Sub hæc pax Monaſterij publicata tandem tot certaminibus finem impoſuit, Deo diuturnas Germaniæ calamitates miſerante. Rebus ergo in tranquillitatis futuræ ſpem erectis, Maximilianus exercitui hoſtilia interdixit, & Saliſburgo vigeſimâ die Octobris diſcedens, Waſſerburgi dies omnino quindecim moratus, reverſus fuit Monachium ad decimamſeptimam Novembris. Eodem anno vertente Venetæ Reipub. Orator appulit, cum Maximiliano acturus de Bavarico milite Reipublicæ transſcribendo adverſus Turcas. GEMINA FŒDERATORUM CLADES.

XXIIX. Dum iſtis, quos deſcripſi, motibus Bavaria agitaretur, Sueci in Bohemiâ & Sileſiâ, Haſſi in Weſtphaliâ, ſuis partibus non defuerunt, ne cui provinciarum poſtremo hoc bello implicitarum, per hunc annum quietæ eſſe liceret. Bohemiam infeſtandam ſibi ſumpſit Kœnigsmarckius, poſtquam à Turrenio & Vrangelio ſejunctus, per Palatinatum locáque finitima arma circumtulerat. Ergo Neoforum à Bavaricis deſertum, paucis defenſoribus, occupat: inde movens in Ambergæ conſpectum, ſatis habuit ſe oſtentare, & vicem reponere aliquot æneárum machinarum ictibus, quibus è civitate fuerat ſalutatus. Kemmatum prætergreſſus, Weidam inijt, invaſit Hirſchauiam, atque ex finitimis corraſam annonam Egram invexit. Subinde Cæſarianos ſubmovit ex arcibus, è quibus Egra clauſa tenebatur, idque ſine vi, cùm illi Waldſachſo, Wohnſidelâ, Leoſtenio ſeſe tempeſtivè ſubduxiſſent. Brixæ quoque intulit commeatum, Cadenam aliáque circùm loca diripuit, Kemmatum redux ſubegit, flexóque in Franconiam itinere, Guntzenhuſium trans Almonem contendens, redijt in caſtra Gallo-Suecica paulò pòſt quietis aliquid ſuis copijs daturus in Wittenbergiâ & Sueviâ. Poſt Suſmerhuſianum conflictum, de quo ſuperiùs, Danubio Lavingæ ſuperato, ſecundum Nœrdlingam redijt in Palatinatum moturus in Bohemiam, ubi ſuas copias Wittenbergicis ſociaret. Eò priuſquam proficiſceretur, Weidam, loci genio cæteroqui valde opportunam, novis operibus, importatâ annonâ & neceſſario belli inſtrumento, egregiè munivit. Naburgo, Schwandorfio, aliiſque circum Ambergam locis præſidia impoſuit ex milite, quem è Turingiâ & Miſniâ evocârat. Ad eum modum magnam Palatinatûs partem reddidit vectigalem. Tum ad Waidhuſium per ſylvam Bohemicam progreſſus, Epiſcopo-Deiniziam lytro quinque millium Imperialium multavit, Tauſſum, Glattoviam, Schuttenhofium, aliáque loca partim ære, partim direptione emun- KŒNIGSMARCKIUS PALATINATUM INFESTAT. MOVET IN BOHEMIAM. BISCHOFS-DEINITZ.

XXIX. xit. Ad ipſum duo armatorum millia Erfurto, Lipſiâ, & ex Anhaltino principatu, id temporis acceſsêre, qui in tranſcurſu, Regiowerterâ munitione exciſâ, Dachavium invaſerunt. Egrenſes Petſcham arcem occupârunt: Falckenaviam arbitrariâ deditione occupatam concremârunt. Regreſſus poſthæc Kœnigsmarckius in Palatinatum, ſubactâ Falckenbergâ, decimâ tertiâ Julij Waldecam arcem ſuæ ditionis fecit.

VARIÆ CLADES BOHEMIÆ.

Sub hæc celeriter reverſus in Bohemiam, Pilſenſium regionem, ipſámque civitatem & equeſtrem Ordinem, metu peſtilitatis paſſim in agro degentem, immanibus exactionibus, expilatione, & abigeatu vexavit: ad invadendam Pragam dehinc adjecit animum.

KŒNIGSMARCKIUS PRAGAM INVADIT.

Eum non latebat, vaſtam illam tergeminam civitatem totius Bohemiæ principem exiguo præſidio remiſsè oſcitantérque teneri. Coloredus, qui pro Cæſare locum gubernabat, ob populi frequentiam, & imbecillas Kœnigsmarckij vires, nihil minùs quàm vim aliquam metuebat: vulgari videlicet errore, quo, quæ potentiora ſunt, hoc ipſo ſecura eſſe cùm creduntur, omnium ſunt intutiſſima. Kœnigsmarckius hâc uſus ſecuritate, rem aggreſſus eſt vigeſimâ ſextâ Julij. Expediendæ rei conſilia, modóſque ſuggeſſit Odowaldus Streitbergius vir fortis, & Pragenſium rerum apprimè gnarus. Is viginti trium annorum in Cæſaris obſequio egerat ſtipendia. Dextro brachio ad Plaviam in prælio velitari adverſus Bannerum confracto debilitatus, impetratâ ab Archiduce Leopoldo miſſione, ab anno milleſimo trigeſimo nono, curato vulnere, vitam in agro coëmpto non longè ab Egrâ ad uſque annum milleſimum quadrageſimum octavum toleravit.

Schled. ad an. 1648.

XXX. Egrâ, in quam ipſe ſe receperat, per Kœnigsmarckium occupatâ, dimiſſus abſque lytro, cùm vaſtatâ, quam excoluerat, domo, fortuníſque cæteris exutus, penè rediîſſet ad incitas, poſt ſemeſtrem apud Cæſaris Quæſtores in donativi, quod Cæſarea benignitas ipſi conceſſerat, quotidianâ flagitatione fruſtra poſitam operam, rei melioris deſperatione conceſſit ad Suecicas partes, admiſſus à Kœnigsmarckio. Idem ille invadendæ Pragæ non author modò, ſed & potiſſima pars fuit; tanti refert homines ſtrenuos ſervare, & benignè habitos demereri.

Memorabilis expeditionis hæc fuit ſeries. Vigeſimâ quintâ Julij Kœnigsmarckius, relictis Raconizij impedimentis & bellico inſtrumento, non multò ante meridiem profectus, tribus ante ſolis occaſum horis, cum ſuis copijs pervenit in ſylvam ad Doboritzum pone viam regiam, tertio à Pragâ milliari. Iſthic deliteſcens, advocato in conſilium Odowaldo, rei gerendæ ordinem conſtituit, eidémque, utpote authori impreſſionis adgrediendæ, attributis centum duntaxat ſclopetarijs, primas demandat. Volmaricæ legionis legato cum trecentis armatis, & Coppio Tribuno cum cætero peditatu juſſis ſubſequi. Equitatum poſt principia ducebat Kœnigsmarckius: iſto ordine, ſub noctem mediam, venêre in Album montem, ubi Kœnigsmarckius audito antelucanæ comprecationis apud PP. Capucinos ſigno, de rei eventu trepidus, ſuſpicatúſque monitos eſſe de ſuo adventu Pragenſes; *En*, inquit, *in urbe indicium concurrendi ad arma.* Reponit Odowaldus, convocari ad preces matutinas Religioſos; brevi in ſingulis Monaſterijs ære campano datum iri, uti mox factum, ſigna conveniendi, nihil proinde agi in urbe militare.

Ergo tecti nocturnis tenebris, ſilentio ſuccedunt haud procul à Pragæ mœnibus: Kœnigsmarckius cum equitatu pedem figit in agro prope buſta pagi

XXXI. aliàs concremati, ad jactum tormenti muralis. Jam ſonuerat hora poſt noctem mediam ſeſquiſecunda, cùm datum eſt initium impreſſioni. Odowaldus cum ſuâ centuriâ poſt PP. Capucinorum Cœnobium inter duo valla prægreſſus, inclamatúſque ab excubitore, evadens in aggerem, binos vigiles unà cum excubitore in imum deturbat: eâ re territus proximi ad lævam propugnaculi ſpeculator, fugam arripit: ille verò rectà movens ad portam, ſic oppreſſit excubias, ut non fuerit antè obſervatus, quàm omnes adhuc ſemiſomnes obtruncaret. Tum disjectis longurionum repagulis, effractis foribus, demiſſo ponte ſubductario,

ctario, relictâque ad portam cuſtodiâ, provolat ad ſocios, qui tum adhuc ſtabant pone hortum Schlickianum. Hi confertim infuſi involant in urbem, occupant forum, ſternunt obvios, turrim ad pontem invadunt. Kœnigsmarckius cum equitatu ponè ſecutus militares ſtationes & munimenta, Ratſchinum arcem regiam, reliquámque Parvæ Civitatis partem invadit.

Praga, quod jam antè monui, diviſa eſt in tres civitates, Veterem, Novam, Parvam. Hæc ſita ad flumen Moldavum, interpoſito ponte lapideæ ſtructuræ, Veteri jungitur. Nova, quæ olim à Veteri muro dirimebatur, tametſi nomen & peculiare regimen retinuit, hodie tamen in una quaſi mœnia videtur coiviſſe. In parvâ Pragâ eſt Ratſchinum ſedes regia: ſunt, ob vicinam Regiam, magnifica Procerum palatia, ædes amplitudine & formâ nobiles, multæ opes, civium locupletum domicilia. Eſt præterea regium armamentarium. Hæc omnia in Kœnigsmarckij poteſtatem redacta: ædes patuêre direptioni. Prædam ingentem collegit miles: Kœnigsmarckius incredibilem opum, rerúmque nobiliſſimarum theſaurum congeſſit. Aderant id temporis in urbe devictâ XXXII.
permulti, iique primariæ dignitatis Regij pro Cæſare præſides, aderant Bohemiæ Optimates, & magna multitudo nobilium: aderat ipſe Cardinalis Harachius, Præſules alij. Hi omnes captivorum more cenſi, immane quantum lytrum Kœnigsmarckio pependerint. Coloredus ægrè evaſit in civitatem Veterem per poſticum, cùm hoſtis ipſius contubernij fores jam emoliretur. Trepidabant metu hoſtis imminentis geminæ, Vetus videlicet & Nova civitates, in quibus, ut fit in rebus ſubitis turbatíſque, plus terroris, quàm conſilij.

Praga Vetus et Nova egregie resistunt Kœnigsmarckio.

Conſternatos tamen erexit ad fiduciam, & arma capienda Coloredus, qui civibus ac milite per omnes civitatum aditus, præſertim verò ad Moldavum, & ad pontis cuſtodiam per certas ſtationes diſpoſitis, hoſtem ſuâ alioqui uſurum victoriâ, cœpit cohibere intra ambitum Parvæ civitatis. Kœnigsmarckius contrà protractis è Ratſchino machinis, geminam plagam verberare, per pontem moliri aditum, facere crebras impreſſiones, nihil relinquere intentatum, quo ceterâ Pragâ potiretur. Sed incaſſum hæc omnia. Commodùm Comes Bucheimius, factus de re totâ certior, poſtridie ſub veſperum, laborantibus auxilio accurrit cum aliquot turmis equitum. Eodem die non civis modò, ſed etiam, quicunque ferendis armis erant habiles, ex urbanâ & litterariâ juventute, ſub ſuis quique ſignis fuêre recenſiti, diviſique in certas ſtationes: libratæ etiam in hoſtem, ex turri præſertim, quæ pontem protegit, machinæ grandiores. Crevêre ex eâ die in immenſum propugnatorum animi, & tanta omnium emicuit totâ obſidione alacritas, ut occulto quodam genio velut nati factíque ad militiæ munia non impelli, ſed ultro ferri viderentur. Kœnigsmarckio auxilia adduxit Wittenbergius: idem vertente Julio, octo curulibus machinis mœnia veteris civitatis, quâ parte credebat eſſe debiliora & opportuniora invaſuris, inſtituit acriter arietare. XXXIII.
Edidit quidem aliquam ruinam; ſed cùm loricam aliáque munimenta extima, adhuc à viris fortibus magnis animis, & non impari numero defenderentur, nihil auſus ultra tentare, ſubductis tormentis, totâque obſidionis procuratione Kœnigsmarckio relictâ, trans Moldavum Regio Salam abijt, inde, ſi res poſceret, Cæſareas ſuppetias urbis aditu prohibiturus. Subinde arcem Canopiziam præſidiariorum ignaviâ deditam accepit: pòſt Taborem civitatem prævalidam ſeptidui obſidione expugnavit: demum ad Pragam reverſus, Moldavum intra Judæorum oppidum ponte ſtravit, caſtris ad novam veterémque civitatem locatis, in quibus novas Caroli Guſtavi Comitis Palatini è Sueciâ ſuppetias, quas ille ad octo millia ſub quintum diem Octobris adduxit, opperiretur.

Kœnigsſaal.

Wittenbergius Taborem expugnat.

Urgebat interea Kœnigsmarckius Pragenſes tormentorum jaculatione, & ſphæris incendiarijs; & quò ipſe magis eſſet extra periculum, parvam civitatem, ipſámque arcem, ductis adverſus cæteram Pragam foſſis & aggeribus munivit: obſeſſis contrà tanto ardore obſiſtentibus, ut ad ineuntem uſque Novembrem

omnes

omnes incurſus, cuniculos, cæteróſque hoſtis conatus fortiſſimè ſint fruſtrati, donec pax Monaſterienſis ſub id tempus certamen omne diremit.

RES A WITTENBERGIO GESTÆ IN SILESIA.

Wittenbergius, antequam Pragam veniret, uno circiter menſe in hibernis per agrum Gloggovienſem in Sileſiâ exacto, adulto Januario cœpit excurſionibus & prædis regionem habere infeſtam. Direptum Leodovitzum municipium Olomucenſes præſidiarij incenderunt: alia circùm loca expilârunt: Dohnavium legionis vicarium captivum duxerunt Olomuzium. Ex eodem præſidio, Forgelius Chiliarchus cum non admodum magnâ equitum manu, ſibi ſumpſerat opprimendam Sartorij Cæſariani Chiliarchæ legionem: verùm incidit ipſe in Sartorij manus, à quo ſic fuit exceptus, ut multis in loco amiſſis, ipſe unà cum Müllero turmæ præfecto, aliiſque octoginta quinque victus, captúsque duceretur.

Schneider. CLADES SUECORUM.

XXXIV. Olomucenſes Sueci intra loca cætera, Meſerizium civitatem in finibus Wallachiæ ſibi fecerant vectigalem: cùm cives id onus detrectarent, Wittenbergius vim ſtatuit adhibere. Tum cives adſcitâ in auxilia Wallachorum manu vim opponere, Suecos aliquot mœnia ſubeuntes conficere: quæ res eis malè vertit: nam Wittenbergici, factâ in muros impreſſione, oppidanos ſuperant, ſexaginta obtruncant, direptáſque domus redigunt in cineres ad terrorem cæterorum, quibus edicto publico ultima ſeveritatis exempla, excidium, cædes, incendia ſunt comminati, nî forent in repræſentandis collatitijs penſitationibus & hibernorum ſubeundis oneribus prompti & obſequentes. Ipſorum legiones magnam partem hibernabant Jagerndorfij, Leobſchutzij, Olaviæ, Oelſæ, Javeræ, Hiſſenbergæ, Gloggoviæ: Cæſariani verò Troppaviæ, Nambslaviæ, Nenſij, Lignizij, Schweinitzij, Braunæ, & Glazij.

WITTENBERGIUS BRAUNAM INVADIT.

Wittenbergius ſub ineuntem Majum, luſtratis ter mille circiter armatorum ad Javeram copijs, relictis id loci curulibus tormentis, feſtinato per noctem itinere Braunam maturavit. Diſtat Brauna quatuor milliaribus à Glazio in Bohemiæ finibus. Illò pervenit primo manè: nec mora, ſcalis muro admotis, evadens in oppidum, centum triginta Cæſarianos compulit ad deditionem, civium ædes ſpoliavit, vicina ædificia incendit, Camezium Monaſterium, oppidum Franckenſteinium rebus omnibus exuit, demum cum non exiguo armento multâque prædâ Gloggoviam revertit.

XXXV. Dies Maij undecimus inter nefaſtos fuit Devagio, in ſuburbio Troppavij. Iſthic cum ſuâ legione, & duabus ferentariorum equitum vexillationibus, noctem agebat; quando ſub ejus conticinium à Wittenbergicis oppreſſus, non mediocrem cladem accepit. Superatis enim vigilijs, & occupato ſuburbio, ipſe quidem cum paucis ductoribus evaſit in urbem, ſed potiſſimam ſuorum partem, quà cæſos, quà captos, cum quater mille Philippæis, & quod ſuperat, amiſit. Hanc cladem cumulârunt binæ paulò pòſt illatæ à Comite Werbio, qui nuper à Cæſarianis ad Suecos defecerat. Is non niſi viginti tribus alarijs ſtipatus, primùm è quadraginta Devagianis, quintâ Junij, haud procul ab Oppelâ, triginta duos unà cum ſuo ductore, fecit captivos; deinde luce poſterâ, cum ſeptendecim duntaxat equitibus, ſexaginta alios ex eâdem legione oppreſſos, victóſque, propè omnes in ſuam poteſtatem redactos, Leibſchwitzium protraxit.

CLADES CÆSARIANORŪ IN SILESIA.

Nonnihil eas clades ultus eſt Valentinus Cæſarius, quando ducentos Suecos equites in Hallenſi ſuburbio devicit, capto legionis vicario, cum uno centurione, multiſque alijs, quos unà cum opimâ prædâ duxit Lignitzium.

Wittenbergius porrò, cùm Glazenſem agrum, Javerenſem, Schweinitzenſem, Briegenſem, & Oelſanum gravibus exactionibus & indigenarum captivitate vaſtâſſet, junctis Mulleri ſupremi ordinum ſtructoris ſuppetijs, ſex millium armatorum auxilium ad Strelam recenſitum, Kœnigsmarckio in Bohemiâ ſociavit. Cætera per eum geſta paulò antè digeſſi in ordinem.

RES PER LAMBOIUM GESTÆ.

XXXVI. Non premam ſilentio Guilielmi Baronis Lamboij varijs fortunæ caſibus memorabilem in Weſtphaliâ, lociſque finitimis expeditionem. Imperabat ille exercitui Weſtphalico: Joanni Geiſſio ſupremo excubiarum magiſtro (poſteaquam

eaquam Rabenhauptius, impetratâ miſſione, ab armis diſceſſerat) Haſſicarum copiarum imperium cum legati Generalis poteſtate ab Haſſo-Caſſellanâ Landgraviâ erat demandatum. Lamboius ad uſque ſeneſcentem Januarium Coloniæ Agrippinæ diverſatus, cum aliquâ militum manu diſceſſit in Weſtphaliam. Exinde cum tribus circiter legionariorum & alariorum millibus Sigenam contendit, quaſi in Turrenium Vice-Comitem aliquid porrò tentaturus. Ea res Haſſicum equitatum à Suecis, qui menſe Februario in ſuperiorem Germaniam movebant, ad domeſtica pericula revocavit unà cum Guillielmo Haſſiæ Landgravio. Nihilominus Lamboius, nondum finitâ hieme, Giſecam obſedit, in quam ſe Geiſſius cum tribus circiter armatorum millibus receperat, relicto Lipſtadij, ex curatoris rei tormentariæ negligentiâ, pulvere nitrato, qui dum poſtea Giſecam veheretur, fuit per Cæſarianos interceptus. Habebat in caſtris Lamboius ad ſex mille viros; non magnum quidem adverſus tot Haſſicos propugnatores numerum, ſed eò fidentiores, quòd obſeſſi nihilo plus haberent pulveris igniarij, quàm quantum ſinguli de catapultarijs balteis circumgeſtabant. Ergo Lamboius, ductis pro portis in transverſum, ad prohibendas eruptiones, aggeribus, accitâq; quoad licuit, è vicinis præſidijs, majore militum manu, acriter mœnia cœpit verberare, edere latam ruinam, ſphæras incendiarias in tecta jaculari, reprimere erumpentes, ultima quæque tentare. GISECAM OBSIDET.

XXXVII. Verſabantur obſeſſi in magno diſcrimine, cùm Santandrius Lipſtadij gubernator, mirâ felicitate, per omnino inobſervatos equites, ſub naſcentem auroram, quinque millia ſulphurati pulveris pondo laborantibus ſubmittit, tempeſtivum quidem ſubſidium, ſed quod non omne periculum removebat. Premebantur enim Haſſi equites pabuli inopiâ, jámque annona fiebat anguſtior, quàm ut obſidio diu poſſet tolerari. Accedebat creber jactus ignium miſſilium, & muri latè quatefacti ingens hiatus. Ergo Geiſſius conſilium init de ſubducendo equitatu. Id quò faciat tutiùs, emiſſo cum viginti alarijs ſignifero, Santandrio ſignificat, poſſe ſe cum turmis periculo eximi, ſi equitatus, qui poſſet ex Haſſicis præſidijs colligi, Holſteinianam ſtationem à tergo, obſeſſi verò ex urbe erumpentes à fronte ſimul aggrederentur. Dies dicta eſt huic impreſſioni vigeſima quinta Martij ſub diluculum. Quingentos auxiliares duxit Princeps Erneſtus Haſſiæ Landgravius, qui Lamboij tota ferè caſtra obequitans, cùm nullis exploratorijs excubijs occurriſſet (tam remiſſa erat caſtrorum cuſtodia) progreſſus ad Holſteiniam ſtationem, extimas vigilias rejecit in caſtra. Nactus inter hæc Princeps Holſteinius tantum temporis, ut ſex turmas irrumpenti opponeret, poſt forte certamen nihilo ſeciùs à ſtatione dimovetur. Geiſſius, qui ex condicto cum omnibus turmis ad portam ſtationi objectam ſignum eruptionis expectabat, audito ſcloporum fragore, è civitate prorumpit, ſed ob portæ anguſtias, contractis ordinibus, & longo lentóque filo, cùm nondum diluxiſſet, viæ dux ſive metu turbatus, ſeu fallentibus tenebris, Geiſſium ſic ducit per locorum anfractus ad paludes, ut hinc viarum & cœnoſæ uliginis profundo, inde Lamboij loricis prohibitus, ſe Landgravio nequiret ſociare. Penetravit quidem in vicinum pagum Neohuſium, unicâ duntaxat turmâ à Lamboianis interceptâ, & concisâ; ſed Landgravius, cui ex condicto ſtandum erat in occupatâ ſtatione, donec Geiſſius adveniret; inter hæc à Lamboiano equitatu circumventus, cùm ob paludem & interceptum exitum, ad Geiſſium nequiret pervadere, à multitudine tandem obrutus, venit in Lamboij poteſtatem, unà cum turmis, è quibus vix centum equites evasêre; Geiſſio cum cætero equitatu in tutum elapſo. LAMBOIUS ERNESTUM HASSIÆ LANDGRAVIUM PROFLIGAT.

XXXVIII. Eo lætus ſucceſſu Lamboius urget obſeſſos ad deditionem. Eam cùm illi detrectarent, rem vi aggreditur, dato claſſico ad generalem incurſionem. Verùm cùm dies eſſet perquàm fœdus copioſis imbribus, eóque humus lutoſa ac lubrica veſtigijs ſe præberet labilem, ſimul propugnatores magno numero, nec minoribus animis ſubeuntes exciperent, poſt aliquot horarum dimicationem cum quadringentorum cæde rejectus, ſolvit obſidionem exercitu tempeſtatis injurijs non medioci- LAMBOIUS A GISECA DISCEDIT.

diocriter imminuto. Quamobrem lectis, quantâ potuit celeritate, legionum ſupplementis, Dortmundâ Coloniam, indéque Bonnam, acceptus à Colonienſi Electore rerum in poſterum agendarum ordinem, conceſſit. Bredenbenda, arx apprimè firma ad Ruram amnem, in Juliacenſi Ducatu, haud longè à Linnichio, terrebatur ab Haſſis, qui frequentibus excurſionibus & prædis finitimæ regioni erant perinfeſti. Eam Lamboius juſſus obſidere, Calendis Maij obſidionis fecit initium. Illa tenuit menſem omnino integrum, cùm averſis aliorſum ſtagnis, foſsíſque ſiccatis, obſeſſi pilis pyrobolis acrique arietatione fatigati, deſperato auxilio, fecêre honeſtam deditionem. Arcem jam alioqui tormentorum ictibus laceratam Lamboius muro munimentíſque nudavit, ne deinceps foret hoſti receptaculum, neve præſidium impoſitum vires exercitûs minueret.

CAPIT BREDENBENDAM.

Lamboius Bredenbendæ victor, copijs dierum aliquot quietem in agro Landiſcronenſi ſupra Bonnam indulſit: exinde duodecimâ Junij, præmiſſo in navigijs peditatu unà cum machinis æneis & impedimentis, cum equitatu, citato itinere profectus, copias ſupplementorum acceſſione nonnihil auctiores Sonſæ medio inter Coloniam & Noveſium oppido expoſuit. Habebant id temporis Haſſi caſtra apud Etfram amnem, inter Grevenbrugum & Wevelinghoviam. In eos duxit Lamboius ſeptem circiter armatorũ millia. Ante eorum caſtra aciem explicuit die decimâ tertiâ Junij, ſecundâ circiter horâ ante meridiem. Continuêre ſe intra aggeres Haſſi eo die, donec pabulatores, qui ſat magno numero aberant, ad caſtra redirent. Lamboius id moræ interpretatus, quaſi hoſtis trans Etfram ad Grevenbrugum, indéque Noveſium, receptum meditaretur, fluvio per pontem ad Hulckeratum ſuperato, noctem egit in campo, ſubinde per exiguam Haſſorũ manum laceſſitus. Poſtridie cùm nihil ſe loco Haſſi moverent, trajecto rurſus amne, caſtra incipit è regione hoſtis munire, ut, ſi juſti certaminis copiã non faceret, ipſum à vicinis præſidijs diremptum commeatu prohiberet. Id Haſſi veriti, eductis extra valla turmis ac legionibus, prodeunt in aciem. Coritur pugna non multò poſt ſolem orientem, producitúrque per horas omnino quinque Marte ancipiti. Victoria initio viſa in Lamboianos inclinare, pulſo aliquoties Haſſorum equitatu: verùm deſperatio fecit animos; ut enim animadvertêre, pontem, quo Etfra antè ſternebatur, à Lamboio eſſe ſolutum, eóque nullam eſſe ſpem evadendi reliquam, conglobati invehuntur in inſtantes tantâ vi, ut demum Lamboianos darent in fugam. Eo prælio Lamboius jacturam fecit omnis propè peditatûs, & machinarum majorum undecim, ſex inſuper minorum, quas caſtrenſes vocant: equitatus Sonſam uſque profugit. E ducentis, qui Etfram tranârunt, aliqui undis hauſti perierunt. Captivi venêre in Haſſorum manus Tribuni tres, Saverius, Holtzapfelius, Schrottius Sonſæ præfectus: quatuor legionum legatij: unus vigiliarum ſupremus magiſter, quinque magiſtri equitum, unus ſupra viginti Centuriones, mille quingenti manipulares, & minoris notæ ductores, tredecim ſigna equeſtria, quindecim pedeſtria. In veſtigio ceciderunt ferè mille.

LAMBOIUS PRÆLIO SUPERATUR.

XXXIX.

XL. Nec verò incruenta fuit Haſſis iſta victoria, multis interemptis, capto Comite Weidano protribuno prætoriæ legionis, cum quatuor Iliarchis, octo vexilliferis, & minorum ordinum præfectis, atque gregarijs propè trecentis. Quantumlibet ſuam ipſi cladem elevârint, patuit tamen non fuiſſe exiguam, quando attritto valde equitatu, nequiverunt colligere fructus palmæ reportatæ, niſi ubi novis ex Haſſiâ auxiliaribus, præſertim alarijs, confirmati, Marcodurum expugnârunt, & Padebornam valido præſidio munitam, in caſſum circumdederunt, per Monaſterienſem pacem denique avocati. Hæc enim poſt tot exantlatas difficultates, Monaſterij conſignata 24. Octob. & die poſtero more majorum publicatâ, Germaniæ reddidit tot bonorum omnium votis expetitam, tot miſerorum lachrymis ſolicitatam tranquillitatem. Ejus leges, quia typis à varijs editæ, juris publici factæ ſunt, non videtur eſſe à ratione propoſitæ brevitatis, hoc loci referre.

PAX MONASTERIENSIS.

BOICÆ

BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS III.
LIBER XXXIV.

Conventus Norimbergici initia: Receſſus Interimiſticus: Principium exauctorationis & reſtitutionis: Leodienſes reducti ad officium. Translatio SS. Coſmæ & Damiani Monachij: Ferdinandi Mariæ Ducis ad res politicas & gubernationem inſtitutio: Nuptiæ: Maximiliani exceſſus. An. M.DC. XLIX.

HActenus laborioſos Maximiliani annos recenſuimus, actámque in moleſtiſſimis bellis ætatem: ſupereſt triennium non immune quidem à laboribus, ſed eò pacatius, quòd vacuo ab armorum ſtrepitu, pacis ſtudijs licuerit tantiſper incumbere. Ea tametſi anno ſuperiore fuerat ſolenni ritu in publicum edita, Legatorum unanimi conſenſione; reliquum tamen erat, ut Cæſaris, Regum, Principúmque ac Ordinum comprobatione firmaretur. Id demum confectum octavo decimo Februarij, traditis ultro citróque diplomatis, poſteaquam fuerant compoſitæ nonnullæ controverſiæ, motæ à Francis circa addictam Regi Chriſtianiſſimo ſatisfactionem, quæ nec videbatur ipſis ſatis ampla, niſi complecteretur aliquas civitates pertinentes ad Imperium; nec ſatis firma, niſi Rex Hiſpaniæ de jure Alſatiæ ceſſiſſet. Exigebant præterea, ut præſidium Hiſpanicum Franckentalio educeretur. I.

Ad extremum deſiderabatur executio velut totius pacificationis coronis, ſine quâ nec erant quieturæ partes, nec poterant afflictæ regiones à militaribus ſtativis liberari. De hac igitur inſtituendæ fuerunt non exigui temporis, neque rerum facilium, deliberationes. De loco tractandi prima fuit controverſia; de ipſis tractationis capitibus, altera. Pervicit denique ea ſententia, ut contrà ac ſentiebant legati alij, omiſſo Monaſterio Weſtphalorum, Norimbergæ conventus haberetur. Eò conceſſere Legati menſe Majo. Hìc aliæ ſuper alias agitatæ quæſtiones, de Amneſtiâ, de locis perſoníſque reſtituendis in ſtatum priſtinum, de reducendâ religionis libertate, de modo ac tempore exauctorandi militis, Locus tractandi de pacis executione.

litis, de moderandâ certis legibus reſtitutione Franckentalij, de Francicâ & Suecicâ ſatisfactione, de quorundam privatorum poſtulatis, déque alijs pactæ pacis appendicibus: ídque tantâ diſceptantium contentione, ut ſubinde non pacis abſolutio, ſed novi belli initia parari viderentur.

Ius reformandi in superiori Palatinatu.

II.

Acris inprimis fuit concertatio de aſſerendâ religione in ſuperiore Palatinatu; Maximiliano Electore retinendorum ſacrorum ex Eccleſiæ Romanæ normâ atque inſtitutis jus ſibi per pacis Monaſterienſis leges debitum conſtanter defendente, affirmantibus contrà adverſarijs, in eâ quæſtione ſpectandum eſſe tempus anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti, reddendámque religionis libertatem, quæ id temporis fuiſſet in iſtâ Provinciâ uſu ac poſſeſſione accepta. Verùm ſuffragantibus non modò Catholicis, ſed etiam quibuſdam Proteſtantibus, qui Monaſterienſium tractationum probè gnari, in re æſtimandâ æquiores, erant à partium ſtudijs magis remoti, id obtinuit Maximilianus, ne, quæ in pacis diplomate erant eâ de re ſancita, ad alienos ſenſus traherentur.

Penes Maximilianũ, juxta pacis instrumentum.

Dum hæc aliáque id generis diſceptarentur, ſuis malis ingemiſcebant populi, quos militum contubernia, ſumptúſque premebant eò graviùs, quòd longum militis otium malas artes pareret, futuri verò expectatio, incerta in poſterum fortuna & vitæ ſuſtinendæ cura anxia, homines in armis ferè natos ac innutritos agerent ad inquieta conſilia: unde quibuſdam locis incipiebant ſpectare ad tumultus. Maximilianus omnium primus fuit, qui, ut miſeros longâ calamitate levaret, pactâ, ex ductorum & legionum conſenſu, ſtipendiorum ſolutione, militem exauctoravit. Ea res multis viſa eſt plena periculi, cùm rebus Norimbergæ nondum compoſitis, crederent arma eſſe aliorum exemplo retinenda; illis enimvero poſitis, minus ponderis futurum eſſe conſilijs inermibus. Verùm maluit ille calamitoſorum commodis & quieti deferre, quàm ſuæ authoritati. Quare ſub exeuntem Martium à ſignis dimiſit partem equitatûs, cæterúmque poſtea exercitum.

Maximilianus omniũ primus militem dimittit.

Cùm aliquot legiones, acceptis ſtipendijs, miſſionem accepiſſent, ſubitò Bartliciani equites catapultarij verſi in ſeditionem, conjectis in cuſtodiam ductoribus, in ſuum Tribunum cœpêre tumultuari, eò quòd ipſorum dimiſſio differretur. Auſi fuerunt ultima quæque præfectis minitari, niſi ad decimã quartam Aprilis miſſionem, unáque ſtipendium acciperent. Cujus rei indignitate permotus Enkevoertius, Petræum vigiliarum ſupremum Magiſtrum, Hilpolſteinium, ubi iſta legio tum agebat, unà cum Colbio & Tribuno Elterio, cúmque mille equitibus, totidémque legionarijs & duabus machinis æneis, ad ſedandum tumultum juſſit proficiſci. Hi nullo negotio tumultuantes compeſcuerunt decimo quinto Aprilis. Auctor ſeditionis in quatuor partes fuit deartuatus, & novem alij ſuſpendio enecti.

Neuaux.

Qui Friburgi in Briſgoiâ ex Nepotianâ legione curabant, decimâ Julij, anni ſequentis, fuerunt exauctorati. Hi rati ſe à Viliſſonio, cui exauctorationis procuratio fuerat demandata, plus quàm acceperant (acceperant autem ſedecim florenorum millia) expreſſuros pecuniæ, eundem velut captivum circumſtetêre ad plures horas, donec ejus victi conſtantiâ, tandem lubentes & optimè in Maximilianum affecti diſceſſerunt. Nemo denique ex pleriſque fuit, quin profiteretur, ſe, ſi res unquam ferret, ad Maximiliani ſigna libenter rediturum.

Norimbergæ res lente aguntur.

Subinde Norimbergæ trahebantur conſilia in longum, & aliquando nutabat ſpes concordiæ, nec deerant exteri, qui, cùm mallent pacis fructum differri, ſufflaminabant conſilia. Quamobrem per quatuor omnino menſes fuit laborandum, donec in lucem ederetur Diploma de facienda militis exauctoratione, quod demum menſis Septembris die vigeſimo primo expeditum, nomen *Interimiſtici præliminaris receſſus* accepit. Ejus capita in lucem ab alijs vulgata, ſupervacaneum eſt hoc loco recenſere.

Maximilianus reſtituit Palatinatum inferiorẽ.

Porrò Maximilianus, ne in exequendâ pace, quàm in ſuadendâ minùs foret promptus ac diligens, tametſi graviſsimæ controverſiæ de ſuperiore Palatinatu,

natu, circa octavi Electoratûs titulos & prærogativam, júſque ordinandæ Religionis adhuc ſupereſſent, meritóque poſſet metuere, ne, ſi ijs nondum compoſitis, Palatinatum inferiorem reſtitueret Electori Palatino, ageretur ſecum, ſi non iniquiùs, at ſaltém audaciùs, tam voluit tamen in eo reſtituendo eſſe expeditus, quàm in conciliandâ animorum conſenſione adhuc fuerat æquus & benignus. Ergo juſſit ſua præſidia excedere Heidelbergâ, Manheimio, locíſque alijs totius inferioris Palatinatûs, quæ tum erant in ipſius manu, eáque loca tradi Carolo Ludovico Comiti & Electori Palatino. Hic ut illa ſibi aſſereret, ab Haſſis Caſſellenſibus, Hanovienſibus, & Francofurtenſibus accepto præſidio, ſingula cœpit inſidere 3. Non. Octob. Varias item compoſuit controverſias Maximilianus cum Ratisbonenſibus mirâ facilitate, longè alioqui pauciora conceſſurus, niſi pacis amor ejus animum molliviſſet. Reddita etiam fuit Marchioni Anſpacenſi, ſub exeuntem Octobrem, arx Wiltzburgenſis. Cæteras reſtitutiones alij prolixè ediderunt, ut earum narratione non ſit operæ pretium me Lectorem diſtinere.

Hæc dum agerentur, Ferdinando Archiepiſcopo Electori Colonienſi & Leodienſi Epiſcopo arma fuêre ſumenda adverſus civitatem Leodienſem, quæ nonnullorum factione apertè ſui Principis imperia detrectabat. Bellum auſpicio Ferdinandi, ductu & magnanimitate Maximiliani Henrici ejus ex fratre nepotis, tantâ felicitate geſtum eſt, ut eo confecto, pacati Leodienſes redirent ad officium. Quibus rebus coronidem impoſuit bene ominata Principis Maximiliani Henrici electio ad futuram ſucceſſionem in Epiſcopatu & Principatu Leodienſi. Poſcebat devexa multíſque fracta curis Ferdinandi Electoris ſenecta, poſcebat Reipublicæ conditio, bella finitima, gnavum aliquem & potentem Adjutorem, qui ejus labores, operoſámque Principatûs adminiſtrationem induſtriâ & animi magnitudine levaret. Quam rem tum Ferdinandus ipſe, tum Eburonum Ordines exoptabant. Eapropter Provinciæ nobilitas, cæteríque Status libello ſua vota Ferdinando explicârunt, etiam atque etiam flagitantes, vellet tali rerum ſtatu, ſaluti publicæ tempeſtivè proſpicere, atque inprimis Nepotis ſui Maximiliani Henrici meminiſſe. Eum enim videri, qui cùm jam eſſet ad Colonienſis, Hildeſienſis, & Berchtesgadenſis Eccleſiarum ſucceſſionem deſignatus, rebus pro Leodienſi Epiſcopatu præclarè geſtis, eam de ſe opinionem ſpémque concitârit, ut omnino ſperetur parem præſtantiſſimis animi dotibus potentiam, ad tot Principatuum felicem gubernationem allaturus. Nihil poſſe Eburonum Ordinibus contingere gratius, nihil patriæ ſalutarius, quàm ſi omnium ſpes, quæ in Ferdinandi hodiernâ ſapientiâ conquieſcerent, in Maximiliani expectatione firmarentur.

Placuit iſte Nobiliſſimorum Ordinum affectus Ferdinando jam ultro hoc ipſum, quod orabatur, avidè cupienti. Quamobrem ejus mens ad Principis Eccleſiæ Collegium relata, Ordinúmque deſideria effecêre, ut decimanona Octobris futuræ Electioni diceretur. Ad eam de more vocati ſuffragatores. Poſt rem divinam de ſanctiſſimo Spiritu ſolenni ritu peractam, itum in vota, quorum unanimi conſenſu, Maximilianus Henricus Eccleſiæ Leodienſis Coadjutor, cum futuræ ſucceſsionis expectatione, cooptatus & publicè eſt renunciatus. Tum decantatæ divinæ laudes Hymno Ambroſiano: Patriæ Nobilitas, Magiſtratus, cives, omnis generis ſexúſque homines, quibus templum erat confertum, Electori vitam fauſtitatémque prolixè, longóque plauſu precati, interſonantibus omnium Eccleſiarum campanis, totâque paſsim civitate gaudij ſigna fauſtis acclamationibus ingeminante; Maximilianum feſtâ pompâ in Regiam deduxerunt, ubi Ferdinandus Elector Nepoti jucundiſsimè gratulatus, ipſum unáq; ſummæ Ædis Capitulum regio epulo excepit. Ter interea laxata è mœnibus urbiſque propugnaculis tormenta muralia: ter prætoriæ & præſidiariæ cohortes, inſigni catapultarum fragore, diem celebravêre. III.

MAXIMILIANUS HENRICUS LEODIENSIS ECCLESIÆ COADIUTOR RENUNCIATUR.

Cæterùm viſus eſt Deus tot malorum, quibus per annos ſuperiores vexata fuerat Boica, facere velle medicinam adductis ex Bremenſi Eccleſiâ ſanctorum Medicorum Coſmæ & Damiani ſacris reliquijs, quæ menſe Aprili Monachium IV.

fuêre delatæ cum fide & indubitatâ teſtificatione cultûs publici, quo Bremæ fuerant affectæ, à tempore Adaldagi Archiepiſcopi Bremenſis. Juvat rem paulò altiùs repetere ex Adamo Bremenſi, quem laudat Baronius.

TRANSLATIO RELIQUIARUM SS. COSMÆ ET DAMIANI.

Ea Divorum oſſa olim Adaldagus Româ attulit. Is cum Othone III. Imperatore, apud quem erat perquàm gratioſus, profectus in Italiam, ſacra iſta pignora impetravit, quæ ceu diuturnæ ſuæ abſentiæ pretium, vel ſolatium civibus ſuis, ſecum Bremam advexit. Iſthic ad hunc annum, id eſt, per annos, ut minimùm, ſexaginta tres ſupra ſexcentos, religioſè fuêre aſſervata. Conditorium habuêre in muro ſummæ Ædis haud procul à choro, teſte Cranzio lib. 9. Metropol. c. 17. cui adſtipulatur Chronicum manuſcriptum ejuſdem Eccleſiæ. Eodem loci fuêre ad uſque an. M. CCC. XXXV. quando Burchardus Bremenſis Archiepiſcopus in feſto Paſchatis divinis operaturus, prodigioſo indicio ad ea propenſiùs honoranda fuit excitatus. *Cùm enim* (verba ſunt Crantzij, ex eodem iſto Chronico) *divinum facturus veniſſet, in ipſo gradu vicinus choro* (puta ſummæ Ædis Bremenſis) *murus magno ſtrepitu concrepuit. Terrefactus, quid eſſet, demiratur. Recolens deinde SS. Coſmæ & Damiani venerandas ibi Reliquias includi, quas à memoriâ veterum Imperatorum & Principum, locus ille cum alijs Sanctorum exuvijs ſervârat, ſtatim votum concepit, quòd in ſequentem annum feſto Pentecoſtes debitâ reverentiâ ſanctas Reliquias elevaret. Capſellis & ciſtellis in uſum præparatis, per omnem Provinciam juſſit rem promulgari, invitatis ſuffraganeis ſuis ad feſtam ſolennitatem, cum multis vicinarum terrarum Nobilibus, ac ſuæ ditionis Miniſterialibus. Die conſtituto, Pontifex ſacras Martyrum reliquias elevavit coram oculis omnium; cùm omnia foris & intus ſummâ lætitiâ & feſtâ ſolennitate perſonarent. Epulis ſplendidè apparatis Prælatos & Nobiles excepit. Ibi militarium haſtiludia ſecuti Bremenſes Juvenes: ibi quicquid feſtum erat, percrebuit ad præcipuam Martyrum gloriam, patronorum Bremenſis Eccleſiæ. Die proximâ, expleto jam divino officio, ad oſtium ſui Palatij Pontifex duodecim ex Miniſterialibus Aulicis ſuis honoratiores creavit milites in honorem Martyrum. Stabat loci Proconſul in dolio oblationes fidelium excipiens. Tantum congeſtum eſt auri atque argenti cum numiſmate ſignato, ut egredi cogeretur. Trecentas denariorum marcas Archiepiſcopo ex his contulerunt in ſolatia ſumptuum factorum in eâ ſolennitate: reliqua ad perornandam Eccleſiam, & ad majorem templi campanam opere fuſili inſtruendam ſunt collata.* Hæc Crantzius.

V.

Cæterùm Maximilianus Elector in conquirendis Sanctorum lipſanis eximiè religioſus, cognito, iſtas DD. Coſmæ & Damiani exuvias in Bremenſi Baſilicâ haberi in minori, quàm par eſſet, veneratione, ob heterodoxum Lutheri dogma, quod per iſtam Diœceſim, maximè Bremæ invaluerat, per Franciſcum Wilhelmum tunc Oſnabrugenſem, Mindenſem, & Verdenſem, hodie etiam Ratisbonenſem Epiſcopum, aliòſque viros illuſtres, egit cum ijs, ad quos res iſta ſpectabat, ut liceret pro majore Divorum iſtorum honore, eorum ſacras Reliquias Monachium aſportare. Voto potitus eſt eorundem illorum conſenſu, penes quos erat id permittendi facultas. Ergo vigeſimâ quartâ Octob. An. M. DC. XLIIX. quibus res erat commiſſa, acceſsêre ad locum extra chorum ſummæ Ædis Bremenſis, unà cum quodam Sac. Cæſ. Majeſtatis Commiſſario, aliiſque teſtibus.

Inſtrumentum Authent. datum an. 1648.

In eo loco erat armarium tribus ſeris firmatum, quod Sanctorum oſſa continebat. Eo clavibus conſuetis aperto, inventa fuit arca Gothici operis, pondo circiter quadraginta, ex argenteis laminis, auro & Sanctorum diverſis imaginibus, criſtalliniſque bullis ſcitè, ad antiquum morem exornata. Hanc alijs ſeris clauſam, ad Bibliothecam Eccleſiæ contiguam deportârunt viri eam ad rem delecti, indéque in Domum Urbanam. Illic aperta, deprehenſa fuit in ſui medio, aſſere quodam eſſe in duas thecas diviſa, & à parte dextrâ claudere ſaccum ex pretioſâ materiâ pulvinari impoſitum, in quo continebantur tredecim oſſa, pleraque magna & integra, cum lamellâ plumbeâ nomine COSMÆ inſcriptâ: ſimiliter ex parte ſiniſtrâ in altero loculo, eodem modo involuta octodecim oſſa, cum plumbeâ lamellâ ſignatâ nomine DAMIANI: in ipsâ arcâ exteriùs repræ-

repræſentantur ex argento deaurato imagines utriusq; Sancti, inter alias præcipuæ: intus depictæ quoque ſunt illorum effigies & variæ curationes ægrorum. Erat in eâdem lipſanothecâ faſcia è rubro panno, in quâ aſſuta ſeptuaginta tria anathemata argentea, votivâ religione à pijs, curationum miraculoſarum gratiâ, oblata. Hæc omnia & ſingula ij, quos dixi, viri religioſè convaſata, magnâ accuratione abiegnæ ciſtæ impoſuerunt. Menſe Decembri proximè ſecuto ſacrum iſtum theſaurum probè clauſum ac cuſtoditum ijdem illi deferendum curârunt Monaſterium Weſtphaliæ, ubi tum pacificatoria Comitia agebantur; ex eo loco Franciſcus Wilhelmus Epiſcopus Oſnabrugenſis, & duo Maximiliani Electoris in Comitijs legati, Joannes Erneſtus & Adolphus Crebſius eundem fideliter obſignatum curârunt Monachium hoc anno deportari. Illum ut accepit Maximilianus, antequam ſacræ Reliquiæ publicæ venerationi exponerentur, eas quàm accuratiſſimè à ſacris hominibus, & publicæ authoritatis tabellione, recognoſci & adnumerari voluit: quod ipſum præſtitum octavâ Maij Anno M. DC. XLIX. Patuit tum, omnes & ſingulas, quas jam dixi, ejuſce theſauri partes eodem, quo Bremæ fuerant numero & integritate, cum fide fuiſſe ad Maximilianum delatas. Illum porrò pius Princeps noluit diu ſubtrahi communi fidelium cultui & ſaluti tum animarum, tum corporum. Statuerat quidem non multò poſt ipſius adventum exhibere publico, ſed interceſſêre cauſæ, cur ſuum iſtud deſiderium crederet eſſe differendum ad menſem Octobrem. Illi quò ſanctiùs faceret ſatis atque celebriùs, primùm elegit D. Michaëlis Archangeli templum, Monachij à Sereniſſimo ſuo parente Guilielmo Bavariæ Duce regiâ prorſus magnificentiâ à fundamentis exſtructum & ornatum ſplendidiſſimè, in quo Sanctorum oſſa depoſita, mandatáque cuſtodiæ Patrum Collegij Monacenſis Societatis Jesv, paterent frequentiæ votorum ac precationum, quas pietas ac neceſſitas, Deo auſpice, ſuggereret: deinde petivit à Vito Adamo Friſingenſi Epiſcopo, vellet ac permitteret iſtas SS. Coſmæ & Damiani Reliquias, poſt accuratam rerum, quas jam recenſui, examinationem, præviámque deliberationem ſacri Friſingenſis Senatûs, publico cultui exhiberi: quod ipſum Epiſcopus, dato hac ſuper re undecimâ Maij diplomate, conceſſit.

VI.

Litt. Epiſcop. Oſnabrug. 5. Febr.

Inſtrumentū publicum ſcript. 5. Maij 1649.

Ad hujus tam ampli, & quaſi cœlitus à Deo ſubmiſſi muneris gratiam, non parùm ex eo acceſſit, quòd bina capita, alterum S. Coſmæ, alterum S. Damiani, quæ diu antehac in Maximiliani ſacello religioſè culta fuerant, tandem ad ſancta eorundem corpora reverterentur. Utrumque caput S. Henricus, cùm Anno M. XIV. Imperator inaugurareturd, à Benedicto Romano Pontifice dono accepta, Bambergam, Imperatoris tunc ſedem intulerat: quæ poſtremò Guilielmus V. Maximiliani parens, à Joanne Godefrido Bambergenſi Præſule, præſtantiſſimum munus dono accepit. Ita Dei in primis ac Sereniſſimi Electoris Maximiliani voluntate factum, ut poſt tot temporum eventorúmque ambages, capita SS. Coſmæ & Damiani allatis Bremâ oſſibus juncta, ad Societatis Jesu Monacenſe templum celebriter transferrentur. Eam ad rem non ſine inſigni apparatu omniúmque ordinum accurſu, Deo ad laudem Divorum hoſpitum ſupplicatio fuit decreta, cujus initium dedit Sereniſſima Electrix Maria Anna, quæ propridie feſti SS. Coſmæ & Damiani, eorundem corpora ex Aulâ, ſub noctem ad templum RR. PP. Capucinorum floribus ac frondibus eleganter ornatum, inter urbis mœnia & valla, cum Sereniſſimis duobus Filijs & potiore parte Aulicæ nobilitatis, eſt comitata. Advigilârunt eâ nocte Beatis Soſpitalibus ejus familiæ Religioſi. Sequenti autem die poſt meridiem, Clerus in Æde D. Virginis principe, Sodalitia verò præcipua, militéſque ſub ſignis in foro convenerunt. Unde Sodales digreſſi longâ ſerie ſecundum Sereniſſimi Electoris Regiam per Schwabingenſem portam, ad PP. Capucinorum ædem proceſſere. Agmen ducebant numeroſi tubicines, quos labarum ex ſerico damaſceno albo rubris uncialibus litteris Translationem Sanctorum præferens, excepit. Proximi ibant Sodales, ordine decoro, togis more quiſque ſuo induti. Eorum

VII.

POMPA SUPPLICANTIŪ.

VIII.

 agmini

agmini præferebantur ſigna Crucifixi inter accenſas faces, tum ſingularum Congregationum vexilla. Sequebantur Religioſorum familiæ varijs Sanctorum Reliquijs diſtinctæ, quas in ferculis ſplendido cultu geſtabant ſuccollantes Sacerdotes. Geſtabatur in argenteâ Icone S. Sebaſtiani Cranium, voluntate Maximiliani Eberſpergâ adductum, ad cohoneſtandam Sanctorum Medicorum celebritatem, ut, quibus eſt commune cum D. Sebaſtiano ægris impetrare ſalutem, peculiare foret, ſacri ejuſce pignoris præſentiâ honorari. Ante hujus ferculum, canentium turma Sanctorum Laudes ſymphoniâ concinebat. Alia deinceps ex Aulico Sacello Divorum lipſana, ex quibus erant tergemina SS. Innocentium corpuſcula, quæ, præcedentibus Aulæ phonaſcis, D. Petri ſacerdotes fuêre comitati. Tum ſpectabatur D. Bennonis perelegantis operis effigies argentea, cum ſuis reliquijs; pone quam ibat Deiparæ Virginis Canonicorum Collegium. Hoc ordine poſtquam ventum eſt ad PP. Capucinorum Cœnobium, univerſum agmen ſolenni reverentiâ SS. Coſmæ & Damiani corpora excepit. Præferebatur vexillum, quod Divorum exprimebat effigies, & aliud, è quo pendebant antiquæ pietatis ex argento ſeptuaginta tria anathemata, olim voti causâ ab avitæ religionis hominibus oblata. Divorum lipſanothecam ſtipabant ſex Ephebi nobiles inſtructi facibus, duóque linteati, accenſo identidem thure, reliquias venerabantur. Tum ſequebatur mitratus Canonicorum præpoſitus, juxtáque Sereniſſimi Principes, quos ſtipabant Proceres, Senatores, & Nobiles ex aulica familiâ.

IX. Sereniſſimus Elector interim in Principum apud D. Michaëlem Oratorio Societatis Jeſu præſtolabatur. Ordinem claudebat innumera populi multitudo. Intra urbis mœnia, ex utroque viæ latere miles ſtabat in armis, & qui antecesſerant Sodalium ordines; per quos ad D. Michaëlis Archangeli templi portas, arcubus triumphalium ſpecimen referentibus ornatas, pompa fuit progreſſa. Hîc à Patribus Societatis Jeſu, Collegíſque cæteris, binis ac binis, cum ardentibus cereis excepta, & ad interiora ſacræ ædis fuit deducta. Sex è Patribus ejuſdem Collegij, ibidem SS. Coſmæ & Damiani Lipſanothecam in humeros elatam, ad principis altaris medium, hinc & inde SS. Bennonis & Sebaſtiani locatis reliquijs, detulerunt. Diſpoſita fuerunt cætera Divorum corpora in prorâ templi ſupra rubros tapetes, quos varia Emblemata, gnomæ ac ſymbola exornabant. Inde cantatæ Veſperæ ſolemnes quàm celeberrimè, templo raró aliàs majore hominum frequentiâ conferto. Multis lachrymas præ ingenti pietate & gaudio elicuit iſte Sanctorum triumphus: non defuerunt, qui mente ad æternos Cœlitum honores erectâ, ſuaviſſimo affectu dicerent: *O quanta Sanctorum gloria in cælis, quorum eſt tanta in terris reverentia!* Veſperas excepit hymnus Ambroſianus tergemino bombardarum fragore à militibus in foro ac plateis, tum deinde cum ingenti applauſu & feſto ænearum machinarum bombo, per urbis munimenta celebrior. Quievêre in eâdem Angelorum Principis Æde uſque in alteram veſperam dicta Sanctorum corpora. In templo excubias egêre interdiu Prætoriani Electoris milites. Noctu Collegæ Societatis Jeſu continente comprecatione egêre ſacras vigilias. Feſto denique ipſo die inſtauratus fuit

X. totius civitatis in eandem Ædem concurſus, ſub Miſſæ præſertim ſacrificio. Sub ſacro habita eſt concio ad denſatam multitudinem, mirè ad rem præſentem appoſita, eò maximè, quòd pius orator tum adfuturam in tempore tot Sanctorum, præſertim medicorum, opem non afflictis tantùm ægrorum animis, ſed etiam corporibus prædicaret, tum SS. Coſmæ & Damiano gratularetur, quòd tandem poſt tot ſæculorum divortium, ſacra ipſorum capita ad alias corporis partes rediiſſent. A meridie veſpertini pſalmi quantâ potuêre arte & pietate fuêre decantati. Viſi ſunt Sancti cultum honoréſque ſibi exhibitos probare, & Deus ipſe gratam habere religionem. Cùm enim peſtilitas jam gliſceret intra mœnia, mox ubi culti fuêre, pro eo ac decebat, Sancti medici, deſijt ultrà vulgari, tametſi in cæterâ Boicâ, per regiones præſertim TransOenanas pergeret ſtrages edere. Ab iiſdem anno ſequenti petitum fuit, & impetratum per publicam civita-

PRODIGIOSÆ CURATIONES AD INVOCATIONEM SS. COSMÆ ET DAMIANI.

civitatis comprecationem remedium, cùm non in civium modò familias, ſed in ipſum quoque Aulæ Electoris famulitium, idem ille morbus & atrox quidem, ac properi admodum veneni, irrepſiſſet. Hinc non dubitaverunt æqui rerum arbitri, quin factum eſſet SS. Medicorum patrocinio ac favore ſingulari, ut lues tam ſubitò depulſa è civitate actutum proſcriberetur. Pestis depellitur.

Ut autem in communi periculo hunc urbi univerſæ favorem exhibuêre Sancti Medici, ſic uni privatim dies ipſa translationis candida fuit & ſalutaris. Erat puer, qui ante annos aliquot è rhedâ, quâ vehebatur, præceps effuſus, in coſtis grande vitium contraxerat: diſtortis enim ex eo caſu coſtarum cancellis, non deforme tantùm, ſed miſerum etiam corpus evaſerat. Prominebat à tergo coſta una digiti longitudine: ex adverſo paulò minus extumebat ulcus: quódque erat durius, malum jam inolitum deſierat in pertinaciam, quæ omnem humanæ manûs opem induſtriámque ſuperaverat. Quamobrem parentes voto concepto cœleſtes Medicos invocant: nec mora, audiuntur ſupplices, malum continuò remittit, paulóque pòſt coſtæ redeunt in ſtationem & formam priſtinam, puero prorſus incolumi. Hanc fiduciam in Sanctos, & cultum etiam tempus auxit: quod anathemata propè quotidiana demonſtrant. Plurimi enimvero ſe horum Sanctorum beneficio convaluiſſe teſtantur. Ita ex Aulæ Gynæcæo nobilis virginis tuber, quod exitiali vomicæ prorſum affine, medicorum artem fruſtra ſenſerat, eſt curatum. Unus tumore pedum, alter Cephallagiâ, plures inveteratâ herniâ, alij alijs morbis ſunt liberati. Hæc apertè miranda. Præceps quidam per ſcalas bene longas delapſus, animam ſibi propè eliſerat. Expiranti ſimilis in vicinas ædes defertur, armatur ſupremæ luctæ columellâ cereâ, quam mos eſt apud Catholicos adhibere moribundis; extremùm ſacro oleo ungitur, conclamatur, convellitur eâ corporis agitatione, quæ medicorum opinione lethalis eſt. Excita infauſto caſu uxor vota inprimis Deo facit: monita à præſentibus, preces paulò pòſt addit ad SS. Coſmam & Damianum, & vovet in eorum honorem ſe curaturam Miſſæ ſacrificium, unum prætereà cereum. Res mira! vix ea promiſerat, cùm maritus ſalutem, illa maritum incolumem recipit, cúmque eo poſtridie gratijs ex voto perſolutis, domum revertitur.

Puer sanatur. XI.

Virgo curatur. Curantur alii.

Moribundus restituitur incolumitati.

Eadem Sanctorum beneficentia Matri cuidam Monacenſi læta, ejuſdem verò filio, in Cœnobio degenti, fuit ſalutaris. Hic crebrâ & copioſâ ſanguinis per nares, unà cum purulentâ materiâ, profuſione, ad ultimam propè vitæ lineam perductus, matrem per internuntium ultimùm valere juſſerat. Illa tam triſti perculſa nuntio, ad S.S. Coſmæ & Damiani aram ſacrificium, cereámque iconem ſpondet: pro illâ ipsâ matre paulò pòſt ardenti febre correptâ, jámque ſui non compote, & cum morte luctanti, Maritus paria vota ſuſcipit. Ambo mox ſanati, admirati ambo, unde tam repentina ſalus adveniſſet; demum qui ſalutis ipſis autores fuiſſent, edocti, gratias egêre utrique, curarúntque votis fieri ſatis. Conſecuta pòſt ejuſce generis per Divorum interceſſionem multa beneficia liquidò oſtenderunt, quàm ſalubriter eorum auxilium imploretur. Ne egrediar limites propoſitæ brevitatis, ſufficiet de multis hæc pauca retuliſſe.

Religiosus morti proximæ eripitur.

Febris depellitur.

In hunc annum incidit obitus Alberti Ratiſbonenſis Epiſcopi ex nobiliſſimâ proſapiâ Tœrringiorum, poſt exactos annos ætatis ſeptuaginta unum, reginis triginta ſex. Fuit Antiſtes ſingulari modeſtiâ, benignitate, & clementiâ. Ejus patientiam vehementer exercuit acta inter Suecos captivitas. Nunquam ſuavius divina tractabat, quàm quando remotus à populi frequentiâ Deo ſolebat litare. Studioſè curabat, ne palàm eſſent beneficia, quæ in ſacras ædes miſeróſve conferebat. Sacris calicibus donabat aras egentes, ornabat templa ſuis ſumptibus. Ejus magnificentiæ referri debet in acceptis teſtudo præclari operis, quæ ad Cathedralis Ædis veterem ſplendidámque ſtructuram unà cum alijs ornamentis non ita pridem acceſſit. Huic ſucceſſit Franciſcus Guilielmus Epiſcopus Oſnabrugenſis.

Obitus Alberti Ratisbonensis Episcopi.

An. M. DC. L.

XII.

Ducis Ferdinandi Mariæ in rebus politicis inſtitutio.

Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo Maximilianus de Ducis Ferdinandi filij natu majoris inſtitutione ſollicitus, cùm jam pro modo ætatis in armorum tractatione, arte equeſtri, aliiſque Principe dignis exercitijs, quæ in umbrâ tractaverat, ínque humanioribus litteris pro ſuorum natalium & muneris, ad quod erat deſtinatus, conditione, jam tantum proceſſiſſet, ut ad majora cum fructu paulatim videretur poſſe admoveri; ut regendi artibus imbueretur, eum voluit arcanis conſilijs intereſſe, horis & diebus à reliquorum ſtudiorum, armorúmque uſu vacuis. Hîc Ferdinandus quæſita atque in medium propoſita avidè excipere, arbitrari Conſiliariorum reſponſa, & nonnunquam, cùm Sereniſſimus parens poſcebat, ſingulorum dicta exactè referre, & ipſe ſuam dicere ſententiam, ceterà apud alios arcani tenaciſſimus. Ad iſtam velut ſapientiæ civilis exercitationem cœpit adijci adoleſcente Januario, ut, quæ de jure patrio & communibus Imperij inſtitutis privatim audiebat à Magiſtris, negotijs & conſilijs tempeſtivè diſceret applicare, firmarétque animum ad capeſſendum, ubi res poſceret, Boicæ gubernandæ clavum. Jam tum enim Maximilianus, ætate ingraveſcente, facilè intelligebat, nihil ſe patriæ relinquere poſſe ſalutarius, quàm hæredem intelligentem artium bene regendi, quæ quidem ſeriùs, & cum populorum damno à Principe tractantur, ſi per ſuos errores debeat priùs erudiri, quàm noſſe aliquâ ſaltem ex parte ea, quæ ſpectant munus, quod eſt omnium difficillimum ac periculoſiſſimum. Non enim inconſultiùs navarcho imperito navis, quàm Principi inſcienti reipublicæ gubernaculum committitur. Videbat Maximilianus filij adoleſcentiam iſtis præludijs jam eſſe idoneam, utpote inſtructam præſtantiſsimâ memoriâ, prompto ac ſolerte ingenio, aviditate res quaſvis ex intimis cauſarum viſceribus cognoſcendi, animo cæteroqui eximiè miti, laboris impigro, benigno ac candido, quod indies magis magiſque ſe exerens, ad ſolidam ſapientiam matureſcebat, non inſtar argutulorum, qui creſcente ætate varij, leves & ludicri, vix quicquam agunt conſtanter ac ſeriò, eóque rarò evadunt ad gradum aliquem prudentiæ. Nam præcoces fructus ferè ſunt decidui, illos deficit ſuccus & vigor: docilitas verò ac candor enititur ad veram laudem ſapientiæ. Sanè, ſi quid quibuſcunque in rebus neſciret Ferdinandus, non futura erat culpa diſcentis. Præter alia in iſto Juſtitiæ Lycæo, Dux Ferdinandus diſcere potuit politicen non aſtu aut verſutiâ, ſed legum æquitate definiri, eámque demum eſſe prudentiam, quæ ſit innoxia, quæque regnandi ſcientiam à virtute dictet non eſſe ſeparandam: aſtutiam ſapientiæ ſimiam, Deo eſſe exoſam, qui perdit ſapientiam fallaciter ſapientum. Et verò nunquam abeſt ab aſtuto ſtultitiæ miſtura & levitatis, eò quòd inanibus addictus, ſúſque déque habeat ſolidiſſima ſapientiæ principia.

XIII.

Ordines Bavariæ iurant in Ducis Ferdinandi verba.

Non multò pòſt, quàm Dux Ferdinandus huic diſciplinæ initiatus ſui ſpecimen parenti dederat, arcano conſilio cœptum eſt deliberari, forétne è re publicâ, illum Boicæ Ordinibus velut primogenitum & hæredem proponere, cui, vivo adhuc Maximiliano, in eventum futuri obitûs, anticipatum ſacramentum diceretur. Id tametſi exemplis majorum niteretur, viſum tamen priùs eâ de re cum Ordinum Proceribus, qui Monachij id temporis convenerant, agere. Actum fuit eo ſucceſſu, ut lubentes volentes aſſentirentur Maximiliani Electoris voluntati, quòd cenſerent, optimæ Ferdinandi indoli, conceptæque de ipſo ſpei meritò id eſſe tribuendum. Ergo nonâ Aprilis in Curiâ civicâ, magnâque populi frequentiâ, Monachij Status, qui præſentes intererant, ſubjectionem fidémque ſuam Ferdinando fuêre ſolenni jurejurando profeſsi. Id priuſquam fieret, Maximilianus Elector ætatem ſuam, fati limites mortalibus incertos, bonum publicum, quietémque cauſatus, mentem ſuam explicavit. Re perfectâ, Ferdinandus eâ dictionis elegantiâ, vocis geſtuúmque venuſtate, gratijs agendis tum Sereniſsimo ſuo Parenti, tum Ordinibus ſic ſatisfecit, ut concionem univerſam rapuerit in ſui admirationem. Quæ Maximilianus per ſe noluit, juſsit per Vice-Cancellarium Senatûs ſecretioris Joannem Adelſreiterum prolixè explicari:

Ordi-

Ordines viciſsim, quæ ad rem fuêre, Joannis Georgij Herwartij Cancellarij ſui oratione declarârunt: ſubinde fuerunt liberali epulo à Maximiliano excepti. Exemplum Monacenſe ſecuta fuit Bavaria univerſa, Palatinatus ſuperior, cæteræque Maximiliani ditiones, in quibus miſsi ab ipſo Commiſſarij à ſingularum regionum Magiſtratibus & Statibus, more majorum, ſolennia juratæ Ferdinando fidelitatis & obſequentiæ verba acceperunt Majo exeunte. XIV. Ducis Ferdinandi Mariæ matrimoniû.

His rebus ſucceſſit cura Maximiliani, de conciliandis Ferdinando Filio nuptijs. Summas Europæorum Principum Domos circumſpicienti, placuit Sabaudica, è quâ, genere, virtute, formâ, ætate, æqualem filio ſponſam exoptaret. Ea fuit Adelais, filia Victoris Amadei Sabaudiæ Ducis & Pedemontij, & Chriſtinæ Henrici Magni Galliæ Regis Filiæ.

De hoc connubio præceſſerant inter utriuſque Domûs Legatos Monaſterij in pacificatorijs Comitijs pararij aliqui ſermones: pôſt communi utriuſque parentis voluntate, de eodem habitum colloquium in civitate San-Gallenſi per internuntios, tandémque conditionibus futuræ affinitatis abunde explicatis, Maximilianus Elector ad conficiendas tabulas, contrahendúmq; matrimonium, quarto cal. Novembris Maximilianum Comitem Curtium Conſilij arcani caput & ſupremum Bavariæ Præfectum, cum ampliſſimâ Legatione & nobiliſſimo comitatu miſit in Pedemontium.

Magnus illi in itinere fuit honor habitus Tridenti, per Italiam, ínque toto Pedemontio, ubi ſecundiſſimis votis ac plauſu Principes, Gubernatores, civitates, Magiſtratus, populíque paſſim conceptam de futurâ Sereniſſimarum Domuum affinitate lætitiam fuêre teſtari. Longum nimis eſſet recenſere ſingula, ſufficiat dixiſſe nihil potuiſſe ad magnificentiam cultius, ad humanitatem nihil benevolentius deſiderari. Legatio Bavari in Pedemontium.

Auguſtam Taurinorum appulit vigeſimâ ſeptimâ Novembris. Ingreſſurum, nomine Regiæ ſuæ Serenitatis, ante portas excepit Arduinus Comes Valbergius & Rivaræus, Marchio Entraquius, primus Eques Ordinis Annunciatæ Virginis, caſtrorum, & cuſtodiæ Prætoriæ Regiæ ſuæ Serenitatis Præfectus, Gubernator Taurinenſis. Stabant in ordine duæ catapultariorum equitum turmæ è prætorianis Sereniſſimi Ducis Sabaudiæ: ſingulos equites ornabant ſaga Tyria coloris purpurei, argenteis ſegmentata faſciolis: ſuccedebant duæ ejuſdem generis turmæ, ſub Comite Juſtio, è Sereniſſimæ Regiæ Duciſſæ Prætorianis cuſtodibus, diſtinctæ rufo ſagorum ornatu, quæ triplici aurearum tæniarum ordine virgata fulgebant. Ex ijſdem Prætorianis ſequebantur duæ cataphractorum turmæ, loricis & caſſidibus armatæ. Hos omnes ubi Comes Curtius Legatus Bavaricus prætierierat, conſcendit rhedam undique auro & heteromallo coruſcantem unà cum Comitibus San-Georgio Muradoro, de Portia, & Ropero. Taurini magnifice excipitur.

Gradiebatur ſubinde armata turma haſtatorum equitum cum ſignis cæruleo, rubro, & albo multitio diſcriminatis: ſub armis geſtabant ſinguli ſaga militaria oſtro argentóque decora.

Sequebantur ternæ rhedæ aulicæ aureis tænijs fimbriiſque ſplendidè exornatæ. Succeſsêre deinde rhedæ Principis Mauritij, & Thomaſij Sabaudiæ Ducum: ſequebantur carpenta Nuntij Apoſtolici, Comitis Servienti, & Marchionis Planezzij, quæ ſuo ornatu ad ſe rapiebant ſpectantium oculos. E ſingulis prodiêre viri nobiles, qui Legato felicem adventum ſunt gratulati. Cùm jam civitatis limini imminerent; ex arce, quam Valentinam dicunt, cœpti feſtivi fragores, ex tormentis primùm quidem minoribus, deinde per mœnia ex majoribus. XV.

Ubi ventum eſt ultra portas, occurrit cohors prætoriana Helvetiorum, habitu argenteis faſciolis & cyaneo textu egregiè diſtincto. Prælongi ſtabant ordines ex ordinarijs Ducis cuſtodibus catapultarijs, quos vocant muſquetarios. Plateæ confertæ erant ingenti ſpectatorum, rhedarum & equitum multitudine: Iſto ordine proceſſum ad præclari operis Palatium Comitis Philippi d'Allié primi Do-

Digitized by Google

mi Domûs Ducalis Magiſtri, in quod Excellentiſſimus Comes Curtzius erat exceſurus. Hic ante fores in amplâ areâ ſtabant in acie turmæ equitum; pedites verò latera domûs utrîque ſtipabant, ad uſque medium ſcalarum aſcenſum, atque iſthic noctu atque interdiu habebant in orbem continuas vigilias. Suam Excellentiam in conclave proſecutus fuit Gubernator Taurinenſis cum nobili frequentíque comitatu: eodem venêre à Sereniſſimis Principibus, Mauritio & Thomaſio; à Nuncio quoque Apoſtolico, & Comite Serviento, fauſta apprecantes.

Triduo pôſt Excellentiſſimus Comes à meridie deductus ad Sereniſſimæ Ducis matris audientiam in rhedâ ſejugi, quam geminæ aliæ ſequebantur auro ſericóque conveſtitæ, quibus vehebatur nobiliſſimus virorum illuſtrium comitatus. Exceptus fuit à Regiâ Suâ Celſitudine in Ducali procœtone, aſtante utrinque illuſtriſsimâ Nobilium matronarum ac virginum ſerie, equitibus verò Ordinis Annunciatæ, aliiſque proceribus à tergo Regiam Celſitudinem ſtipantibus. Ipſa nonnihil prælocuta, ſedens Legatum attentè audijt Italicè perorantem.

Abſoluto colloquio, Legatus debita Regio Duci Legationis ſuæ officia honoréſque exhibuit, eodémque veſpere ad Sereniſsimarum Principum, tandémq; ad Sereniſsimæ Adelaidis colloquium fuit admiſſus.

XVI. Dies inſequentes dati fuerunt accipiendis reddendíſque ſalutationum officijs, tum referendis in tabulas pactis matrimonialibus, quæ in Sereniſſimæ Adelaidis domicilio, præſentibus Sereniſsimâ Matre, unà cum Duce Regio, tribúſque Sereniſsimis ſororibus, Nuncio Apoſtolico, Legato Regis Chriſtianiſsimi, aliiſque quammultis Proceribus fuêre lecta & obſignata, quartâ die Decembris. Septimâ ejuſdem menſis, poſt creatos in cœtu Ordinis Annunciatæ quinque novos equites, itum eſt ad principem Baſilicam, auditóque iſthic hymno Ambroſiano, Sereniſsima Mater in Regiam fuit reducta.

Die octavâ P. Joannes Petrus Ferrarius Societatis Jesu, Rhetoricæ Profeſſor, recitavit à meridie elegantem panegyricum de laudibus Domûs Bavaricæ, & honoribus contrahendæ cum Domo Sabaudicâ affinitatis: die poſterâ, ſacra Chriſti ſepulti Sindon in ſummâ Æde frequentiſsimæ totius civitatis & convenarum venerationi, in ſingularem gratiam proximarum nuptiarum, & Legationis Bavaricæ publicè fuit exhibita. Non deſcribam ſingula donaria ſponſalitiæ largitatis, ne videar velle in immenſum extollere Maximiliani Electoris & Bavaricæ Domûs magnificentiam: ſatis erit dixiſſe, idque cum fide, tantam eam fuiſſe, ut cùm pretioſiſsimis rebus eſſet refertus Maximiliani theſaurus, nihilominus his non contentus, præſtantiſsimas quaſque comparârit ex gemmis, quas claſſes Indicæ in Batavos advexerant, voluerítque in Filij nuptias conferri.

Agebatur Decembris undecima, eáque Dominica, cùm, ſuprà quàm dici queat, feſtiviore pompâ ritus nuptiales ex ſacrarum legum more fuêre celebrati. Ad hos exornandos viſum eſt confluxiſſe, quicquid Oriens parit auri & gemmarum, quicquid poteſt ars addere venuſtatis, quicquid Sabaudia, Pedemontium habent ſplendoris & Nobilitatis, quicquid finitimi producunt oculorum & curioſitatis; tanta fuit ſpectaculi gratia & videndi cupiditas. Ducta fuit pompa è Ducum Regiâ ad Baſilicam, quæ eſt Archiepiſcoporum ſacra ſedes, eâ majeſtate, qualem vix vidit multis retro annis Taurinum.

XVII. Adfuit Regiæ Matris Serenitas inſigni regio diademate, amictu holoſerico, cum pallâ, qualem gerunt Reginæ viduæ, colore pullo, obducta muris Pontici vellere. Adfuêre geminæ Principes, Ludovica Maria, Margarita, utraque coronato vertice adamantibus ſine numero, & ſupra omnem pretij æſtimationem (taceo gemmas alias) radiantibus.

Nuptiæ celebrantur

Inter Sabaudiæ Duces agmen ducebat Dux ipſe rerum potiens, qui pone Matrem Regiam agens pronubum, Sereniſsimam Adelaidem manu ſuſtentatam, coronâ, cætero ornatu, formâ ad ſtuporem fulgentem ducebat. Geſtabat tum ipſa, tum ſorores prælongas ex humeris cyclades colore candido, texturâ

argenteâ

argenteâ. Cætera veſtium præ auro & textu gemmeo ſuperabant omne quaſi pretium. Aderant Sereniſsimi Principes Mauritius, Thomaſius, & hujus Sereniſsimi Filij, toti auro gemmiſque coruſci. Locum habebat honorificum Excellentiſſimus Comes Curtius Bavariæ Legatus. Equites Ordinis Annunciatæ, Proceres ſanguinis Sabaudici, frequentiſsima Nobilitas, cœtus nobiliſsimarum Matronarum ac Virginum, Supremus Cancellarius cum Libellorum Magiſtris, ſupremus Præſes cum Senatu univerſo & quæſturæ tribunis. Præterea Sereniſsimæ Matris ac Ducis Prætorianos, novenos feciales ſagulis inſignibúſque Regni Cypri, Ducatûs Sabaudici & Auguſtenſis, principum idem Pedemontij Provinciarum majeſtatem referentes. Tanta erat turba confertæ multitudinis, ut eam capacis admodum templi latera vix admitterent. Sedilia auro coruſca occupavêre omnes Principes ſub umbella aureâ textûs Attalici latè expanſâ, ad aræ principis partem Evangelicam loco paulò eminentiore. Ut quieverant, prodijt Archiepiſcopus cum toto Collegio, & ſub minore conopeo, ſolenni more connubialia verba excepit, nubentibúſque bene eſt precatus. Dux Sabaudiæ Sereniſsimus in addicendâ fide conjugali, Sereniſsimæ Principi Bavariæ, ſorori ſuæ Adelaidi, vices egit Sereniſsimi Ferdinandi Mariæ Ducis abſentis. Contractum matrimoniũ renunciârunt tubarum clangores, voces gratulantium, fragores tormentorum è munitionibus civitatis, concentus Muſici præſtantiſsimi. Pòſt data fuit opera ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, deinde epulo regio, in majore Aulici triclinij cœnâtione, Aulæ miniſtris ſolenni more honorarias functiones obeuntibus. Primas accumbentium tenuit Sereniſsima Domina Regia; ſecundas ſponſa Sereniſsima; ſequentes, Dux Sereniſsimus, Principes ſuo quiſque ordine.

Menſis remotis, itum pompâ perquam magnificâ ad templum Societatis Jesu, ad quod ſimul è ſuo domicilio deductus fuit cum egregio comitatu, Excellentiſſimus Comes Curtius. Haud pauciores ducentis, pompam ſtipabant equites auro, argento & plumatilibus criſtis jucundâ varietate ſuperbi. Latera Principum, inter quos Sereniſſima ſponſa, ſtipabat proximè Bavariæ legatus. Nimis operoſum eſſet deſcribere ſeriem Illuſtriſſimarum tùm matronarum, tum virginum, quæ honoris & obſequij gratiâ ſunt ſecutæ. XVIII.

In templo peractis hymno Ambroſiano Deo gratijs, ſpectaculo fuerunt ingenioſæ effigies affixæ columnarum ſtylobatis, quæ ponebant ob oculos, Orientis & Occidentis Imperia, Regna Franciæ, Hiſpaniæ, Poloniæ, Luſitaniæ, Angliæ, Scotiæ, Bohemiæ, Cypri, Siciliæ, Neapolis, cum quibus Domus Sabaudica olim conjugia junxerat. Singulis ſtatuis affixa erant ſua inſignia juncta Sabaudicis, unà cum elegantibus Elogijs: totus iſte ſtatuarum ornatus id unum ſpectabat, ut cohoneſtaret geminas effigies erectas ad Bavariæ & Sabaudicæ Domûs, contractæque inter eas affinitatis, honorem. Templi parietes ornabant varia ejuſdem argumenti Emblemata. Ubi ſatis fuerat oratum & ſpectatum, reditum ad Regiam pulcherrimo ordine. Subinde colluxêre è feneſtris Palatij & urbanarum circà ædium feſtivi ignes mirâ arte nomina Sereniſſimorum ſponſorum exprimentes; tum cohortes, quæ forum occupârant, diſploſione quinies repetitâ, ſponſis applauſerunt. Arſêre ſimul quaternæ molis excelſæ pyramides ad forum promercale. Noctem celeberrimus chorus, Hymenæum numeroſo tripudio decorantium, & ſumptuoſa omnis generis præſtantiſſimorum bellariorum cœnula, abſumpſerunt.

Data exinde fuit opera ludis equeſtribus præcipuè decimâ quintâ Decemb. quorum Schema typis mandatum, factum eſt juris publici. Decimâ octavâ celebrata fuit quintana ad ſtatuã decurſio, in quâ primas tulit Dux ipſe regius, ſecundas Princeps Thomaſius; ille Sereniſſimæ Electrici Adelaidi, hic Sereniſſimæ Principi Margaritæ bravium donaverunt. Noctem proximam illuſtrârant ignes, arte egregiâ, per præcipua civitatis loca collucentes; in ijs excelluerunt illi, qui ad regiam accenſi, nomina Sereniſſimi Ducis Ferdinandi, & Sereniſſimæ ejus ſponſæ Adelaidis referebant. Qui ſuperfuêre dies ad uſque Bavaricæ Legationis diſceſ- XIX.

ſum, dati fuerunt honeſtiſſimis quibuſque animi relaxationibus, viſitationum officijs, valedictioni. Nocte, quæ vigeſimum ſecundum fuit ſubſecuta, ad ſequens uſque crepuſculum, magnificentiſsima chorea nuptialis fuit habita. In eâ quatuor Principes, ſedecim nobiliſsimæ dominæ, triginta duo viri illuſtriſſimi partes ſuas nobiliſsimè egerunt.

Vigeſimo tertio ejuſdem menſis ante meridiem Excellentiſsimus Comes Curtius cum toto comitatu ſeſe dedit in reditum, quinque equitum turmis honoris causâ ipſum ſtipantibus. Additi fuerunt honorarij comites per totum Pedemontium cum omni genere munificentiæ & apparatûs hoſpitalis. Expertus eſt etiam ſummam benevolentiam, & honorum conteſtationes, tam in Ducatu Mediolanenſi, quàm cæteris Principatibus ac Provincijs omnibus, per quas fuit illi iter habendum. Demum legatione cum magnâ laude perfunctus, Monachium reverſus eſt decimâ quintâ Januarij An. M. DC. LI. Dilata fuit Sereniſſimæ Electricis Adelaidis in Boicam profectio ad annum M. DC. LII. quam, tametſi id facturus ſum loco non ſuo, hîc tamen paucis putavi delibandam, ne Lectoris deſiderium differam ad nondum paratam, & forſan longè poſitam Annalium ſcriptionem.

SERENISSIMÆ ADELAIDIS ELECTRICIS ITER IN BAVARIAM.

XX. Idem, qui cum ſummâ laude legationem pro celebrando matrimonio Comes Curtius obierat, à Sereniſsimâ Electrice Mariâ Annâ Maximiliani Electoris viduâ, tutrice Ferdinandi Electoris & Regente Bavariæ; juſſus fuit in Pedemontium proficiſci, & Sereniſsimam Adelaidem, quod tum Ferdinandus, tum ipſa ardentibus votis exoptabant, in Bavariam honorificè deducere.

Monachio diſceſſit decimâ Aprilis cum nobiliſsima trecentorum ſexaginta hominum comitatu. Toto itinere eximiè à Principibus & Magnatibus cultus, exceptúſque, Taurinum appulit ad Maij decimam. Iſthic magnificè habitus, acceptis, redditíſque à Sereniſsimis Regijs Principibus, Nuntio Apoſtolico, Archiepiſcopo Taurinenſi, Legato Regis Chriſtianiſsimi, aliiſq; Proceribus, inviſendi & ſalutandi officijs, ſexto pòſt die, cùm Sereniſsima Electrix Adelais Regiæ ſuæ matri, Sereniſsimo Duci, Sereniſsimis Sororibus, & Sereniſsimis Patruis ac Patruelibus, cum ſingulari amoris ſenſu valefeciſſet, non ſine profuſis utrinque lachrymis cœpta in Boicam profectio.

EIUS DISCESSUS.

Quod in tam difficili amantiſsimarum perſonarum ſeparatione amoris lucta ſolet efficere, hinc retinente chariſsimo ſanguine, inde avellente ſancto conjugij nexu, poſt difficile certamen, victoria ſtetit penes legem ab ipsâ mundi & nuptiarum origine divinitus ſancitam, ut homo relinquat patrem & matrem, & adhæreat ſuo compari. Abeuntem Dux Sabaudiæ Sereniſsimus, pro incredibili ſuâ charitate, ad duo milliaria eſt proſecutus. Ad uſque Pedemontij fines extremos, juſſu Regiæ ſuæ Celſitudinis, inſervierunt Marchio de Lanzo è ſtirpe Eſtenſium: Comes Philippus de S. Martino de Allié, D. Margarita uxor Marchionis Lanzij, & Comitiſſa de Longhera ſuprema hactenus ejus Aulæ Præfecta. Aula univerſa, civitas, tota patria, ſic illachrymata fuit abitui, mœrénſque ſic bene precata eſt itineri, ut ardentiſsima pro ejus felicitate vota luculentè teſtaretur. Non deſcribam ſingulos honores in Pedemontio, in Ducatu Mediolanenſi, in ditione Venetâ, in Provincijs Auſtriacis, à Principibus, Gubernatoribus, Legatis, populiſque exhibitos, ne excedam limites propoſitæ brevitatis. Non poſſum tamen premere ſilentio, quod Sereniſsimus Dux Mantuæ, excitus Sereniſsimæ Sponſæ videndæ deſiderio, cum exiguo quidem comitatu, ne agnoſceretur, ſed cultu tamen, qui eum non ſineret latere, Voſſolendum excurrerit, cœnantis mores regios, præſtantiſsimámque formæ venuſtatem demiratus, eximijs laudibus deprædicârit.

XXI. In ditione Mediolanenſi, Commiſſarij (ut vocant) honorarij partes egit Jacobus Stampa Ord. S. Jacobi Eques & quæſtor Regius: in Venetâ Marchio Gaſpar Gerardini, cujus ſapientiam & comitatem hoſpites in Bavariam reduces mirè laudârunt. Ingredientem fines Auſtriacos nomine Sereniſſimi Archiducis

cis excepit Comes Spautius, ſupremus Aulæ magiſter. Tridentum venienti occurrit Baro Firmianus præcipuæ inter Tirolenſes nobilitatis, ipſe Illuſtriſſimus Epiſcopus ſummæ Princeps humanitatis leucam unam obviam proceſſit, & Tridenti Sereniſsimam Electricem cum Aulâ universâ regio apparatu, dapibúſque exquiſitiſsimis per biduum habuit. Bolſanum venientem, nomine equeſtris nobilitatis, invitârunt Benno Comes Brandiſius, & Comes Dominicus Wolckenſteinius: atque hic quidem domi ſuæ Sereniſſimam ſplendidè habuit. Ab Epiſcopo Brixinenſi venêre obviam Jeſſe Perckhoferus Suffraganeus & Generalis Vicarius, unà cum Comite Maximiliano Wolckenſteinio. Colmanni in Archiducali palatio ſumpſit prandium die ſextâ Junij, quo loco (res digna memoratu) ante annos centum ſuæ Serenitatis abavus pariter pranderat, cujus rei hoc extat monimentum.

ANNO SALUTIS M. D. LI. SERENISSIMUS D. D. PHILIPPUS PRINCEPS HISPANIARUM, CAROLI V. IMPERATORIS FILIUS, UNA CUM ILLUSTRISSIMO PRINCIPE EMANUELE PHILIBERTO DUCE SABAUDIÆ DIE IV. IUNII, A FIDELI SERVITORE A TAXIS MAGNO GAUDIO ACCEPTI, HICQUE HILARES PRANSI, VERSUS ITALIAM FELICITER DISCEDUNT.

XXII.

Cùm à Brixinâ abeſſent mediæ horæ itinere, Epiſcopus honorificè excepit Sereniſsimam, inque Ædes Epiſcopales, quarum veſtibulum ornabat Arcus triumphalis cum Bavaricis & Sabaudicis inſignibus, diversisque eximiæ artis Emblematis, induxit. Decimâ ejuſdem menſis, Sereniſſimus Archidux Franciſcus Sigiſmundus manè Matraij, felicem adventum eſt gratulatus Sereniſſimæ Electrici, quam à meridie Oeniponto propinquantem ipſe Sereniſſimus Archidux Ferdinandus, ſtipatus nobiliſſimo Aulicorum & Prætorianorum comitatu, honoris causâ in magnificentiſſimè exornatum palatium eſt proſecutus. Oeniponti ipſum quatriduum chariſſimam hoſpitem regiâ munificentiâ habitam, ludis equeſtribus & feſtivo rerum pulcherrimarum apparatu recreavit, ac deinde Halam uſque deduxit.

Hinc Sereniſſima Electrix iter continuans, die Junij decimâ ſeptimâ Copfenſteinium divertit. Eò poſtquam appulerat, Baronem Metternichium præfectum Aulæ Sereniſſimi Electoris Ferdinandi coram habuit, verbis Sereniſsimæ Electricis Regentis gratulantem. Simul advenerat Sereniſsimus Elector cum ſelectiſsimorum Equeſtris Ordinis nobilium comitatu. Voluit ipſe ante primum alloquium deſideratiſsimam ſuam ſponſam incognitus arbitrari, eóque ſtetit in confertâ multitudine, dum Metternichius ſuâ legatione fungeretur. Tum ipſe nondum agnitus epiſtolam ſuâ manu exaratam porrigit: eam ut cœpit legere Sereniſsima Adelais, advertit adeſſe ſponſum, ſéque ipſam colligens ac damnans errorem (ſi quis fuit in re tam inopinatâ, & nunquam antè, niſi ex depictâ effigie viſo marito) ſe dat in caſtiſsimum oſculum. Hinc initum primum alloquium, datæ verbis amantiſsimis, ac redditæ invicem, gaudij teſtificationes, quas ſolus amor & innocentiſsimi optimarum mentium affectus, utpote conſcij ſuarum aſpirationum, cogitare veriùs poſsint, quàm pro dignitate verbis exprimere. Sermonem amantibus nimis brevem abrupit hora, quam Elector dixerat ſuo diſceſſui: diſcedendum tamen fuit, ne Roſenheimium repetentem nox opprimeret. Diſceſsit repetitis ſine numero non diſcedendi deſiderijs, & viſus eſt non totus diſceſsiſſe; ita manſit animus magis ubi amabat, quàm ubi animabat. Abeuntem Sereniſsima Sponſa oculis, quouſque ſe eorum porrexit acies, animo verò, quod ſolent amantes, ubique comes eſt ſecuta. Is fuit modus finíſque primi congreſſus, qui non tam extinxit videndi ſitim, quàm accendit.

Primus Sereniſsimi Electoris Ferdinandi cum ſua ſponsa congreſſus.

XXIII. *Ingreſſus in Bavariã.* Ergo die poſtero, qui fuit Junij decimus octavus, Sereniſsima Adelais maturatâ profectione ingreſſa fines Bavariæ, obvium habuit Joannem Fridericum Baronem Pentzenávium ab arcanis Boicæ conſilijs, & Aulici Senatûs Præſidem cum octonûm nobilium comitatu, qui & venienti debitos honores deferret, & eſſet in obſequijs ad uſque Waſſerburgum. Quacunque procedebat, ex omnibus arcibus, oppidis, exhibiti fuerunt Sereniſsimæ nuptæ ſummi, qui potuerunt, honores, feſtivis æneatum machinarum diſploſionibus, centuriatorum armatorum occurſu, cæterâ rerum magnificentiâ. Poſt noctem Roſenheimij peractam, die Junij nono decimo ventum eſt Waſſerburgum. Venienti Sereniſsimæ nurui, veriùs filiæ, iit obviam Sereniſsima Electrix Regens in editam planitiem, unius horæ itinere. Eunti adfuerunt Sereniſsimus Elector Sponſus, Sereniſsimus Dux Albertus Bavariæ Adminiſtrator, Sereniſsimus Dux Maximilianus Sponſi germanus, Sereniſsimus Dux Albertus Sigiſmundus ejuſdem patruelis Friſingenſis Princeps & Epiſcopus, ingens Aulæ nobiliſsimæ numerus. Sponſam è lecticâ deſcendentem amantiſsimè Sponſus extulit, manúque prehenſam deduxit ad Sereniſsimam Matrem. Nemo, ne oculatus quidem inſpector, par ſit deſcribendis mutuæ benevolentiæ caſtiſsimis baſijs, ſalutationibus, amplexibus, lætitijs Principum: ſuperârunt hæc omnem Aulæ & innumeræ multitudinis, quæ ſpectaculo aderat, captum & admirationem. Sublatam in Sereniſsimæ Matris rhedam ſtipârunt Sereniſsimi Principes, ipſe adeò Elector, omnes equis ſublimes.

Nullum veſtium ornatum memoro, quia unus omnibus pullo colore, íſque ſimplex ex nondum poſito luctu Sereniſsimi æternæ memoriæ Electoris Maximiliani.

XXIV. Ut fuit pompa Waſſerburgo propior, ex arce, è propugnaculis, è mœnibus, è monte, qui ponti trans Oenum eſt proximus, cœperunt tonare ſæpe ſæpius ex circumpoſitorum jugorum objectu reflexi, & è tormentis repetiti fragores. Seriem comitatûs præibant turmæ equitum, Aulicorum, Magiſtratuum, Miniſtrorum, familiarium: ſequebantur Prætoriani, rhedæ ingente numero. Pone pontem, quà transmittendus Oenus, ſtabant in acie explicatis ſignis cives. Alij longo ordine armati ſepiebant pontem & vicos, per quos eſt aſcenſus in arcem. Huc conceſsêre Principes, & redintegratis ſalutationibus, cùm aliquanto ſpatio Sereniſsima Sponſa in ſuo conclavi nobiliſsimè exornato, ab itineris labore reſpirâſſet, ſimul omnes apud ipſam opiparam cœnam ſumpsêre, eâque ſumptâ, poſt non longum colloquium, ad ſua ſe ſinguli domicilia, & nocturnam quietem recepêre.

Poſtridie ſacris in arce abſolutis, ſumptóque prandio, à meridie Hagam, quæ oppidum & arx eſt Hagenſis in Bavariâ Comitatûs, Principes omnes cum Aulâ pernoctaturi contenderunt. Iſthic nitebant conclavia operis elegantiſsimi periſtromatis, cæteriſque regiæ prorſus magnificentiæ ornamentis, & rerum omnium apparatu, qui etiam die inſequenti Suabæ in arce recenti ædificio decorè auctâ non abſimilis fuit. Noctem cùm iſthic egiſſent, Junij vigeſimo ſecundo poſt auditum ſacroſanctæ Miſſæ officium ventum fuit ad peramænam planiciem, haud longè ab Aſchemio juxta nemus modicè raris, ſed opacis denſum arboribus. Locus ipſe referebat ſui aliquâ ſpecie Tempe Theſſaliæ. Iſthic cùm cœli gratiſſima temperies, ſolíque pulchritudo arriſiſſet, erant caſtrorum in modum diſpoſita carbaſini operis, vario virgata colore & ramalibus frondoſa, pulcherrimo ordine, tentoria. Tempeſtivè in extemporaneis officinis juſſerat in campo parari epulas ad meridianam refectionem Sereniſſima Electrix Regens. Abſoluto prandio, cùm via Monachum verſus legeretur, haud procul à tentorijs adfuêre geminæ turmæ cataphractorum, quinæ ſclopetariorum cohortes, univerſè quingenti pedites in acie explicati. In poſteriore agmine Georgius Chriſtophorus Baro Haslangius Aulæ caſtrenſis Præfectus (Mareſchallum vulgò nuncupant) ducebat ducentos à Boicâ nobilitate ſplendidè armatos equites. Ante illos manu ducebantur equi honorarij Principum & nobilium: ſuccedebant tubici-

bicines, deinde præcipui è Miniſtris, poſt hos Gubernatores, Conſultores rerum arcanarum: ſubinde Aulæ Principum, ante Sereniſsimos Duces Albertum Sigiſmundum, Maximilianum, Sereniſsimum Albertum Adminiſtratorem, & Sereniſsimum Electorem. Tandem poſt longum rhedarum ordinem, Sereniſsima Electrix Regens, & Sponſa Sereniſsima curru ſublimes, quibus adequitabant Aulæ præfecti Maximilianus Comes Fuggerus, & Comes Maximilianus à Portiâ: His erant à tergo Ephebi, cubicularij curſores: ſequebatur turma prætoriana, cui præerat Joannes Henricus Baro Haslangius Tribunus: tandem fœminæ nobiles cum prolixâ rhedarum ſerie. Ut proceſſerat pompa ad planiciem, quæ ponti Iſaræ proxima eſt, ex omnibus circum urbem munimentis, turribus, mœnibus, Sponſa Sereniſsima feſtâ machinarum centum ſeptuaginta diſploſione fuit ſalutata, deductáque per confertam populi multitudinem ad ſpectaculum effuſam, & armatos civium ordines, ad Ædem Collegiatam Deiparæ Virginis, ubi à Præposito, cui aderat Canonicorum collegium, ſolenni ritu excepta, per medias Religioſorum, qui templi latera ſtipabant, familias, ducta in chorum, juxta Sereniſsimum Sponſum genuflexit ante aram principem. Tum Sereniſsimâ Regeſite ac Principibus pariter in genua provolutis, carmen gratiarum actionis, & Litaniæ Lauretanæ magnifico concentu fuerunt decantatæ; quibus abſolutis, pulcherrimo ordine itum fuit in Electoris Regiam (cujus geminas portas exornabant arcus triumphales exculti egregio opere) auro & incomparabili rerum pulcherrimarum ſplendore fulgentem manſionem. Dies inſequentes acti inter gaudia, ignium artefactorum nocturna ſpectacula, cæteráque lætitiæ argumenta, quæ luctus Maximiliani Electoris paſſus fuit exhiberi. Demum vigeſimâ quintâ Junij, Sereniſsimi Sponſi, ſumptâ cœnâ in ſuburbano Neudeckienſi palatio, quod ad Sereniſsimum Ducem Albertum pertinet, domúm adultâ nocte reduces, in Aulæ ſuperiore Oratorio regio cultu inſigni, ante aram, in quâ ſanctiſsima Euchariſtia viſebatur, connubialis ſacramenti verba, ritúſque repetiverunt. Teſtes adfuêre Sereniſsima Electrix Regens mater, Excellentiſsimus Comes Curtius, Baro Metternichius, Baro Haslangius, ſupremæ Aularum Præfectæ, Comes Geisbergia, aliique perpauci. Adfuit, acceptâ à Parœco aſsiſtendi poteſtate, Sereniſsimi Electoris Confeſſarius, qui pauca in rem præſentem præfatus, thalamo, annulis ſponſalitijs bene fuit precatus. Atq; iſta fuit prima nox, quâ Sereniſsimi Sponſi venerunt in thori genialis communionem. Dierum inſequentium celebritates, ne longior ſim, conſultò prætereo.

An. M. DC. LI.

XXV. Monachiū ingreditur.

Repetiti ritus nuptiales.

Præterire non poſſum ſummam Sereniſsimorum Archiducum Oenipontanorum humanitatem, qui omnes, ut ſuam in nuptos, domúmque Bavaricam benevolentiam teſtarentur, cum Aulâ magnificentiſsimâ, Monachium gratulationis causâ advenerunt ſeptimâ die Julij. Culti fuerunt viciſsim eximijs honoribus: exhibita fuit à Gymnaſij Societatis Jesu Juventute Comœdia Ferdinandina. Adhibitæ præterea venationes, aliáque, quæ honeſtas, ſuaſit, decem omnino dierum oblectamenta.

XXVI.

Celebris fuit hic annus Jubilæo, quem magnus populorum concurſus & pietas Romæ frequentavit. In eo enituit maxima Innocentij X. Pontificis Maximi tum in omnes, tum in exteros, pauperes præſertim, benignitas curáque, ne turbatâ bellis Italiâ, peregrinis itinera forent intuta. Explicuêre etiam Eminentiſſimi Cardinales Principéſque ſingularem ſuam in advenas benevolentiam & charitatem.

E vivis diſceſſit hoc anno, decimâ tertiâ Septembris, Ferdinandus Archiepiſcopus Elector Colonienſis Dux Bavariæ in arce Arnſpergenſi, Princeps præclarâ in Deum religione, & beneficentiâ in homines. Eum, utpote chariſſimum fratrem, & Domûs Bavaricæ decus, impensè luxit Maximilianus. Præfuit Colonienſi Archiepiſcopali Eccleſiæ, & interfuit rebus Imperij difficillimis, annos ferè triginta octo. Gubernavit præterea Epiſcopatus quatuor, Leodienſem, Monaſterienſem, Hildeſienſem, & Paderbornenſem. Succeſſorem habuit ex

Alberto Fratre Nepotem Maximilianum Henricum in Colonienſi, Leodienſi, & Hildeſienſi Eccleſijs. Hic Coloniæ, vigeſimâ ſextâ Octobris, pronissimâ omnium Ordinum voluntate & frequentiâ, more majorum, conſuetum ſuſcepit cultum & obſequia, Princeps, ut ſe regendi dedêre initia, inter optimos locum habiturus.

AN. M. DC. LI. Annos variâ fortunâ Maximiliano exactos hactenus recenſuimus, reliquus eſt actus vitæ ipſius poſtremus, & is quidem pulcherrimus, ſed ſi ullus unquam Boicæ funeſtiſſimus, ob tanti Principis de patriâ, de Cæſaribus, de Imperio optimè meriti jacturam. Is, poſteaquã res erant in Germaniâ compoſitæ, dedit operam, ut gratiæ piaculares Anni Jubilæi, quæ anno ſuperiore Romæ à Summo Pontifice conceſſæ fuerant, in Bavariam quoque ex benignitate S. Sedis Apoſtolicæ derivarentur. Eapropter Aprili menſe litteras dedit ad Innocentium X. quibus rogavit, vellet Pontificiâ noxarum remiſſione ditiones Bavaricas diuturno bello feſſas non recreare modò, ſed etiam ditare, ut, quò majorem fecerant rerum humanarum inter tot dimicationes jacturam, eò redderentur ex immenſo divinarum opum theſauro feliciores. Accepit benigniſſimum à Chriſti in terris Vicario reſponſum. Sacrum diploma per Friſingenſem Epiſcopum, aliôſque Boicæ Ordinarios pro more fuit promulgatum. Inchoatum Jubilæum in Diœceſi Friſingenſi die vigeſimâ quartâ Junij, mâgno populorum ſolatio & fructu animorum.

XXVII. *Maximilianus Henricus Elector Colonienſis Sacerdotio et ordine Epiſcopali initiatus.*

Hoc eodem anno Maximilianus Henricus Archiepiſcopus & Elector Colonienſis (quod integro propè ſæculo nulli ex ipſius præceſſoribus contigerat) ſacerdotio fuit initiatus vigeſimâ quartâ Septembris. Idem, quò digniùs commiſſas ſibi divinitus animas gubernaret, octavo Octobris, Epiſcopalis dignitatis ſacra ſuſcepit. Diſtulit primam Liturgiam ad ſextam diem anni proximè ſequentis. Habita fuit ea celebritas Coloniæ Agrippinæ in æde principe. Eam cohoneſtârunt Philippus Wilhelmus Dux Neoburgicus, & Erneſtus Haſſiæ Landgravius. Non multò antè à Romano Pontifice acceperat per Paulum Stravium Joppenſem Epiſcopum, Colonienſem rerum ſacratiorum Adminiſtrum, pallium Archiepiſcopale. Pridie quàm DEO ad aram litaret, in magnâ Cleri & Magiſtratûs Populíque Colonienſis frequentiâ, veſperarum initium more ſolenni præcinuit. Adſtitêre Canonici perilluſtres, Joppenſis Epiſcopus, ſex Abbates mitris inſignes. Ipſo Chriſti à Magis adorati die, cùm ritu Pontificio celeberrimè ſacris operaretur ad altare auro, argentóque ornatum, adfuit innumera propè hominum multitudo excita ad ſpectaculum diutiſſimè Coloniæ deſideratum. Gratiſſima fuit uſura beneficij, quo ſummi Pontificis liberalitate plena peccatorum venia conferebatur omnibus, qui Archiepiſcopali benedictione ſolenni more donarentur. Præter Principes jam recenſitos ſacrificio interfuit Franciſcus à Lotharingiâ Virdunenſis Epiſcopus & Comes, Colonienſis Decanus, Eleonora Erneſti Haſſiæ Landgravij uxor: vidua Neoburgica è ſanguine Fürſtenbergico: Illuſtriſſimum Canonicorum Collegium: Eccleſiarum Prælati, Comites, Barones antiquiſſimæ nobilitatis, alij ex Ordine Equeſtri complures. Raræ pietatis & modeſtiæ fuit, quòd Erneſtus Landgravius, unà cum Eleonorâ conjuge nuper ad Romanam fidem converſi, ante ſacrificij initium, ad Archiepiſcopi pedes provoluti, publicè Catholicam Religionem ex conſueta formulâ fuerunt eâ die profeſſi. Non multo pòſt Maximilianus Henricus Elector, Hildeſij, aditâ Epiſcopatûs poſſeſſione, publicè eo ritu, quo antè Leodij, ſacris fuit operatus, præclaro in tanto Principe eximiæ probitatis exemplo.

XXIIX.

Maximilianus Ingolſtadium proficiſcitur.

Rapior perinvitus ad ſupremam Maximiliani lineam. Optimo Principi lubuit ante vitæ exitum viſere Ingolſtadium hoc ipſi charum nomine, quòd nupero bello inter tot hoſtium inſidias, & vim apertam, invictum immotúmque in fide perſtitiſſet, non firmum magis munimentis, quàm inconcuſſâ in Principem & patriam conſtantiâ. Et hæſerat in Principis animo ſuavis quædam ejuſce temporis recordatio, quòd iſthic inter manſuetiora litterarum exercitia conſumpſerat:

rat: ex eâ recordatione amor, ex amore reviſendi deſiderium. Sed ſimul inceſſerat animum ad divina proclivem, cupiditas Numinis Sancti Salvatoris templo venerandi. Locus eſt diſtans ab Ingolſtadio quatuor omnino horarum itinere, votivis peregrinationibus celebris. Maximilianus profectionem indixit in diem decimum quintum Septembris, quo cum Sereniſſimâ conjuge, chariſſimíſque Filijs è Schleisheimiano digreſſus, cum mediocri Aulæ comitatu ſe dedit in iter, pro modo devexæ ætatis ſalvus etiamnum & vegetus. Noctu divertit ad Schirenſe Ordinis D. Benedicti Cœnobium, loco peramœno, & non ſanctitate minùs religioſæ diſciplinæ, quàm ædificiorum opportunitate conſpicuum. Fuit olim Principum Schirenſium arx & avita ſedes, eorum aſſenſu & liberalitate converſum in domicilium familiæ Benedictinæ, quod demum Ludovicus IV. Bavarus Imperator, anno poſt Chriſtum natum M. CCC. XV. inſignibus juribus nobilitavit, quæ Ludovicus Marchio Brandeburgicus Ludovici Filius confirmavit, additis alijs eximijs privilegiorum prærogativis, quibus præclarè fuit aucta res & auctoritas Monaſterij in ſubditos.

De hoc ſcribit Valentinus Leuchtius in Virid. Reg. ex Ioan. Engerd. Brunn. Ann. Boic. part. 3. pag. 279.

Wigul. Hund. in Metrop. Salisb. tom. 3. pag. 302.

Eò loci voluit Sereniſſimus Princeps agere diem inſequentem, donec abſolveretur ſolenne officium veſpertinæ hymnodiæ, cui de more piè interfuit. Eo completo Sanctorum lipſana, quæ iſthic religiosè aſſervantur, ſingula, magno pietatis ſenſu veneratus, diſceſſit Pfaffenhovium civitatem ſitu & domorum ſpecie non injucundam. Poſtridie, quæ decima ſeptima Septembris fuit, ſumpto in arce Berenbacenſi prandio, tempeſtivè pervenit Ingolſtadium feſto muralium machinarum fragore, & præſidiarij militis, civiúmque armatorum honoribus exceptus. Tranſeunti pone Richardi oppidum Neoburgicæ ditionis, cives honoris causâ, in parato eam ad rem è frondoſis arborum ramis tentorio, obtulêre vinum & bellaria, quæ humaniſſimus Princeps ab Aulicis & famulitio voluit deguſtari. Illic revocavit in memoriam receptum Guſtavi Sueciæ Regis, qui ante annos novendecim, Ingolſtadio fruſtra oppugnato, irritus triſtíſque in iſto oppido prandium ſumens, à Croatis territus, menſas nondum abſolutas properè deſeruerat. Reviſit etiam caſtrorum obſidionalium veſtigia locúmque, in quo Rex tormenti majoris ictu ex equo dejectus, grande vitæ periculum adierat. Simul egit gratias Deo civitatis & patriæ liberatori. Tandem per mediam populi, ad ſpectaculum & gratulationes effuſi, multitudinem, conceſſit in arcem, in quâ die decimâ octavâ geminis Miſſæ ſacrificijs, pro vetere conſuetudine, piè interfuit. A meridie, ut erat otij ab ipsâ pueritiâ prorſus impatiens, aliquot horas tribuit luſtrando armamentario & vicinioribus munimentis. Decimâ nonâ Septembris cum Sereniſſimâ conjuge & utroque filio ſeſe ſtitit Beatæ Virgini in ipſius æde non magis internis ornamentis & nitore, quàm ſtructuræ magnificentiâ, inter formoſas Germaniæ Baſilicas numerandâ. Hîc, ubi ſub divinis conſuetam precationem abſolverat, juſſit Divorum reliquias in menſâ ad eam rem paratâ ſibi exhiberi, & ſingulas ſuis recenſeri nominibus: quas & religiosè inſpexit, eâ pietate, ut non modò ſe, ſed etiam circumſtantes ad ſingularem venerationis erga Divos ipſos affectum excitaret. Proferri etiam voluit Divæ Virginis ex auro ſolido effigiem pulcherrimi operis, pretioſum donum Iſabellæ Stephani II. Ingolſtadij Reguli Ducis Bavariæ Filiæ, Reginæ Franciæ, matris Caroli VII. qui res Francicas ab Anglis afflictas, ad priſtinam fortunam erexit.

Reichertshofen.

XXIX.

Die vigeſimâ, aurâ licèt vento ac imbribus incommodâ, inviſit, quod ipſi maximè erat in votis, templum S. Salvatoris, ad quod delatus, non multò ante meridiem ſacris præſens, ſe, ſuam Domum, rémque non Boicæ modò, ſed etiam totius Imperij communem humanæ ſalutis authori ſupplex commendavit. A meridianâ corporis refectione prolixè tum ipſe, tum Sereniſſima Electrix, egêre cum conſcientiæ arbitro de pietatis officiis, quæ die poſtero (is Matthæo Apoſtolo & Evangeliſtæ ſacer erat) forent obeunda. Statuerunt, peractâ exomologeſi, cœleſti epulo refici, & ſolenni Miſſæ officio ac concioni in templo Societatis Jesu Ingolſtadij intereſſe. Inter cætera, Princeps ſubjectorum inprimis amans, voluit ſibi in templi odæo parari locum, ex quo poſſet populi frequentiam XXX.

tiam & pietatem commodè arbitrari, ut mentem ipſe ſuam eo ſpectaculo recreatam ad divina erigeret. Voto ſuo fecit ſatis, tameſi jam catarrho ipſi non inſueto nonnihil tentatus. Tum inſpectis Principum Bavaricorum elogijs, ac imaginibus, quas ſui Principis honori Collegium Societatis in majore Domûs Aulâ affixerat, in arcem revertit. Statuerat à meridie in Æde D. Mauritio ſacrâ adeſſe Veſperis, quæ ad Divi venerationem in feſti ipſius pervigilio fuerunt celebratæ. Pio deſiderio interceſſit nonnihil ingraveſcens corporis debilitas, & placitum medicorum. Intendit ſe aliquantum morbus nocte inſequenti, ita tamen, ut ejus vim ſuperaret ejus pietas, qui manè horâ conſuetâ voluit geminis ſacrificijs in domeſtico arcis ſacello vacare. Sub horam quartam pomeridianam, ſe demum exeruit mali vis, quæ optimum Principem adhuc de adeundo S. Mauritij templo cogitantem, lecto, qui ipſi fatalis fuit, affixit. Evaſit ægritudo in impetuoſam diarrhœam & copioſum vomitum, qui flavæ bilis intermixtu nonnullam ejus effuſionem præ ſe ferebat. Succeſſit magna in ſenili corpore virium dejectio, & perfrequens ſingultus, quem in devexâ ætate, cùm juſto major eſt purgatio, experientiſſima medicorum diſciplina cenſet eſſe funeſtum nuntium mali longè majoris. Attigerat noctem mediam, cùm judicio Medici viſum eſt, de Principis animo ad beatam vitam præparando eſſe agendũ. Vocatus Confeſſarius mox adfuit, ſed conſultò rem diſtulit in diem proximam. Vix diluxerat, quando captato ſemel iterum ad Principem aditu, cùm magna morbi vis nihil remitteret, ſed in horas evaderet vehementior, modeſtè, ſubobſcurè tamen, ne indicium foret importunum, de periculo admonuit. Verùm nihil erat opus ullis ambagibus. Jam ſenſerat Princeps ſapientiſſimus ipſe ſuum diſcrimen, & ſuâ ſe magnanimitate armaverat ad Chriſtiano homine digniſſimam in tali rerum articulo conſtantiam. In primo enim ſtatim congreſſu, rem, ut erat, divinans: *Quid*, inquit, *rei eſt, quòd tam manè mihi adſis, mi Pater, hodie præter morem?* Reſpondit, ſe excitum nuntio alicujus ægritudinis, quæ decumbentem affligeret. *Ita verò eſt*, inquit, *nam & oppidò me ſentio debilem.* Nihil ultrà iſto congreſſu egit Confeſſarius. Verùm cùm in momento morbus invaleſceret, reverſus ad Principem ex eo cognoſcit, vires paulatim fieri debiliores. Infert conſcientiæ director; Quid ſi DEUS ſineret debilitatem augeri? *Utique* inquit æger, *quando corpori periculum eſt, oportet animam procurare.* Tum poſt aliquas ad inſpiciendam conſcientiam inducias, ubi omnes animi latebras excuſſerat, cùm incredibili claritate & pietatis ſenſu ſeſe totum per ſacram confeſſionem Sacerdoti aperuit, ac petivit, ut, quoad ejus fieri poſſet, ubi vomitus frequentia deſiviſſet, ſupremo ad æternitatem viatico reficeretur. DEUS fecit voti compotem. Cùm enim iſta nauſeantis ventriculi moleſtia remiſiſſet, Sacerdos ſacris in viatorio Altari, quod portatile nuncupant, in Principis conclavi operatus, divinum idque ſupremum futuræ gloriæ pignus pientiſſimo Principi porrexit. Erat Maximilianus in eo percipiendo tam incensâ ſemper pietate, ut ex vultûs ardore, & venis in fronte præter ſolitum turgentibus, mens DEO plena promicaret. Præmittebat etiam toto, quod antè peragebatur, ſacrificio, tam ardentes ad ſuum dilectum preces ac ſuſpiria, ut plerumque ſui ac præſentium oblitus, in voces erumperet teſtes interni ardoris, quaſi à neſcio quâ pia mentis flammâ reſpiraret. Hæc licèt forent illi familiaria, in hoc tamen ſupremo pietatis actu, afflictæ valetudinis immemor, ſeipſum ſuperavit. Eum ſpectârunt, qui Miſſæ intererant, toto ſacrificij tempore, oculis in cœlum elatis, vultu igneo, ad DEUM aſpirantem: viderunt eum incredibili reverentiâ ſumentem porrectum viaticum, eoque ſumpto, in referendas amantiſſimo hoſpiti gratias effuſum, verbo, tum uti aliàs, immo ſupra quàm aliàs, exemplum dedit, formámque rectè & cum ſingulari fructu, ſub ſacramento, DEO, in mortali hâc vitâ veſcendi. Pôſt, ubi finem precandi fecerat, petijt à Confeſſario, ut quando ipſi conſultum videretur, ad ſupremam morientium luctam ſacro oleo adverſus inviſibiles animarum prædones muniretur.

Marginalia: MAXIMILIANUS INCIPIT ÆGROTARE. — MORBUS INGRAVESCIT. — *Hippocr. 7. Aphoriſm.* XXXI. — MAXIMILIANUS SE COMPARAT AD MORTẼ. — SUMIT SACRUM VIATICUM.

Nihil.

Nihil attinet dicere, quanto ſtudio & facilitate ſuam ipſe voluntatem cum divinâ conjunxerit, quàm ſupremum mortis ictum non cupiverit differri vel ad momentum. De ipſo enim ex vero dici poteſt, lubentem, volentem, animo promptiſſimo ad Deum, citra omnem repugnantiam properâſſe. Adhibuêre nihilominus Medici, quicquid ars ſuggeſſit ad præſentis morbi curationem exquiſitum, & ipſe magno parendi ſtudio admiſit. Remittenti ſenſim diarrhœæ & nauſeæ ſucceſſit materia nigricans, quæ omnem humanam induſtriam eluſit. Ea, per intervalla oppugnatum Principis pectus, non longis quidem, ſed vehementibus concuſſionibus agitabat, adhærendi pertinax, cedendi neſcia, ſed abſumendarum virium nimis efficax, tametſi Medici ad eas ſervandas, & corrigendos humores ventriculi tunicas pravè afficientes, omnem opem operámque gnaviter adhiberent. Mirum fuit, optimum Principem, toto ægritudinis tempore, nullum unquam doloris ſenſum, ullo adeò ſigno edidiſſe, ut negaret, ſibi quicquam dolere, aut eſſe adverſum, præter virium diminutionem. Sed mirum magis, quòd vivens vidénſque, mortem in momenta viciniorem ita quietus & interitus expectârit, ut quaſi rem vix ad ſe pertinentem meditaretur. Eum cùm fixiùs Sereniſſima conjunx aliquando ſpectaret: ***Quid**, inquit, **mirabile hominem mortalem videre?*** Verùm & hoc ſupra modum admirabile, quòd ſepoſitâ rerum omnium, quæ in hac vitâ maximi æſtimantur, cogitatione, ne ſuſtinuerit quidem Sereniſſimorum filiorum meminiſſe. Credebatur eos ultrò ad ſuprema ſaltem monita & ultimam fauſtitatis adprecationem acceſſiturus, ſed cùm ſe totum Deo impendiſſet, ne verbo quidem oſtendit, cupere ſe chariſſimo eorum aſpectu in ſupremâ vitæ lineâ recreari; ſatis habens, ſi illos tacitis votis ſummo omnium parenti commendaret. Valentior fuit in Sereniſſimam conjugem affectus. Hanc ex mœrore decumbentem, cùm notâſſet eſſe in reviſendo ſolito rariorem (nam antè ſemper aſſidua vix ab ejus latere diſceſſerat) abſentiæ cauſam ſæpius percontatus eſt; cúmque cauſam infrequentiæ, ægritudinem eſſe cognoviſſet, jubens ejus ſingularem curam haberi: ***Avertat Deus**, (inquiebat) **ne ex uno malo duplex oriatur.*** Animi tranquillitate ad ultimum uſque ſpiritum fuit incomparabili, itáque pacatus, & citra omnem conſcientiæ inquietem, ex Deo unicè ſuſpenſus, fiduciâ adfuturi ab ipſo auxilij, & Deiparæ, quam unicè per omnem vitam amavit, patrocinio erectus; ut, cùm cæteroqui etiam minimos animi nævos vehementer horreret, nihil tamen in extremâ vitæ periodo habuerit, quod ullo modo altiſſimam mentis malaciam turbaret: quod aliquoties ſuo Confeſſario ipſe fuit teſtatus. XXXII. XXXIII.

Tandem cùm ægritudo victrix afflicti corporis, invictam animam è ſuo domicilio brevi excluſura crederetur, vigeſimâ quintâ Septembris, circa horam octavam à meridie, ſenſuum & rationis uſu adhucdum integro, volens, extremo oleo fuit inunctus, præſente, tametſi viribus imbecilli, Sereniſſimâ Electrice; comprecante Aulicorum frequentiâ, ipſo ſacras Sacerdotis orationes, voce, corporis motu, & erectâ ad Deum mente, palàm conſectante. Threnologi opus ſit, exprimere totius Aulæ ortam exinde comploratiónem, quam auxit in immenſum Sereniſſimæ Electricis lamentatio, eò miſerabilior, quòd nullam admitteret conſolationem. Cæterum noctis exegit pientiſſimus Princeps inter corporis languores & adſpirationes animi magnis paſſibus tendentis ad domum beatæ æternitatis, quas ad finem uſque ſic continuavit, ut præſentibus, qui erant in obſequijs, has voces expreſſerint, nihil ab ipſis unquam viſum ſimile, vel auditum de homine moribundo. Etenim collecto ad rerum cœleſtium meditationem ſpiritu, id deinceps ſolum egit, ut ſe totum cum Deo conjungeret: audiebatur voce jam fractâ identidem repetere vehementes affectus, quibus ſeſe ipſe continuò excitabat. Armabat ſe adverſus tartarei hoſtis inſidias hiſce ex pſalmo duodecimo vocibus, quas à nemine monitus ſubmiſſè proferebat: ***Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adverſus eum.*** Cùm Sacerdos, qui ipſi ferè ſemper aderat, ne in- XXXIV.

ne infirmum ſuggeſtis juſto frequentioribus precandi formulis fatigaret, certa intervalla ejus quieti indulgeret; ipſe ultro urgebat, adeò ut integros pſalmos, aliáſque orationes voce cœptas pronunciari, prælongâ commentatione abſolveret: quod ipſum ſæpe patuit, & tum maximè, quando pſalmum quinquageſimum, cujus initium ad excitendum de peccatis dolorem & fiduciam de divinâ miſericordiâ Confeſſarius præiverat; ipſe tacitus, totum fuit moroſè meditatus, eúmque pronuntiato ultimo verſu, additáque Sanctiſſimæ Trinitatis doxologiâ, ſuaviter abſolvit. In his precibus & meditamentis totum diem vigeſimum ſextum Septembris, qui ipſi vitæ fuit penultimus, poſuit, niſi ſi quando, quòd Deus ipſi ad refovendas aliquantùm virium reliquias donabat, brevi ſomno reficeretur, à quo ſubinde cùm ipſe ſe excitaret, audiebatur ſomniantis

XXXV. in modum de rebus pijs verba facere; uti contigit, quando eodem iſto, quem dixi, die, qui profeſtus erat SS. Martyribus Coſmæ & Damiano, Sacerdotem rogavit, quibus pietatis exercitijs iſtorum Divorum feſtum poſtridie eſſet celebraturus: poſteaquam audijt id Deo favente facturum eſſe quàm ſolenniſſimè: *Ergo* (inquit) *jungantur currus, eamus ad Sanctos.* Ea dixit quaſi vates animæ, ad chariſſimos cœlites, quorum ſacra lipſana magno impendio in locum honoratum extulerat, brevi conceſſuræ. Iniri non poteſt numerus oſculorum, quæ ſacroſanctis Chriſti in cruce fixi vulneribus, in eâ, quam penes ſe habebat, effigie libavit, quoties opem ſanctiſſimæ ipſius Matris implorârit, poſteriore præſertim Angelicæ ſalutationis parte: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in horâ mortis noſtræ, Amen:* quoties recitârit illud ex Hymno; *Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & mortis horâ ſuſcipe.*

Erat cæteroqui aſſiduus in excitandis Theologicarum virtutum actibus, qui ex hac vitâ abiturientibus ſunt neceſſarij & ſalutares. Confecerat ipſe ſuâ manu eleganter deſcriptum libellum ardentium precationum, quas ſibi fecerat ita familiares, ut eas de memoriâ nôſſet recitare. Juſſerat ex iſto libello, ubi foret aliquando ultimo vitæ limiti propinquus, ſibi aliqua prælegi: quæ migraturo ad rem eſſent, prælegit Sacerdos: at ille totas prælongas orationes exhaurire, ſéque adeò fatigare, ut ab ijs fuerit abſtinendus, & per brevia admodum intervalla ſubſtituendæ breviſſimæ & alioqui efficaces jaculatoriæ; quas crederetur non eſſe moleſtè continuaturus, quæ ſatis tamen præberent argumenti, quo ani-

XXXVI. mam cœleſtium ſitientem temperatè meditans recrearet. Fuit cùm Sacerdos eum ad cœleſtis patriæ deſiderium excitaturus, verbis regij pſaltis uteretur: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.* Tum ille abrumpens ſilentium, advocare vocis reliquias, frontem explicare, exultare, videri ad cœlum mox velle evolare. Exiſtimabatur, vitam non longè poſt ſolis occaſum diei vigeſimæ ſextæ producturus, cùm collapſo corporis robore, ſenſuum, oculorum præſertim uſu (quod ipſe ordine monebat) dilabente, inſigniter deficeret, produxit tamen ultra horam tertiam diei vigeſimi ſeptimi, inter Sacerdotum advigilantium & Aulicorum, qui bono numero aderant, multis horis nunquam intermiſſas, ſed alternis choris, clarâ voce continuatas orationes ex pſalmis pœnitentialibus, ex Deiparæ Virginis officio, ejuſdem corolli precatoriâ ſæpius repetitâ, ex Lauretanis elogijs, & Cœlitum Litanijs, cum infatigabili Procerum & Aulici miniſterij conſtantiâ, quippe qui cæteros ultro urgebant, & incœptabant iſta pietatis & optimi in ſuum Dominum animi officia. Ter ut minimùm recitata fuit à Sacerdote animæ ad Deum proficiſcentis, ritu

Maximilianus moritur. Romanæ Eccleſiæ uſitato pia admodũ cõmendatio, donec Princeps verè cenſendus inter optimos, ſapientiſſimos, & pientiſſimos, felicẽ (uti magnæ ipſius virtutes de divinâ benignitate nos jubent ſperare) animã placidiſſimè reddidit ſuo Crea-

XXXVII. tori, die, quem dixi, Septembris vigeſimo ſeptimo, horâ matutinâ ſeſquitertiâ, cum inexplicabili totius Aulæ luctu & comploratione. Demortuo clauſit oculos Maximilianus Comes Curtius, primus ac fidus curarum ipſius adminiſter, & in ſupremo morbo diligens & aſſiduus. Data quidem fuit opera, ne Sereniſ-

ſima

[illegible] Illa, ubi accepit exſpiraſſe, prope abſuit, ut & ipſa exſpiraret, ita primùm linqui animo, cadere inter famulantium brachia, vocis & ſenſuum uſu deſtitui, deinde, ubi ad ſe redierat, lamentabiliter effundi in perpetem lachrymarum imbrem, queri ſuam orbitatem, deſertam liberorum fortunam, patriæ calamitatem, nullum facere per dies aliquot flendi & lamentandi finem, ut nemo uſque adeo duri eſſet pectoris, quem ipſa ad commiſerationem & fletum non moveret. Sereniſſimi quoque Filij veriſſimis lachrymis amantiſſimi parentis obitum per multos dies defleverunt. Sereniſsimus Dux Albertus, ejúſque Sereniſsimi filij, accepto mortis nuntio, luxerunt perinde atque chariſſimum patrem.

Inter hos mœrores prima Sereniſſimæ Viduæ cura fuit juvandi chariſſimam defuncti animam (ſi quo fortè ſubſidio egeret) per ſacrificia & orationes propitiando Deo appoſitas. Expetijt proinde mox à Sereniſsimi Mariti exceſſu à ſacerdotibus omnibus, qui Ingolſtadij degebant, divino Numini offerri ſacroſanctam hoſtiam, fundi preces, addi alia religioſorum operum adjumenta: tum hæc ipſa ſuffragia, nunciato optimi Principis exceſſu, per univerſas ditiones pro more & debito charitatis officio, ab omnibus, ut cuique promptum & expeditum eſſet, in tempore exolvi. Accepto tam triſti nuntio, omnes Boicæ ditionis Provinciæ ſuum luctum mœrorémq; fletibus & pronâ in optimè meritum Principem & patriæ patrem pietate fuerunt conteſtatæ. Vix animam efflârat, cùm expeditus curſor, per equos celeres, continuato noctes & dies itinere, Romam miſſus eſt, qui Innocentio X. ſummo Pontifici triſtem nuntium de Maximiliani morte perferret, ſimul decem Miſſarum millia curaret. Pro earum celebratione maturandâ, ante annos duodecim, Maximiliani juſſu, Romæ depoſita ſacerdotibus Deo litaturis ſtipendia fuerant. Miſſæ ſubinde ad Principes lugubres Epiſtolæ, ad eos præſertim, qui ex vetere inſtituto ultima amoris officia amico Principi erant reddituri. Tum ad funus procurandum converſa ſollicitudo.

Corporis habitudo.

XXXVIII.

Ex deſcriptione Thomæ Thirmairij Medici Electoralis experientiſſimi.

Ut Principum more aromatis condiretur, corpus, Medicis inſpectoribus, apertum fuit. Cerebrum capax & copioſum, præcipua ſedes mentis capaciſſimæ & ſapientiſſimæ, apparuit ſatis humidum & ſeroſo imbutum madore: in pulmonibus nullum vitium, niſi quòd hinc inde nigreſcentes lenticulæ oſtendebant uſum longævum, ſed ſine aſthmate, quódque lobi paululò videbantur juſto molliores. Cor fuit grande, integerrimum, ſecundum, & labis expers per omnia: Parenchyma ſolidum & firmum. Hujus ſinus nullo contaminati tabo aut ſanguinis atrore: hepar quale in ſobrijs eſt, ſupra quam tanta ferebat ætas, admodum laudabile. Receptus fellis, præter ordinarium naturæ modum, attâ bile ſcatebat. Judicârunt Medici hinc manâſſe lethale malum, humore peracri ad ventriculum derivato: unde cauſa ſtimulúſque diarrhœæ, & ardoris haud ſatis temperati, quem in ventriculi orificio, per certa temporum intervalla, cum mediocri moleſtiâ, Princeps per annos aliquot fuerat expertus.

Eandem fellis cyſtin occupabant nigricantes calculi viginti quatuor, non unius magnitudinis; plerique tamen mediocris piſi menſuram æquabant: ſolidi erant ex humore inſito, pòſt ex deſiccatione. Lien erat exiguus, cæterà inculpatus, parenchymate hepati non multùm abſimilis, velut eſſet pars ipſius hepatis, atræ bilis prorſus vacuus, quam credibile eſt à propriâ ſede dilapſam ad fellis domicilium aberrâſſe. Ventriculus colore nonnihil fuſco, inæqualis erat ſubſtantiæ. Ren uterque & veſica intaminati, intactíque abs arenis & calculo. Inteſtina cætera atque ipſum meſenterium bona, citra omnem naturæ errorem. Vultus & forma non deformis, ſed quæ vix quicquam à viventis colore & ſpecie appareret deſciviſſe. Cæterùm quoad vixit, in primis præſertim

 annis

annis, formâ fuit pereleganti, quam ornabat quædam majeſtas digna imperio, ſtaturæ ſpecioſa proceritas, facies oblonga, roſeo lacteóque colore venuſtè temperata, artuum pulchra habitudo, corpus firmum ac compactum, excepto, quòd pedes paulùm debiles. Frons illi fuit ampla & plena dignitatis, naſus longus modicè aquilinus: cæſij oculi, viſus acer & conſtans, ſed aliquantum brevis.

XXXIX. Funus ducitur Monachium.

Vigeſimâ nonâ Septembris funus ſolenni pompâ Ingolſtadio abductum. Vehebatur rhedâ ſejugi. Eam velabat tegmen mortuale albâ cruce diſcriminatum. Diſceſſum horâ quartâ poſt meridiem. Ornabant mœſtam lugentium ſeriem Ordines religioſi, Clerici omnes & Sacerdotes linteati: currui funebri ſuccedebant Sereniſſimi Filij, Aulici, Doctores Academici, Magiſtratus civicus, ingens populi multitudo, præter eos, qui vias triſti mœrore lugentes ſtipabant. Faces circa funus permultæ collucebant geſtatæ à funereo ſervitio. Pòſt ubi perventum extra civitatis munimenta trans pontem Danubianum, comitatus, qui funus erat Monachium proſecuturus, ab urbicâ pompâ diſcedens, pars rhedis ſejùgibus, pars equis fuit impoſitus. Inter hos cuſtodes Prætoriani, cubicularij, cæterum ſervitium. Adequitantes Ephebi tædas juxta funus ardentes geſtabant. Præferebat ſacerdos equo ſublimis crucis effigiem è longo haſtili. Omnes ſub noctem mediam Pfaffenhovium appulêre. Per viam audiebantur paſsim funebres campanarum compulſationes. Adventum funeris præſtolabantur Religioſi Schirenſes, Pfaffenhoviani Magiſtratus & cives, ſinguli cum accenſis cereis, tanto numero, ut toti vici, per quos erat procedendum, inter adultæ noctis denſas tenebras clareſcerent. Depoſita fuit urna uſque ad diem poſterum in primario templo civitatis. Religioſi Schirenſes egêre ſacras, prætoriani honorarias excubias, hi cuſtodiendo, illi decantatis propitiando Deo mortuorum vigilijs. Ubi primùm diluxit, cœpta fuerunt multa ſacrificia Deo offerri, quibus abſolutis, eodem propè, quo receptum erat, ordine, corpus elatum ex æde ſacrâ, & ſuo redditum currui, ad peragendum iter. Monachium pervenit nocte concubiâ. Illud excepêre ſoli Aulæ & Magiſtratuum primores, nec permiſſum, ut in palatium, ad quod per hortum & poſticam portam devectum fuit, conflueret populi multitudo. Ejus deſiderio tamen ut fieret ſatis, in S. Georgij ſacello, facie detectâ, quæ adhuc priſtinam formam retinebat, & veſtibus tectum electoralibus, die poſtero, qui fuit primus Octobris, in funebri Mauſolæo per quatuor horas à meridie fuit expoſitum. Per totum id tempus innumerorum hominum factus eſt in ſacellum concurſus, pijs Principis ſui manibus piè precantium & deplorantium ſuam jacturam, cùm vix ullus eſſet, qui ejus exuvias ſiccis oculis poſſet intueri. Omnes omitto referre ejulatus & mœſtas voces quiritantium ſuam & rei communis orbitatem. Eodem iſto die Sereniſſima Vidua, & Sereniſſimi Filij, cum Aulâ Monachium triſtes rediêre. Continuatæ fuerunt per Sacerdotes & omnium domiciliorum Religioſos apud funus pomeridianæ & nocturnæ, per omnes horas, comprecationes, horis verò matutinis divinæ hoſtiæ oblationes, ad uſque meridiem; donec tertio Octobris, horâ noctis octavâ, funus citra pompam (ſic modeſtiſſimus Princeps ſupremæ voluntatis lege caverat) è Palatio, à paucis Aulicorum, iiſque præcipuis, præeuntibus ſacerdotibus, ad faces prælucentes elatum fuit in templum S. Michaëlis Societatis Jesu, & recitato per Collegas omnes. Defunctorum officio, conditum in ſacro hypogæo ſub ara principe, ad dextram apud pias exuvias Sereniſſimi Ducis Guilielmi, ut, qui paternas virtutes, ut probiſſimum decuit filium, fuerat ſtudioſiſsimè æmulatus, cum ipſo præmium immortalitatis eodem loco quieſcens expectaret. Ad eum modum obtemperatum fuit ſapientiſſimi Principis voluntati, quâ juſſerat ſuam ſepulturam ultra ſeptimum ab obitu diem non differri.

Publicè exponitur.

Sepelitur.

Officia funebria.

Ex ejuſdem legis præſcripto, nonâ Octobris celebrata fuerunt juſta parentalia in eodem templo Societatis Jesu, eáque permodeſta & longè infra deſide-

rium

rium Sereniſsimæ Viduæ & Sereniſsimorum Filiorum, qui potiorem habuêre
defuncti, quàm ſuam voluntatem. Ivêre exequias Sereniſsimus Elector Ferdi-
nandus Maria, Sereniſsimus Adminiſtrator Dux Albertus Maximiliani Frater, Se-
reniſsimus Dux Maximilianus Hieronymus Maximiliani filius, & Sereniſsimus
Dux Albertus Sigiſmundus ex fratre nepos, tota Aula, omnes Magiſtratus.
Excitatum fuit in medio templi choro ſublime Mauſolæum, in quo viſebantur XL.
defuncti Electoris arma, cæteràque Septemviratûs inſignia, collucentibus undi-
que quamplurimis cereis & funalibus, quæ infixa omnia argenteis candelabris.
Sacris operatus fuit Vitus Adamus Friſingenſis Epiſcopus, cui comminiſtrârunt
Udalricus Ord. S. Benedicti Abbas Tegernſeenſis, Martinus Ord. Ciſtertienſis
Abbas Fürſtenfeldenſis, Corbinianus Ord. S. Benedicti Abbas Schirenſis, Atha-
naſius Archidiaconus Præpoſitus Garſenſis, Antherus Præpoſitus Pollingenſis,
Joannes Præpoſitus Berntiedenſis; tres poſtremi Ord. Canonicorum Regul. D.
Auguſtini: qui omnes pridie demortuorum vigilias celebrârant. Rem di-
vinam fecerunt perquam multi Sacerdotes. Poſtridie perſoluta fuerunt diei
(ut vocant) ſeptimi, officia eodem in templo, eò quòd hoc ipſum pietatis in
defunctos beneficium, Maximilianus vetuiſſet longiùs differri: vigeſimâ Octo-
bris, in Baſilicâ Beatæ Virginis, & paulò pòſt ad D. Petri, eidem in magnâ Ordi-
num frequentiâ, habita fuerunt juſta funebria, quæ pari pietate per omnes
Boicæ ditiones fuêre præſtita Principi optimè merito, & digno, cujus memoria
conſecretur nunquam interituris immortalis gloriæ monimentis. Ejus
tumbæ inciſum eſt, quod ſequitur,

Epitaphium.

EPITAPHIUM.

XLI. MAXIMILIANUS I.
GVILIELMI V. FILIVS,
VTRIVSQVE BAVARIÆ, ET SVPERIORIS PALATINATVS
DUX,
COMES PALATINVS RHENI,
S. R. I. ARCHIDAPIFER, ET
ELECTOR,

LEICHTENBERGENSIS LANDGRAVIUS, NATUS LANDISHUTI,

M. D. LXXIII. XVII. APRILIS,
VIVO-ADHUC SERENISSIMO PARENTE XXXI.
POST EIUS OBITUM XXV.
ANNIS,
UNIVERSIM LVI. BAVARIAM REXIT, POST ELISABETHAM LOTHARINGICAM ANNO M. DC. XXXV.
SINE PROLE DEFUNCTAM,

E

MARIA ANNA
AVSTRIACA, FERDINANDI II.
IMPERAT. ET MARIÆ ANNÆ
SORORIS SUÆ FILIA, FERDINANDI III.
IMPERATORIS
SORORE,

FER-

FERDINANDUM MARIAM,
AC
MAXIMILIANUM
FILIOS HABUIT.

OBIIT INGOLSTADII
M. DC. LI. XXVII. SEPTEMB. MANE POST TERTIAM. VIXIT ANNOS LXXIIX. MENSES V. DIES X.

FUIT PRUDENTIA TEMPORIS SUI SALOMON: MILITARI GLORIA, PIETATE, FAMAQUE TOTO ORBE CELEBRIS.

CUM QUATUOR REGIBUS BELLA GESSIT: DUOS ARMIS, OMNES VIVENDO VICIT.

ELECTORATUM CUM SUPERIORE PALATINATU,

POSTLIMINIO AD BAVARIAM SUMMIS IN REMPUB. MERITIS ET IN CÆSAREM SOCERUM FIDE REDUXIT.

POST TRICENNALE BELLUM GERMANIÆ PACEM PROMOVIT AC VIDIT.

DITIONEM AC TITULOS LEICHTENBERGENSI COMITATU, ALIISQUE DYNASTIIS AUXIT.

FERDINANDO FILIO NATU MAIORI CONJUGEM SABAUDAM DEDIT.

TANDEM TOT REBUS IN TERRIS CLARUS

PRINCEPS MAGNAM ANIMAM SUPERIS, UT SPERAMUS, GRATULANTIBUS OSTENDIT, CUI OMNES VEL MORTUO APPLAUDANT: ÆTERNUM VIVAT MAXIMILIANUS.

Ejus

Ejus cor conditum eſt in ſacro ſacello Deiparæ Virginis Oetinganæ cum hac Epigraphe.

HIC CONDITUM EST MAXIMILIANI I. UTR. BAVAR. ET SUPERIORIS PALATINATUS DUCIS, S. R. I. ARCHIDAPIF. ET ELECT. COM. PALAT. RHENI, LEUCHTENBERG. LANDG. INGOLSTADII XXVII. SEPTEMB. A. M. DC. LI. PIISSIME DEFUNCTI COR, MAXIMIS OLIM AUSIS ET AMORE IN DEI MATREM PLENUM: UT NORIT VIATOR MAXIMILIANVM POST MORTEM QUOQUE TOTO CORDE MARIAM DILIGERE.

Ingolſtadij, in Baſilicâ B. Virginis, inteſtina terræ mandata ſunt. Verba hæc æreæ tabulæ inciſa.

HAC LAMINA MAXIMILIANI I. UTR. BAVAR. ET SUPER. PALAT. DUCIS S. R. I. ARCHIDAP. ET ELECT. COM. PALAT. RHENI LEUCHTENBERG. LANDGR. INGOLSTADII XXVII. SEPTEMB. A. M. DC. LI. PIISSIME DEFUNCTI VISCERA TEGUNTUR, QUÆ DECUIT IN ÆDE MATRIS DEI TUMULARI: PENES QUAM SUNT VISCERA MISERICORDIÆ. IPSE JURE MAJORUM, SUIS MERITIS, JUSTO FATORUM ORDINE, ELECTORATUM POSTLIMINIO REDUXIT IN SUAM DOMUM.

XLII. Magni Principis mortem luxêre boni omnes: vix fuit inter Europæ Principes, qui non fateretur cecidiſſe firmam potentémq; fidei Romanæ columnam. Hoc ſenſit & doluit Innocentius X. Pont. Maximus. Ferdinandus III. Imp. datis 2. Octob. ad Sereniſſimam ſororem viduam, Bavariæ Regentem, litteris teſtatus eſt, quantum ex ejus occaſu mœrorem hauſiſſet, quantúmque ſalutis communis, rei præſertim Catholicæ intereſſet, Sereniſſimos defuncti filios, totámque Domum Bavaricam ſervari incolumes. Venerunt in partem luctûs Reges ac Reginæ exterarum gentium, venerunt Sac. Rom. Imp. Electores: Principes Europæi, Provinciæ, populi, quos Maximiliani victoriarum ac virtutum fama pervaſerat. Bavaricæ ditiones, in ſummo luctu, id habuêre ſolatij, quòd ſuus ipſis Sol non totus occiderat, eò quòd in ipſius occaſu promicuerat filius, qui ejus radios redderet, quíque velut Phœnix natus è parentis cineribus, Patris majeſtatem in fronte, conſilia in animo, ſpes in indole, clementiam erga populos ingenij benignitate referebat. Viſa fuit ſic reviviſcere defuncti moderatio, ut in gubernatione Regentis Electricis, neque Auſtriaca beneficentia, neque Bavarica accuratio videretur eſſe defutura. Maximilianum ad vitam meliorem (uti bona ſpes eſt) ſecutus eſt hoc anno 6. Id. Decemb. Vitus Adamus Epiſcopus Friſingenſis, S. R. I. Princeps, vir germanæ fidei & antiquæ probitatis.

An. M.DC. XLII. Abijt univerſæ Boicæ annus in luctu, cùm parentalia anniverſaria Maximiliano cœpêre perſolvi menſis Novembris duodecimo, Anno M. DC. LII. in

XLIII. templo Societatis Jesu Monachij, majore ſplendore, quàm juſta funebria, quæ Maximilianus ad certas modeſtiæ leges teſtamento reſtrinxerat. Cùm de annuâ celebritate nihil ſtatuiſſet, Sereniſsima Regens vidua indulſit ſuæ in Sereniſſimum Maritum pietati & venerationi. Eum enim voluit funebri oratione

tione pro concione laudari, juſſit conſtrui magnifici operis ſublime Mauſolæum in medio templi choro, idque collucere innumeris facibus, ut ſacelli ardentis præclaram formam exhiberet. Templi parietes, ipſúmque Chori pavimentum pullo amictu voluit conveſtiri, ornari ſimili cultu altaria, ædis univerſæ latera elegantibus inſcribi epigrammatis. In aræ Principis fronte hoc legebatur:

PIIS MANIBUS.

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI

MAXIMILIANI

VTRIVSQVE BAVARIÆ ET SVPERIORIS
PALATINATUS DUCIS, COM. PAL. RHENI,
S. R. I. ARCHIDAPIFERI
ET ELECTORIS,
LEUCHTENBERGIÆ LANDGRAVII, LUGENS POSTERITAS AC PATRIA LUB. MERITO,
H. M. P.
ANNO M. DC. LII.

Mauſolæum exornabant magnificæ virtutum effigies, & appoſitè adſcripta Elogia.

In fronte ad navim templi, ſupremo loco eminebat hæc Epigraphe:

MAXIMILIANO
MAXIMO.

Paulò inferiùs;

MAXIMILIANO
PIO.

Ad Imagines

FIDEI.	SPEI.
FIDEI DEFENSORI.	CÆLESTIUM BONORUM HEREDI.

II. In eo Latere, quod reſpiciebat Aram maximam.

MAXIMILIANO
FORTI.

Ad Effigies

TEMPERANTIÆ.	FORTITUDINIS.
CUPIDITATUM DOMITORI.	IMPERII COLUMNÆ.

III. Ad dextram.

MAXIMILIANO
SAPIENTI.

Ad Figuras

PRUDENTIÆ.	RELIGIONIS.
ÆVI NOSTRI SALOMONI.	CHRISTIANO HEROI.

IV. Ad Lævam.

MAXIMILIANO
JUSTO.

Ad Icones

CHARITATIS.	JUSTITIÆ.
PATRI PATRIÆ.	IUSTITIÆ VINDICI.

Dies anniversarius. Die Novembris decimâ tertiâ, Joannes Henricus Baro Rorbachius Præpoſitus infulatus Collegiatarum Eccleſiarum Monacenſis, Landishutanæ, Habacenſis; Canonicus Cathedralis Paſſavienſis, ſolenni ſacrificio ad Deum pijs defunctorum manibus propitiandum operatus, comminiſtrantes habuit duos Ord. D. Benedicti Abbates, Udalricum Tegerſeenſem, Corbinianum Schirenſem. Martinum item Ord. Ciſtercienſis Abbatem Fürſtenfeldenſem, Carolum Ord. Præmonſtratenſis Abbatem Schefftlarienſem, Valentinum Ord. Canon. Regul. D. Auguſtini Præpoſitum Weyerenſem, & Joannem ejuſdem Ord. Præpoſitum Bernriedenſem. Funebrem pompam duxerunt ijdem, qui ante annum; Sereniſſimi Bavariæ Elector, Adminiſtrator, Duces, alij Proceres, Conſiliarij, Aulici, Magiſtratus, populus frequentiſſimus. De erogatis in egentes Eleemoſynis nihil dici poteſt luculentius, quàm id ipſum, quod decem ante obitum annis mandârat Maximilianus geminis unius temporis codicillis, quorum alterum addidit ſupremæ voluntatis tabulis, alterum commiſit ſuo Confeſſario, duodecimo die Martij, Anno M. DC. XLII. cum adjunctâ, quam propriâ manu ſcripſerat, latinâ Epiſtolâ, cujus verba adnumero, quia ſpirant admirandam ipſius pietatem, modeſtiam, prudentiam, humanitatem.

XLIV. *Reverende Pater. Diſpoſitis per teſtamentum ijs, quæ ad bonum hujus familiæ & Provinciæ videbantur poſſe prodeſſe, supereſt etiam de ijs, quæ circa ipſam mortem, & quidem ſine ullâ morâ mihi ſunt optanda, providere & diſponere. Ex adjuncto memoriali, quod apud Rev. Veſtram tanquam Confeſſarium depono, conijciet, quid cupiam. Illam verò ſummopere rogo, ne ulli uſque ad ultimum caſum oſtendat, vel contenta aperiat, ſed ad dictum caſum mortis reſervet, & ex charitate in ſe recipiat urgere executionem, ne mora & cunctatio injiciatur, maximè in ijs, quæ ad ſuffragia & ſacrificia ac eleemoſynam ſpectant. Eſſet & P. Aſſiſtens Germaniæ, non expectato tranſitu monendus in memoriali præſcripto modo, ſic enim citiùs ſuffragia & ſacrificia applicarentur. Confido in ſolitâ Reverentiæ Veſtræ charitate & erga me affectu, illam hoc onus in ſe libenter ſuſcepturam, cui viciſſim in utrâque vitâ me gratum exhibere ſtudebo*

MAXIMILIANUS.

Codicillum eâdem ſcriptum & ſubſignatum manu, ex Germanico reddo fideliter.

MEMORIALE.

Quænam poſt meum obitum, ſtatim & ſine mora ſint obſervanda.

Ubi primùm è vivis exceſſero, ſive id noctu, ſive ante meridiem contingat, Clerici ac Religioſi certiores facti rogabuntur, ut pro meâ animâ fato functâ, ſua Miſſarum officia aliáque ſuffragia Omnipotenti DEO velint offerre. Eodem ipſo die, & per annum integrum, uſque ad Anniverſarium, in Sacello S. Laurentij Aulæ Veteris, in tribus Altaribus, & in alijs templis, ad aras privilegiatas, Miſſæ pro me celebrabuntur per quotquot haberi poterunt Sacerdotes, ſeu ſæculares, ſive religioſos. Vt verò id fiat majore zelo, ad conſueta ſtipendia adjungetur inſigne additamentum, loco oblationis. Quam ad rem peto à meo Confeſſario, & ſacrarum mearum largitionum, nec non etiam Aulici ſacelli divinorum rituum Præfectis, ut Confeſſarius quidem inſpectionis & admonendi, duo verò alij procurandi & exequendi partes in horum ſuffragiorum præſtatione, majori, quo poſſunt numero, in ſe ſuſcipiant, & ex charitate nullam operam ſtudiúmve deſiderari patiantur: ſic tamen, ut hæc diſpoſitio nihil adferat impedimenti aut præjudicij Sodalitati Animarum, aliiſve, in Miſſis votivis, propter adjectum ſacri ſtipendij auctarium, ne alijs ideo quicquam decedat. Confeſtim etiam cum diligentiâ, eodem ipſo die Romam mittendus erit curſor à P. Generali Societatis Ieſu petiturus, ut ſacrificia, quæ Societas alioqui pro me facere conſtituit, quamprimum & citra moram indicat. Simul P. Aſſiſtens Germaniæ monendus erit, ut è veſtigio decies mille Miſſas, pro quibus habet depoſitum ſtipendium, per alios probos presbyteros & Religioſos fieri procuret. Rogandi erunt Ordinarij, aliíque mihi noti Archiepiſcopi & Epiſcopi, Prælati & amici, ut unà cum ſuo Clero in ſuis ſacrificijs & orationibus me Deo commendent: quâ de re pariter admonebuntur in Provincijs Prælati & Cœnobitæ, ceterúſque Clerus & ſubditi omnes, pro concione. XLV.

Verùm meus ſaccus vermium non erit diu extra humum retinendus, neque adhibendum multum magnificentiæ aut ceremoniæ in eo terræ mandando, ſed ſumptus iſtiusmodi erogandi erunt in pauperes. Sepelietur abſque pompâ, ut ſummũ is ritus ſervabitur, qui in funere mei nepotis Ioannis Franciſci Caroli piæ memoriæ fuit obſervatus. Rogabuntur Patres Societatis Ieſu, ut in cryptâ, quæ eſt infra chorum ipſorum, apud Dominum meum Patrem, & meam Dominam Matrem, priorémque meam conjugem, ſub Patrocinio S. Michaelis & S. Ignatij mihi quietis ſedem concedant.

Nullum erigetur caſtrum doloris, nullæ inſcriptiones aut Emblemata affigentur. XLVI. Nulla habebitur concio funebris, nec in alijs concionibus (uti antehac factum quibuſdam alijs) ex ſuggeſtu quicquam dicetur in meam laudem: id duntaxat ſervabunt concionatores, ut, cùm me defunctum renunciabunt, meo nomine, auditores rogent veniam, ſi cui fui ſcandalo aut offenſioni, aut ſi ijs, prout decuit, non præfui: petant etiam ab illis, ut pro me apud Deum intercedant, certi, me viciſſim, ubi divini ejus conſpectûs ex ipſius infinitâ miſericordiâ fuero particeps, paria ipſis relaturum.

Corpus ultra ſex aut ſeptem dies non manebit inſepultum. Septimi exequiæ die ſeptimo, trigeſimi ſeptimo pòſt die conſequenter habebuntur, nec ultrà differentur: quocirca, quandoquidem per tempus non licebit, nullus ex proximis cognatis, niſi quis propè adeſſet, invitabitur. Fundationes ad pias cauſas per me erectæ, juxta tenorem literarum fundationum firmiter prudentérque ſervabuntur & dabuntur executioni, & ſucceſſores ad earũ tutelam & executionem tenebuntur. Pauperibus, in omnibus quinque Regiminibus quinquaginta millia florenorum abſq; dilatione ſtatim pro ſolatio animæ diſtribuentur: ad cujus rei executionem, ne differatur, noſtram conjugem, arcanos

conſiliarios, cum Præſide Cameræ obligamus, niſi caſus eveniret, ut nos ipſi in vivis diſtribueremus, tum enim id ratum atq; ſolutum haberetur. Teſtamentum & Codicilli, qui aſſervantur in ſecretâ Cancellariâ, in peculiari ciſtulâ, penes quam clavis obſignata præ manibus eſt, mox per trigeſimum aperiri, nec differri debebunt, ſed quæ ijs continentur, diligenter impleri & dari executioni. Atque hæc omnia vigore manus noſtræ propriæ & ſubſcriptionis.

MAXIMILIANVS.

XLVII. Inferiùs adduntur hæc verba. *Rogatur Pater Confeſſarius, ut moneat, ne diſtributio Eleemoſynæ quinquaginta millium florenorum differatur.*

Tantum abfuit, ut differretur, ut quicquid ex præſcriptâ ſummâ ſupererat, mox fuerit per omnes Boicæ provincias, ſummâ fide in egentes diſtributum. Supererant autem triginta duntaxat millia, eò quòd Maximilianus anno M. DC. XLVIII. cùm ingens eſſet ſubditorum, præſertim agreſtium, ex nupero bello & agrorum vaſtitate, rerum ad vitam neceſſariarum inopia, viginti aureolorum millia, ſublevandæ miſerorum egeſtati, ad cæteram moris priſtini largitionem adjecerat, ratus, differendum non eſſe auxilium, quod præſens neceſſitas exigebat, benéque locari opes, quas pauperum manus in cœleſtes theſauros, anticipatâ velut proviſione, importarent. Atque hæc quidem de rebus à Maximiliano geſtis, quæ tametſi materiæ ſatis habeant ad formandam boni Principis & præclari Principatûs Ideam, qualem promiſit titulus hujuſce operis; attamen quia egregia Maximiliani facinora ſparſim eo, quo occurrêre loco, recenſita per partes, minus habent gratiæ ad exprimendam abſolutæ venuſtatis imaginem, quæ ex concinnâ (perinde atque in corpore humano) partium compoſitione exiſtit, operæ pretium erit, Maximiliani virtutes in ordinem digerere, atque ex earum exemplis, quæ in hiſtoriam nondum convenienter potuêre referri, velut ſpirantem optimi Principis effigiem exhibere.

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS III. LIBER XXXV.

Synopſis virtutum, quibus Maximilianus auxit decus & ornamenta ſui Principatûs.

PRincipum omnium Princeps unus eſt, à quo poteſtas omnis, omnia imperia, Principatúſque pendent & oriuntur. Regna I.
ſunt opus ſupremi Numinis, DEUS ſumma lex eſt Principum, idem eſt legum juſtitia, & felicitas juſtitiæ. Is verò Principatus omnium pulcherrimus & abſolutiſſimus, ex cujus normâ non modò privatim viget innocentia ſanctitatis, & præſtatur libertas ſecuritáſq; vitæ inter mortales innoxiæ, ſed etiam in commune diſpenſatur juſtitia, cum ſuavi clementiæ temperamento. Hæc cùm præſtantur à Principe, tum ipſe verè bonus eſt, & quod caput eſt, bonos facit ac beatos cives: utrumque aſſequitur, ſi ſuam potentiam referat ad primam ſui originem, ſi leges ad divinum exemplar, ſi vitam ipſe ſuam ita componat, ut non tam ſubditos regat imperio, quàm exemplo ducat ad optatam bonis omnibus beatitatem; quod fit, ſi ſimul in veneratione ſint ejus præcepta, & in amore exempla probitatis. Hoc enim habent præ factis hominum inferiorum, laudata Principum facinora, quòd privatorum actiones tametſi præclaræ, minùs tamen ſuſpiciuntur, laténtque, velut in imâ fortunæ obſcuritate depreſſæ; geſta verò Principum in ſublime evectæ, omnibus incurrunt in oculos, non ſecùs atque ſol inter minora ſidera, ſuámque lucem tantò diffundunt amabiliùs, quantò gratior eſt Princeps, & excelſior in ejus moribus claritudo virtutis. Qualem in hoc genere gradum Maximilianus ſit aſſecutus, conſtabit ex ijs, quæ deinceps abſque fuco referentur.

Non repetam quæ in ſcribendi limine recenſui de Maximiliani ortu, educatione, innocente pueritiâ, intaminatâ adoleſcentiâ, gubernandi principijs, déque virtutibus, quæ cum annis, ipsíſque matureſcentis animi progreſſibus ad II.
modum creſcentis diei venêre in apertum, ſed recenſebo tantùm, quæ aliarum rerum neceſſaria ſeries ac narratio juſſit differri. Horum ſit à divino Numine principium, & conſtanti in eo colendo pietate, ſine quâ nemo, ne Princeps quidem bonus unquam fuit aut laudabilis, quâ extinctâ, ſuccedunt vitia, tum vel

Pietas in Deum.

vel maximè pertinacia, cùm divina ſunt in faſtidio, voluptas inpretio: unde, extincto ſenſim ſuavi divinitatis ſenſu, efferatur animus, deſinitque velut in ſylveſcentem indolem exitiabilis improbitatis. Cùm pietatem Maximiliani nomino, non eam dico, quæ nimis anxia eſt aut dejecta, quæque noxijs conſcientiæ turbis mentis tranquillitatem elidit; ſed eam, quæ ſuavi quâdam moderatione ſentit de Deo magnificè, & in ejus obſequio ſincerè conſtantérque conquieſcit. Atque hanc quidem ſitam habebat non in externo duntaxat ſacrarum actionum cortice, ſed in abdito mentis ſacrario, tam ſollicitus coram Deo bona facere, quàm hominum oculos benę facta celare. Per hanc ſic ſe divinis nutibus attemperabat, ut neq; Principis officia deſereret, nec quicquam daret publicæ rei procurationi, quod ad Deum non referret, certus omnia divino honori poſtponere, nihil eidem anteferre. Id quàm purâ religione faceret,

III. oſtendit in re non magnâ quidem, ſed magni exempli. Reperit inter rara Romanorum Imperatorum numiſmata unum recentioris formæ, arcanis notis inſignitum. Suſpicatus latere quippiam, quod non deberet ignorari, numiſma dedit inſpiciendum viro rei antiquariæ bene perito. Retulit hic, nummum eſſe magicum, cujus extaret effigies in ſcriptis Cornelij Agrippæ hominis ad infamiam ſuperſtitioſi, qui perpetuam rerum felicitatem polliceretur illi, qui ſervaret iſtud numiſma, contrà denuntiaret infauſta, ſi tale perderet amuletum. Maximilianus ſapienter ſecum ratiocinatus, citra impietatem numiſma notis magicis infame retineri non poſſe, ilicò ſecedens illud conflavit, maluítque quaſvis calamitates à Deo, quàm res ſecundas ab Orco expectare. Contigit hoc pauló ante Regis Guſtavi in Germaniam adventum, quando res retrò ſublapſæ, ingentes curas Maximiliano pepererunt nequaquam attonito, aut cogitanti, eas ſe fuiſſe defugiturum, ſi Deo irato inane juxtà ac ſceleſtum ſignum penes ſe habuiſſet. Maluit videlicet eſſe pius in caſibus adverſis, quàm impius in proſperis. Ejus pietas elucebat vel maximè in capiendis conſilijs. Experti ſunt perpetuò conſiliarij, etiam cùm de rebus maximis agebatur, nullum fuiſſe validius argumentum, quàm quod ex Deo petebatur, quo offenſo nihil unquam volebat aggredi, quóque exigente, nihil quamlibet difficile recuſabat. Diu ſecum ipſe & cum ſuaſoribus luctatus eſt, antequam difficillimum cum Cæſaris hoſtibus bellum ſuſciperet; cúmque cæteræ rationes imbecillæ ipſi viderentur, hæc demum una pervicit, ut non periculoſam minùs, quàm dubiam aleam jaceret: quòd in communi rei Catholicæ diſcrimine divinus honor, plurimorum ſalus, Imperij majeſtas verteretur. Hanc illi virtutem divinus amor indiderat, hanc tuebatur magnanimus quidam timor Numinis offendendi, qui tam altè ejus animo inſederat, ut prorſus eſſet operoſum eum inducere, ut etiam in rebus conceſſis, relaxatione humanæ legis, neceſſitate expoſcente, uteretur. Quoad per vires & ætatem licuit, tametſi ingenita quædam illi erat in piſcium eſu difficultas, non paſſus eſt tamen ſibi perſuaderi, ut adverſus dierum eſurialium legem ullius prærogativæ beneficio frueretur. Hinc tam operoſum fuit, cùm jam annis fractus, & citra præſens periculum piſcibus veſci non poſſet, ut ab inſtitutâ abſtinentiæ

Timor Dei.

Observatio præceptorum Ecclesiæ.

IV. ſeveritate ex privilegio deſciſceret. Quæ res anno M. DC. XL. ipſum ſub ferias paſchales, ex contractâ per uſum cibi ſequioris ægritudine, in acutiſſimos torminum dolores ſingultibus & nauſeâ exaſperatos, inque præſentiſſimum vitæ diſcrimen adduxit. Si quando aliàs morbi carnium eſum diebus vetitis exigerent, eum non priùs admittebat, quàm Confeſſarij & Medicorum judicio cognoſceret, ſe à communi legis obſervatione tali re ac tempore eſſe abſolutum. Plura ejuſdem argumenti poſſent referri, niſi alia, quæ majoris momenti ſunt, velut injectâ manu ad ſe ſtylum avocarent.

Lib. 10. de Civit. c. 1

In uſu pietatis plurimùm intereſt, quo affectu, quo animi propoſito, quàm ſincerè cum Deo verſemur: & verò, ſi teſte D. Auguſtino, eos dicimur colere, quos honorificâ vel recordatione, vel præſentiâ frequentamus, Deum coluit Maximilianus excellenti quadam & paucis familiari pietate. Eam inprimis prodebat,

debat, cæteroqui celandarum virtutum ſtudioſiſſimus, in orationis uſu ac frequentiâ. Delectabatur reconditâ cum Deo familiaritate, & quod Chriſtus ſuadet, clauſo ſuper ſe oſtio, illum ſolùm teſtem auditorémque requirens: nihilominus ſi apparendum erat in publico, tantâ modeſtiâ, eâque corporis & animi compoſitione cum Deo agebat, ut nemo eſſet, qui eo conſpectu ſuavi quodam ſenſu æmulandæ religionis, vel intimâ ſaltem ſui deſpectione, non afficeretur, propriam remiſſionem conferens cum admirabili tanti Principis in Deum reverentiâ & ardore precandi. Ubi fecerat orandi initium, nemo facilè eum unquam vidit oculis oberrantem, nullus admiſcentem hominis ullius alloquia. Hærebat in genibus per plures horas immotus, tantâ conſtantiâ, ut non modò calloſa (quod de viris eximiè Sanctis proditur) ſed quaſi planè oſſea habere videretur. In eo corporis ſitu, remoto omni pulvillo,, durabat ſupremâ etiam ætate, cùm pedes eum deficerent; ut vires à pedibus ad genua pro Deo honorando credi poſſent confluxiſſe. Quotidianum ipſi erat duobus Miſſæ ſacrificijs, flexis continuò poplitibus intereſſe: addebat crebrò tertium. Nunquam, niſi morbo impeditus, aberat à ſtatis celebriorum Liturgiarum, Veſperarum, cæterarúmque Eccleſiæ precum, cùm in Aulæ ſacello habebantur; officijs, quibus etiam Nobilitatem Aulicam volebat decenter adeſſe. Eum obſervavêre permulti in Monaſterio Ranshovienſi, cùm pijs recèns defunctæ Electricis Eliſabethæ uxoris ſuæ manibus Deum propitiaret, diebus omnino quadraginta per tres horas continenter ſena, ut minimùm Miſſæ ſacrificia de genibus, perfrigidâ licèt hieme, audientem. Eum vidit Monachium, quoad per vires ipſi licuit, ſacroſanctam ſummi Sacramenti hoſtiam quotannis in ſolenni ſupplicatione, nudo capite proſequentem: vidit Brunovium in triennali ſeceſſu, quot ſextis ferijs è templo Parochiali ad PP. Capucinos in agmine ſupplicantium pedibus, incommodâ etiam aliquando tempeſtate, procedentem. Ut de frequentiâ officiorum exquiſitæ ejus pietatis paucis omnia abſolvam, ſingulorum dierum horas ſic partiebatur. Difficillimis quoque temporibus, intérq; quaſvis rerum ac negotiorum turbas, ante omnia, unius ſolidæ ut minimùm horæ ſpatium manè precationi privatim tribuebat, nemine in conclave, niſi ſumma neceſſitas poſceret, admiſſo. Succedebant ex intervallo binæ, quas dixi, Miſſæ. A meridie rurſus dabat operam veſpertinæ orationi, ad quam adhibebat ordinarium penſum Coronæ D. Virginis, aliarúmque precum, quas ipſe habebat in numerato, extrahebátque longè ultra horam. Quietem nocturnam nunquam capiebat, quin conſcientiam accuratâ diurnarum actionum examinatione diſcuſſiſſet, ſéque atque ſuos Deo, prolixâ horæ unius oratione, commendâſſet. Hæc ipſi tam erant fixa ac certa, ut ne in itineribus quidem quicquã intermitteret, aut ſi quem aliquando diem venationi ſimilibúſque animi relaxationibus indulgeret. Tunc enim illi rheda locúſve alius, vicem erant domeſtici oratorij, & ſi quid diurni temporis minus eſſet, hoc ipſum ſomno nocturno detractum reddebat orationi: quæ res non raró famulitium tantæ aſſiduitati & vigilijs minùs amicum, egregiè fatigabat. Ne porrò noctes exigerentur ſine cœleſti colloquio, eas interrumpebat precando. Ad hoc utebatur deſtinatis quibuſdam mentis exercitationibus & recitatione virginei roſarij, quod habebat ad manum ſub pulvino, atque dextrè tractabat, ut ne ſomnum amantiſſimæ conjugis turbaret: quam tamen non ita poterat fallere, quin eum orantem frequenter obſervaret, & verò etiam ſequeretur. Iſta orandi aſſiduitas libellos precationum, quos habebat familiares, tam inſigniter notavit, ut ipſo manuum attritu digitorúmque veſtigijs facilè quivis deprehenderet, non fuiſſe otioſa pietatis inſtrumenta.

Studium orationis. V.

Conſcientiæ diſcuſſio. VI.

Quàm porrò eſſet honorifica & attenta iſta cum Deo familiaritas, novit is, qui ſolus eſt ſcrutator humanarum mentium: certè cùm Maximilianus mirus eſſet iſtiuſmodi arcanorum celator, à nemine, quem nôrim mortaliũ, fuit ſatis explorata. Cæterùm ſi quid tribuendum eſt ſcintillis, quæ ipſo etiam nolente, aut minimè advertente, ex intimo pectore promicabant, non eſt dubium, quin excellente VII.

cellente mentis agitatione ſe Deo conjungeret, conjunctúſque in ejus præſentiâ ſuaviter quieſceret. Argumento erat corporis, quem dixi, habitus & animi tranquillitas, vehementia ad Deum ſuſpiria, à quibus tamen, ſi quando palàm orabat, noverat abſtinere. Verùm ubi in privato ſacrario (ad quod nemini præter conjugem, liberos, & ſacerdotem cum miniſtro ſacris operantem, permittebat acceſſum) præcipuè cum gravioribus curis angebatur, incredibile dictu eſt, quanto animi niſu, quibus adſpirationibus neſcius ipſe ſe audiri, interioris affectûs ſenſa demonſtraret. Alioqui cũ divino ſacrificio præſens vacabat, abſtinebat prorſus ab eâ, quæ vocibus conſtat, precandi ratione, citra omnem labiorum motum ſoli intentus conſiderationi myſteriorum, quæ in auguſtiſſimo Sacramento, & incruentâ paſſionis Chriſti repræſentatione ſanctiſſimè exhibentur, quæ optima forma eſt Miſſæ audiendæ.

VIII. **Corporis maceratio.**

Orandi ſtudio adjutricem addunt Aſcetæ ſui victoriam & induſtriam carnis edomandæ. Non latebat Maximilianum cœleſtis hæc diſciplina, utpote probè gnarum, iram cæteráſque animi affectiones, ut mancipia in poteſtate, & voluptates perinde ut hoſtes in freno habere. Proinde ſic temperabat iram, ut ſi quid eſſet, quod meritò in quopiam argueret, id faceret perpaucis, immotâ vultûs vocíſque ſerenitate, citra omnem aggerationem, ſatis habens, quòd rem dixiſſet verbis efficacibus. In morbi cruciatibus, ut cùm laterum & torminum doloribus graviſſimè ſubinde vexabatur, omiſſis quiritationibus, adhibitâ patientiâ, conſtanter eorum acerbitatem ſic premebat, ut vix eos ſentire notaretur. Erat propè ſuæ majeſtatis immemor in ijs, quæ ſpectabant non ad delicias modò, ſed etiam neceſſariæ vitæ commoda. Monachij, tametſi Regiam haberet ſplendidiſſimam, utebatur tamen conclavi, quod nihil prorſus magnificum referebat. Si quando verſabatur peregrè, ſibi ſeligebat plerumque muſæum anguſtum minúſque honoratum. Triennio, quod Brunovij inter belli tempeſtates exegit, habitabat perincommodè, tametſi in laxis & ſplendidis eſſet ædibus: nihilominus iſtis anguſtijs ita recreabatur, ut diceret, ſe, ſi poſſet id loci, in quo degebat, tametſi perpaucos homines unà caperet, libenter empturum avecturúmque, ut ſibi, quocunque iret, illo liceret uti. Corpus affligebat non ſtatis modò jejunijs diei Sabbatini, & omnium D. Virginis pervigiliorum abſtinentiâ, ſed etiam exteriore auſteritate. Servabat intra ordinarium, idque ſecretius cubiculum in ſuo conſpectu ciſtellam affabre ornatam, cujus clavem penes ſe ſemper retinebat, nemine alio prorſus ad eam aperiendam aut introſpiciendam admiſſo. Illam

IX. porrò ſecum vectabat, quocunque proficiſceretur. Credebantur illâ claudi præſtantiſſimæ quæque gemmæ, & quicquid ipſi chariſſimum eſſet in rebus pretioſis. Mox ab ejus obitu videre lubuit, quid tandem eſſet theſauri: talis autem fuit repertus, qualem Henrici VIII. Angliæ Regis ſatellites repperêre in ciſtâ ferreâ ſeris bene oppeſſulatâ Joannis Roffenſis Epiſcopi, pro Romanâ fide & unitate Eccleſiæ trucidati. Aperta Maximiliani capſa prodidit horrida macerandæ carnis inſtrumenta, bene trita flagella, ferream catenam longis hiſpidam cuſpidibus, eo ductu, qui lumbos circumquaque premeret lancinarétque. Patuit verò eam non fuiſſe fruſtra, idque ex tænijs, quibus colligabatur. Ex enim ex crebra attrectatione cùm eſſent maculoſæ & ſemiexeſæ, palàm arguebant, optimum Principem haud infrequenter id ſibi tormenti genus induiſſe. Inerant præterea diverſi generis, horrendùm hirſuta, ex equorum ſetis tegmina, vulgò cilicia. Inter hæc geminæ manicæ, quarum erat uſus, ut cùm brachia cruciaret, retentâ veſte cæterâ, eas, cùm vellet, latens exueret. Sic magnus Princeps Hilarionum, Elzeariorum, Brunonum, aliorúmque ſanctiſſimorum virorum facta ſecretò, Deo tantùm conſcio, ne quid irreperet inanis gloriolæ, imitabatur. Ut aures etiam per vices ſuâ oblectatione fraudaret, ferijs ſextis in memoriam Chriſti patientis, diebus verò Sabbati ad honorem beatiſſimæ Virginis, extra divina, Muſicos concentus, tubarum præſertim in Aulâ prohibebat. Quamobrem cùm ſibi uſque eò durus eſſet, mirum non eſt, ſi à Deo tam ſuaves in oratione delitias guſtúmque cœleſtem experiebatur. Acce-

ſtolis, certiſque Patronis ſacros, omnes Dominicos ſacræ exomologeſi & divino menſæ cœleſtis epulo tribueret. Ad ea ſacramenta animum ut accuratè compararet, unam horam ſolitæ quieti manè detrahebat, tum ut conſcientiam excuteret, tum ut Deo, quem erat accepturus, per attentam ſummæ ejus majeſtatis meditationem, animi ſinus panderet, & religioſè ornaret. Dein horâ conſtitutâ, quæ erat manè ſeptima, citra moram in Oratorio ſe ſacerdoti ſiſtebat, poſt rei divinæ: quâ peractâ, effuſus in prolixam gratiarum actionem, divinum hoſpitem adorabat, vocabâtque in vota. Aderat deinde alteri, ſæpius tertio ſacrificio, vel concioni & ſolenni Liturgiæ. Semel in anno, ídque in feſto D. Bennonis Monacenſium ſingularis Patroni, publicè in templo B. Virginis, ad divinam ſynaxim accedebat, ut populo ad eam frequentandam exemplo præiret, eóque vetabat ullum à divinæ menſæ aditu, in quâ cœleſti cibo fruebatur, arceri, & recreabatur vehementer, ſi quos videbat eidem accumbere.

Sanctiſſimam Dei hominis matrem, tenerrimo amore & reverentiâ proſequebatur: in ipsâ ſecundùm Deum ſpes, rerúmque ſuarum tutelam reponebat: cujus rei, præter alia quamplurima, teſtis eſt deaurata ſtatua, quam ipſi Monachij in foro, ſuper præaltam marmoreã columnam erexit An. M. DC. XXXVIII. Quatuor ſtereobatæ angulos occupant ſingulæ geniorum cœleſtium, præclaræ prorſus artis, ex ære fuſili effigies, quorum primus obtruncat aſpidem, ſecundus configit baſiliſcum, tertius fulminat enſe leonem, quartus confodit draconem. XI.
Singulis adſcriptæ ſunt ſuæ partes ex vaticinio Regio: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*; invento ingenioſo, ad explicandam Virginis caput tartarei ſerpentis conterentis, in gentis humanæ crudeliſſimos hoſtes acceptam à Deo vim & potentiam. In clathris marmoreis viſuntur quatuor grandes ex aurichalco fuſiles laternæ, facibus nocturno tempore accendendis. Legitur in fronte ad Orientem Epigraphe; *Pſalm. 90. v. 13.*

DEO OPTIMO MAX. VIRGINI
DEIPARÆ, BOICÆ DOMINÆ
BENIGNISSIMÆ,
PROTECTRICI POTENTISSIMÆ, OB
PATRIAM,
URBES, EXERCITUS, SEIPSUM, DOMUM,
ET SPES SUAS SERVATA.

Ab Occaſu.

HOC PERENNE AD POSTEROS MONIMENTUM
MAXIMILIANVS
COM. PAL. RHEN.
UTRIUSQUE BOIAR. DUX, S. R. I.
ARCHIDAPIF. ET ELECTOR,
CLIENTUM INFIMUS, GRATUS SUPPLEX
POS. M. DC. XXXIIX.

BINA AULÆ SACELLA.

XII. In ejuſdem Virginis honorem DEO dicavit bina novi Palatij ſacella, alterum titulo Virginum virginis. Ejus concameratam teſtudinem exornant elegantis formæ pulchrè ordinata anaglypha laudum intemeratæ Virginis, quas ex divinis ſcripturis, virgineis virtutibus SS. Patres accommodant: ut cùm Soli, qui nunquam hebeſcit, nunquam occidit; & Lunæ pulchritudini comparatur: cùm dicitur Porta cœli, Civitas DEI, Deſiderium collium æternorum, Roſa Iericho, Porta clauſa, Templum Salomonis, Turris David, quaſi Palma, Sanctuarium Dei, Speculum ſine maculâ, Mulier amicta ſole, lLilium inter ſpinas, Stella matutina, Arca fœderis, Roſa myſtica, Altare Thymiamatis, quaſi cedrus Libani, Puteus aquarum viventium, Clypeus omnibus in eam ſperantibus. Sacelli alterius tholus, totúſque fornix auro inductus varias habet cœlitum imagines. In parietibus, opere muſivo ad ſtuporem mirabili, cernitur ad vivum expreſſa vita Deiparæ Virginis inter pulcherrimorum Zophororum Emblemata. Ad muri lævam prominet magnificè excultum præſtantiſſimarum reliquiarum armarium. Ejus interiores valvæ conſtant ex cryſtallinis tabulis, quas illuſtrant figuræ, manu perquam egregiâ inciſæ. Ad dextram eſt Pithaulicum organum, ex argento ductili, cujus tubi & abacus exterior innumeris calaidibus (Turcicas gemmas vocant) nitent eleganter. Pavimentum conficiunt aſarota, in venuſtiſſimas figuras ex Porphyrite alióque lapide exotico, variíſque præſtantiſſimi marmoris cruſtulis digeſta. Veſtibulum exornant geminæ elegantiſſimi operis columnæ, cum viſendi artificij antipagmentis, & Icone D. Virginis Annunciatæ, cui ſubſcriptum eſt aureis litteris hoc elogium.

D. O. M.

AD CVLTVM

VIRGINVM PRINCIPIS,

SALVTATÆ GENITRICIS GENITORIS SUI GENITI, GIGNENDI, SACRUM DICATUM.

Limen & poſtis uterque concinnantur ex peregrino marmore, fores in utrâque facie auro illuſæ, habent grandia ex deaurato argento armamenta: cætera effigiatorum Angelorum per omnes partes emblemata ſimilis ſunt materiæ & pretij. Principum interiora ſedilia undique auro argentóque nitent. Aræ triplex eſt facies. Extima exhibet D. Virginis divinum puerum in ſinu geſtantis formâ in tabulâ ſericâ. Media tota omnino argentea, gerit vitæ & mortis Chri-
XIII. ſti excellentiſſimi operis ſimulacra. Intima, ejuſdem materiæ & artis, præbet patens receptaculum, in quo collectus in linteo (ita fert antiquiſſima vetuſtatis memoria) à D. Magdalenâ ſtillans Chriſti è cruce pendentis in terram ſanguis, concretúſque in rubentem maſſam unius ut minimùm palmi, ad modum cylindri, quæ in grandi argentea magnifici operis thecâ religioſiſſimè aſſervatur. Eam ſextâ ſanctioris hebdomadæ feriâ liqueſcere, indicium fuit An. M. DC. XXXV. Fuerat ob belli pericula, clauſa loculo ſicciſſimo, in ſacello Collegij Societatis JESU Burghuſij diutulè habita inter tenuiſſimas exaſciatæ abietis faſciolas, ſub byſſi candidiſſimæ multiplicibus involucris. Cùm ad Maximilianum Electorem referretur unà cum alijs Lipſanis; reſignatâ ciſtâ, quam Eliſabethæ Electricis ſigillum adhuc tum integrum claudebat; apparuerunt in ſindone ſanguineæ notæ, eǽque plures, latæ, manifeſtiſſimæ, & conſtantes, quæ aliunde quàm ex liquatâ maſsâ, cenſæ ſunt non potuiſſe provenire. Habet altare geminas utrinque arulas, auro, argento, gemmis excultas, quibus variæ Sanctorum reliquiæ ſuſtinentur. Ad hoc ſacellum ſpectant præſtantiſſimæ aliæ Divorum exuviæ, cum thecis

thecis pretioſiſſimis, & ſacrarum veſtium, quarum in re divinâ uſus eſt, cæteræque ſupellectilis ingentis pretij, aureo argenteóque apparatu. Hæc de domeſticis D. Virginis ſacellis. Præterco D. Georgij & D. Catharinæ, quæ in Monacenſi regia ſunt, ſacraria.

Quæ ad Deiparæ Virginis cultum Maximilianus præſtitit tam per ditiones Bavaricas, quàm in Provincijs exteris, nimis longum foret enarrare. Permulta ſunt in Boicâ Deiparæ templa, in quibus vel ædificandis vel ornandis ſumptus fecit liberales. Certè Guilielmi parentis exemplum ſecutus, quà largitionibus, quà urgendo accuratam ſacrorum cenſuum adminiſtrationem, id effecit, ut pleraque Bavariæ templa non modò aureâ munditie fulgeant, ſed etiam abundent proventibus ad continuandam ædificiorum & inſtrumenti ſacri nitelam. Foras etiam ſe extulit ejus munificentia. XIV.

Extant ejus dona in Æde D. Virginis Lauretanâ. Eodem loci præſtantur inſtituta ex ejus liberalitate ſtipendia geminis Miſſis per ſingulos dies in ſacro ejus ſacello faciendis.

Nullum patiebatur abire diem, quo (ſi quidem liceret per leges Eccleſiæ) non intereſſet ſacro, quod volebat legi de ſanctiſſimâ ſuâ patronâ.

Sine crimine non poſſum præterire præclariſſimum flagrantiſſimi in Deiparam amoris & obſervantiæ monumentum, quod in ſacro Virginis Oetinganæ ſacello reliquit eò luculentius, quò præ modeſtiâ voluit eſſe occultius. In eodem ſacello curavit Maximilianus ædiculam argenteam affabre factam magni ponderis, reponendæ prodigioſæ D. Virginis imagini. Ædiculæ ſubeſt capſella exigua, quam conſultò voluit fieri, & ſervari vacuam, donec ipſe aliud ſtatueret.

Aliquot annis ante obitum juſſit iſtam Ædiculam ad ſe Monachium deferri. Antequam deferretur, ſuo ſanguine exaraverat ſchedam his verbis:

IN MANCIPIUM TUUM,
ME TIBI DEDICO CONSECROQUE,
VIRGO MARIA,
HOC TESTE CRUORE ATQUE
CHIROGRAPHO.
MAXIMILIANUS
PECCATORVM CORYPHÆVS.

Hunc Chirographum, manu ſuâ, ſolus, nemine prorſus conſcio in eam, quam dixi, capſellam abdidit. Ut abdiderat, juſſit accerſiri aurificem cum neceſſario inſtrumento, & ſe coram arctè ferruminare capſellam. Tum mandat per cubicularium, argenteam ædiculam Oetingam fideliter referri, ſuóque loco reſtitui. Factum eſt ut imperârat. Interea ad uſque ipſius obitum, res ſtetit clauſa, non ſine tamen vehementi ſuſpicione, latere quippiam magnum & viſendum, quod Princeps tam ſapiens tantâ accuratione recondidiſſet. Ut è vivis exceſſerat, Decanus Oetinganus Monachium renuntiat arcani aliquid in capſella videri incluſum, neſciri tamen quid illud eſſet. Quamobrem inceſſit Sereniſsimam Mariam Annam Electricem viduam pia curioſitas ſciendi, quidnam demum lateret. Ergo allatam Oetingâ ciſtellam reſignans, reperit legitque non ſine lachrymis, quem Sereniſſimus Maritus ſcripſerat Divæ Virgini Chirographum Mariani mancipatûs, lectúmque reſtituit cœlorum Reginæ, cui erat inſcriptus. Sic Deus voluit in lucem extrahi glorioſam Maximiliani virtutem, quam tam ſtudioſè hominum oculis ſubduxerat.

Beatos cœli cives præcipuâ veneratione colebat, eorum reliquias, quarum magnum habuit theſaurum, ut pignora hominibus in hoc exilio degentibus à Deo relicta atque depoſita, avidè conquiſitas, magniſque curis comparatas, ſplendidiſsi-

didiſſimè faciebat auro, argento, pretioſiſſimíſque gemmis veſtiri, ratus, nuſquam digniùs humanas opes impendi, quàm in largitoris Dei, Divorúmque cultum, quem ut propagaret, nulli parcebat ſtudio, nullis impendijs. Dici vix po-
XV. teſt, quanto ardôre ferretur ad augendum Dei honorem. Contrà ferebat iniquiſsimè, ſi quando reſciebat divinum ejus Numen violari, præſertim per ſacros homines: auditus eſt perſæpe dicere, mirari ſe, nec poſſe capere, quî fieret, ut homines, qui ſe totos atque ex aſſe Deo conſecrâſſent, ſui inſtituti immemores, ſtudijs retro converſis, à pietate deflecterent, vitámque pravâ vivendi licentiâ
Zelus animarum. contaminarent. Impigrè ſanè certiores faciebat ſacros Præſules, ſi quos à Clero noverat vitam ſuo ordine indignam ducere, ut caſtigati in viam reducerentur, ita tamen, ut, quâ erat in ſacros Antiſtites, & homines rebus divinis addictos reverentiâ, nullum ſibi cenſuræ jus in Clerum vindicaret, ſed flagitaret tamen urgerétque, quæ illi credebat eſſe profutura. Ipſe verò ſeverè animadvertebat in Laicos, quos deprehendebat dignos caſtigatione. Ipſo inſtigante catecheſes, ob belli injurias nonnihil remiſſas, Ordinarij revocârunt in uſum: ſuis ipſe ſumptibus aliquando aluit ſacerdotes, qui obeuntes loca Chriſtianæ inſtitutionis egentia, rudes divinis præceptis informârunt. Societatis Jesu domicilia amplis proventibus inſtruxit, ut juventus formaretur ad ſtudium pietatis, ſimul inſtrueretur non ſanctiorum modò, ſed etiam humanarum litterarum diſciplinis; ætas verò grandior haberet opportunos hortatores & adjutores condiſcendæ & exercendæ virtutis Chriſtianæ.

Ad exteros quoque ſuas curas, ſumptúſque porrexit. Ut Angliæ ſua auxilia non deeſſent, Leodienſe Patrum Anglorum Societatis Jesu Collegium ducentis florenorum millibus fundavit. Cùm P. Nicolaus Trigautius ejuſdem Societatis homo Belga, è remotiſsimo Sinarum regno Anno M.DC.XVIII. in Europam redux, divertiſſet in Bavariam, Maximilianus illi tum in ære præſentaneo, tum alijs donarijs ad Sinenſis miſsionis ſubſidium, triginta ut minimùm florenorum millia tradidit. Memorat P. Michaël Bouym ex Chinâ ad ſedem Pontificiam Legatus in ſuis, quas ad ſocios dedit, litteris, Anno M.DC.LIII. inter Maximiliani dona fuiſſe *librum de vitâ & miraculis Chriſti, quadraginta ſex folijs, ex*
XVI. Ex Epiſtola P. Bouym. *membranâ elegantiſſimè depictis, opere (quod ajunt) miniato, adjecto ad ſingulas picturas Evangelio & brevi explicatione, aureis litteris, ſtudio & manu Patrum infernè appoſitâ, incluſum tabellis argenteis, utrinque duobus Evangeliſtis ex eodem metallo, toreumate affixis. Eum librum* (inquit P. Michaël) *quondam Sereniſſimus Maximilianus Bavariæ Dux, pro Chinenſi miſſione, P. Nicolao Trigautio, cùm in Europam inde veniſſet, donaverat.* Juvat audire ſequentia, quia pia ſunt, & non parùm faciunt ad noſtrum inſtitutum. *Cum hoc libro miſerunt Patres imaginem SS. Trium Regum, munus autem utrumque telâ argenteâ auro pictâ velatum, juſſerunt ab ijs, qui ferebant, non antè aperiri, quàm in conſpectum Imperatoris* (Sinarum) *veniſſent. Hic, re intellectâ, lavit manus, & ad primum horum munerum aſpectum attonitus, & velut extra ſe poſitus, & diu hæſit anceps, quid priùs inſpiceret: Tandem Rege Regum impellente, in genua provolutus, imaginem Epiphaniæ veneratus eſt capite in terram uſque demiſſo, cujus exemplo duæ Reginæ aliique præſentes idem fecerunt. Pòſt ad Reginas converſus, & digito Chriſtum monſtrans, Hic infans,* inquit, *eſt major & potentior noſtro Idolo Fockia, & hic Rex (ſeniorem ex tribus SS. Regibus commonſtrans) majori virtute præditus eſt noſtro Imperatore Yu, quem Chinenſes propter egregiam virtutem pro innocente habent. Poſtquam denuo contemplatus eſt imaginem, eum librum inſpexit, curioſè ſingulas pagellas conſiderando, textúmque magnâ voluptate legendo. Et quamvis interea multi ſupplices libelli fuerint allati, omnes tamen diſtulit: quin & monitus horam prandij imminere, & hoc in aliud tempus rejecit, adeo ut diem integrum legendo ſacrum textum à noſtris ſubſcriptum libelli imaginibus, & conſiderando eaſdem conſumpſerit. Poſtero die juſſit, ut ſacræ imagines collocarentur in aulâ publicâ, quam vocant aulam virtutum, ubi rurſus cum Reginis & totâ Aulâ genuflexus eas adoravit. Veritus tamen, ne quis Idololatra minùs reverenter haberet, dedit in mandatis,*

datis, ut in ſuo intimo conclavi reponerentur. Atque ex his quidem videre eſt, quàm latè ſe diffuderit Maximiliani in Deum religio, quippe quæ ſe non eſt paſſa intra Boicæ limites contineri, ſed ad extremos orbis terrarum fines evaſit.

Finiam hoc caput, ubi unum addidero memorabile. Eſt adhuc in vivis vir compertiſsimæ mihi fidei, cum quo Maximilianus multa de ſuis rebus conferebat. Affirmat ille, ſe hunc non ſemel audiſſe, cùm diceret, ſe ab initâ Boicæ gubernatione magnam pecuniæ vim collegiſſe ex ordinarijs ditionum ſuarum proventibus. In eâ verò colligendâ nunquam ſpectâſſe, ut augeret opes domeſticas, Bavariæ dominatum, vel Aulæ luxum & magnificentiam. Colligendi hunc fuiſſe duntaxat finem: ſe enimvero diu antè proſpexiſſe Germanicorum bellorum motus, Principum & Ordinum Acatholicorum adverſus Orthodoxos molitiones, imminentia rei Catholicæ pericula, quibus abſque magno bene farti ærarij præſentario apparatu occurri non poſſet. Ideo ſibi curæ fuiſſe, ne, cùm ejuſmodi caſus eveniret, ipſe pro ſuâ parte eſſet imparatus, néve tum primùm de nervo belli conficiendo foret cogitandum, cùm patria jam bello arderet. Et incidiſſe quidem ſe perquam invito, quæ non vanè conjectaverat, iſta calamitoſa Reipub. tempora, quæ præſentem Catholicorum opem requiſiſſent. Ad eam ſe lubentem volentem plurimas aureûm numûm myriades contuliſſe ex ſuo ærario, quas bellum (quæ bellua eſt inſatiabilis) adverſique caſus abſumpſerint. Nihil ſe tamen eâ pecuniæ profuſione dolere, ſed lætari vehementer, & cum magno animi ſui ſolatio recogitare, id ſaltem ſe eſſe aſſecutum, ut, quas opes parſimoniâ conflârat, eaſdem pro divinæ gloriæ & religionis defenſione fuiſſet elargitus. Sperare ſe, quicunque futurus eſſet belli exitus, divinæ benignitati placituros bonæ mentis conatus, & poſt exhauſtos ingentes theſauros, inexhauſtam rei bene pro Deo gerendæ voluntatem. Si quid homines ſecus interpretentur, id verò ſe habere inſuper, ſibi abunde fore præmij & commendationis, quòd Deo teſte, & uti ſperaret, authore ac remuneratore, ad ſupremam uſque neceſſitatem durâſſet in laboribus, curis, ærumnis, & periclitantis Reipublicæ neceſſitatibus, quouſque vires ſuffeciſſent, quâ de re ſperaret omnino, ſe in decretorio vitæ ſuæ examine benignum & faventem è cœlo Judicem habiturum, quicquid tandem cæca hominum judicia, causâ non bene cognitâ, definirent.

Studium defendendæ religionis. XVII.

Ab illis virtutibus, quæ Maximilianum Deo adjunxerunt, tranſeo ad humanas, quæ illum aptârunt bono Principatui. Agmen ducat inſignis prudentia, quæ ipſum orbi reddidit admirabilem, venerandum amicis, hoſtibus formidandum. Certè in confeſſo eſt, eum communi omnium judicio habitum (uti re verâ erat) fuiſſe ſapientem. Eam virtutem mirè juvabat nativa quædam genij bonitas, rationis prompta ſolertia, longus & continuus rerum uſus, quæſita ex divinis principijs notitiâ. Juvabat fuga vitiorum, ſine quâ, teſte Philoſopho, poſſibile non eſt quemquam eſſe ad bonum totius vitæ perfectè prudentem & conſilioſum: Dei enim proprium eſt, *piè agentibus dare ſapientiam.* Eccl. 43. 37. Si quid erat difficilius, cujus exequendi ratio eſſet dubia aut intricata, ſæpius illud jubebat vocari in deliberationem, & ipſe in ejus examinatione dies noctéſque jungebat, donec animus in repertâ recti ac veri claritudine conquieſceret. Pòſt ubi laudabilem finis aſſequendi modum & media repererat, velociter atque impigrè mandabat effectioni, memor præcepti Stagiritæ, oportere quidem operari velociter conſiliata, tardè verò conſiliari, ne, ut monuit D. Auguſtinus, ſubrepente malâ ſuaſione fallamur. Hinc fiebat, ut in rebus obſcuris aut arduis nunquam ex tempore daret reſponſa, ſed ea priùs adduceret in conſultationem. Nôrunt, qui fuêre conſiliorum ipſius participes, quàm fuerit in ſuſcipiendis bellis moroſus, quàm expeditus in patrandis. Id ut ſemper patuit, ita maximè in expeditione Salisburgenſi, quam longè celeriùs confecit, quàm deliberavit: patuit item in reducendâ ad Cæſaris obſequium ſuperiore Auſtriâ, cùm ipſe ſui adventûs famæ prævolavit, & priùs adfuit cum exercitu, quàm ſciretur eſſe in procinctu.

XVIII. *Maximiliani prudentia.*

6. Ethic. c. 12.

6. Ethic. c. 9.

Lib. de morib. Eccl. c. 14

cinctu. Longè alius fuiſſet devictæ Bohemiæ ſucceſſus, niſi ipſe omnem cunctationem ſuâ celeritate emendâſſet.

XIX. Iſtam conſiliorum maturitatem, velut in flore jam præceſſerat adoleſcens ſapientia, quam Clemens VIII. Pont. Max. idémque ſapientiſſimus, Patréſque Purpurati, Romæ probârunt; quam amavit Rudolphus II. Imperator, cùm Pragæ mirificè ejus ſermonibus fuit delectatus; quam in Comitijs Ratisbonæ ſuſpexit Romani Imperij Principum Senatus, cui vice Guilielmi parentis, anno ætatis ſuæ vigeſimo primo, ſæculi verò ſuperioris M. D. XCIV. interfuit, cùm in auguſtiſſimo iſto conſeſſu Maximilianus eximium ſpecimen dedit præclaræ ſapientiæ. Hæc eluxit in eâ proviſione, quâ velut futurorum præſcius, viros bellica virtute claros, Tillium, Bœninghuſium, Hoflichium, Linteloum, Laurentium Maeſtrum, San-Martinium, Hercellium, Guardium, alióſq; magnis ſtipendijs ſibi longè antè, quàm bellandum eſſet, auctoravit, quorũ deinde operâ, cùm res poſceret, uteretur. Ferdinandus II. Imp. non priùs ſuſcepit Imperij gubernacula, nec adijt Auguſtalem Electionis conventum, quàm Maximiliani mentem explorâſſet. Gaudebat idem audire in rebus quibúſque graviſſimis, & habere Maximilianum conſultorem. Idem fecit Ferdinandus III. fecêre multi Imperij Romani Principes, rati, ſe ſapienter facturos, quod Maximiliano facerent authore. Obfuit in immenſum orbi Germanico, ejus conſilia de maturandâ cum hoſtibus pace, bello poſtremo, locum ſerò nimis habuiſſe: eam ſuaſerat An. M. DC. XXX. & fortunâ deinde nonnihil inclinatâ quidem, ſed ſtante adhuc & firmâ, annis poſterioribus, ante ſecutas Imperij Romani clades, quando honeſtiſſimis ac utiliſſimis conditionibus ſanciri potuiſſet. Prudentiam debere eſſe in Principe ad modum artis Architectonicæ, doctrinæ politicæ magiſtri ſtatuerunt; atque hujus quidem partes in legum ferendarum & gerendæ Reipublicæ providentiâ potiſſimùm verſari: atqui Maximiliano nullus meliùs Boicam gubernavit, nemo Boicas leges (quod elucet ex novo, quod ipſe condidit, Bavaricarum Conſtitutionum volumine) ſapientiùs vel tulit, vel temperavit. Ejus ſapientiæ debet Domus Bavarica redditum S.R.I. Electoratum; additum Ducatum ſuperioris Palatinatûs; acceſſionem Leuchtenbergici Landgraviatûs, Cambenſis Comitatûs; Dynaſtiæ Mindelheimenſis, Deggenbergicæ Toparchiæ, duarum tertiarum Wiſenſtaigianæ arcis & dominij Winzerenſis, arcis item & Dynaſtiæ Mattikovienſis, Haldenbergenſis, Praitteneggenſis, aliorúmque minoris nominis. Ut taceam jura alibi plurimis aureûm myriadibus comparata. Non abs re de Maximiliano viri ſapientes ſenſerunt, eum inſtar magni illius Hiſpaniarum Regis Philippi II. è ſuo conclavi rectrice ſapientiâ gubernâſſe provincias, adminiſtrâſſe bella, pugnâſſe, viciſſe, verè ſapientis titulos & trophæa ſibi comparâſſe. Spirant eximiam ſapientiam

Ariſt. 6. Eth. c. 8.

PACIS CONSILIA.

XX. ſelecta ab ipſo Apophthegmata, varijs Emblematis novi Palatij inſcripta.

Ad Monarchiæ effigiem.

Quid eſt Monarchia, niſi tria ſuſpiria?
obtinendi, amittendi, retinendi.

Ad Magnanimitatem.

Gloriæ fumum ſpernit Magnanimitas,
Ambitio quærit.

Ad Sapientiam.

Natura noverca, Sapientia mater eſt,
illa nos animalia, iſta homines facit.

Ad

Ad imaginem Conſilij.

Conſilium fidele, liberum, conſtans, tacitum.

Ad Officia Principis.

Princeps debet eſſe non ſolùm armis decoratus, ſed etiam legibus armatus, ut utrumque tempus rectè poſſit gubernari, & bellorum & pacis.

Ad prudentem perſonarum electionem.

Dijudicatio, delectus, expetit ac ſeligit Candidam famam, ſobrietatem, fidem, genus, abſtinentiam, religionem, mores, ingenium, doctrinam, ſapientiam.

Huc pertinent monita, quæ ad filij ſui Ferdinandi natu majoris probam inſtitutionem juſsit in chartas referri, cùm ille triennium nondum exceſſiſſet, eidémque adoleſcentiam ingreſſo proponi atque explicari. Hæc quia paucis multa egregiæ ſapientiæ præcepta, cuivis Principi apprimè utilia, complectuntur, nihil oberit ea luce publicâ donare ad eorum uſum, quorum munus eſt populos ſcitè ſapientérque regere.

Monita Paterna MAXIMILIANI Utriuſque Bavariæ Ducis, S. R. I. Electoris & Archidapiferi Ad FERDINANDVM Vtriuſque Bavariæ Ducem Filium adhuc trimulum.

QUæ mihi utiliſſima factu viſa ſunt, Ferdinande fili, quæque tibi aliquando honori fore credidi, cùm gubernaculo faſcibúſque admotus, egebis non uno aut brevi, ſed frequenti & prolixo monitore, méque fato functum, qui moneam, non habebis; quàm pauciſſimis conſcripta, parentis amantiſſimi velut ſuprema præcepta relinquo, quæ id temporis meam vicem expleant.

Hæc eò libentiùs, eóque ſæpius Te lecturum oculis, verſaturum animo, & moribus uſúque ſecuturum confido, quò te divinæ gloriæ, ſalutis tuæ, populique tibi commiſſi ſtudioſiorem, meique obſervantiorem fore, omnino mihi perſuadeo. Habebis igitur compendio, atque ex animi mei ſententiâ, quid Deo, Tibi, ac Subditis debeas.

CAPVT I.

De Officio erga Deum, Cælites, & ſanguine junctos, déque famæ ſtudio.

VNus omnium regnator eſt Deus, è cujus manu procedit omnis potentia, gloria, atque victoria: cuncta quæ in cœlo & in terrâ, illius ſunt: Ipſe eſt ſuper

XXI. ſuper omnes Principes: Hic, quoties fert animus, balteum Regum diſſolvit, & præcingit fune renes eorum. Is ex æquo parvis & magnis jus dicit.

PIETAS IN DEUM, DIVOS, PARENTES ET CONSANGUINEOS

Nemo unquam ſine ipſo bene ullis præfuit: tutus planè, qui feliciter ſubditos habuerit, quin ſe DEO priùs ex animo ſubjeciſſet.

Proinde, ſi me audis, ne crede, te unquam DEO inſpectore & actionum tuarum arbitro cariturum, nec ſpera, te tum demum fore liberum, ſi DEI jugo excuſſo, tibi duntaxat ac genio tuo fueris obſecutus.

Hoc certò ſtatuendum eſt, in Principis erga DEUM pietate, felicitatem ipſius & ſubjectorum mores magnam partem; ſimul utrorumque fata librari.

Pietas continetur ſano de divinis rebus ſenſu, DEI timore, amore ac cultu.

Bene ſenties, ſi nihil prorſus ab orthodoxâ S. Romanæ Eccleſiæ doctrinâ, nihil à majorum fide deflexeris: ſi de DEO (quod pietatis omnis eſt exordium) quàm optimè exiſtimaveris: ſi cum ſanctâ Apoſtolicâ ſede, Chriſtique in terris Vicario ſemper fueris devotiſſimè conjunctus.

DEUM timebis, ſi formidanda ejus in filios hominum judicia ſeriò ac ſedulò revocaveris ad animum. Durum planè judicium his, qui præſunt: quippe qui & ſui & ſuorum ſeveras rationes ſunt reddituri: cui multum datum eſt, multum repetetur ab eo.

Timebis iterum, idque reverentiùs, ſi immenſam DEI Majeſtatem, cui nihil clauſum, nil occultum, menti tuæ intereſſe, & medijs cogitationibus intervenire duxeris; inſpicere omnia, ad libellam vocare omnia, nihil improbitatis inultum relinquere.

Hæc ſi ſtudioſè perpenderis, males profectò mori millies, quàm DEI oculos offendere, oſtendéſque, offenſæ cujuſvis etiam levioris deteſtatione, tibi DEUM, ſalutem animæ; corporis commodis, vitâ, rebúſque omnibus eſſe cariorē.

Ut DEUM ames, faciet infinita ipſius bonitas, amor, clementia, in te alióſque beneficentia, præcipuè illa, quæ ex profuſo filij ipſius pro te ſanguine bona redundârunt.

In ſincero DEI cultu conſiſtit vera religio, quæ erit optima atque caſtiſſima, ſi eum ſemper purâ ac incorruptâ mente, voce, cæteriſque tum corporis, tum animi motibus, ſincerè veneteris. Chriſtianorum omnis religio eſt, ſine ſcelere & ſine maculâ vivere.

Etiam ut DEUM alij colant, quod erit tuarum partium, effice, maximè ij, qui tibi in ſervitijs erunt propiores.

Eos, qui in divinis aliquid innovant, fuge, & quoad licet, coërce; idque tum DEI causâ, tum quòd iſtiuſmodi novitates impellunt malè feriatos ad rerum mutationem; unde conjurationes, ſeditiones, conciliabula, mala omnia. Majorum inſtituta tueri ſacris cæremoniiſque retinendis, DEO acceptum, publico ſalutare.

XXII. Ut verò tu ipſe pius ſis, nolim vagis incertíſque legibus ac momentis pietatem apud te fluctuare, ſed coërceri certis ſpatijs, rebus ac temporibus, ſive quibus à teneris aſſueveris, ſive quæ cum annis ipſe tibi ultro ex viri probi ac prudentis conſilio præfixeris; non ut officia minuas, ſed augeas potiùs atque perficias indies.

Proinde dies cæteros, quibus ſacræ Exomologeſis & Synaxeos ſacramenta adire voles, habebis in numerato, certámque normam, quâ in fructuoſâ illorum ſuſceptione utaris.

Omnium dierum initium & finem ab attenta oratione ducito.

Nunquam negotijs te dederis, niſi DEO priùs ſanctè per preces conſulto.

Cœlites omnes, maximè verò cœlitum Reginam, Virginem Deiparam, Domûs noſtræ æternam Patronam, non ſecus ac matrem dulciſſimam honore & amore, inſtar amantiſſimi filij, clientíſq; infimi, proſequere: Te viciſſim ipſa redamabit ac proteget, habebíſque, cujus patrocinio apud DEUM certò fruaris, quámque ſentias in omnibus ſive ſecundis ſeu adverſis rebus, benevolentiſſimam & potentiſsimam adjutricem.

Secun-

augebis, quoad licebit, opibus, honoribus, non modò ut meum ac tuum ſanguinem, ſed Dei pignora tibi concredita.

Cognatos Principes, pro ſuo quemque modo ac propinquitate, quâ par eſt benevolentiâ & beneficentiâ complectèris.

Perſonas Deo ſacratas fove & venerare.

A ſacris Eccleſiæ opibus atque juribus, non ſecus atque ab auro Toloſano, manus abſtineto, certus, fatale eſſe, & impune nunquam ab injuſtis manibus attrectari.

Ut hanc partem claudam, id ſemper habe propoſitum, ut pius ac probus eſſe, quàm videri, malis; nec unquam rectè ideo feceris, ut rectè feciſſe lauderis: ſat enim amplum habiturus es rectè factorum theatrum atque encomium, quando Deum teſtem, arbitrum, atque mercedem habebis pietatis.

Famæ nihilominus, ſed veris virtutibus quæſitæ, magna ratio habenda eſt, ne famæ contemptu, virtutem contemnere videaris. Cæteris mortalium non perinde atque Principi neceſſarium laudis ac poſteritatis ſtudium: illorum enim etſi parùm honeſta, obſcura tamen & brevis memoria: Principis verò in excelſo poſita & longiſsima manet recordatio, & talis quidem, qualem ſuis moribus excitârit. **Famæ studium.**

Omnia facta, dicta Principis rumor excipit, & plerumque in majus extollit: proinde qualecunque is nomen meruerit, ſive clarum ac proſperum, ſive fœdum ac infauſtum, magnum illud eſt habiturus.

Regium nihilominus eſt, facere bene, tametſi audias malè. Vis magni fieri? Vide talis ſis, qualis haberi cupis.

Non contemnitur facilè, qui faſces quærit, niſi qui vilis & ſordidus ſe priùs ipſe malè agendo contempſit.

CAPVT II.

Officia in ſeipſum.

Tibi, Ferdinande fili, debes animi moderationem ac culturam, virtutis ſtudium, corporis juſtam curam.

Corpori non nimiùm indulgendum eſt, ne molliatur & marceſcat otio, delitijs, luxu, cæteriſque virium ac bonæ mentis corruptelis. **Cura corporis moderata.**

Ebrietatem, flagitium omne, peſte peiùs horre: obcæcant enim, quæ homini nobiliſsima, rationem. Et quia habent non parùm amentiæ, obſtruunt divina lumina, cœli rerùmque ſacrarum ſtudium, publici curam, famam. Animo per libidinem corrupto nihil ineſt honeſtum. XXIII.

Eſto animo verecundo, non abjecto tamen, ore probo, itáque veraci, ut, quicquid dixeris, juratum putes.

Cultus corporis ne ſit immodicus, Aulæ pompam non ſecus atque tunicam magis concinnam, quàm prolixiorem, vel rebus tuis imparem, conſtanter ſerva. Grave eſt, Principis immodico luxu, egentium ſudorem cum dolore expreſſum abſumi. **Fuga luxus.**

Moderari animo, ejúſque motus ſub jugum ducere, glorioſiſsimum ac jucundiſsimum bellandi genus eſt atque vincendi. **Moderatio affectuum.**

Virtus quamdiu cum integris crudiſque affectibus luctatur, aſpera & laborioſa apparet; cùm eos preſſit fregitque, jucunda eſt ac facilis.

Efficax adverſus iram remedium, iræ ſuæ iraſci, & de ſeipſo poſt iracundiam pœnas ſumere, nunquam impune in alios ſæviiſſe. **Iræ refrenatio.**

CAPUT III.

Officia in Subditos.

NIhil Principi libeat, niſi quod licet. Ipſius eſt, perpetuò habere præ oculis, non ſolùm quantum ſit commiſſum, ſed etiam quatenus permiſſum ſit.

IUSTITIA IN SUBDITOS. Fruendæ juſtitiæ causâ olim bene morati Principes à populis ſunt conſtituti, qui ſummos cum infimis pari jure retinerent; ut nec opulenti injuſtum aliquid paterentur, nec plebs contumeliam acciperet, nec periret inauditus quiſquam atque indefenſus, néve perinde conculcaretur innocentia, ac ſi abſque noxâ reus damnaretur.

XXIV. Id quò ſub te fiat integriùs, nihil in ijs, quos juri dicundo præficies, ſines eſſe venale, nihil ſordibus & muneribus obnoxium, nihil pervium gratiæ aut ambitioni.

Hæc cavebis faciliùs, ſi Juſtitiæ adminiſtris juſta ſtipendia exactè & in tempore repræſententur, ut ne ex rapinis aliiſque æquitatis officijs ſupplere cogantur, quod de mercede decedet. Ita enim pars ejus culpæ, quam contraherent, derivaretur in Principem, & damna ex juſtitiæ neglectu ſecuta in privatos, ipſâſque Provincias, tibi tribuerentur.

Lites æquo longiùs non patieris protrahi, nedum perennare; quod fieri amat, cùm otio ac ceſſatione, tum paucitate judicantium, qui litium multitudini ſint impares, tum etiam quòd velut medici ex morborum vi ac diuturnitate pretia, ita advocati ex fori tabe pecuniam contrahunt.

BENIGNITATE AC CLEMENTIA TEMPERATA. Si benignitate ac clementiâ dominatum temperaveris, tibi erunt candida & læta omnia. Firmiſsimum atque facillimum imperium, quo obedientes delectantur: delectantur autem, & non tam timent Principem, quàm timent pro Principe, quando eum advertunt afflictis parcere, vindictæ lenitatem admiſcere, non dominationem & ſervos, ſed Rectorem & cives cogitare, habere ſubjectos in oculis.

MALORUM PUNITIO. Hæc non eò dicta velim, ut ex ſcelerum impunitate, flagitia & facinora ſine modo, ſine freno ſint; ſed ne nimia ſeveritatis aſsiduitas, quæ nullâ pœnitentiâ, ſed ſolis pœnis placetur, unis ſupplicijs & terroribus (infirmis ſcilicet charitatis & obſequij vinculis) contineat ſubditos, qui ubi timere deſinent, incipient odiſſe, ſi non odia exercere.

Tam igitur Principi exoſa eſſe debent multa ſupplicia, quàm Medico funera. Ars enim ac laus eſt gubernantis, ſervare potiùs, quàm perdere deſcendendo ad extrema.

Cave adverſus ullum perennes iras geras aut implacabiles, ne DEUS tibi pariter menſurâ perenni iram remetiatur. Periculoſum eſt, ne juſtitiæ obtentu, averſio animi, rancor, nimiúmque vindictæ ſtudium Principi imponant.

Cùm ſontes punieris, ſat erit, ſi vel ſemel ſentiant, ſe deliquiſſe: ſæpe enim ad triſtia adigit non tam pœna, quàm Principis deſperata gratia: è contrà fideliùs nonnunquam redeunt ad mentem & obſequia poſt lapſum, ſi ex reparatâ gratiâ, Principis lenitatem ſunt experti. Quoſvis delinquentes qui mox abjicit, utiles miniſtros facilè redigit ad noxiam paucitatem. DEUM igitur imitare, qui ſemel ſæpiúſque lapſos, tamen mox non perdit, ſed amanter excipit, ubi reſipuerunt.

XXV. Quando ita expedit, ut nec punire velis, nec videri ignoviſſe; criminis ignorationem præ te fer: ſic enim nec peccata probare exiſtimaberis, nec deeſſe juſtitiæ. Conſultum eſt pati, quod emendare non poſſis.

Si cujus culpam argueris, id ne tuis verbis, ſed alienis facito: ita nec tibi bilem exacerbabis, nec prodes iram, ſed tuæ autoritati conſules & minùs lædes tuorum animos.

Ubi præmiorum ac beneficentiæ res eſt, tu ipſe has partes ſuſtine, ut tota gratia tibi referatur in acceptis.

Pro

Pro fine tuarum curarũ, quas pro publico ſuſcipies, propoſita tibi inprimis ſit ſubditorum ſalus, commoda, ſecuritas. Præ his privatæ utilitati nihil tribueris. SALUS SUBDITORUM.

Principi etenim traditur non ſervitus ſubjectorum, ſed tutela: ipſe velut populorum paſtor ac pater, propter ipſos magis eſt, quàm populi propter ipſum, & tum demum ejus dignitas & amplitudo ſtabilis ac fundata eſt, quem omnes tam ſupra ſe, quàm pro ſe eſſe ſciunt. Id verò nemo Princeps aſſequitur, qui non ipſe ſit bonus ac prudens, quique non conetur eſſe melior ijs, quibus imperat. TUTELA.

Ad tuum enim exemplum cives ſuos mores formabunt, præſertim in partem deteriorem. Age ergo, ut bonis præſis, tu ipſe ſis optimus. Iſtud enim eſt, quod ſuave reddit imperium & jucundam probitatis imitationem: & verò etiam dum privatim ſanctè innoxiéque vivitur, & publicè vigent juſtitia & clementia, naſcuntur opes, quibus nullæ Principi ſunt ad famam pulchriores, nullæ ſubjectis ad beatè vivendum feliciores. PROBITAS EXEMPLARIS.

Omnem dicti ac promiſſi fidem, quâ nihil ad continendam Rempublicam potentius, nihil efficacius ad conciliandam authoritatem, ſervabis accuratiſſimè. Eâ violatâ, tollitur præcipuum humanæ ſocietatis vinculum, pactorum firmitas, commerciorum uſus, vileſcit exiſtimatio. PROMISSORUM FIDES.

XXVI. ANIMI DEMISSIO.

Principem, quantò ſublimior eſt, tantò modeſtiorem eſſe oportet. Hominem cogitet ſe præeſſe hominibus, idque DEI munere, cui fas eſt pro arbitrio ſua dona repetere, redigere in ordinem, ſummam fortunam præcipitare. Cogitet, cuncta mortalium eſſe incerta, qui quò plus ſunt adepti, eò magis ſunt in lubrico; velut arbores magnæ, Domus Principum altè latéq; ut excreſcant, longum tempus exigunt, ſed momento poſſunt extirpari: quid quod etiam potentiſſimis non rarò ab invalidis pericula & exitium inferantur?

Induet ergo Princeps ſuæ dignitati, felicitati, & potentiæ frenos: non efferetur rebus ſecundis, contemnet neminem, aſſueſcet ſermoni non audaci ac elato, ſed preſſo, facili, comi ac moderato, nunquam aculeato. MODERATIO IN REBUS SECUNDIS.

Nihil officient iſta, ſed opitulabuntur veræ ac laudabili majeſtati, cui ex triſti auſteritate, mordaci dicacitate, faſtidioſâ dedignatione & arrogantiâ, decedit plurimùm. SERMONIS MODUS.

Morum ſplendor, virtutum excellentia, optima eáque conſtans & invariata regendi forma, cujus tu ſine conſortio alienæ dominationis, clavum tenere credaris, ſalutaris & parca ſeveritas, fundata potentia, opes juſtè quæſitæ, arma, conſilia, fœdera, fortuna temperanter habita, res præclarè feliciterque geſtæ, cæteræ corporis atque animi dotes, non autem vitia ulla honorem conciliant & majeſtatem. RATIO AUTHORITATIS ET MAIESTATIS CONCILIANDÆ.

Principem beneficum ac liberalem eſſe oportet, præſertim in bene meritos, ut virtuti ſuum pretium eſſe ſentiant, & nonnunquam etiam in non optimos, ut fiant meliores, & verò etiam ne noceant. BENEFICENTIA.

Largitiones nec immoderatæ ſint, nec præcipites, aut profuſæ, neque ſine gratiâ ac claritate benignè inſperſæ comitatis. Perit beneficium, quod triſtis & velut invitus conferre videris.

Liberalitas ſine modo, mater eſt inopiæ: Ea poſtquam ærarium exhauſit, ſuppleri vult ex iniquo; peſſimo publico.

Interim, quantumvis profundas, Aulæ ſorices, privatæ Reipublicæ hirudines non ſatiantur, opes publicæ deficiunt, in damna Principatûs ſemper hiant immenſæ Gnathonum cupiditates. Hinc Magnatum invidia, Principis odioſum nomen, alienatio multitudinis, Reipublicæ fatalis egeſtas. FUGA PROFUSIONIS.

Quamobrem nunquam ſines tibi ſpecie munificentiæ à profuſione imponi; perdere multi ſciunt, donare neſciunt, eóque fit, ut, quod ſaluti eſſe debuerat, vertat in perniciem.

Turpe eſt, opes, quas honeſtè habere licet, inhoneſtè ac ſtultè proijcere, & inhoneſtiùs deinde per ſordes de alieno corradere, vel cum exitiali nominis reíque publicæ damno egere.

 Laudan-

Laudandus Princeps æris ſui non prodigus, ſed largus ac munificus, qui cæteroqui ſit publici tenax & tantùm non avarus. Laudo frugalem, qui magnas opes non tam capiendo, quàm non perdendo quærit. Laudo probum diſpenſatorem, non iniquum diſſipatorem ærarij. Laudo, ſi publicas opes non ad privatas aliorum, neque ad ſuas vel ſuorum cupiditates effundit.

XXVII. Largitas in miſeros. Si modum lubet in donando excedere, excede in pauperes; ſi tamen largitatis, in eos, qui Dei loco accipiunt, exceſſus eſſe poteſt. Qualem te pauperes, talem tu Deum experiere. Stare diu Principatus non poteſt, in quo pauperes abjecti jacent, deſerti & oppreſſi.

Diteſcendi locuples & innocentiſſima ratio eſt, conſulere ſubjectorum commodis, alere commercia, fovere induſtriam. Agrum opimum puta civium opulentiam, quæ non modò ipſis, ſed tibi quoque erit fructuoſa. Stare nequeunt opes Principis, quas deſtituit ſubditorum inopia.

Fuga æris alieni. A faciendis æris alieni nominibus, quoad ejus fieri poteſt, diligenter abſtine, & ſi rebus neceſſarijs facta fuerint, primo quoque tempore cura, ut expungantur, aut ſaltem id age, ne in ijs diſſolvendis remiſſus, nedum infidus videaris: hoc tibi ſit pro comperto, fœnus ſenſim & ſine ſenſu debitoris facultates excedere, & niſi, cùm dies venerit, repræſentetur, continuò vorare inſtar teredinis, & quod turpius eſt, moras & impotentiam, vel ſanè negligentem iniquitatem exprobrare, non ſine tacito convitio. Fruſtra ſolutionem in ſucceſſorem reijcis, ſi ipſe, quod contraxiſti debitum, ſolvere neglexeris: proclive enim eſt, ut ille te in non ſolvendo imitetur, túque atque ille ex æquo iniquus habearis.

Prudentia. Prudentia propria imperantis virtus eſt. Prudentiſſimus eſt, qui per ſe conſulere poteſt, quod in rem ſit; proximè accedit, qui alterius bene utilitérque inventis animum gnaviter adijcit: ſi quis nec ipſe valet conſiderare, nec alterius vult uti conſilio, is demum eſt extremi & damnoſi ingenij.

Pauciſſimis, idque conſultò, datum eſt, omnia ex ſe diſpicere, complecti omnia; à temerario vix diſtat, qui id ſibi arrogat. Præſtat ſapere ſapientum commercio: audiens enim ſapiens ſapientior erit, & gubernacula poſſidebit. Imperium bene capeſſitur prudentum conſultorum adminiculis.

Delectus bonorum conſultorum. Tales conſultores ſi multi ſunt, multi conſequenter ſunt Principis oculi, multæ aures, multæ vigiliæ, qui tametſi per ſe non videat omnia, audire tamen poteſt pleraque, & abſens intereſſe plurimis.

Amicorum conſociatio. Cæterùm palmarium maximéque neceſſarium Principis officium eſt, parare quotquot poteſt amicos, è vicino, longinquo, qui futuri ſint præcipuum boni Imperij adjumentum. Nunquam tutus eris, ſi hoſtes habeas & inſidiatores; nunquam quietus & ſecurus, ſi pateas potentum odijs. Eris autem tectus protectúſque velut in medio faſciculo viventium, ſi multorum amicitijs præſidióque circumſiſtaris.

XXIIX. Quales conveniat eſſe conſiliarios. Amicos ubi paraveris, ſelige conſultores magno ſapientéque delectu, & quidem tales, quos non inanis aliorum commendatio, vel cæcus animi tui ductus obtrudat, ſed quos noveris fidos, hoc eſt, probiſſimos, Deo addictos, peritos pro modo ſui quoſque muneris, ex aſſe uni tibi, nulli prorſus alteri Principi addictos, affixos, devotos, nullius præterea beneficio, ſpe aut neceſſitudine devinctos. Sint ijdem rerum tuarum apprimè ſcientes, nôrint jura, mores, genium tuarum Provinciarum, totiúſque imperij. Sint cum æquitatis ſtudio, ſolertes, judicio validi, non molles, non flaccidi, non ad omnem auram vertumni, non ignavi, ignorantes, confuſi, otio, privatíſque potiùs commodis, quàm tuis dediti.

Conſiliarios oportet eſſe maturos, urbanos, graves, uſu exercitatos & bene probatos, à manu & avaritiâ incorruptos, domi pro ſuâ Spartâ decenter locupletes, minimè petaces aut ſordidos, ſed conſtantes, benignos, ſuæ ſortis amantes, alienos à ſimultatibus ac diſſidijs contra Collegas, arcani tenaciſſimos, ſobrios, ad verum æquúmque flexibiles, non pertinaces (ſi quid melius à ſuo judicio diverſum alijs occurrerit) non præcipites, nihil dantes privatæ gratiæ. Qui erunt ejuſ-

Conſulta ſint provida, bene expenſa: conſultorum executio cauta & feſtinata. Nullum prorſus capiendum eſt, niſi cùm omnis mora deficit, in arenâ conſilium. QUALIA CONSILIA.

Cauſis cum ratione, quàm acrioribus, & ex caſu nexis conſilijs, potentia tutiùs habetur. Qui impotenti, incauto fervore alijs inferunt pericula, ſuo plerumque non cavent, réſque ſuas denudant ad ictum.

Veriſſimum effatum eſt, civitates, nationes, Principatus, euſque habere proſperè, dum vera ſanáque conſilia valent: è diverſo, ubicunque gratiâ, timore, voluptate, avaritiâ, odio, loquendo ad gratiam, verba dando Principi, conſilia corrumpuntur, certum eſt opes minui, perverti judicia, collabi potentiam, peſſum ire omnia. EORUM UTILITAS.

Miſer eſt Princeps & fraudibus expoſitus, apud quem vera reticentur. Cui tantùm lubet audire verba byſſina, ad delectationem compoſita, placentia, non juvabitur; ſed ignorabit quàm multa, niſi etiam triſtia, adverſa, inſuavia, aſpera, ad aures lubens admiſerit. AMOR VERI.

Si quid agendum, id tempeſtivè deliberandum eſt: cunctationes inutiles, agendi tempora deliberando conſumunt. Conſilia ubi ſera ſunt vel longinqua, veniunt ut plurimùm poſt res ipſas.

Cavere te velim ab aſſentatorum & minutiorum Aulæ ſervulorum conſultationibus. Talibus enim ad nutum Principis, quæſtus causâ, ſive is honeſta geſſerit, ſive indecora, deprædicare mos eſt & conſilium. Sordidè ac ſimulatè quidvis inſuſurrant, facilè mentiuntur, calumniantur, invident, oderunt, aſſentantur. Quòd ſi ex ejuſmodi nundinationibus nihil lucri reportent, frequenter, ut rem aliunde faciant, & vanum nomen, quaſi in Principis arcana admiſſi aucupentur; res, dicta, facta, conſilia, ſenſa Principis vulgant, produnt, vendunt, traducunt, nundinantur. ODIUM ASSENTATIONIS.

Delationibus omnibus aures præbendæ, non præbenda omnibus fides: nemo enim innocens haberi poſſet, ſi accuſâſſe ſufficeret, neque nocens deprehendi, ſi nullus accuſationi locus eſſet. Utrumque igitur in vitio eſt, omnibus credere, & nulli. DELATORES.

Ubi nihilominus ſtudio, aut ſæpius, aliquem deprehenderis falſa detuliſſe, non modò ei deinceps omnis neganda fides & gratia, ſed imponenda pœna & nota, ne impunè detulerit, aut pergat alijs obtrectare: ferendum non eſt, ut ſpe aut odio falſa deferantur. XXIX.

Secundum conſiliarios, alij, qui curarum tuarum erunt adminiſtri, quique Aulici, qui Præſides, Judices, Quæſtores, & cæteri ejus generis, habitâ ſimul bonæ ſtirpis ratione, debebunt eſſe integerrimi, & probè noti. Satius enim eſt, non admovere officijs peccaturos, quàm ubi peccaverint, amovere. AULICI PRÆSIDES, IUDICES, QUÆSTORES.

Malè Principis poteſtas & exiſtimatio committitur improbis. Nam ex Miniſtrorum delictis publicum dedecus & culpæ nomen ad Principem redit, qui ſi prohibere poſſit, ne delinquant, delicta, quæ non arcet, probare, immo aliquando jubere creditur.

Miniſtri ubi mali ſunt, Rempublicam ſæpe deteriorem reddunt, quàm ſi Miniſtris integris, Princeps ipſe minùs eſſet bonus.

Ars Principis eſt obſervare & pernôſſe vulgi, cui præeſt, ingenium. Multùm quoque juvat habere perſpectos mores, affectus, conſilia finitimorum, cum quibus commercia, negotia, affinitates, fœdera, ut juxta ſuum quique modum accommodatè habeantur. VULGI ET VICINORUM NOTITIA.

Quaterna ſunt Principatûs, ſecundum DEUM, domeſtica firmamenta. 1. Miles quantum uſus eſt. 2. Pecunia præſentanea, quantum ſatis. 3. Arces ac munimenta PRINCIPATUS FIRMAMENTA.

nimenta coërcendis tum hoſtibus, tum ſeditioſis civibus, ijs præcipuè, quos recèns in tuam ditionem eris adeptus; nam hi, donec priſtinæ fortunæ ſunt memores, amici eſſe non ſolent. 4. Potiſſimum præſidium ſitum eſt in ſubditorum benevolentiâ.

BENEVOLENTIA, COMITAS. Benevolentiam comitate, benefactis, ſuavi gubernatione ſic provocabis, ut non ſecus ac liberorum rebus ſtudeas, incorruptâ tamen majeſtate ac reverentiâ, quam facilè conciliabit lenis, tranquillus & efficax uſus tuæ poteſtatis, quam ſi mediocriter exercueris, mirè ſtringet ſubjectorum animos, eritque tuta, cùm ſe intra ſuos fines continebit, nullo alieni ambitu.

FUGA AMBITIONIS ET AVARITIÆ. Princeps, qui ſe patitur urgeri novâ & novâ habendi ſiti, citiùs proculcabit perdétque jam parta, quàm invadet non ſua, & dum aviditate plura complectendi excedet, quæſita exponet certo diſcrimini, prædæ & tandem exitio.

DOMINATUS POPULO SUAVIS. Periculoſum juxtáque noxium eſt imperantibus ſubditorum odium, cui origo ex metu, ſævitiâ, avaritiâ, rigore, injurijs. Ex imminente pœnâ naſcitur formido, ex malis acceptis, vindictæ cupido.

PERICULA EX METU. Metus malus diuturnitatis magiſter, pejor miniſter potentiæ, peſſimus affectuum conciliator. Nulla vis Principis tanta, quæ premente formidine, non excutiatur aliquando: quem enim quiſque odit, periiſſe expedit. Tam multis, támque multorum telis petitur exoſus, quàm multis ipſe periculum & terrorem creat.

MODERATA SUPPLICIA. Supplicia ergo, tributa, cenſura, peritè, providè, moderatè, & cum utilitate publicâ adminiſtranda, etiam in quoſque viliſſimos.

SEVERITAS CUM MODO. Ira in puniendo, quia mediocritatem ſervare neſcit, & miſerationem excludit, prohibenda. Sine miſericordiâ ſeveritas abit in crudelitatem, procul habet amorem paternum, qui neceſſarium tamen eſt pœnarum temperamentum.

XXX. ÆQUABILITAS PŒNARUM. Non ſufficit habere plectendi cauſas, ſi modum non adhibeas & æqualitatem: odioſum eſt, alios iiſdem de rebus caſtigari, alios ne moneri quidem. Frequens & immoderata punitio paucorum odium retundit, omnium irritat.

Incidenda quidem ſunt facinoroſorum ulcera, ſed adhibendum mox malagma, ſi quo curari poſſint. Debet abſtergi purulenta ſanies invidiæ, quæ ex piacularibus publici exempli victimis effunditur in duriores ſcelerum ultores.

TRIBUTA NON NIMIA. Etſi quies gentium ſine armis, arma ſine ſtipendijs, ſtipendia ſine tributis haberi nequeant, egeátque ſemper multis, qui multa, quæ eroget, accipit; tributa tamen ſubjectos ne deglubant, reddántque in futurum inutiles. Odi hortulanum, qui à radice olera ſtirpéſque exſcindit.

QUAS OB CAUSAS IMPONENDA. Cùm ſolius igitur neceſſitatis menſurâ & tribuentium facultatibus tributa componantur; fictâ ſublevandæ Reipublicæ ſpecie ne unquam obtegantur.

Vetera vectigalia ſervare poteris, atque ab his aliiſque procul facies duritiem, fraudes, avaritiam miniſtrorum, quos niſi coërcueris, in ſuum ſinum, ex collectis populi ſubſidijs, ſuas prædas decerpent.

QUÆSTORES QUALES ESSE DEBEANT. Spongioſas, picatas, avaráſque manus ad quæſturam ne admittas, ſed diliges viros abſtinentes, integros, æqui obſervantes, à quibus nihil opus ſit furtivum quicquam exprimere: ita libentiùs ſubditi ſubibunt onera, ſi fraude non prementur neque injuriâ.

XXXI. MORUM CENSURA. Cenſura in luxus pravóſque mores eſt neceſſaria. Faciet, ut decora, honeſta, & tranquilla ſit civium ſocietas, & ne in faſtum, helluationes, & libidinem conferantur, quæ bono publico uſuíque domeſtico deberentur.

De re militari pauca. Eam inprimis te ſcire, quàm exercere malim.

BELLUM. Bellum optimum, quod nullum; bonum, quod alienum, quod remotiſſimum, quod in hoſtico, quod fortunæ tuæ inſidiatores premat. Cæterùm, qui bellum dixit, malum omne dixit. Hujus idonei teſtes ſunt, qui paſſi ſunt, qui uſurpârunt oculis belli horrenda detrimenta, non qui fecerunt aut non viderunt.

Quòd ſi tamen (quod DEUS benigniſſimè à te avertat) ejus gerendi tibi impoſita fuerit, ex aliena iniquitate neceſſitas: non ſuſcipies priùs, quàm conſilijs omnia

omnia tentaveris. Apage bellum, quod infertur ab ambitu, odio, cæteriſque ſequioribus animi furijs & affectibus. Arma cum bono DEO capies pro tutandâ religione, fide reddendâ Cæſari, præſtandis, quæ promiſeris in fœderatorum ſociorum cauſas, auxilijs, pro ſalute patriæ, pro amoliendis iniquorum injurijs, prò defenſione ſubditorum, próque jure, quod ſolis armis poteſt obtineri. QUANDO, QUIBUS EX CAUSIS SUSCIPIENDŪ.

Etenim in eum, qui experiri, aut legitimè illatam injuriam ſarcire paratus eſt, nefas eſt bellum ſumere tanquam in hoſtem & pertinaciter injurium.

Bella pacis ſtudio gerenda ſunt: quocirca quoties pacis componendæ ſpes affulſerit, eam ſic amplectere, ut bello nihil aliud, quàm pax quæſita eſſe videatur. QUO FINE.

Ne temere & inconſultò arma aliquando corripias, metire exactè, expende diligenter, & in longum diſpice & proſpice tuas vires, opes, auxilia, præſentaneum ſtipendiorum apparatum, annonam, Ductores, militem, arma, atq; hæc non ad breve, ſed per longum temporis ſpatium. Momento enim bellum accenditur, ſed tardè ſeróque reſtinguitur. QUIS APPARATUS.

Interea miles ſe regi non ſinit, niſi veſtitus, calceatus, armatus, ſatur, & habens aliquid nummorum in zonulâ. STIPENDIA.

Si defuerit annona, vinceris ſine ferro. Rarò ſine periculo aut clade, paratur commeatus ex hoſtico: quòd ſi ex ſubditorum aut amicorum ſpolijs comportandus ſit, non eſt militis, ſed Principis culpa. ANNONA.

Hæc habui, FERDINANDE fili, quæ paucis monerem. Confido, te tuo ſtudio atque induſtriâ, ſimul virorum ſapientum conſilio, majora meis verbis perfecturum. DEUM precor veneróque ex animo, ut tibi, quoad vives, mentem optimam, ſucceſſus rerum feliciſſimos, beatam denique æternitatem impertiatur.

Hactenus Maximiliani ad filium monita: venio ad ipſius Fortitudinem.

Maximiliani prudentiam firmavit Fortitudo, laudabilis illa animi vis, quæ (ut ait Melleus Doctor) *Sola defendit ornamenta omnium virtutum, & judicia cuſtodit, & quæ inexpiabili prælio adverſus omnia vitia decertat, invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adverſus voluptates & illecebras.* Illa eſt, quæ tollit adverſos virtutum obices, vincit rerum arduarum difficultates, frangit malarum affectionum impetus, animum durat ad tolerantiam, eripit ad moderatè audendum, munit ad ſecuritatem, roborat in adverſis, temperat in ſecundis, difficilia impavidè ac fidenter aggreditur, magna & excelſa cum amplâ quâdam & ſplendidâ animi deſtinatione adminiſtrat & perficit, nec ſe patitur ullâ timoris perturbatione à bonis cum ratione ſuſceptis retardari, nedum removeri. In illâ exiſtit animi magnitudo aſſurgens ad virtutis abſolutionem, ex quâ mâgni nominis immortalitas inclareſcit, cum eo lumine rationis, ut non ſectetur honores meritis majores, nec eos aliter ſibi appetit, quàm ut ad DEI commendationem, & aliorum, quibus prodeſſe cupit, utilitatem referantur. Illam ſequitur magnificentia rerum magnarum & excelſarum effectrix cum amplâ quâdam & ſplendidâ animi generoſitate, quæ præclaras egregiorum operum molitiones omnibus, quæ ad eas conferuntur, opibus & impendijs habet potiores, ita tamen, ut nec operantis facultates ſuperent, neque deſtituant faciendarum rerum magnitudinem. Illi ſubſervit Patientia. Hæc eſt in adverſis juſtitiæ moderatrix, conciliatrix quietis, victrix moroſi laboris, radix & cuſtos virtutum omnium. Illam coronat Perſeverantia, quæ ſuperatâ difficultatum diuturnitate, animum firmat ſtabilitque in bono, ne mollis ſit incedendo, aut contra rationem pervicax in propriæ ſententiæ conſectatione. Ut de ſingulis dicam pauca: Primùm quidem de Maximiliano ex vero & orbis confeſſione poſſum aſſerere, eum plurimum periculi pro communi ſalute adiiſſe: ea, quæ geſſit, bella, tantâ fortitudine patrâſſe, ut neque ſe paſſus fuerit frangi adverſis, nec extolli ſecundis, nec terreri diſcriminibus, nec damnis retardari, donec ſapienter, & citra inſignem temeritatem geri potuerunt. Hoſtes non ſemel fœdera & amicitiā obtulerunt, ſi arma poneret: non poſuit. Vidit ſæpius conflagrantem Boicam: doluit, ſed malis non ceſſit. Duxit ipſe

Amb. lib. 1. de Offic. c. 39.

XXXII. MAXIMILIANI FORTITUDO.

ipſe exercitus, ipſe imperterritus pugnavit, obſedit, expugnavit, triumphavit. • De ejus magnanimitate veriſſimè pronuntio, quòd, tametſi in appetendâ laude, quæ fax eſt mentis honeſtæ, eſſet apprimè moderatus, rerúmque à ſe geſtarum nullus aut jejunus laudator, apprimè tamen noverat, ſe eſſe Principem, & cùm bona alia hominum vulgò ſint communia, magnam tamen famam ijs potiſſimùm convenire, quos Deus ut ſibi proximos, in terris vicem ſuam fungi voluit, quíque, ne virtutem videantur contemnere, gloriam, quæ ex virtute naſcitur, magni debent æſtimare. Eam ob rem tantam adhibuit operam, ne Domûs Bavaricæ dignitas ullâ in re minueretur, ſed poſtliminio etiam rediret ad priſtinum Electoratûs honorem, pro quo recuperando tot ſubiit dimicationes. Libri, pro Ludovico IV. Imperatore à Scriptorum calumnijs vindicando, ejus voluntate editi, loquuntur, quanti faceret non ſuam modò, ſed etiam majorum

Magnanimitas. XXXIII.

ſuorum exiſtimationem, cum quâ nexa eſt nepotum gloria & laus ſeræ poſteritatis. Nihilo tamen minùs de famæ fructu ſuo affectui privatim tam parùm tribuebat, ut audierim aſſeverantem, ſe libenti animo præcellentem illam magni nominis lucem, cum vitâ obſcurâ & latente commutaturum, ſi hanc citra ſalutis publicæ detrimentum liceret amplecti: ita non ſibi, ſed Deo, & bono communi cupiebat eſſe glorioſus. Ipſius magnificentiam deprædicabunt (donec ſuperſtes erit rerum ab eo factarum memoria) ingentes, quos fecit ſumptus in bella juſtiſſima: & ſi ex Philoſophi placito, impendia ſunt maximè honorabilia,

Ariſt. 4. Eth. cap. 2.

quæ ad divina ſacrificia pertinent, ſanè magnificus fuit Maximilianus, qui domi foríſq; Deo novas ædes erexit, vetuſtas ſervavit aut inſtauravit, hominibus Deo dicatis, ut ſacris operarentur, cum incredibili liberalitate & impendio, domicilia, proventus, neceſſaria omnia conſtituit. Ab ejus magnificentiâ habet ſuperior Palatinatus illam, quâ nunc floret, religionis ſanctitatem, ut de Auſtriâ, Bohemiâ, locíſque alijs taceam, pro quibus ad Cæſareæ Majeſtatis obſequium reducendis, ſe ſuáque tam fortiter & generosè impendit. Si ejuſdem laudis eſt conſervare condita, atque conſervanda creare, ipſi ſecundum Deum debet Boica, quòd poſt tot adverſarum partium molimina, in Romanâ fide perſeveret. Hæreret hodie in erroribus Donawerda, niſi eam Maximilianus exemiſſet.

XXXIV.

Cùm Guſtavus Sueciæ Rex anno M. DC. XXXII. Monachio immineret, Maximilianus à Magiſtratu rogatus, quid in propinquo urbis periculo juberet ſuſcipi defenſionis aut pactionis? reſpondit, ſi vis ſuſtineri non poſſet, paciſcendum eſſe uti res ferret cum Rege, ſed non alijs conditionibus, quàm ut ſalva eſſet religio, quod & tum & aliàs alibi ſanctè voluit obſervari. Ab eâdem iſtâ magnificentiâ provenerunt ſacra ædificia. Burghuſij D. Joſepho Chriſti nutritio & Deiparæ ſponſo, magnificum templum à fundamentis extruxit. D. Petri ædificium Monachij magnis pecuniæ ſubſidijs adjuvit, ut ex vetere ſqualore evaderet ad eam, in quâ hodie viſitur, elegantiam. Finem non inveniam, ſi commemorem ſingula, quæ in hoc genere magnificè præſtitit: nihil dixero vanum, aut in gratiam, ſi affirmâro, rara eſſe loca in Boicâ alicujus nominis, in quo non extent præclara ſacræ ipſius magnificentiæ monumenta. Non repetam, quæ jam memoravi de arâ, quam D. Virgini in cœlos Aſſumptæ in Æde Collegiata Monacenſi cultu regio excitavit. Non memorabo geminum ſacellum marmoreum, quorum alterum in Salinis Reichenhallenſibus, alterum in Traunſteinianis opere viſendo dedicavit.

Ex tabulis rationum Cameræ Electoralis.

Tacebo regium Mauſolæum, quod ſuis majoribus Monachij in Æde Matris Virginis ſumptuoſiſſimè ad miraculum ſplendoris & elegantiæ conſtruxit. Ingentes prorſus ſunt opes, quas in ſacros Religioſorum Ordines pluſquam regiâ liberalitate profudit. Patribus Societatis Jesu erexit quinque Collegia, Burghuſinum, Ambergenſe, Leodienſe Anglicanum, Mindelheimenſe, Heidelbergenſe, &c. Hoc ultimum tametſi per pacis leges fuit extinctum, non tamen eſt detrahendum ejus beneficentiæ, quod tribuendum fuit quieti publicæ & temporum malignitati. His ſi addas ea, quæ contulit Colonienſi Collegio, Domui

Oetin-

Oetinganæ, Chinenſi miſſioni, aliiſque ejuſce Ordinis domicilijs, reperies, eum longè ſupra decies centena florenorum millia contuliſſe. Patribus Carmelitis, quos diſcalceatos ſeveræ diſciplinæ rigor effecit, Monachij ad Monaſterij ſuſtentationem attribuit annuum cenſum de ſexaginta ſex florenorum millibus. Cœnobio Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paulâ in ſuburbio Monacenſi, donavit in annos ſingulos proventum ex quadraginta florenorum millibus. Eidem Ordini in ſuperiore Palatinatu tranſcripſit florenorum decem millia. Ipſo vivente PP. Capucini in Bavariâ quatuordecim Monaſteria: Patres Minores Ord. D. Franciſci ſanctioris obſervationis, novem conſtruxerant, ídque ipſius liberali auxilio. XXXV.

His affines ſunt ſacræ largitiones, quas in varias Congregationes, in domos Hoſpitales, pióſque uſus conſumpſit. Congregationi Coloniæ Agrippinæ donavit reditum de capitali ſummâ florenorum quater mille: Primaria fidelium defunctorum Sodalitas Monacenſis ejus dono fruitur ſenis florenorum millibus.

Congregatio Monacenſis SS. Chriſti corporis Sacramento dicata ab ipſo habet ſortem principalem quater mille florenorum. Similis Congregatio Straubingana ab eodem habet cenſum de ter mille florenis.

Congregationi Oratorij S. Mariæ in Vallicellâ Romæ dono dedit unum ſupra viginti florenorum millia.

PP. Ord. Eremitarum D. Auguſtini Monachij quotannis repræſentantur 290. fl. de capitali fl. 5800. quam Maximilianus in uſus ſacros addixit. Tantundem habet Monaſterium Sanctimonialium D. Joannis Ingolſtadij.

Monaſterio PP. Dominicanorum Francofurti ad Mœnum quotidianæ Miſſæ ſtipendium attribuit octo millia florenorum. Romæ in Eccleſiâ S. Philippi Nerij, & in templo S. Mariæ de Victoriâ, ejus ſumptibus aluntur faces perpetuæ geminarum lampadum.

Pro celebrandis Miſſæ ſacrificijs, ad ſumptus perpetuos Eccleſijs Collegiatis Deiparæ Virginis Monachij, & SS. Martini & Caſtuli Landishuti attribuit duodecim florenorum millia. Pro quotidianis ſacrificijs Eccleſiæ D. Laurentij ſumptus præſtantur ex cenſu de capitali duodecim florenorum millium.

Ad Miſſas, quæ fiunt in Ædibus SS. Nicolai & Rochi, capiuntur ſumptus ex octo florenorum millibus.

Ejus munificentia in ipſam ſe Palæſtinam diffudit, miſſo trecentorum florenorum ad Redemptoris noſtri Sepulchrum annuo donativo, ad ſublevandam Religioſorum S. Franciſci egeſtatem. Mirum, quantum in miſſiones Gentilium converſioni devotas, in captivorum redemptionem, auri argentique impenderit.

In Schleisheimenſis Sacelli Liturgias quotidianas impenſæ fiunt ex cenſu ſummæ capitalis florenorum quinque millium.

Ad binas Miſſas in æde Deiparæ Virginis Laureti quot diebus dicendas, ſtipendium addixit de ſepties mille ſexcentis florenis.

A fundamentis erexit inſigne Noſodochium ad D. Joſephi honorem Monachij, dotavitque cenſu perpetuo tredecim florenorum millium in annos ſingulos, capiendo ex ſummâ principali ducentorum ſexaginta millium.

Ptochodochium S. Eliſabethæ & D. Rochi auxit cenſu annuo duorum florenorum millium, de ſummâ quadraginta millium.

In Orphanotrophium Monacenſe erogantur in annos ſingulos, ex ejuſdem voluntate 290. fl. è ſummâ quinque millium octingentorum fl. Erogantur in egentes familias, quarum ignota ferè eſt paupertas, proventus ex ſummâ quadraginta octo florenorum millium. Alijs civibus Monacenſibus, de tribu paupere, donantur ex ejuſdem inſtitutione annui flor. quadringenti.

Totidem donantur pauperibus civibus Landishutani Regiminis.

Eleemoſynæ ordinariæ quotannis ſuperant undecim florenorum millia, extraordinariæ abſumunt ut minimùm florenos ter mille. XXXVI.

Anteaquam bella nupera Boicæ opes accidiſſent, tam largas Princeps optimus faciebat eleemoſynas, ut ad eas, quas recenſui, ut minimùm adderet quadragin-

draginta millia florenorum, tantâ profuſione, ut intra annos non multos elargitus fuerit ad trecenta florenorum millia. Quam ad rem utebatur operâ cujuſdam è ſuis Sacellanis, eâ lege, ne nomen proderet largientis.

Nôrunt viri religioſi, quibus ex ordinis ſui inſtituto pro cenſu eſt mendicitas, quàm certum, quàm liberale habuerint in Maximiliani benignitate ſubſidium, quoties ejus opem implorârunt, in quâcunque rei domeſticæ penuriâ.

Venio nunc ad eam magnificentiam, quam præſtantiſſima ipſius ædificia, poſteritati commendârunt. Inter ea neſcio, an non palmam ferat mirabilis aquæ ductus, quem à ſalsâ ſcaturigine fontis Reichenhallenſis, Traunſteinium uſque produxit, per longum mediæ diei iter, canalibus miro artificio ſupra præruptos montes, ordine continuo ad bis mille ducentorum pedum altitudinem protenſis, & excoquendo ſali aquam ſalſam in paratas novi operis caldarias devehentibus.

Non dicam Maximilianum Traiani nova opera facientis, & reficientis vetera, ambitionem fuiſſe æmulatum: neque enim id egit Princeps modeſtiſſimus, ut ſuum nomen ſingulorum ædificiorum frontibus inſtar herbæ parietariæ (quod Traiano vitio datum fuit) inſcriberet, ſed ut vel DEO, vel poſteritatis uſibus conſuleret. Par eſt eum commendari ab admirabili Monacenſis regiæ magnificentiâ, quæ à quibuſcunque tum exteris, tum indigenis ſpectatur cum ſtupore, & cum præſtantiſſimis Europæ palatijs ob nitorem, amplitudinem, formæ elegantiam, amœnitatem fontium, ſtatuarum majeſtatem, marmorum decus, auri argentique fulgorem, picturarum nobilitatem, ſupellectilis incredibilem majeſtatem, abſolutiſſimámque architecturæ perfectionem, comparatur. In eâ, præter cætera pulcherrima, viſitur antiquarium nulli ſecundum, opus Guilielmi V. Maximiliani parentis, in quo innumeræ ſunt vetuſti artificij Imperatorum Romanorum, Imperatricum, Regum, Reginarum, Conſulum, Heroum, virorum & fœminarum illuſtrium, juxta temporum ſeriem pulcherrimo ordine digeſtæ ſuis quæque ſedibus imagines, quibus ſpectandis, hominibus antiquitatis curioſis nunquam ſatis eſt otij, quia in tantâ ſtatuarum multitudine ſemper multum ſupereſt, quod ſpectare vellent & arbitrari. Maximiliani propria ſunt urbis Monacenſis munimenta ad exactam poliorceticæ normam circumducta. In ijs valla ad tormentorum ſedes numeroſa: firma in gyrum lorica, foſſæ, ericij, proceſſus excurſorij ſuis tecti aggeribus, verbo, quicquid pertinet ad præclaram regij modi munitionem, quæ ſanè poſterioribus belli temporibus, civitati totique Boicæ ſaluti fuit. Ipſe jam olim condiderat eodem loci ampliſſimum & omni armorum, præſertim ænearum machinarum, genere refertum armamentarium, in quo hodiéque viſuntur haud paucæ, quas de triumphatis hoſtibus reportavit. Eum conditorem laudat hortus Monacenſis opere topiario, plantis peregrinis, longiſſimâ porticu (in quâ viſuntur duodecim Herculis labores) varijs fontibus, ſtagno, ſtatuis, ædibus voluptarijs, arboribus pomiferis, cæteráque artis & rerum concinnitate amœniſſimus. Schleisheimio impoſuit ſupremam manum, & fecit iſthic quicquid eſt ſtructuræ nobilioris.

XXXVII. Idem munivit Brunovium foſsâ extimâ, loricâ duplici, & tormentorum ſuggeſtis. Ingolſtadij vallis ſupremam manum addidit; Burghuſio nova munimenta. Schardingam, Rhainam, Landſpergam firmavit egregijs operibus, ut illa taceam, quæ alijs Boicæ locis, quæ Ambergæ, cæteróq; ſuperiore Palatinatu ad defenſionem conſtruxit. Ut erat abſtinens ab impenſis inutilibus, ita nemo erat illo, cùm res poſcebat, magnificentior. Cùm illum Ferdinandus II. Imp. ſemel iterum inviſit, eum coluit ſplendidiſſimo rerum omnium apparatu: Ferdinandum III. excepit magnificentiſſimè, mutatâ ſepties cœnatione, ſupellectili variatâ per cœnas ſingulas, aureâ, argenteâ, oſtracinâ. Carolo III. Lotharingiæ Duci, ſocero ſuo, Monachij viſenti, magnificentiſſimos honores habuit, præbuit haſtiludia, equeſtres ludos, ferarum certamina, in quibus cæterarum victor Leo Africanus. Similia exhibuit quibuſdam Principibus, quos habuit aliquando hoſpites.

Per

Per annos plurimos continuavit ſumptuoſam juxtà ac ſplendidiſſimam pompam magnæ (ut nuncupant) ſupplicationis, quæ antehac ad ſanctiſſimi Sacramenti honorem Monachij habebatur cum frequentiſſimo convenarum concurſu & indigenarum pietate.

Ut de Maximiliani conſtanti patientiâ non omnino ſileam, non ita fuit extra teli jactum, quin aliquando rebus adverſis figeretur, nec fortunam ſic habuit in proſperis conſtantem, ut non ſentiret ſævientem. Facerem ejus virtuti injuriam, ſi Stoicam illi indolentiam, aut doloris vacuitatem tribuerem. Illi mens erat ſubtilior, quàm ut à malis vinceretur. Poſt longam eámque continuam rerum felicitatem, expertus eſt duras infortuniorum vices, ſed ſic eſt expertus, ut de conſtantiâ non fuerit dejectus, ut animum retinuerit quâvis ſorte majorem, omnibúsque tum privatis, tum Reipublicæ incommodis ſuperiorem. Viſus fuit nonnullis, quaſi ceſſiſſet ultimis bellorum malis, cùm pacem ardenter optaret: atqui, quos iſta ſententia deceperat, non ſatis intelligebant, quid intereſſet inter conſtanter patientem, & potentem ad mala avertenda. Ut enim mala cùm adſunt, conſtanter Deo opitulante tolerentur, eſt in manu fortitudinis & viribus animi patientis, ut ne unquam mala eveniant, hoc verò eſt ſupra ſortē humanitatis & induſtriæ. Maximiliano nunquam defuit malorum communium à Republicâ averruncandorum voluntas, ſed vires tandem, ſecus atque obtrectatores credebant, defuēre. Supererat nihilo ſeciùs altior his omnibus animi celſitudo, & immota patientia, quæ benignè fortitérq; ferret, quod non valebat ſe ſolâ vitare, quódque ſapienter potuiſſet oppugnari, ſi cauſæ & periculorum ſocii tantum attuliſſent ſubſidij, quantum fuiſſet adhuc Maximilianus allaturus. Non deerant, qui in circulis, in ipſo Ordinum Senatu atque etiam è longinquo bellum ſuaderent, prompti verbis, linguâ magnanimi: ſed ubi rogabantur, quid opis eſſent rebus ipſis præſtituri? præter inopiam & pronam voluntatem pollicebantur nihil, quaſi ex nihilo ſtipendia militi, arma, annona, animi, victoriæ naſcerentur. Canebant claſſicum, nihil præterea auſuri. Secus ſentiebant viri ſapientes & fortes, conſilio providi, in opere acres, antè non pavidi, ſed placidi & maturi rerum ac periculorum æſtimatores. Verbo Maximilianus prudenter & cum ratione ſtatuebat, non minus eſſe vitij & turpitudinis in audaci temeritate, quàm virtutis & laudis in malorum, quæ haud vanè imminere creduntur, detrectatione. *Sapiens enim timet & declinat à malo, ſtultus tranſilit & confidit.* Non latuerunt Maximilianum aliquorum odia, obtrectationes non natæ, ſed protractæ ex ſequiore facultatum ipſius, & rerum communium æſtimatione, ſed quod viri conſtantis fuit, non ſecus ac ſuprema orbis regio nihil turbatur imbribus, ventis, aliâve tempeſtate, iſtis ſermunculis altior, de animi tranquillitate nihil remittebat, gnarus, ſedatam mentis malaciā ingens eſſe inſtrumentum ad Principatûs tutelam. Non potuit non reſcire clades exercituum, Provinciarum exitia, populorum oppreſſiones, charorum calamitates, Strategorum errores, ductorū quorundam defectiones, aliorum perfidiam: ſed quâ erat fortitudinis è cœlo datæ conſtantiâ, nunquam erat cum Deo conjunctior, nunquam collectior, mitior nunquam aut pacatior, quàm cùm iſtiuſmodi malis tentabatur. Id teſtabantur familiares, mirabantur ſervitia, deprædicabant omnes, quos admittebat ad colloquium & conſultationes. Solenne tum illi erat dicere: *Deus aderit, juvabit Deus, pro quo hæc patimur.* Confugiebat proinde ad privatas, ad publicas congregationes: quod meminerunt viri religioſi aliíque, à quibus in adverſis non diurnas modò, ſed nocturnas etiam ad Deum orationes benignè expetebat. Dies ipſe in conſilijs, noctes in precibus agebat propè inſomnes, quia prima in Deo, ſecunda in humanā diligentiâ, quam Deus non improbat, collocabat. Hinc illi infracta conſtantiæ vis, animúſque ſemper recens ad agendum. Hoc utebatur in publicis: in privatis par illi animi ſerenitas. In corporis invaletudine ſeipſum doloréſque ſic ſuperabat, ut, ſi queſtus requireres aut gemitus, nihil eum crederes doluiſſe. Rerum privatarum jacturam non aliter

XXXVIII. Patientia.

Conſtantiá.

Proverb. 14. 16.

XXXIX.

XL.

aliter ferebat, quàm ſi nullius eſſent pretij, ſed ditionis prorſus alienæ. Arſerunt illi tum tactæ à fulmine, tum à bello, arces, amœna domicilia, vix viſus eſt damnum ſenſiſſe. Prope Monacenſem Regiam conflagravit ex fortuito incendio ædificium, cùm ipſe Schleisheimij pernoctaret, ilicò nuntium infortunij & periculi Regiæ imminentis accepit. Sereniſſimæ Electrici percontanti, quid demum futurum eſſet, ſi Regia tam præſtans & ſumptuoſa redigeretur in cineres? ille nihil motus reſpondit; Aliam ædificabimus. Finem non inveniam, ſi ſingula id generis velim perſequi: verbo finio, ubi dixero Maximilianum tam fuiſſe patientem, ut, tametſi naturæ eſſet ferventis & promptæ, tamen vix unquam auditus fuerit in impatientiæ ſigna, nedum verba erupiſſe; quod eò eſt admirabilius, quò rarius in pleriſque imperitantium, qui ſe putant perinde ut leones timeri, cùm rugiunt. Verùm Maximilianus noverat majores amnes labi minimo ſtrepitu, torrentes verò minutiores cum maximo murmure, fractos, frangentéſque inter ſaxa ſubjectóſque ſcopulos decurrere.

XLI. TEMPERANTIA.

Pergo ad ipſius Temperantiam, & eam paucis abſolvo, quia non opus eſt verbis, ubi perenne factum loquitur: acta videlicet Maximiliani tota vita in continuâ caſtimoniâ, pudicâ verecundiâ, voluntariâ cultus duritie, in jejunijs frequentibus, in ſobrietate, manſuetudine, modeſtiâ, & omnium animi motuum firmâ & moderatâ dominatione.

CASTIMONIA.

Fecit caſtitas, ut ſua duntaxat nôſſet matrimonia, famâ & honeſtate tam certâ & conſtanti, ut ne ſuſpicio quidem, vel læſæ ante nuptias continentiæ, vel poſt nuptias vitæ ſolutioris, ejus nomen unquam inquinârit. Pudici illi perpetuò oculi, verba verecunda, mores ad honeſtatem compoſiti, horror omnis turpitudinis, quam ſic deteſtabatur, ut nemo foret tam protervâ licentiâ, qui vel verbo contrà eo præſente auderet hiſcere, vel faceret impune, ſi auderet. Hinc implacabile illi adverſus inceſtos ſacerdotum amores odium: hinc manavit legum ſuppliciorúmque indubitata ſeveritas in ſæcularium, præſertim conjugum, inconceſſam libidinem. Corporis illi cultus non modò modeſtus, qui Principem moribus gravem deceret, ſed, quod jam demonſtravi, durus, ſeverus & hoſtis vetitæ voluptatis. Ad temperatum ciborum uſum accedebat frequens abſtinentia, quæ non modò æquaret leges & Eccleſiæ inſtituta, ſed etiam ſuperaret. Hinc illi hebdomadariæ diei ſeptimæ, aliorum pervigiliorum voluntariæ

SOBRIETAS.

inediæ. Vnus illi iſque moderatus & perpetuus potionis modus, qui nunquam vel

XLII.

minimo turbaret rationẽ, aut corporis valetudinem. Iram ſic habebat domitam, ut eam quaſi pro libitu lenitate ad clementiam, vel juſtitiâ ad improbitatis vindictam verteret, probè gnarus, nihil in Principe eſſe pulchrius, quàm peccantibus multa ignoſcere, nihil committere, quod ignoſcatur. Hoc enim eſt, quod

MANSUETUDO.

acceptam à DEO poteſtatem temperat, ut Princeps neque pleraque diſſimulet, nec omnia ſibi ſumat vindicanda. Sine hoc nec durâſſet genus hominum, quod Numinis indulgentia à primâ mundi origine ſervavit; nec duraret in poſterum, niſi ſumma DEI amabilitas per clementiam malos aliquando toleraret. Divinum eſt odiſſe peccata, & clementem eſſe in reos. Non evadit inde iners aut ignava majeſtas Principatûs, quæ ſæpe manſuetudine caſtigat & emendat, quæ intempeſtiva ſeveritas perderet, vel ut minimùm exacerbaret. Animi mortalium, quibus ſupereſt aliqua humanitatis & prudentiæ ſcintilla, rarò novo ſcelere irritant, quem in ſe clementem ſunt experti. Ingenuorum eſt duci imperiorum ſuavitate, mancipiorum ac deſperatorum, raptari ad officium pœnarum acerbitate. Temperanda igitur eſt ſeveritas lenitate, clementia continenda eſt freno tempeſtivæ animadverſionis, cujus moderationis mirus artifex fuit Maximilianus. In criminibus publicè noxijs, vel quæ divinum Numen violarent, erat inexorabilis, in alijs præſertim privatis, haud difficilis flecti ad clementiam. Quidam civis Ingolſtadienſis ſacrilegorum maledictorum compertus, exilio fuerat à rerum capitalium prætore addictus: Viſa eſt ſententia tum reo,

tum

tum alijs juſto ſeverior. Re ad Maximilianum delatâ, reſpondit, Dei graviter læſam eſſe Majeſtatem, admiſſúmque ſcelus, quod capitis pœnâ deberet expiari. Alius peculator, quòd æs publicum avertiſſet, ad furcam deſtinabatur: Maximilianus rogatus, vellet in gratiam numeroſæ prolis, quam orbitas calamitoſam in omnem vitam eſſet redditura, ultimi exempli donare pœnam; benignè fuit aſſenſus, ratus, ſe poſſe in tali causâ eſſe clementem. Adduci non potuit, ut cuidam olim charo benéque merito præpoſteræ libidinis ſupremum ſupplicium remitteret, ne infandi criminis impunitas ad exemplum traheretur, & exterorum ſcelera Boicæ importaret.

XLIII. Animi modeſtia.

In iſto juſtitiæ temperamento eminebat inſignis animi modeſtia, virtus tam decora in Principibus, quàm neceſſaria ad conciliandam benevolentiam, & miram quandam in dominantis majeſtate ſuavitatem, quæ non minùs eſt amoris & concordiæ vinculum, quàm faſtus eſt odiorum incitamentum. Id enim humanis moribus adnatum eſt, ut non amet, qui contemnitur, nec ſuorum affectus poſſideat, qui contemnit; quod miſerum eſt in quavis imperantis & obſequentis conditione. At verò Maximilianus, ut cæterorum affectuum victor fuit, ita faſtûs & arrogantiæ: rara prorſus virtus in magnis præſertim Principibus, ad quos jure præcipuo ſpectat majeſtas mater honoris & reverentiæ ex illâ magnitudine, quæ tribuenda potiùs eſt virtuti, quàm poteſtati. Proclive enim eſt ſuæ demiſſionis oblviſci eum, qui ſe videt ab omnibus ſuſpici: ne verò obliviſcatur, monet efficítque quantumlibet honorata modeſtia, vel, ut verbo Chriſtiano loquar meliùs, ſancta humilitas, quæ animum gloriæ & magnitudinis à naturâ cupidum, & quibuſdam gloriolæ claviculis, inſtar hederæ, ad laudum ſublimia uſque & uſque nitentem, deprimit ad humanæ ſortis recordationem, docétque, in quamlibet excelſo ſtantem externæ claritudinis faſtigio, humi repere, ne agatur in præceps, vel inani ſuæ dignitatis æſtimatione intumeſcat. Maximailianus tam non erat laudis appetens, ut non modò aſſentatores velut mentis humanæ peſtes deteſtaretur, ſed ne ferret quidem ſe pro meritis commendari.

XLIV.

Cùm ab Auſtriâ pacatâ, & devictâ Bohemiâ, palmis onuſtus, domum rediret, omnem vetuit plauſum & feſtivos apparatus, hoc ſolo ſplendidus, quòd omnem rei bene geſtæ gloriam Deo in acceptis retuliſſet, per ſolenne carmen actionis gratiarum, quod prius in Æde D. Virginis Monachij celebravit, quàm regiam ingrederetur. Cùm Patres Collegij Societatis Jesu, domi ſuæ gratulatoria emblemata, elegánſque Epinicion victori affixiſſent, ídque ille fuiſſet conſpicatus, non modò non egit gratias, ſed dicto ſatis ſalſo Rectori dixit: *En hic etiam caudas pulvinas!* adulationes videlicet ſermone patrio intelligens: ut rem excuſaret Rector, reſpondit: *Talis appendix malè conveniret leoni*; ſignificans, Poëtam iſtas laudes non ad gratiam Maximiliani, ſed ad veritatem ceciniſſe. Aliàs concionator nonnemo, in loco votivis peregrinationibus celebri, ad frequentem populum quædam dixit de laudibus Maximiliani, qui tum aderat, credens ſe ab ipſo præclaram initurum gratiam: verùm tam nullam inijt, ut Princeps de iſtâ laudatione conqueſtus, oſtenderit illam ſe permoleſtè tuliſſe. Jam antè memoravimus, eum recuſâſſe Friderici Palatini Electoris votum, ad quod ſi fraternum Colonienſis Septemviri acceſſiſſet, in proclivi fuiſſet, ut alia quoque eo numero accederent, quò ad Romani Imperij faſtigium eveheretur. Tantâ animi demiſſione ſanctam ſedem Romanam colebat, ut, cùm ad ſummum Pontificem ſcriberet, non niſi ſummâ id cum reverentiâ faceret, uteretúrque infimis dictionibus, quibus devotiſſimæ in illum ſubmiſſionis ſenſa bene explicaret.

XLV.

Monitus aliquando fuit à nonnemine imperito, de neſcio quo commentitio defectu, ídque non intempeſtivè modò, ſed etiam imprudenter & ex vano: ſuaſit ex conſiliarijs aliquis, ut homini ſilentium deinceps indiceret: verùm negavit, ſe id facturum: *Privarem enim me* (inquiebat) *iſto monitore, & multa neſcirem, quæ expedit me non ignorare.* Tantam conceſſerat ſuæ conſcientiæ arbitro monendi

nendi libertatem, ut non modò eum, quoties vellet, ad colloquium admitteret, ſed benignè etiam patientérque audiret monentem, provocarétque ad dicendum liberè, quæ illi ad rem eſſe viderentur: luculentum in Maximiliano ſuſceptæ ex Chriſti legibus ſubmiſſionis erat argumentum, quòd de ſe rebúſque ſuis vel nunquam, vel abjectè; de alijs autem, etiam hoſtibus, honorificè citráque contemptum omnem aut probrum loqueretur: non appeteret laudes, ſed averſaretur, ſecundâ famâ non efferretur, non deprimeretur adversâ. Ut ſemet ad vilia demitteret, certis temporibus, quoad per valetudinem licuit, pedes obibat Prochotrophia, Noſocomia, aliáſque miſerorum domos, & ſingulis ſuâ manu largam ſtipem diſtribuebat.

Credebatur ab imperitis quibuſdam & iniquis rerum æſtimatoribus opum eſſe ſtudioſior; verùm tam id fuit à vero alienum, ut ab ipſis parandis futurus fuiſſet nimiùm abſtinens, niſi publica neceſſitas, dignitas Principatûs, cura poſterorum, ſubjectorum incolumitas, iſtam ipſi operam impoſuiſſent. Privatorum eſt modicis facultatibus ſe ſuſtinere: Principis non item, qui ſi officij immemor, privata ac publica conſumat, de ſubjectorum ſudoribus cogitur ſupplere, quod de parſimoniâ præſtare debuiſſet. Maximilianus parcus erat ærarij communis, ſui penè profuſus. Mulctas pecuniarias, pecuniáſque juris caduci, ex aſſe omnes, vel effundebat in res ſacras, vel donabat bene meritis. In his remunerandis non modò erat beneficus, ſed magnificus etiam. Nam bene facta ac præſtitam fidem præmijs ſuperabat potiùs, quàm æquabat. Si quibus videbatur eſſe in donando aſtrictior, tales erant, ut vel nihil dignum remuneratione

LIBERALITAS.

XLVI. egiſſent, vel merita neſcirent æquâ lance ponderare. In repræſentandis ſingulorum ſtipendijs tam fuit accuratus, ut Quæſtores aliquando poſcentium negligentiam, exactores verò Quæſtorum moram nunquam poſſent accuſare. Nullus apud Maximilianum locus erat Gnathonibus, aut paraſitis, nullus turbæ inutili. Fovebat viros ſapientes, ſtrenuos, publicè utiles, domi frugales, verbo, probos ac cordatos. In egentes (ut ex ſuperiore indice clarum eſt) erat propè ſupra modum liberalis, non per ordinarias duntaxat, quæ permagnæ & ſtatæ erant, largitiones, ſed extraordinarias etiam & occultas, quibus per certum hominem arcanæ multorum inopiæ ſubveniebat. Singulis feſtorum Deiparæ Virginis pervigilijs in pauperes, quos occulta rei domeſticæ tenuitas premebat, ſtatam eámque largam pecuniæ ſummam curabat diſtribui. Novi hominem, qui cùm quinquaginta aureos ſublevandæ quorundam paupertati Maximilianum rogâſſet, impetravit mille, eóque amplius. In juvandis piè defunctorum animabus, vehementer erat prolixus. In earum gratiam effudit plurima aureorum millia, præter ea, quæ contulit in piam Aulæ veteris Sodalitatem. Frequenter, præſertim verò cùm rebus adverſis premeretur, multa florenorum millia in demortuorum ſolatia impendit. Dixit aliquando viro mihi apprimè noto, ſe quaſi ex pacto & fœdere mutuò opitulandi, ſatagere, ut piorum animæ cruciatibus expiatorijs ſolvantur, neque id deſiturum, donec fuerit adjuvandi facultas: viciſſim enim ſe in earum gratiam à DEO in rebus anguſtis juvari. Pias ejus donationes jam memoravi. Iis addo utiliſſimam largitionem, quâ Domus S. Gregorij, quæ eſt pauperum adoleſcentum altrix in ſtudijs, & ſeminarium probitatis, magnam partem ex Maximiliani inſtituto & liberalitate ſubſiſtit.

MODUS DITESCENDI.

XLVII. Mirum prorſus eſt, quî fieri potuerit, ut in tantâ magnificentiâ & privatâ profuſione, tantæ opes ad gerendam Remp. Maximiliano ſuperfuerint. Et verò auditus fuit ſæpe dicere, mirari ſe, rem ſuam uſque adeo affluere, ut, quo ipſe magis minueret, magis illa abundare videretur. Sed mirari deſinet, quiſquis reputârit DEI beneficentiam plura longè, quàm acceperit rependentem. Multa dedit DEO Maximilianus, plura recepit in ſinum menſurâ bonâ, confertâ, coagitatâ & ſuperfluente; qui modus eſt cum bono DEO immenſum fœnus exercendi. Ut nihil dicam de accuratâ æris publici tractatione, quâ vitabat pleraſ-

que

que manuum peccatarum fraudes. Jactavêre aliquando maligni ejus obtrectatores, res ipſius creviſſe è belli exuvijs: ſed tam id à vero alienum eſt, ut è bello decreverint plurimùm, promptúmque ſit demonſtrare ad oculum, ne teruntio quidem ex militari ærario aliiſve manubijs evaſiſſe auctiorem, aut vel obulum in ſuos uſus inde vertiſſe, tametſi non iniquè multa potuiſſet. Rem augebat ſapiens Oeconomia, proſcriptio impenſarum inutilium, prudens inventum, quo Aulæ convivales priſci moris epulas, in præſentarium ſtipendium convertit, inſigni Aulicorum commodo & ærarij incremento. Profuit, nihil de Principatûs patrimonio dediſſe pignori, nihil paſſum eſſe venire in manus alienas: probè enim noverat Princeps ſapientiſſimus, iſtiuſmodi poſſeſſiones ſic tradi fruendas imperanti, ut debeant integræ, quantum fert publica neceſſitas, in ſucceſſorum manus & bonos uſus transmitti.

Maximiliani juſtitiam in gubernationis ipſius primordijs abundè deſcripſi, nec ſupereſt, quod addam, niſi ipſum, eodem, quo cœpit modo, regiam illam virtutem adſtrictè tamen, & cùm res poſcebant, ſeverè, ſimúlque clementer coluiſſe, in magnis, in parvis, tam rebus, quàm perſonis, tantâ æqualitate & conſtantiâ, ut omnium querelas ipſe audire vel legere, ipſe ſi quid dubij incideret, Judicum ſcita normáſq; judicandi, in ſummis etiam Reipub. turbis, vellet arbitrari, ídque ſine omni partium ſtudio. Meminerunt in hunc diem ſupremæ Curiæ & Magiſtratus urbium, quàm frequentibus, quàm ſeriis monitis ad ſua illos munia excitârit: quippe qui ſciret, nec multitudinem populorum abſque juſtitiæ & legum vinculis in uno corpore poſſe contineri, neque Principem ſine juſtâ judiciorum formâ majeſtatem & tutelam imperij retinere. Cùm ipſe judicijs omnibus non poſſet intereſſe, neque obire per ſe Provincias ſingulas, annis ſingulis luſtrabat per Generalem Quæſtorem, curabátq; ſibi exactè referri ſubjectorum, ſi quæ erant, querelas, defectus Magiſtratuum, omnium dynaſtiarum ſtatum, cauſas Eccleſiarum, viduarum ac pupillorum. Non erat illi ſatis ad negotia fiſci, ærarij, patrimonij, rationum, adhibere viros prudentes & moderatos, ſed, ne quid præter jus in iſto tribunali admitteretur, ſimul voluit adeſſe Juriſconſultos, quorum conſilio juris ærarij controverſiæ finirentur. Ut præſides, ſenatores omnium curiarum à donativorum corruptelâ eſſent intacti, ſeverè cavebat, ne quicquam munerum à litigantibus acciperent. Quo minore ſumptu non pauperes modò, ſed etiam divites ſuas cauſas agerent, ſuſtulit jus ſportularum & judiciariæ mercedis alibi locorum paſſim uſitatum. Neminem admittebat ad Senatoris vel patroni forenſis officia, niſi à moribus & ſcientiâ probè notum, quique ſuæ eruditionis luculentum ſpecimen, certis ad hoc conſtitutis examinatoribus, in ſevero examine, poſt abſolutum ſtudiorum curriculum, gradúſque Juridicæ facultatis ritè ſuſceptos, dediſſet: niſi generis nobilitas & bene examinata legum notitia foret loco Academicæ Doctoris prærogativæ. Atque iſta ferè ſunt, quæ de Maximiliani I. Bavariæ Ducis & Electoris vitâ rebúſque geſtis dicenda exiſtimavi, ut darem boni Principatûs, quam promiſi, Ideam, quam quiſquis moribus atque imitatione expreſſerit, næ ille inter bonos Principes optimus erit celebrandus. Suos enim cives tuebitur, conſilijs adferet tranquillitatem, armis quietem præſtabit; jus reddet omnibus, omnes paterno velut ſinu fovebit, firmabit Cleri in ſacris muneribus excubias, Judicum extollet authoritatem, felicitatem præſtabit omnibus, animabit honeſtè negotiantum induſtrias, nec tam erit Dominus, quàm pater, defenſor ac Clypeus populorum; obſtabit improborum iniquitati atque audaciæ, feret afflictis opem, lucem ambiguis, ordinem omnibus, & cùm bene imperando futurus ſit maximus, major erit probè vivendo. Laudent alij Maximilianum ut pium, ſapientem, juſtum, magnanimum, modeſtum, clementem, manſuetum, magnificum ac liberalem, habebunt quamplurimos ſuffragatores, ſed, qui eum Pacificum dixerint, Europam, totum adeò Chriſtianum Orbem teſtem habebunt. Certum enim eſt, neminem unum in pacandâ nuper Germaniâ Maximiliano impenſiùs laboraſſe, ut, cùm inter

IUSTITIA.

XLIIX.

ter ipſius Majorum decora numeremus Pietatem, Magnanimitatem, & Sapientiam in Albertis, in Guilielmis Conſtantiam & Religionem; jure meritiſſimo pacis ſtudium titulúſque Pacifici, Maximiliani imaginibus poſſit adſcribi. Et hæc quidem de Maximiliano Pacifico, quibus coronidis loco juvat addere veriſſimum elogium, quod Princeps quidam verè magnus, verè pius, verè ſapiens, verarum virtutum æſtimator, amoris & honoris ergo cecinit:

SONETTO.

Il grande Maſſimiliano in pace e in guerra
il ſuo valore moſtra, & gran' prudenza
Ogn' un s' ammira, che con ſua potenza
Il Palatino, il Franco, & il Sueco atterra.

Nè ſuoi ſauij dettami, mai non erra,
Ad ogni uno diſpenſa la Clemenza:
Moſtra nè trauagli gran patienza,
E ſempre il gran motor nel cuor rinſerra.

Delle ſcienze & arti è ſempre amante,
De vaſalli al gouerno ogn' hor' attento,
In gioie e in duoli, egli ſempre conſtante.

Provede ad ogni caſo, e ad ogn' evento,
In lui concorron tante virtù, e tante,
Che del ſecolo noſtro egli è vn portento.

Latinè ſic redditum.

Maximilianus pace, bello maximus,
Marte metuendus æmulis, charus ſuis,
Mirandus omnibus; quòd armis præpotens
Francos, Suecos vicit, & Septemvirum
Rheni potentem, ferre qui primas dapes
Regum ſolebat maximis. Prudentia
Errore fecit liberum, clementia
Sævire nunquam paſſa: rebus arduis
Pectus pavoris neſcium geſſit, Deo,
Qui fata verſat, inclytus: Fuit
Ad utriuſque ſortis eventa patiens,
Et ſemper idem, læta ſeu mœſta caderent.
Junxit Minervæ Palladem, ſagum togæ,
Jura dare populis uſque & uſque pervigil,
Didicit labores frangere patientiâ.
Quem tot beârunt Numen & Virtus bonis,
Quidni hujus ævi dixerim miraculum?

DEO ſoli ſummus honor & gloria.

INDEX

INDEX

Rerum memorabilium, Tertia Parte Annalium Boicorum contentarum.

A.

SEreniſſima ADELAIS HENRIETA *Sabaudiæ & Pedemontij Ducis filia, deſignatur ſponſa Sereniſſimo* FERDINANDO MARIÆ *Bavariæ Duci.* Lib. 34. *num.* 14. *Contrahit cum eo matrimonium ſolenni ritu Taurini. n.* 16, 17. *Deducitur in Bavariam. num.* 20, 21, 22. *Quâ per provinciam pompâ Monachium uſque deducta. num.* 23, 24, 25. *Repetiti ritus nuptiales. n.* 25.

Alberti V. Bavariæ Ducis, qui fuit Maximiliani avus, elogium breve. Lib. 1. *num.* 3. & 4.

Sereniſſimus ALBERTUS SIGISMUNDUS, *Alberti Bavariæ Ducis filius, fit Coadjutor Friſingenſis.* lib. 25. *num.* 36.

Albertus Epiſcopus Ratisbonenſis, ex familia Comitum à Torring, moritur. Succeſſit Franciſcus Guilielmus Wartenbergius, Epiſcopus Oſnabrugenſis, Mindenſis, Werdenſis, tandem S. R. Eccleſiæ Cardinalis. lib. 34. *num.* 11.

Albertus Wallenſteinius Fridlandiæ Dux Gottingam obſidet. lib. 10. *num.* 24. *Halam Saxoniæ invadit. ibid. num.* 29. *Vincit Mansfeldium ad Teſſavienſem pontem.* lib. 11. *n.* 27, 28. *Querela adverſus ipſum.* lib. 12 *n.* 3, 4, 5. *Creatur Dux Megapolitanus, & Sagani Princeps* lib. 13. *num.* 10, 11. *Stralſundam obſidet, nolente Cæſare, ſed & fruſtra. ibid. nu.* 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25. *Roſtochium occupat. n.* 30. *Licentia militaris illi vitio datur. ibid. nu.* 44, 45, 46, 47, 48. *Renovata querelæ adverſus ipſum in Comitijs Ratisbonenſibus.* lib. 15. *nu.* 44, 45. *Exauctoratur. ibid. nu.* 46. *Aſſentitur exauctorationi. ibid. n.* 47, 48. *Fuit, qui hanc improbaret. ibid. num.* 48, 49. *Refellitur. ibid. num.* 50, 51. *Rurſus emergit Fridlandus.* lib. 17. *n.* 4, 5. *Principibus Imperij ſollicitis ob illius reſtitutionem. ibid. num.* 5, 6. *Conditiones acceptæ ab illo Præfecturæ. ibid. n.* 8, 9. *Pragam à Saxonibus occupatam recipit, & eos totâ Bohemiâ ejicit. ibid. n.* 58. *Iungit copias ſuas Egræ cum copijs Maximiliani Bavari. ibid. num.* 61. *Victo, captóque Tubadelio, caſtra ponuntur ad Norimbergam, ibid. n.* 63. *Quæ tum ibi geſta? ibid. n.* 64. *uſq.* ad 70. *Ipſius culpâ, non majora ſunt geſta. ib. n.* 70. & 71. *Abit in Saxoniam. ib. n.* 71. & 72. *Malignitas Fridlandi ternis è fraudibus pateſcit.* lib. 17. *nu.* 74, 75. *Luzenſi pugnâ cum Rege Sueciæ; decernit, non victor, non victus. ibid. n.* 88, 89, 90, 91, 92. *Pragæ in undecim, qui cladis ferebantur auctores, ſupplicio animadvertit. ibid. num.* 93. *Colloquia cum Arnheimio, ſeria an ficta?* lib. 18. *n.* 6. & 7. *Odium in Ioan. Philippum Cratzium Comitem Scharpffenſteiniũ. ibid. n.* 18, 19. *Odium & vindicandi libido in Maximilianum Electorem. ibid. nu.* 35, 36, 40. *Aſtronomus ex aſpectu ſiderum prædicit ipſi Coronam Bohemicam: ſtultus vano, an & veſano? ibid. n.* 57. *Molitur in Regem evadere.* lib. 19. *n.* 9, 10. *Illum in fraudem inducit. ib. n.* 10. *Terskium corrumpit: Iſolanum tentat. ibid. nu.* 11. *Totius conjurationis, defectionis, proditionis ordo pertexitur. ibid. à n.* 11. *uſq.* ad 15. *Detectâ conjuratione, edictum Cæſaris in perduelles, ibid. n.* 15, 16. *Cætera geſta uſque ad mortem Fridlandi. ibid. num.* 16. *uſque ad* 25. *Interfectis quatuor principibus conjuratorum, mactatur & ipſe. ibid. n.* 25, 26. *Lavenburgicus interceptus: à rebellibus cæteris ſumpta ſupplicia. ibid. n.* 26, 27. *Schafgotſchij capti pretribunus res novas molitur in Sileſiâ. ibid. n.* 27, 28.

Aldringerus vi Campidonam expugnat. lib. 18. *n.* 12. *Adverſus Hornio. ibid. n.* 13, 14, 26. *Villingenſibus obſeſſis mittit ſuppetias, quæ profligant hoſtem. ibid. n.* 31. *Operam Bavariæ non præſtitit, ex iniquo Fridlandi genio. ib. n.* 35, 36, 37, 39. *Nullâ re memorabili geſtâ in Alſatiâ, refugit Briſacum. ibid. n.* 36, 37, 45. *Declinat Fridlandicam deſtctionem.* lib. 19. *n.* 14, 15, 16. *Straubingam recuperat. ibid. num.* 38. *In excidio Landishutano occiditur, ab hoſte, à ſuis, vel ab irato cive. ibid. n.* 49.

Alexander ab Haslang captus ab Hungaris. lib. 5. *num.* 43.

Apoſtata monachus & ſacerdos horrendùm à Deo punitus Ambergæ. lib. 13. *n.* 54. & 55.

Archiconfraternitas Animarum fidelium defunctorum erigitur à Sereniſſima Eliſabetha Electrice Bavariæ Monachij. lib. 20. *n.* 12. *A Deo probatur viſo mirabili. ibidem.*

Armiſtitium Vlmenſe cum Gallis & Suecis cur inierit Maximilianus. lib. 32. *n.* 1. *uſque ad* 8.

Induciarum illarum leges. ibid. n. 8, 9, 10, 11, 12. *Cæſar his privatis offenſus inducijs, avocat ad ſe Cæſareo-Bavaricum militem. ibid. num.* 12, 13. *Werthius à Maximiliano deficit.* lib. 32. *n.* 13. *uſque ad* 18. *Proſcribitur à Maximiliano: deſeritur à legionibus. ibid. n.* 18, 19, 20. 21. *Cauſa, quò minùs legiones ad Cæſarem tranſierint. ibid. n.* 21, 22, 23. *Maximilianus Suecis renuntiat armiſtitium, & quas ob cauſas? ibid. nu.* 27, 28, 29. *Rex Galliæ renuntiat Maximiliano. ibid. n.* 43.

Auguſta Vindelicorum deditur Guſtavo Regi Sueciæ, certis conditionibus; quæ non ſunt ſervatæ. lib. 17. *num.* 25, 26, 27. *Obſidetur à Wahlio, & immani fame tandem expugnata manus dedit.* lib. 20. *n.* 22, 23. *Obſidetur à Gallis & Suecis: generoſè defenditur à Franciſco Rouyerio.* lib. 31. *n.* 29. *uſque ad* 34.

Auſtriÿ Anaſſini parant rebellionem. lib. 3. *n.* 30. lib. 4. *n.* 4. *Domantur à Maximiliano Bavaro.* lib. 5. *n.* 15. *uſque ad* 26. *Rurſus tumultuantur, ac denique à Pappenheimio domantur.* lib. 11. *n.* 34. *uſque ad* 52.

B.

Bannerus è ſuperiore Palatinatu pulſus; Schlangius captivus Ratisbonam ducitur. lib. 26. *n.* 1. *uſque ad* 8. *Bannerus moritur Halberſtadÿ. ibid. n.* 25.

Bavariæ devaſtatio. lib. 33. *n.* 11. *uſque ad* 27.

Bernardus Dux Weinmarius Ratisbonam obſidet, occupat, & pactorum incurius Epiſcopum, Clerum, Religioſos malè habet. lib. 18. *nu.* 38. 41, 42, 43. *Arcē Donaſtauffenſem diruit: Chambum, Straubingam, Deckendorffium capit. ibid. n.* 44. *Ad Rhenum à Ioanne Werthio ponte & propugnaculis exuitur.* lib. 22. *n.* 12. *uſq. ad* 22. *Rheinfeldam obſidet.* lib. 23. *n.* 6, 7, 8. *pugnat cum Cæſareo-Bavaricis, victoriâ dubiâ. ibid. n.* 8, 9. *Altero cum iiſdem prælio victor evadit. n.* 10, 11, 12. *Rheinfeldam occupat. ibid. n.* 14. *Friburgum Brisgoiæ deditionē accipit, pacta violat. ibid. nu.* 15, 16. *Elapſo per æſtum è cuſtodiâ Savellio Duce, innocentes afficit ſupplicio. ibid. n.* 17. *Poſtrema illius acta in Burgundiâ.* lib. 24. *num.* 3, 4, 5, 6, 7, 8. *Ad Rhenum, & in Alſatiâ. ibid. n.* 8, 9. *Sævit in Pontarlinum. ibid. n.* 10. *Interit, incertum quo fati genere. ibid. nu.* 10. *&* 11. *Miles Weinmarianus fit ex aſſe Gallicus. ibid. n.* 16. *Occupat varia loca: quorum aliqua recipiunt Bavarici.* lib. 25. *n.* 11. 12. *Briſacum & Hohenvilam inſtruunt commeatu. ibid. n.* 13, 14.

Bohemi agunt de abdicando Rege Ferdinando. lib. 3. *n.* 21. *Obſident Budiviſium. ibid. nu.* 21. *Pugnant contra Bucquoium. ibid. n.* 22. *Tentant Maximilianum Bavarum. n.* 24.

Bohemicorum motuum origo. lib. 3. *num.* 12. *uſque ad* 21.

Bohemicorum motuum progreſſus. lib. 4. *n.* 2, 3, 5, 6, 7, 8, 9.

Bohemicum bellum gerit Maximilianus Bavarus. lib. 5. *n.* 26. *uſque ad* 67. *Regni res componit. ibid. num.* 67, 68, 69, 70, 71, 72.

Bohemorum agreſtium tumultus. lib. 13. *n.* 37, 38.

Brigantium expugnatur à Suecis. lib. 31. *n.* 37, 38.

Briſaci ſtatus planè neglectus. lib. 23. *n.* 3. *Cura Maximiliani Electoris de Briſaco annonâ inſtruendo, & de limite Rheni cuſtodiendo. ib. num.* 3, 4, 5. *Briſaco malè vertit occupatum Huningenſe propugnaculum. ibid. n.* 13. *Accipitur clades à Cæſarianis ad Briſacum. ib. n.* 17. *Intercīditur cōmeatus. ibid. Briſaci capti, ab ovo uſque ad mala, narratio. ibid. n.* 18. *uſque ad* 36. *Seditio Briſacenſis ſanè periculoſa.* lib. 29. *n.* 10, 11, 12.

Bruna à Dorſtenſonio obſeſſa, fortiſſimè defenſa à Soucheo. lib. 30. *n.* 13, 14, 15. 16. *Periclitatur mille Suecorum aſtutiâ.* lib. 31. *n.* 13.

C.

Carolus Lotharingiæ Dux exercitum 18. millium adducit, jungitque Tilliano. lib. 16. *n.* 99. *Gallorum irruptione revocatur in patriam. ibid. nu.* 118. *Cladem à Suecis accipit ad Luzelſteinium.* lib. 18. *nu.* 29. *Birckenfeldium ex acie fugat: vincitur à Suecis. ibid. n.* 30. *Franci obſident, & depoſiti lege accipiunt Nanceium. ibid. n.* 31. *Gallos ad Mottam prælio memorabili devincit.* lib. 27. *n.* 28, 29. *Metenſe præſidium ex inſidiis cadit: abigit armenta. n.* 30.

Carolus Walliæ Princeps, poſt Britanniæ Rex, quærit nuptias Infantæ Hiſpan. lib. 8. *n.* 16. *&* lib. 9. *num.* 4. *Quâ de causâ, quo eventu? num.* 5. *& ſeqq.*

Carolus Ludovicus Comes Palatinus ære Anglicano bellum parat. lib. 23. *n.* 38. *Meppenam emit: quæ expugnatur à Cæſariano milite. ibid. num.* 38, 39, 40, 41. *Afficitur diverſis cladibus. ibid. num.* 42, 43, 44. *Robertus Comes Palatinus capitur: Carolus Ludovicus ægrè elabitur fugâ. ibid. num.* 44, 45.

Carolus Baro Marimontius recuperat Wildenſteinium, ſtratagemate captum ab Hohenvilanis. lib. 27. *num.* 26, 27, 28.

Chriſtianus Brunſvicenſis Dux, dictus Halberſtadius, exercitum legit, quo Catholicos vehementer

menter vexat. lib.7.n.13,14,15,16,17,18. Vincitur à Tillio cruento prælio. ibid. n.19,20,21. Inſtaurat bellum. lib 8. n.29,30. Vincitur rurſus à Tillio ingenti clade. ibid. num.40,41,42. 43,44. Naufragium in freto Calerano patitur. lib.9. n.15. Moritur. lib.11. n.33.

Clemens VIII. Pontifex Romanus Maximilianum Bavariæ Ducem excipit. lib.1 n.19.

Colmarienſis Conventus in cauſa Palatini. lib.12. n.7. uſque ad 14. ſine fructu. ibidem.

Cometa terribilis Anno M. DC. XVIII. lib.3. n.31.

Comitia Ratisbonenſia anni 1608. per Proteſtantes fiunt irrita. lib.2. n.35,36. Alia ibidem anno 1613. à Correſpondentibus turbata. lib.3. n.2.

Conſtantia lacus Acroniani civitas obſidetur ab Hornio: propugnatorum virtute ſervatur. lib.18. num.32,33,34.

SS. Coſmæ & Damiani reliquiarum translatio Monachium. lib.34. n.4. uſq. ad 12. Colebantur Bremæ per annos 663. ibid. Maximilianus Elector curavit apportari Bremâ. ibid. n.5,6. Capita illorum jam antè Monachij habebantur. ibid. n.7. Pompa translationis ſacrarum reliquiarum. ibid. num.7,8,9,10. Prodigioſæ curationes ad invocationem SS. Martyrum. ibid. n.10,11. Maximilianus Elector in feſto SS. Coſmæ & Damiani moritur. ibid. n.37.

Cratij laus in pugnâ Pragenſi. lib.5. nu.62. Fridbergam recuperat. lib.17. nu.27. Landſpergâ Suecos eijcit. ibid. num.30. Potitur Weiſſenburgo. ibid. n.55. Factus Gubernator Ingolſtadij; vehementer de proditione illius ſuſpectus, inde profugit ad hoſtes. lib.18. n.18. uſque ad 26. Capitur in pugnâ Nordlinganâ. lib.19. n.55. Capite plectitur Viennæ. lib.20. n.43.

D.

Daniæ Rex ſe parat ad bellum. lib.8. n.54. Circuli Saxonici caput eligitur. lib.10. n.2. Cæſaris ad eum litteræ. ibid. n.3. Reſponſum Regis. n.4. ſuſpectum ſe reddit. ibid. num.5,6,11. Bellum incipit. ibid. nu.12. Periculosè lapſus ex equo. num.13. Invadit Stolzenaviam. lib.10. n.28. Cædit turmam Bavaricam, &c. n.29. Iunguntur ipſi Mansfeldius & Halberſtadius. ibid. n.30. Habet Comitia Cellæ. n.31. Bellum continuat. lib.11. num.15. De Cæſare queritur apud Electores. ibid. n.16,17. Refellitur Apologetico Tillij. num.18,19,20,21. Vulgat edictum adverſus Ducem Luneburgicum. n.22. Exercet hoſtilitatem. n. 23. occupat multa loca. lib. 11. n.61. Vincitur ejus miles à Boicis. n.62. Rurſus à Tillio vincitur ad Lutheram. ibid. n.64. 65. Vulneratur ipſe & filius in expugnatione Hoiæ. nu. 68. Ad Blekedam accipit cladem, & periclitatur in fluvio. lib.12. n.15,16. Pugnæ aleam detrectat. n.17,18. Havelbergâ clàm ſe ſubducit. num.19. Fractus cladibus in regnum ſuum redit. n. 26,27,28,29. Conditiones pacis illi à Cæſare propoſitæ. n.32,33. Pacis tractatus reaſſumitur, & ea tandem certis conditionibus concluditur. lib.14. n.1. uſq. ad 11.

Dinckelſpilam Bavarico præſidio inſeſſam obſident Galli, tandémq. accipiunt deditione li.30. num.41, 42. Recuperat Comes Gleenus. ibid. num.46.

Donavverdanum bellum auctoritate Cæſaris Rudolphi II. geſtum à Maximiliano. lib.2. n.1. uſque ad 35.

Dorſtenſonius expugnat Gloggoviam: alia loca ſubigit: vincit Ducem Saxo-Lauenburgicum: Schweinizium deditione accipit; Kœnigsmarckius Nyſſam. lib.27. n.16,17,18. Olomuzium capit per ignaviam Minioli tribuni, qui propterea capite plexus eſt Viennæ. n.19. Brigam in caſſum obſidet: Nyſſam direptam deſerit. ib. Fruſtra obſidet Freibergam. lib.28. n.22, 23, 24. Holſatiam opprimit. n 30.

Durlacenſis pugna, & inſignis victoria Tillij. l.7. num.9,10,11,12.

E.

Eberſpergæ caduntur rebelles ruſtici. lib.19. n.32.

Eccleſiaſticorum bonorum reſtitutio præcipitur edicto Cæſareo. lib.14. n. 11. uſque ad 37. Fit in aliquibus locis executio. n.37. uſque ad 42. Huic edicto Proteſtantes obſiſtunt. lib.15. numero 2, 3.

Electoratus reſtitutus Bavariæ. lib.8. n. 5. uſque ad 22. Explicantur cauſæ translationis. lib.9. num.23. uſque ad 36. Collatus omnibus ex linea Guilielmi V. deſcendentibus. lib.13. n.4.

Eliſabethæ conjugis Maximiliani pietas in Virginem Oetinganam. lib.17. nu.77. Ejus vitæ magnis virtutibus exornatæ breviarium, & obitus. lib.20. num.1. uſque ad 16. Fundatrix Archiconfraternitatis Animarum fidelium defunctorum, quam Deus viſo mirabili approbavit. num.12.

Erneſtus Mansfeldius ſuppetias miſſus rebellibus Bohemis. lib.3. n.23. Pilsnam obſidet. n. 26. Expugnat. nu.27. Declaratur hoſtis Reipub. n.29. Profligatur à Bucquoio. lib.4. n.8. Rurſus ab hoc cladem accipit. lib.5. nu.8. Refugit in Bohemiam. n.23. Pilsnam ſe recipit, num.28. Cuius deditionem venalem exponit. n.37. Ceditur à Tillio. lib.6. num. 3,7, 8,19. Dolos nectit. nu.10,11. Elabitur in Palatinatum inferiorem. n.12. Solvit Franckentalij obſidionem.

num.17. Occupat Hagenoam. n.18. Fruſtra Tabernas obſidet. ibid. Rurſum à Cæſare proſcribitur. nu.19. Tribus ſacerdotibus infert ignominiam. lib.7. n.1. Cladem accipit à Tillio. n. 2,23. Germersheimij convenit illum dolis intentum Fridericus Palatinus. n.5. Ad Wiſelochum proſperè pugnat. n.6,7. Ladenburgum occupat. n.8. Denuo machinatur fraudes. n.21. 25. Invadit Darmſtadium, & Ludovicum Landgrav. cum filio capit. n.22. Iungitur Halberſtatenſi. n.2,3. Recedit in Belgium. nu. 2,5, 37,39,40. Fridericus Palat. ipſius operâ rurſus utitur. n.42. Pellitur ab Anholtio in Friſiam orientalem. n.43. Novum ibi bellum reparat. lib.8. n.23. Paciſcitur cum Friſijs. n.50. Miles illius diffluit. n.53. Angliam petiturus naufragium facit. lib.9. n.13. Redux in Bataviam. n.14. Iungit ſe Dano. lib.10. n.30. Capit loca quædam. lib.11. n. 23. Pontem Teſſavienſem aggreditur in caſſum. num.26. Vincitur à Fridlando. n.27,28. Inſtaurat exercitum. n.29. Graſſatur in Moraviâ & Sileſiâ. n.30,31. Abit in Hungariam ad Betlemum. n.32,33. Interit miſer. n.33.

Erwitus vincit Limbachium Mansfeldij tribunum. lib.8. num.51,52. Clade afficit Chriſtianum Halberſtadium. lib.10. n.22.

Euchariſtiâ perceptâ, ſurdus curatur. lib.13. n.57.

F.

Farensbachij Comitis in obſidio Ingolſtadienſi proditio, carcer, ſupplicium. lib.17. n.41.

Ferdinandus I I. Imp. familiaris Maximiliano, dum uterque ſtud nt Ingolſtadij. lib.1. nu.12. Adoptatur in filium à Matthiâ Imp. lib.3. n.5. Coronatur Rex Bohemiæ & Hungariæ. ibid. & num.6. & 9. Ne crearetur Cæſar, adverſabatur Fridericus Palatinus. nu.6. Eligitur tamen Imperator. lib.4. n. 1. uſque ad 13. In itu Francofurtum, & reditu Maximilianum inviſit. num.11. & 24, 25. & convenitur in pacta directionis exercitûs Catholici. n.26.

Ferdinandus Cæſar Fridericum Palat. proſcribit, edicto cum exteris Regibus & Principibus communicato. lib.5. n.6. Gratulatur Maximiliano victoriam Pragenſem duabus epiſtolis. n.29. Creat illum S. R. I. Septemvirum. lib.8. num.17. uſque ad 22. Vulgari curat edictum de reſtituendis bonis Eccleſiaſticis. lib.14. n.11. uſque ad 37. Executio edicti facta Auguſtæ. n.37,38,39. Argentorati & in Wirtenbergia. n.40. Hildeſij, Halberſtadij, Magdeburgi, Bremæ, Vlmæ. n.41,42. Huic edicto Proteſtantes obſiſtunt. lib.15. n. 2,3. Regi Daniæ pacis conciliationem committit. lib.18. n.9. Venit Ratisbonam ad Septemviralem Conventum. lib.21. n.21. Moritur Viennæ anno 1637. lib. 22. num.3.

Ferdinandus III. Hungariæ Rex præficitur exercitui. lib.19. n.43. Ratisbonam obſidet, & quid in illâ obſidione geſtum. ibidem, uſque ad num. 52. Nordlingam obſidet, & juſto prælio cum hoſte decernit. n.52. uſque ad 57. Cæſariani Hailbrunnam occupant: Sueviam recuperant. n.59. Bannerianæ copiæ caduntur. n. 60. ſicut & ad Hirsfeldam Haſſi. n.61. Complura hoſtibus eripit loca. lib.20. n.33,34,35,36, 37,38,40,41,42. Rediens ad exercitum, divertit Monachium. lib.21. n.9. In Ratisbonenſibus Comitijs eligitur Rex Romanorum. n.29. Pacis ineundæ tractationem ſuſcipit. lib.25. nu.1,2. Comitia indicit Ratisbonam, & quid in ijs actum. n.6. uſque ad 11. lib.26. n.8. uſque ad 18. Pragæ colligit exercitum. lib.30. nu.5. qui cladem paſſus eſt à Suecis propè Iankoviam. n.5,6,7,8,9. Varij motus ex illa clade. n.10,11,12. Reparat exercitum. n.12,13.

Sereniſſimus FERDINANDUS MARIA utriuſque Bavariæ Dux, &c. naſcitur Monachij Anno 1636. parentibus Sereniſſimis MAXIMILIANO Electore Bavaro, & MARIA ANNA Auſtriacâ. lib.21. n.21. Ad res politicas & gubernationem inſtituitur. lib.34. num.12. Boicæ Ordinibus velut hæres proponitur. num.13. Quæruntur illi nuptiæ Sereniſſimæ ADELAIDIS Allobrogum Ducis filiæ. n.14. Contrahit cum illâ matrimonium Taurini, vices abſentis agente Sereniſſimo Duce ſponſæ fratre. n.17. Monita, quæ Sereniſſimus Parens MAXIMILIANUS Sereniſſimo Principi ac Domino noſtro FERDINANDO MARIÆ, filio ſuo primogenito, in charta reliquit. lib.35. n.20. uſque ad 32.

Ferdinandus Laurentius Comes Wartenbergius contra Sperreuterum rem proſperè gerit. lib. 21. num.5.

Ferdinandus Baro de Buech Rhainam contra Gallo-Suecos defendit. lib.33. n.5.

S. Franciſcus de Paulâ Sereniſſimam MARIAM ANNAM Electricem, in puerperio lethaliter decumbentem, miraculosè ſanat. lib.21. n.22.

Franciſcus Mercius Reinfeldam obſeſſam generosè defendit. lib.19. num.34. Fit ſupremus rei tormentariæ Præfectus. lib.23. n.55. Res ab eo fortiter geſtæ. lib.24. n.12,13,14,15. Cum poteſtate legati præficitur exercitui Boico, in locum Comitis Wahlij. l.29. n.6. Ejus vigilantia. num.

num.7. Vberlingam obſidet. n.9. obſeſſi erumpunt, capiuntque Haslangium Tribunum. n.10. Expugnatur. nu.12, 13. Hohenwila tradendæ ſimulata tractatio facit, ut Mercius eam obſideret. n.13,14,15. Obſidet Friburgum Briſgoiæ, & accipit deditione. n.16,17,18. Confligit cum Turrenio. nu.19. Pugnat cum Enguienno cruentam pugnam ad Friburgum. n.19, 20. Caſparus Mercius Franciſci frater occumbit illo in prælio. n 21. Gallos irrumpentes in Wirtenbergiam reijcit. lib.30. n.21, 22. Prælio vincit eoſdem ad Herbſthuſium. n.25, 26, 27. Vſus hac victoriâ, Gallos varijs cladibus atterit. nu.28. Parat ſe expeditioni Allerheimenſi. n.29,30,31,32. In prælio Allerheimenſi, victoriæ & gloriæ ſuæ fortiſſimus Heros immoritur. n. 33.34.35. Elogia Mercij. num.36. Succedit in munere Comes Gleenus. n.40.

Franciſci Rouyerij laus in propugnandâ Hailbrunnâ. lib.31. nu.25. In defendendâ Auguſtâ Vindelic. num.30,31,32. In obſidendâ cum alijs Memmingâ. lib.32. n. 31,32. In muniendo, tutandóque Monachio. lib.33. num.7. & 12.

Franciſcus Comes Fuggerus Hailbrunnam egregiè contra Gallos defendit. lib.30. nu. 43. Oenum pari quoque fortitudine. lib.33. n.17. Fit Gubernator Ingolſtadianus. ibidem.

Friburgum Briſgoiæ à Franciſco Mercio obſeſſum dedit Canofskius. lib.29. n.16,17,18. Annona urbi illata. n.27.

Fridberga Bavariæ capta à Suecis, recuperata à Cratzio, exuſta à Bannerio. lib.17. n.27.

Fridericus Palatinus Maximilianum Bavarum vult creari Cæſarem. lib 3. n.6, & 7. Fert repulſam. n.7. & 8. Conatur Ferdinandum Auſtrium à Comitijs Septemviralibus excludere. lib.4. n.1. Idem tentant Bohemi, n.11. qui Regem ſuum eligunt Fridericum, n.13. contemnentem Ferdinandi monita, n.14. ancipitem tamen, n.15. conſultóque Maximiliano, n. 16. & 17. qui diſſuadet, nu.18,19,20,21. & facti ſui defenſorem, n.22. vehementer dehortatur. n.23, 24. Editâ Apologiâ ſuſceptæ Coronæ Bohemicæ, nu.27. miſſis litteris ad Maximilianum, n.28. immo & legatis, n.29, 30. quæ reſponſa hic repoſuerit. n.31. uſque ad finem libri quarti.

Fridericus Palatinus à Ferdinando II. Cæſare proſcribitur, edicto cum exteris Regibus & Principibus communicato. lib.5. nu.6. Monetur à Mulhuſino Septemvirûm conventu. num.10. Legatum mittit ad Maximilianum. num.45. Huius reſponſum. nu.46. Conatur opprimere Maximilianum. num.47. Vincitur, fugitque Vratiſlaviam. n.65. Mittit encyclicas litteras ad Imperij ordines. lib.7. n.3. Solum Durlacenſem Marchionem ad gerendum bellum inducit. n.4. Redux ab exilio convenit Mansfeldium, n.5. qui Tillium nonnullâ clade afficit, & Ladenburgum occupat. n.7. & 8. Redit Fridericus in Bataviam. n.25. Pro reſtitutione illius quantæ molitiones! quæ fœdera! lib.9. num. 8,9,10,11,12,15,16,17. Inſtituta Colmariæ tractatio pro illius reſtitutione. lib.12. num.7. uſque ad 14. Recidit in nihilum. n.14. Hagâ Comitis ab exilio redux, Regem Sueciæ convenit Francofurti. lib.17. nu.11. Guſtavus Palatinum ſecum trahit Norimbergam. n.19. Maligno morbo perit Moguntiæ. n.94.

G.

Galli vincuntur ad Motam à Lotharingiæ Duce. lib.27. num.28,29.

Gallorum expeditio prima, duce Guebriano, fruſtratur virtute Ducis Lotharingiæ, Mercij, Werthij, aliorum fortium virorum. lib.28. num.8. uſque ad 21. Altera, quin & tertia expeditio Guebriani ſubnervatur. n.31. uſque ad 37. Moritur Guebrianus ex vulnere Rotwilæ. num.36.

Galli 900. à 200. funduntur, fugantur. lib.30. num.20.21. Prælio vincuntur à Franc. Mercio ad Herbſthuſium. num.25.26,27. Variæ Gallorum clades. num.28. Prælium Allerheimenſe. num.33,34,35. Conflictus ad Suſmershuſium, in quo cecidit Comes Holtzapfelius. lib.33. n.4,5.

Gallo-Sueticum fœdus, ejúſque pacta. lib.16. nu. 10. & 11. Renovatur. lib.26. n.23.

Georgij Teiſingeri conſilium de opprimendo Bannerio. lib.26. n.4. Deficiente Ioanne Werthio, traductionem exercitûs ſufflaminat. lib. 32. num.15,16.

Gleenus Fridbergam in Wetteraviâ deditione accipit. lib.25. n.17. Præficitur Bavaricus Imperij copijs, poſt mortem Franciſci Mercij. lib. 30. num.40. Caſtra caſtris opponit ad Halam Suevorum. n.44. Gallos Wimpfenam ſe recipientes inſequitur, cædit, capit. n.44, 45, 46. Dinckelſpila & Rotenburgum illi dedita. n.46. Miles Cæſareo-Bavaricus quid geſſerit. lib.31. num.17,18,19,20,21. Litteræ Gleeni ad Maximilianum Electorem. n.22,23.

Gloggovia expugnatur à Dorſtenſonio. lib. 27. num.16,17.

Gregorij XV. Pont. Max. litteræ ad Maximilianum poſt victoriam Pragenſem. lib.5. nu.79. Ejuſ-

Eiuſdem litteræ, quibus gratulatur ob dignitatem Electoralem. lib.8. n.22.

Gronſfeldius cladem accipit ad Rintelam. lib.18. n.47,48. Rurſus ad Hammeliam pugnâ ſuperatur. n.49,50,51,52. Lyci trajectum, & irruptionem in Bavariam permittit Gallo Suecis. lib.33. n.6,7. Detinetur captivus. n.7,8.

Grotius captus à Boijs. lib.32. num.1.

Guilielmus V. Bavariæ Dux, parens Maximiliani ſucceſſoris. lib.1. n.4. Breviarium vitæ illius, mors, epitaphium. lib.11. n.1. uſq. ad 15. Laudat Guſtavus Sueciæ Rex, templum S. Michaelis Monachij viſens, tanti Principis ac Fundatoris modeſtiam. lib.17. num.51. Capita SS. Coſmæ & Damiani à S. Henrico Imp. olim Româ Bambergam allata, dono accepit à Ioanne Godefrido Epiſcopo Bamberg. lib.34. num.7. Ea nunc adjuncta cæteris oſſibus Bremâ Monachium translatis, coluntur in templo S. Michaelis. n.7,8,9,10.

Guſtavus Adolphus Sueciæ Rex, infenſus Auſtriacis. lib.14. n.62. Incitatur ad bellum ab Hercule Charnacaeo Gallo, n.63. quod apparat, n.64. &, diſſuadentibus licèt regni ſenatoribus, n.65,66. decernit gerere contra Cæſarem. n.67. ſcriptis litteris ad Fridlandum, & Tillium, num.68. Belli primordium capit à Pomerania. lib.15. n.59,60,61. Occupat varia loca, n.62. in his Stettinum metropolim, n.63. certis cum Duce pactis, n.64,65. excuſante Cæſari deditionem, num.66. Periclitatur incluſus, num. 67. Pugnam detrectans, Stralſundam petit, num.68, 69, 70. Inde ad Megapolitanos abit, n.70. Colbergam cingit, n.75,76. Cæſarianis fruſtra conantibus ſuccurrere, num.77. quòd res illorum malè conſtitutæ labaſcerent, n.78,79,80. Fœdus init cum Rege Galliæ: quibus pactis. lib.16. n.10,11. Francofurtum ad Viadrum vi expugnat, nu.18,19. Ingreditur Sileſiam, n.20. Fœdus icit cum Electore Brandenburgico, n.20,21,22. quod Elector Saxoniæ recuſavit, n.23. Novum pactum init cum Guſtavo Brandenburgicus, num.40,41. In prælio Lipſienſi Guſtavus ſuperior evadit. n.87,88. Kœnigshofium invadit, Schweinfurtum occupat, expugnat Herbipolim, n.95,96.97,98. Subinde totam ſibi Franconiam adjungit, nu.100, 101. Quibus conditionibus Electores Eccleſiaſticos ad ſuas partes pellicere conatus ſit. n.101. Invadit Francofurtum ad Mœnum: Hœchſtam deditione accipit. n.104,105. Rhingaviā occupat. n.106. Moguntia illi deditur. nu.115. Occupat Crucinacum. lib.17. n.13. Munit Moguntiam, ibidem. Exercitu ſecundum luſtrato, Norimbergam contendit. n.19. Donawerdam occupat, nu.20. Deditione accipit Auguſtam Vindelic. certis legibus, quæ non ſunt ſervata. n.25,26,27. Movet Ingolſtadium, illudque obſidet. n.28,31,32,33.34,38,39,40. Graviter periclitatus, ſolvit obſidionem. n.43,44. Landshutum truculentus invadit. num.47. 48,49. Monachium contendit, num.50,51,52. Vbi adeſt ei Regis Daniæ legatus. n.53. Mittit Hersbruco legatum ad Ragozium, & ad Turcam. num.62. Victo, captóque Tubadelio vehementer indoluit. n.63. Caſtris poſitis ad Norimbergam, quæ ibi geſta? n.64. uſque ad 69. Rex inde diſcedit, n.69. Rainam, cæſis Croatis; Landſpergam deditione recuperat. n.74. Relictâ Boicâ, contendit in Saxoniam. nu.88. Vbi in, vel ante Luzenſe prælium occumbit. num.89,90,91.

H.

Hailbrunna fortiter à Franciſco Comite Fuggero defenſa. lib.30. num.43. Rurſus à Franciſco Rouyerio, & alijs. lib.31. num.25.

Hammelienſes exarmant præſidium Boicum. lib. 10. num.17.

Heidelberga obſeſſa & capta. lib.7. num.26. uſque ad 33.

Heidelbergenſe comitium, & ejus conſulta. lib. 14. n.44. uſque ad 52.

Hermenſteinij obſidio, obſeſſorum fames, & facta tandem deditio. lib 22. n.4,5,6,7,8,9.

Hohenvila ſæpius in caſſum obſeſſa. lib.25. n.14, 15. lib.26. num.45,46. Eius tradendæ ſimulata tractatio. lib.29. num.13, 14. Obſidetur à Mercio. num.15. ſolvitur ab eodem obſidium, num.23.

I.

Iacobus Comes Fuggerus generosè pugnans, occumbit. lib.17. num.68.

S. Ignatij Soc. Ieſu Fundatoris ope miraculoſâ curatur puer Monachij. lib.13. n.51. Alia ejuſdem Sancti miracula. n.52. Clauda curatur ad illius aram Monachij. lib.16. num.119. Feſto die S. Ignatij, voto ad illum à Leopoldo Archiduce nuncupato, liberatur Tirolis ab irruptione Weinmarij. lib.17. num.62.

Ingolſtadium obſidetur à Guſtavo Rege Sueciæ. lib.17. num.28. Tillius in obſidione moritur. num.35,36,37. Farenſpachius ut proditor captus. n.41. Rex vitâ periclitatus, obſidionem ſolvit. n.43,44. Periclitatur poſtea, Gubernatore Crazio, qui graviſſimis ſuſpicionibus oneratus inde profugit. lib.18. n.18. uſque ad 26.

Ioannes

INDEX.

Ioannes Chriſtophorus L. B. à Preiſing, nomine Maximiliani Bavariæ Ducis reſpondet Bohemiæ dynatis. lib.5.*n.68.*

Sereniſſimus Ioan. Franciſcus Carolus, Alberti Bavariæ Ducis filius moritur. lib.25.*n.37.*

Ioannes Georgius Elector Saxoniæ præ ſe fert offenſionem, quòd ſit Electoratus Palat. translatus in Maximilianum Bavarum. lib.8.*n.24. & ſeqq. Delinitur à Moguntino.* lib.9.*n.21, uſque ad 35. Dat titulum Electoris Maximiliano. num.35. Quæ ſignificaverit per legatum Cæſari.* lib.15. *num.3. uſque ad 9. Reſponſum Cæſaris. n.9. Comitijs Dreſdæ habitis quid conſtituerit.* lib.16. *num.51. Belli contra Electorem Saxoniæ initia. num.58. uſque ad 63. Maximilianus Tillium ab eo dehortatur. n.63. uſque ad 69. Captâ à Tillio Lipſiâ, Saxo jungit arma Regi Sueciæ. n.83, 84, 85. Prælio decernit cum Tillio. n.86. A quo funditur & fugatur. n.87. Fruſtra invitatus ad colloquium pacis, Luſatiam ſubigit, Bohemiam invadit, Pragam occupat. n.109, 110. Pacem init cum Cæſare, quæ Pragæ promulgata.* lib.20.*n.16, 17. Eandem ſuſceperunt Norimbergenſes, Erfurtenſes, Francofordienſes. n.17.*

Ioannes Tillius præficitur exercitui Boico. lib.5. *num.14. Pilsnam recipit, Mansfeldium cædit.* lib.6.*num.3, 7, 19. Elenbogam cogit ad deditionem. n.6. Sinzheimium, Mannenbergam, & Dilsbergam ſubigit.* lib.7.*n.1. Mansfeldiũ rurſus afficit clade. n.2. Vincit cruento prælio Durlacenſem Marchionem. n.10, 11, 12. Chriſtianum Brunſvicenſem Ducem in pugnâ vincit. num.19, 20, 21. Mansfeldium denuo cædit. n.23. Heidelbergam obſidet, ac denique capit. n.26. uſque ad 33. Obſidet Manheimium, & eo potitur. num.33. uſque ad 36. Franckentalium circumſidet. n.36. In Comitijs Ratisbonenſibus refertur in Comitum numerum.* lib.8.*n.23. Fundit, fugátque Cattos. n.24. Novum bellum gerit cum Chriſtiano Halberſtadio, quem rurſus cædit ingenti clade, n.29. uſque ad 45. Incitat Friſios adverſus Mansfeldium, & quo eventu. n.48, 49, 50. Bellum gerit in Saxoniâ inferiori.* lib.10. *n.4. uſque ad 30. Movet in Danos. n.16, 17. Cædit. n.26, 27, 28. Mindam vi capit.* lib.11.*n.56, 57, 58. Gôttingam deditione. n.60. Regem Daniæ vincit ad Lutheram. n. 64, 65. Victoriam illi gratulatur Vrbanus VIII. Pont. Max. n.65. Multa in ſuam poteſtatem redigit. num.67, 68. Scribit Holſatis & Megapolitanis.* lib.12.*n.5, 6, 7. Vulneratur in obſidione Pinnebergæ. n.25. Capit Stadam.* lib. 13.*n.11, 12, 13, 14. Scribit illi Guſtavus Adolphus Sueciæ Rex epiſtolam.* lib.14. *n. 68. cui reſcribit Tillius. num.69. Præficitur exercitui Cæſaris, exauctorato Fridlando.* lib.15.*n. 52. Brandeburgum novum vi expugnat.* lib.16. *num.16, 17. Magdeburgum obſidet, expugnat, evertit. n.24. uſque ad 40. Movet in Thuringiam. n.53. Haſſum cohibet. n.54. Movet in Suecos, & pugnæ copiam facit. n.54. 55. Tillium dehortatur Maximilianus à bello inferendo Electori Saxoniæ. num.63. uſque ad 69. Occupatur ab illo Lipſia. n.83. In prælio Lipſienſi Tillius cædit Saxonem, cedit Sueco ſaucius, & Halberſtadium ſe recipit. n.86. uſque ad 91. Exercitum inſtaurat, & movet in Haſſiam. n.92. Rotenburgum Suecis eripit. n. 103. Norimbergam contendit. n.107. Lue pulſus abſcedit. n.108. Wilzburgum occupat. n. 117, 118. Hornium Franconiæ impoſitum inſigni clade afficit Bambergæ.* lib.17. *num. 16, 17, 18. Signa convertit ad Danubium. n.20. Vulneratur ad Lycum. num.21. Suadebat exercitûs receptum. num.22. Moritur Ingolſtadij laudatiſſimus Heros. num.35, 36, 37.*

Ioannes Werthius inclareſcit, lib.17.*n.93. Alijs ſuper alias adoreis gloriam ſuam accumulat.* lib.18. *num.9, 10, 11, 36, 44.* lib.19.*num.51, 57.* lib.20.*n.20. Gallos cædit. n. 33.* lib.21.*num.7. Vexat Leodienſes obſidione non juſſâ, nec felici.* lib.21.*n.6, & 7. Gallos 2000. profligat. n. 30. Melandrum ſuppetias Hermanſteinio laturum cædit.* lib.22.*n.4, 5. Miſſus ad ſuperioris Rheni defenſionem fortiter rem gerit adverſus Roſam, & Weinmarium.* lib.22.*n.12, 13, 14, 15, 16. Pontem & munimenta Rheni expugnat incredibili felicitate. n.17, 18, 19, 20, 21. In primo ad Rheinfeldam prælio fugatur.* lib. 23.*n.8. In altero, cum totâ legione capitur. num.12. In ſaltu Vincennenſi tenetur per quadriennium. n.13. Redit ad exercitum Boicum.* lib.27.*n.5. Gravenbrucum præſidio & operibus munit: Sparrium loco imponit, qui Latomum copijs, vitâ, ſpoliis exuit. ibid. Fugatur à Weinmarianis. n.6. Duas hoſtium legiones opprimit.* lib.28.*n.11. Rurſum duas profligat. n.13. Hoſtem cædit. n.16. Deficit ab Electore Bavaro, occaſione armiſtitij Vlmenſis.* lib.32. *num.13, 14, 15. Conſiliarij Boici diſſipant conſilia Werthij. n.15. Maximiliani litteræ ad exercitum. ibid. Miles Werthij conſilium deteſtatur. n.16, 17. Proſcribitur à Maximiliano: deſeritur à legionibus. n.18, 19. Fugit cum uno conjurato in caſtra Cæſaris. n.20.*

INDEX.

K.

Korbacenſium à Boico milite clades. lib.8. n. ult.

Krembſium & Korneuburgum expugnantur à Comite Buchemio. lib.31. n.10,11,12,13.

L.

Lamboij clades. lib.27. num. 2.3. Poſt eam quid conſtituerint Electores Catholici, n.7.

Landishutum dat ſe Guſtavo Regi Sueciæ, impoſito grandi lytro. l.17. n.47,48,49. Rurſum ab hoſte capitur, & crudeliter in eâ ſævitur. lib.19. n.47,48,49.50. Tertiùm in hoſtis poteſtatem venit. lib.33. n.8,9.

Landſperga certis conditionbus ſe permittit Suecis, qui eas non ſervârunt. lib.17. n. 28,29. Eijciuntur à Cratzio, n.30. Recepta hoſtibus, vindicatur ab Othone Henrico Fuggero. n.55. Sæpius exinde nunc in hoſtiū, nunc in noſtrorum manibus, à Dorſtenſonio miſeris modis ſubigitur. lib.18. n.15,16. Diripitur à Suecis, ut & Weilheimium. lib.31. n.33,34.

Landſpergenſis virginis pudicitia ſanguine purpurata. lib.18. n.17.

Lechenium (caninum ſtabulum à Gallis appellatum) fortiter eos repellit. lib.27. n.4.

S. Leonardus ſacrilegij vindex. lib.33. n.10.

Leopoldus Guilielmus Archidux, Ferdinandi III. Imp. frater præficitur exercitibus. lib.24. n. 34. Colinum expugnat: arcem Clumiziam recipit: clades infert Bannerio. lib.25. n.26. Regiogræcium vi capit: Suecos cædit. n.26, 27. Smirſitium, aliáque loca invadit. n.27, 28,29. Wittenbergium Suecum cum novem legionibus per Bredanum profligat, num.30. Caſtra metatur Salevelde. n.31. Quid tum ibi geſtum. n.32,33. Fridenwaldam, Hæxariam, Holzmundam ſubigit, iteratâ clade Suecorum. num.34,35,36. Præeſt expeditioni contra Bannerium eijciendum ex Palatinatu. lib.26. n.5. Maximilianum viſit Monachij. n.16. Redit ad exercitum. n.27. Borrij manu Zwickaviam Suecis eripit. ib. Tendit Wolffenbutam: confligit: inde diſcedit. n.33,34,35. Varia loca invadit: varias clades infert hoſti. num.37,38,41,42,43,44,45. Viennam abit ad Cæſarem. lib.27. n.15. Redux ad exercitum, Gloggoviam obſidet, non verò recipit. n.20, 21. Lipſienſe prælium illi improſperum. n.22. 23,24,25. Animadvertitur in ignavos. n.25. Pontem Lupinum recuperat. lib.30. num.17. Miles Cæſareo-Bavaricus ductu Leopoldi quid geſſerit. lib.31. n.17. uſque ad 25.

S. Liborius ſacrilegij vindex. lib.7. n.14. & 40.

Liga Principum Catholicorum anno 1609. initur Monachij. lib.2. num.38.

Lipſienſis Proteſtantium conventus. lib.16. n.1. Capita deliberationis, decreta, acta. num.1. uſque ad 10.

Lipſienſe prælium, in quo Tillius ſuperat Saxonem, ſuperatur à Sueco. lib.16. n.86. uſque ad 91.

Lindavium occupatur à Cæſarianis. lib.13. n.35, 36. Obſeſſum à Vrangelio, fortiſſimè propugnatur à Maximiliano Wilibaldo Truchſeſſio. lib.32. n.37,38,39.

Ludovicus Landgravius Haſſiæ, dictus Fidelis, à Mansfeldio capitur. lib.7. n.22. Mittitur ad Saxoniæ Septemvirum. lib.8. n.25. & lib.9. num.22. Ipſius cauſa in Mauritium definitur. lib.9. num.20.21.

Luzenſis pugna cum Sueciæ Rege. lib.17. num.88, 89,90,91,92.

Lycomachia, ſeu militum cum lupis pugna prope Gelnhuſium. lib.22. n.30,31.

M.

Magdalena Bavara, Maximiliani ſoror, nubit Principi Neoburgico. lib.3. n.3.

Magdeburgici Archiepiſcopatûs cauſa. lib.13. n. 49,50,51. Confertur Leopoldo Archiduci, Ferdinandi II. Imp. filio. n.51. & lib.14. num.41. Sicut & Bremenſis Archiepiſcopatus. n. eod.

Magdeburgici fons excidij. lib.14. num. 52. uſque ad 60.

Magdeburgum obſidetur, expugnatur, exſcinditur. lib.16. n. 24. uſque ad 40. Edidit apologiam excidij pro ſe Rex Sueciæ. n.40. Rurſum obſidetur, & eripitur Suecis. lib.21. n.14.

Mantuanum bellum cur ſuſceptum. lib.14. n.70. uſque ad 78. Geſtum, & urbe captâ direptáq, finitum. lib.15. num.53. uſque ad 59. Finito hoc bello, miles reductus in Germaniam occupat Memmingam & Campidunum. lib.16. num.47. Pacat Wirtenbergiam. n.48. Vlmam & Circulum Suevicum Franconicúmque compeſcit. n.49,50. Tandem à Tillio vocatur ad caſtra. num. 57.

Sereniſſima MARIA ANNA Auſtriaca, Ferdinandi II. Imp. filia, Ferdinandi III. Imp. ſoror, nubit Maximiliano Electori. lib.20. nu.44. Poſt primum puerperium, quo in lucem edidit FERDINANDUM MARIAM Sereniſſimum Electorem noſtrum, ad mortem decumbens, ope S. Franciſci de Paulâ, fato eripitur. lib.21. num.22.

Man-

Manheimium expugnatum. lib.7. *num*.33. *uſque ad* 36.

Marci Philippi Fuggeri mors. lib.5. *num*.51.

B. MARIÆ *Virginis in templo Præſentatæ, & Viſitantis Eliſabetham dies, feſtivi per Bavariam habentur*. lib.23. *num*.55.

B. MARIÆ *Virginis columna marmorea in foro Monacenſi*. lib.30. *num*.11.

B. MARIA *Virgo ſacrilegij vindex*. lib.33. *n*.10.

S. Maria Magdalena ſacrilegos depopulatores exanimat. lib.33. *n*.10. *Sanguis* CHRISTI *è cruce pendentis à Magdalenâ collectus, colitur in Electorali ſacello Monachij*. lib.35. *n*.13.

Sereniſſimus MAXIMILIANUS PHILIPPUS, MAXIMILIANI *Electoris &* MARIÆ ANNÆ *Auſtriacæ ſecundogenitus filius naſcitur Monachij anno 1638*. lib.23. *n*.55.

Sereniſſimus MAXIMILIANUS HENRICUS, ALBERTI *Bavariæ Ducis filius, fit Coadjutor Colonienſis*. lib.27 *n*.31. *Item Coadjutor Leodienſis*. lib.34. *n*. 2. & 3. *Defuncto Ferdinando patruo ſuccedit in Colonienſi, Leodienſi, & Hildeſienſi Eccleſijs*. lib.34. *n*.26. *Initiatur ſacerdotio & ordine Epiſcopali*. *n*.27. *Erneſtus Landgravius Haſſiæ cum Eleonora conjuge, coram Neomyſtâ facit profeſſionem Fidei Catholicæ*. *num*.28.

MAXIMILIANUS II. *Imp. patrinus* MAXIMILIANI *Bavariæ Ducis*. lib.1. *n*.4.

MAXIMILIANUS *Bavariæ Dux naſcitur Landishutæ*. lib.1. *num*.4. *Datus illi moderator Wenceslaus Petreus, & quibus præceptis imbutus*. *n*.5,6,7,8,9. MAXIMILIANUS *ſciens linguarum, Gallicæ, Latinæ, Italicæ, Hiſpanicæ*. *n*.9: *Idem caligraphus*. *ibid*. *Picturæ intelligens, reique gemmariæ*. *num*.10. *Studet Ingolſtadij*. *num*.11,12. *Familiaris ibi Ferdinando Auſtr. poſtea Imperatori*, *n*.12. *Duces Neoburgicos, & Epiſcopum Eiſtadianum inviſit*. *n*.13.14. *Capeſſendæ Reipub. exercitatur*. *n*.15, 16. *Proficiſcitur Pragam ad Rudolphum II. Imp*. *num*.16,17. *Abit Romam ad Clementem Pont. VIII*. *num*.18,19. *Petit Neapolim*. *n*.20. *Lotharingiâ peragratâ, Bavariam repetit*. *n*. 21. *Intereſt Imperij Comitijs Ratisbonæ, loco parentis*. *n*.22. *Ducit Eliſabetham Lotharingicam*. *ibid*. *Suſcipit Boicæ gubernationem*. *ibid*. *Ejus virtutes in principatu*. *n*.23,24, 25,26. *Expeditio Donawerdana, Rudolphi II. Cæſaris auctoritate ſuſcepta à* Maximiliano. lib.2. *num*.1. *uſque ad* 35. *Bello petit Wolfgangum Theodoricum Archiepiſc. Salisburgenſem*. *n*.42. *uſque ad* 48. *Fridericus Palatinus* Maximilianum *vult creari Cæſarem*. lib.3. *n*.6. & 7. Maximilianus *Imperium detrectat ſapienti reſponſo*. *num*.7,8. *Emit dynaſtiam Mindelheimenſem*. *num*.10. *Tentatur à rebellibus Bohemis*. *n*.24. *Ejus reſponſum*. *n*.25. *Novum fœdus Catholicorum, cui præficitur* Maximilianus. *ibid*. *Pro Pilsna intercedit*. *n*.27. *Scribit militem*. lib.4. *num*.10. *Conſulitur à Friderico Palat. de Coronâ Bohemica*. *num*. 16, 17. *Diſſuadet omnibus modis*. *n*.18. *uſque ad num*.31. Maximilianus, *dum Correſpondentes Vlmæ conventum agunt, militem ducit in Sneviam*. lib. 5. *num*.11. *Quid illic geſtum*. *n*.12,13. *Movet in Auſtriam ſuperiorem, quam & domat*. *num*.15. *uſque ad* 26. *Mittit copias in Bohemiam, mox ipſe ſecuturus*. *n*.26. *Gerit bellum Bohemicum, glorioſus denique victor*. *num*.27. *uſque ad* 67. *Res illius regni componit*. *num*. 68. *uſque ad* 73. *Redit in Bavariam*. *n*.74. *Ponit aram maximam* Deiparæ Virgini. *n*.74,75. *Scribit Paulo V. Pont. Max*. *n* 76,77. *Reſpondet Papa*. *n*. 78. *Litteræ Gregorij XV. Pont. Max. ad eundē*. *n*.79. *Ferdinandi II. Imp. epiſtolæ duæ*. *n*.79. Maximilianus *Banni executor ſuperiorem Palatinatum occupat*. lib.6. *num*.3,8,9,13. *Legatus Anglicus fruſtra dat illi verba*. *num*.14,15,16. Maximilianus *creatur S. R. I.* Elector. lib.8. *n*.1. *uſque ad* 22. *Gratulatur hanc ei dignitatē Gregorius XV. PP*. *n*.22. *Gratulatur illi victoriam adverſus Halberſtadium Vrbanus VIII*. *n*.46,47. *Aſſumitur ad Septemvirale Collegium*. lib.9. *n*.36. *Saxoniam inferiorem continet*. lib.10. *ferè toto*. *Vrbanus VIII. illi gratulatur per litteras ob Stadam occupatam*. lib.13. *n*.15. Maximilianus *init fœdus cum Rege Galliæ*. lib.16. *n*.44,45,46. *Defenditur à calumniis Auctoris Epitomes fœderum Gallicorum*. *n*.69. *uſque ad n*.82. Maximilianus *Monachio proficiſcitur ad caſtra oppoſita Guſtavo ad Lycum*. lib.17. *n*.21. *Exercitum recipit Ingolſtadium*. *n*.22. *Præripit Sueco Ratisbonam*. *n*.45. *Inde movet in Palatinatum ſuperiorem*. *num*.46. *Poſt Egram, juncturus copias ſuas Fridlandicis*. *n*.61. *Inde digreſſi, victo in itinere, captóque Tubadelio, caſtra metantur ad Norimbergam*. *n*.63. *Quæ ibi geſta?* *num*.64. *uſque ad* 70. *Cur alia non geſta?* *nu*.70,71. Maximilianus *redit in Bavariam*. *n*.72. *Voti reus Oetingam Veterem*. *num*.77. *Inde Brunovium*. *nu*.79. *Juſſu* Maximiliani *infertur annona Wilzburgo: in reditu Schnetterius, Haslangius, alij ductores ab hoſte capiuntur*. lib.19. *n*.30. Maximilianus *venit ad caſtra, cùm obſideretur Ratisbona*. *num*.46.

Ducit Mariam Annam *Auſtriacam*, *Ferdinandi II. Imp. filiam.* lib.20. *nu.44. Ex qua ſuſcipit filium primogenitum* Ferdinandum Mariam. lib.21. *n.21. Alterum* Maximilianum Philippum. lib.23. *n.55. Reſtaurat exercitum*, *& Gleenio ſuas vices demandat.* lib.24. *n.12. Periculosè decumbit.* lib.25. *n.37. Defenditur contra anonymum calumniatorem. n.37,38,39,40.* Maximiliani *conſilio & ſuppetijs, Bannerius è ſuperiore Palatinatu pulſus: Schlangius oppreſſus, captus, & abductus Ratisbonam.* lib.26. *n.1. uſque ad 8. Leopoldus Archidux, & paulò pòſt Ferdinandus III. Imp. cum Auguſtâ Monachium veniunt. num.16. Init armiſtitium Vlmæ cum Gallis & Suecis* Maximilianus. lib.32. *nu.1. uſque ad 8. Induciarum leges. num.8. uſque ad 12. Cæſar ijs offenditur: avocat militem. num.12. Werthius à* Maximiliano *tum deficit. nu.13, 14, 15. Proſcribitur. n.18. Quas ob cauſas non dimiſerit* Maximilianus *exercitum. n.21, 22,23. Renunciat Suecis armiſtitium, & quas ob cauſas. n.27,28,29. Rurſus arma ſua Cæſareis ſociat, & quibus pactis. n.30,31. Rex Galliæ renunciat inducias Vlmenſes* Maximiliano. *n.43.* Maximilianus, *promulgatâ pace Monaſterienſi, primus omnium exauctorat militem.* lib.34. *n.2. Reſtituit inferiorem Palatinatum. ibid. Reliquias SS. Martyrum Coſmæ & Damiani curat Bremâ Monachium transferri. n.5,6. Capita utriuſque Sancti, à S. Henrico Imp. Româ Bambergam allata, donavit Ioannes Godefridus Epiſcopus Guilielmo Duci Bavariæ,* Maximiliani *patri. n.7. Nunc reliquis oſſibus juncta, transferuntur ad templum S. Michaëlis, quod Guilielmus condidit. n.7,8,9,10. Conciliat* Ferdinando *filio nuptias* Adelaidis *Sabaudiæ Ducis filiæ. n.14. Mittit legatum Maximilianum Comitem Curtium in Pedemontium. ibid.* Maximiliani *poſtremum iter Monachio Ingolſtadium.* lib.34. *n.28,29. Poſtrema peregrinatio ad ædem* Salvatoris. *n.30. Supremus morbus. n.30. & 31. Ad mortem ſe comparat exomologeſi, viatico ſacro, extremâ unctione, claris virtutum actibus. n.31,32,33,34,35,36. Moritur die XXVII. Septembris, qui SS. Martyribus Coſmæ & Damiano ſacer eſt. num.37. Exenterati corporis perſpecta habitudo. nu.38. Funus ducitur Monachium: publicè exponitur: ſepelitur in templo S. Michaëlis. n.39. Epitaphium. num.41. Cor in ſacello* B. Virginis *Oetingano conditum; Inteſtina in templo Academico* B. Virginis *Ingolſtadij. n.41. Anniverſaria parentalia. n.43. Vltimæ voluntatis codicilli. n.44,45,46,47.* Maximiliani *virtutum ſynopſis.* lib.35. *toto. Pietas in Deum. num.2,3. Obſervatio præceptorum Eccleſiæ. n.4. Studium orationis, & conſcientiæ diſcuſſio. n.5,6,7. Corporis maceratio. n.8,9. Frequentia SS. Communionis. num.10. Amor in* Deiparam Virginem, *cui poſuit præaltam marmoream columnam in foro Monacenſi. n.11. Bina in novo palatio ſacella. num.12,13. Fundavit duo quotidie ſacra in æde Lauretanâ. n.13. Pretioſa donavit in ſacello Oetingano. nu.14. Cultus Sanctorum. n.15. Zelus animarum. n.15,16. Studium defendendæ Religionis. n.17. Prudentia. num.18, 19,20. Monita paterna data primogenito* Ferdinando Mariæ, *quorum I. Caput tractat de officio erga Deum, Cælites, & ſanguine junctos, déque famæ ſtudio. II. De officiis erga ſeipſum. III. De officijs erga ſubditos. num.20. uſque ad 32.* Maximiliani *Fortitudo ac Magnanimitas. n.32,33. Magnificentia & Liberalitas. n.33,34,35,36,37. Patientia & Conſtantia. num.38,39,40. Temperantia, Caſtitas. n.41. Manſuetudo. n.42. Humilitas. num.43, 44,45. Liberalitas. num.46,47. Iuſtitia. num.48.*

Maximilianus Curtius legatus ad Cæſarem. lib. 12. *num.5. Ad Mulhuſinum Septemvirûm conventum. n.34. Commendatur Maximiliano marito ab Electrice Eliſabethâ ſub mortem ſuam.* lib.20. *n.15. Mittitur legatus Taurinum ad contrahendum matrimonium inter* Ferdinandum *utriuſque Bavariæ Ducem, &* Adelaidem *Sabaudiæ Ducis filiam.* lib.34. *n.14. Quis honor in itinere, quis illi Taurini habitus. n.14,15,16,17,18. Legatione perfunctus redit in Bavariam. n.19. Idem miſſus à Sereniſſimâ Electrice viduâ ad Sereniſſimam* Adelaidem *deducendam in Bavariam. n.20. Claudit oculos* Maximiliano *Electori demortuo.* lib.34. *n.37.*

Mechtildis *Landgravia Leuchtenbergiæ,* Alberti *Bavariæ Ducis uxor, magnis virtutibus clara, diem ſuum obit, & ſepelitur in Oetingana* Virginis *ſacello.* lib.19. *n.62.*

Mindelheimium emptum à Maximiliano Bavaro. lib.3. *n.10. Venit in Suecorum manus honeſtis pactis, quæ ab hoſtibus illis non ſunt ſervata.* lib.17. *n.53.*

Monachium Guſtavi Regis Sueciæ poteſtati ſe permittit, redimendum grandi lytro. lib.17. *n.50,51,52. Birckfeldij crudeli denunciatione territum, ni lytrum paulò pòſt repræſentetur, Votum Oetingana* Virgini *facit. n.76. Peſtis ad*

INDEX.

ad quindecim hominum millia ſuſtulit in urbe. lib.19.*n*.62. *Vrbs divinitus ſervata.* lib. 31. *n*.26,27.

Monſtrum bicorpor natum in Galliâ, quo augurio? lib.24. *n*.1,2.

Mulhuſinus Septemvirûm conventus. lib.12.*n*. 34. *Acta. à num*.35. *uſque ad num*.61.

N.

Nienburgum Bavaris deditum. lib.12. *n*.23.

Nordlinga obſidio, & juſtum ad urbem prælium, in quo victoria pro Cæſare ſtetit. lib.19. *n*.52. *uſque ad* 57. *Nordlinga præſidium Gallicum, exactis Cæſarianis, recipit.* lib.30. *n*.37,38,39, 40. *Fruſtra tentatur à Petræo.* lib.32. *n*.32.

Norimbergæ Cæſareo-Bavarica caſtra Suecis oppoſita. lib.17.*n*.63. *Quæ ibi geſta? num*. 64. *uſque ad* 72. *Conventus Electorum habitus anno 1640. Acta illius.* lib.25. *n*.3,4,5. *Conventus alius de executione Pacis Monaſterienſis.* lib.34.*n*.1. & 2.

Northemium, non ſine præcedente clade, miles Bavaricus accepit deditione. lib.12. *num*. 22.

O.

Oeni trajectum, occupato Müldorfio, moliuntur Gallo Sueci, at fruſtra. lib.33. *n*.15,16,17,18.

Oetinganæ Virginis *ſtatua magnis honoribus Salisburgi colitur.* lib.17.*n*.78. *Refertur ad antiquam ſedem. ibid.* Maximiliani *Electoris Bavari cor in eo ſacello conditum.* lib.35. *num*.41.

P.

Pacis tractandæ molimina. lib.28. *n*.1. *uſque ad* 8. *Teſtudineo gradu conſilia procedunt.* lib.29. *n*.1. *uſque ad* 6. *Rurſus.* lib.30. *n*.1. *uſque ad* 5. *Suecorum & Gallorum poſtulata, aliaque conſulta.* lib.31. *n*.1. *uſque ad* 9. *Facies pacis varia.* lib.32. *num*. 45,46.47. *Pax tandem Monaſterij publicata.* lib.33. *num*. 27. & 40. *Locus tractandi de pacis executione, dicta Norimberga.* lib.34. *n*.1. *Ibi res lentè aguntur. num*.2.

Palatinatus ſuperior occupatur à Maximiliano. lib.6. *num*.3,8,9,13. *Reformatur illa provincia.* lib.12. *n*. 62,63,64,65. *Pactum de ſuperiore Palatinatu.* lib.13. *n*.1,2,3,4. *Religionis incrementa, per Societatis IESV XXV. ſacerdotes. num*.53. *Neoforenſium pietas. nu*.56. *Surdus, perceptâ Euchariſtiâ, curatur. n*.57. *Ius reformandi in ſuperiore Palatinatu penes Maximilianum, juxta inſtrumentum Pacis.* lib. 34. *num*.2.

Palatini cauſa à Comitijs Ratisbonenſibus rejecta Viennam. lib.26. *n*.12,13. *Quid deeâ ibidem actum. num*.18. *uſque ad* 23. *Abijt in irritum tota iſta tractatio.* lib.27. *n*.1.

Pappenheimius mittitur ſuppetias Cæſarianis contra Suecos. lib.15. *nu*.71. *Razenburgo potitur, capit Franciſcum Carolum Saxo-Lauenburgicum, qui à Cæſare ad Suecum defecit. n*. 71, 72, 73. *Pappenheimij laus in excidio Magdeburgico parta.* lib.16. *n*.26,33,35,36,37. *Solvit obſidionem Suecicam Magdeburgi: munitionem æquat ſolo.* lib.17. *nu*.14,15. *Felices illius progreſſus in inferiore Saxoniâ contra Suecos. n*.58. *in Weſtphaliâ. n*.59. *in Haſſiâ. n*. 60. *in Brunſvicia. ibid. Pappenheimius ad Fridlandum accedit. num*. 75. *Stadam deſerit: Wolmarſam & Mindam invadit. n*.82. *Haſſos profligat. num*. 83. *Suecos pellit à Calenberga, quam æquat ſolo. ibid. Trajecto fert ſuppetias. nu*.84. *Deſertus tum ab Hiſpanis, cladem accipit. num*.85. *Cædit Luneburgicos. ibid. Occupat Hildeſium. num*.86. *& loca complura alia. n*.87. *In Luzenſi prælio generoſiſſimus Heros occumbit. n*.92.

Pauli V. Pont. Max. litteræ ad Maximilianum poſt victoriam Pragenſem. lib.5. *num*.78.

Philippoburgum ſtratagemate capitur à Gaſpare Bambergera. lib.20. *num*.19. & 20. *Excurrit frequenter in hoſtem.* lib.25. *n*.13. *Cædit præſidium Gallicum Hagenoæ.* lib.27. *n*.30. *Obſidetur ab Enguienno Duce, cui deditur.* lib.29. *num*.23.24.

Pragenſis pugna. lib.5. *n*.57. *uſque ad* 64. *Praga capta à Kœnigsmarckio.* lib.33. *num*.29,30,31, 32,33.

Proteſtantes conſpirant Aſchhuſij. lib.2. *num*.36. *Caput unionis dicunt Fridericum Palatinum. num*.37. *Rurſus Halæ Suevorum conveniunt. num*. 38. *Hailbrunnæ & Norimbergæ Anno* 1615. 1617. lib.3. *n*.4.5. *Proteſtantium varij conventus poſt mortem Regis Sueciæ.* lib.18. *n*.1,2,3,4,5. lib.19. *n*.1,2,3,4,5,6,7,8.

Q.

R.

Ratisbonæ comitia celebrantur Anno 1623. lib.8. *num*.1. *Cauſæ propoſitæ perturbatorum olim Comitiorum. num*.2,3. *Deliberationum in ijs capita.*

INDEX.

capita. num.4. uſque ad 16. Maximilianus *Bavarus fit* Elector. *num.17. uſque ad 22. Comitia Anni 1630. ibid.* lib.15. *n.3. Acta, conſulta, decreta. num.16. uſque ad 43. Comitia Anni 1640. & quæ in iis acta.* lib.25. *num.6. uſque ad 11.* lib.26. *num.8. uſque ad 18. Ratisbona prærepta Suecis à Maximiliano Electore.* lib.17. *num.45. Capitur à Bernardo Weinmario.* lib.18. *num.38. uſque ad 44. Rurſum à Cæſareo Boicôque exercitu obſidetur, & occupatur.* lib.19. *num.43. uſque ad 52.*

Renata Lotharinga Maximiliani mater. lib.1. *num.4. Vita & mors perinde ſancta. nu. 27. & ſeqq.*

Rudolphus II. Imp. excipit Maximilianum Bavariæ Ducem Pragæ. lib.1. *num.17. Moritur Anno 1612. ſuccedente Matthiâ fratre ipſius.* lib.3. *num.1.*

S.

Sacrilegiorum ultio divina. lib.33. *num.9,10.*

Salisburgenſis belli, à Maximiliano *adverſus Wolffg. Theodoricum Archiepiſcopum geſti, primordium, finis.* lib.2. *n.42. uſque ad 48.*

Spectra portentoſa anni M. DC. XXX. lib.15. *num.1.*

Sporckius tribunus Bavaricus Erfurtenſibus abigit armenta, damno ab annis triginta majori non accepto. lib.27. *num.11. Meinungam obſidet. n.12.*

Steinbrucum acerrimè defenſum coguntur Bavari dedere. lib.25. *n.19.*

Straubinga capitur à Bernardo Weinmario. lib. 18. *n.44. Recuperatur ab Aldringero.* lib.19. *n.58. Cæduntur pabulatores Suecici. n.43.*

Suecici belli ſemina. lib.14. *num. 62. Prætextus. n.63. Apparatus. n.64. Senatores Sueciæ diſſuadent bellum Regi. num.65,66. Rex decernit. num.67. Mittit epiſtolam Tillio. num.68. Cui legatus addidit alteram, querelis plenam de Fridlando. num.69. Reſcribit Tillius Regi, reſpondet legato. ibid. Suecici belli primordia fiunt in Pomeraniâ.* lib.15. *num.59,60,61. 62. Varia occupantur loca. num. 62,63. inter ea Stetinum. num.63,64,65. Gallo-Suecicum fœdus: ejus pacta conventa.* lib.16. *nu.10,11. Occupant Sueci Lockevizam; Daminum illis deditur; Malchinum ſtratagemate capiunt; Colbergam ſubigunt.* lib.16. *num.12,13,14. Francofurtum ad Viadrum vi expugnant: Lanſperga dedita. num.18,19. Gripswalda, & ſummum templum Havelbergæ deduntur. num. 42.*

T.

Trevirenſis civitas ab Hiſpanis capitur: Elector captivus abducitur. lib.20. *num.* 24,25,26. *Reſtituitur hic in integrum.* lib.30. *num.48.*

Tutlingenſis victoria memorabilis. lib.28. *n.37. uſque ad finem libri.*

V.

Vberlinga obſidetur ab Hornio, ſed in caſſum. lib. 19. *num.41. Expugnatur à Widerholdo gubernatore Hohenwilano.* lib.28. *num.21,22. Obſidetur, & expugnatur à Franciſco Mercio.* lib.29. *num.9,10,12,13.*

Vrangelius in cervorum venatione factus propè noſtris præda. lib.33. *num.24,25. Fugit, amiſſo gladio, per paludem. ibid.*

Vrbanus VIII. Papa gratulatur Maximiliano victoriam contra Halberſtadium obtentam. lib. 8. *num. 46,47. Tillio victoriam contra Daniæ Regem.* lib.11. *num.65. Rurſum Maximiliano Stadam occupatam.* lib.13. *num 15. Hortatur Germaniæ Principes ad ineundam pacem.* lib.25. *num.1.*

W.

Wahlij Comitis juſſu, ductu, recuperantur pleraque loca Palatinatûs ſuperioris. lib. 19. *n.39. Memorabile Zweiffelij facinus in expugnando Hersbruco. num.39, & 40. Wahlius juſſu Maximiliani Auguſtam Vindelic. obſidet. num.58. Fame tandem expugnatam capit.* lib.20. *nu. 22,23. Eijcit Suecos Kulmbachio.* lib.19. *n.59. Subactâ Auguſtâ, mittitur à Maximiliano ad ſuperioris Palatinatûs præfecturam.* lib. 20. *num.31. Movet in Hildeſienſium fines.* lib.25. *num.18. Iungit ſuas copias Hazfeldicis. n.21. Recipiunt hi duo Marcodurum.* lib.27. *n.10.*

Waſſerburgum ab hoſtibus obſeſſum. lib. 33. *numero 13,14.*

Wenceslaus Petreus Maximiliano datus moderator, & quibus præceptis. lib.1. *n.5,6,7,8,9.*

Wildenſteinium ſtratagemate captum, recuperatur à Carolo Marimontio. lib.27. *num. 26, 27,28.*

Wolfenbuta obſidetur: capitur à Pappenheimio. lib.12. *num.24,25. Rauſchenbergius gubernator rem ibi præclarè gerit.* lib.24. *num.* 23, 24. lib.25. *num.19. Obſidetur à Georgio Duce Luneburgico. num.20. Ab Auguſto Duce. num.*

INDEX.

num. 26, 29. *uſque ad* 41. *Reddita Auguſto Duci, voluntate Cæſaris.* lib.28. *num.*42.

Wolffius tribunus Bavaricus capit Vrſellam. lib. 25. *num.*15. *Quatuor Gallicas legiones conflictu velitari profligat.* lib.29. *num.* 15,16. *Occumbit. num.* 28.

Wolfgangus Theodoricus Archiepiſcopus Salisburgenſis bello dat cauſam. lib.2. *n.*42,43,44,45. *Fugit. num.* 46. *Capitur. num.* 47,48. *Poſt quinquennium moritur in cuſtodiâ. n.*48.

X.

Y.

Z.

Zweiffelius memorabili ſtratagemate capit Hersbrucum. lib.19. *num.*39,40.

Menda.	*Emenda.*
Fol. 10. hirundines.	hirudines.
15. tubarum	turbarum.
20. Molijt	Mollijt.
21. quæ	quas.
27. is, fors	ſi fors.
28. celere	celeret.
37. extremis	externis.
76. viri	viris.
87. timebat	timebatur.
92. armatis	armentis.
101. Heidelbergicam	Herlebergicam.
112. fore ut Fridericus	fore non ut Fridericus.
113. retulerunt	retulerat.
145. malè	malle.
157. multa.	multi.
166. formabilis	formidabilis.
201. qui	quæ.
223. Ducis	Duces rei.
236. ſuus	ſuas.
249. poſteriorem.	poſteriores.
ibid. Majeſtati hoſtis	Majeſtatis hoſti.
258. antioriorie	anterioris.
302. lateri	laturi.
378. arctáſque	actáſque.
461. capit	caput.
472. tuncis	truncis.
502. inſerendo	inferendo.
540. caſtorum	caſtrorum.
579. Cephallagia	Cephalalgia.
592. quinquageſimam	quinquageſimum.
ibid. excitendum	excitandum.
627. pulvinas	vulpinas.

F I N I S.

SERENISSIMI ELECTORIS
AUCTORITATE.

MONACHII
BOJORUM METROPOLI
Excudebat
JOANNES GUILIELMUS SCHELL,
ANNO A PARTU VIRGINIS
M. DC. LXIII.

